15.9.392
15.5.9

[illegible]

DV[illegible]

[illegible]

17[illegible]

SUMMA THEOLOGIÆ SCOTISTICÆ

BIBLIOTH. PVB. FLORENTINAE

SUMMA
THEOLOGIÆ
SCOTISTICÆ,

IN QUA

EX FIDEI LUMINE, S. SCRIPTURÆ
Oraculis, Eccleſiæ Traditionibus, ac Decretis,
ex SS. PP. ac Theologorum ſententia,
& rectæ rationis ductu

RELIGIONIS CHRISTIANÆ MYSTERIA,
Dogmata, Sacramenta, & Leges breviter, &
ſcholaſticè explicantur, & propugnantur ad
mentem Doctoris Subtilis

A P. F. SEBASTIANO DUPASQUIER,
Min. Convent. S. Theologiæ Lectore Emerito,
Doctore, ac Provinciæ Seraphici Sancti
Bonaventuræ Exprovinciali
conſcripta.

TOMUS PRIMUS.



C.R. FLOREN. BIBLIOTH. S. MICHAEL

PATAVII, Typis Seminarii. MDCCVI.
Apud Joannem Manfrè.
SUPER. PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

STUDIOSO
LECTORI.

ECce tibi Theologiam, Religioſe ſtudens, eiſdem animo, ſtudio, ſtylo, ac methodo ſcriptam, quibus Philoſophiam accepiſti. Ea tantùm differentia eſt, quòd in Philoſophia rationum potiùs, quàm authoritatum armis, & viribus diſputatum ſit; quippe ſcientia eſt purè naturalis; hic verò ex Fidei principiis, ut ſunt revelationes divinæ, ſeu verbum Dei ſcriptis, & traditionibus acceptum; Eccleſiæ decreta, & deciſiones; & Patrum, ac Majorum aſſerta. Denique authoritati potiſſimus locus datus eſt.

Igitur in concluſionibus ſtabiliendis, & probandis, ubicumque potui, Scripturæ Sacræ authoritatem adhibui, Conciliorum definitiones, Apoſtolica, & Romani Pontificis decreta, & Sanctorum, ac veterum Patrum ſententias. Hæc quippe non humana eſt ſcientia, quæ ſolis naturæ ratiocinationibus, & argumentationum ſubtilitate capiatur, ſed divina, & ſupernaturalis ſapientia, in qua ut plurimùm noſtra cęcutit ratio, & ferè toties

aberrat, quoties proprii luminis ductu de ſupernis diſcurrere, & definire prçſumit. Nec tamen rationem ſilere coegi; imò libenter conſului, & audivi, ſi quando conformiter ad Fidei principia loqui potuit; quippe doctrina hæc Philoſophicis, & naturalibus ratiociniis ſuperior quidem eſt, ſed non adverſa. An autem hæc Theologia, & hoc qualecumque munus tibi oblatum placuerit, faxit Deus: per me non ſtetit; neque enim peperci ſtudio, nec labori, ut opus ſaltem minùs ingratum prodiret, & utilius redderetur.

Inter brevitatem, & prolixitatem medium tenui, ne per illam ſtudentis animus à lectura recederet jejunus, neve nimia ſiccitas faceret laborem, & ne per iſtam, ex nimia verborum copia obrueretur potiùs, quàm inſtrueretur. Sæpiùs prolixiori diſcurſu, & explicatione implicantur, & obſcurantur veritates potiùs, quàm elucidantur. Theologos, & Doctores omnis Scholç plurimos legi, & conſului, ut quæ meliora occurrerent ſeligerem; paucos citavi, non ex invidia, nec contemptu, omnes enim impensè veneror, ut magiſtros: omnibus me debitorem agnoſco, etiam adverſantibus; ſed in illis citandis parcus admodum fui, ne lectori fierem importunus.

Doctoris noſtri ſubtilis mentem, ſi non ſemper aſſecutus, ſaltem ſtudioſè ſcrutatus ſum, ne ab ea diſcederem temerè; ſciens me in his materiis difficillimis, & ſublimioribus, & meum captum longiſſimè ſuperantibus, ſecuriorem ſequi non poſſe ducem, in cujus ſcriptis, & doctrina, ſicut & in moribus, nihil non ſanum per tot ſæcula novimus deprehenſum: licèt non defuerint æmuli ſagaciſſimi, ſcientiæ,

& zeli

& zeli famâ præpotentes. Dedi propterea textus in capite probationum ad ſingulas aſſertiones ex ejus ſcriptis ſelectos, quos in fontibus conſulere poterit Religioſus ſtudens; tùm, ut inde majorem eliciat lucem, tùm ut videat, ſi fideliter ſcripſerit, & ſi feliciter mentem ejus fuerim aſſecutus. Quod aliquandò fuerit dubius, aut problematicus non diſſimulavi.

A recenſendis, & confutandis aliorum opinionibus ferè ſemper abſtinui, ne fatigarem ſtudentis animum, neve nimiùm moles Operulæ hujus excreſceret; contentus ſolidis proprias ſtabilire fundamentis, & propugnare validis ad objectiones, & impugnationes adverſantium reſponſis. At illas non omiſi, ſi alicujus eas crediderim momenti.

Scio his temporibus Poſitivam præferri Scholaſticæ, & per me licet: modò ſuus huic permittatur locus, & ne germanæ ſorores, ut adverſę dividantur. Nam illarum ſocietas, & unio Eccleſiæ prorſus eſt neceſſaria. Languebat Poſitiva, donec auxiliatrix accurrit Scholaſtica, & per iſtam Theologus evadit ad propugnandas Fidei veritates exercitatior; ad impugnandos errores fortior, & promptior; ad diluenda hæreticorum ſophiſmata oculatior; variis, & captioſis cavillationibus opponens legitimorum ſyllogiſmorum impenetrabiles clypeos, & ineluctabilia tela. Propterea in examinandis objectionibus adverſantium ferè prolixior fui, & in formis argumentorum exactior, ut inde ſtudentes ad arguendum, & reſpondendum promptiores, & cautiores evadant, & veritas clariùs eluceſcat.

In tractandis materiis ſequor ordinem uſitatum à Theologis: & quàm paucioribus licuit

libris complector, & per vias magistritas. Tu interim, chariſſime frater, & ſtudens, impenſo fruaris labore peramanter exopto: &, ut jam aliàs monui, ſi quid in illo gratum occurrerit, Deo; ſi quæ, ut ingrata, minùs arriſerint, meæ tenuitati adſcribe, & quæſo indulgeas, & pro me ores, ut delicta mea, & ignorantias meas ne meminerit Dominus. Inſuper ſcripta, & dicta omnia, & me ipſum totum correctioni, & cenſuræ Eccleſiæ, & Superiorum penitùs volo ſubjacere. Vale.

IN-

INDEX DISPUTATIONUM, ET QUÆSTIONUM.

Tractatus I. de Deo.

DISPUTATIO I.

Proœmialis, ſeu de Theologia in ſe.

QUÆST. I. *AN, & quid ſit Theologia, & quotuplex.* pag. 1.
II. *An Theologia noſtra ſit ſcientia, An practica, vel ſpeculativa.* 4
III. *De objecto Theologiæ.* 20
IV. *De ſubalternatione, unitate, & nobilitate Theologiæ noſtræ.* 28
V. *De neceſſitate Theologiæ.* 39
VI. *De ſupernaturalitate Theologiæ.* 55
VII. *De locis Theologicis.* 62
VIII. *De Scriptura Sacra, & variis ſenſibus ejus.* 66
IX. *An Theologia noſtra ſit purè declarativa, an verò etiam argumentativa, & adheſiva.* 79

DISPUTATIO II.

De exiſtentia, & eſſentia Dei. 88

QUÆST. I. *An ſit Deus, & quomodo id cognoſcatur.* ibid.
II. *An, & quomodo demonſtretur exiſtentia Dei.* 99
III. *An hæc propoſitio,* Deus eſt, *ſit per ſe nota.* 106

IV. *An Deus ſit unicus, Et quomodo id probari poſſit.* 115
V. *An poſſit ignorari Deum eſſe.* 122
VI. *Quid ſit Deus. An poſſit ab homine viatore haberi aliquis conceptus quidditativus de Deo.* 132
VII. *An exiſtentia, & ſingularitas ſint de eſſentia Dei.* 147
VIII. *De aliis prædicatis eſſentialibus, & univerſaliſſimis Dei.* 153
IX. *An, & quid ſit ratio conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentiæ Dei.* 159

DISPUTATIO III.

De Attributis, & Perfectionibus divinis in communi. 172
QUÆST. I. *An, & quæ ſint perfectiones Dei attributales, & modi ejus intrinſeci.* ibid.
II. *De identitate, & diſtinctione attributorum ab eſſentia, & inter ſe.* 183
III. *An diſtinctio formalis ex natura rei repugnet Deo, & ejus unitati, & ſimplicitati. Ubi ſolvuntur objectiones.* 202
IV. *Quomodo attributa, & eſſentia ſeſe includant, & de ſe invicem prædicentur.* 216
V. *De ordine, & æqualitate Attributorum. An, & qualis ſit ordo prioritatis, & dignitatis in Deo.* 225

DISPUTATIO IV.

De modis intrinſecis eſſentiæ Dei in particulari. 236
QUÆST. I. *De Infinitate Dei; an, & quid ſit.* 237
II. *De ſimplicitate Dei, an, & quid ſit.* 243
III. *De immutabilitate Dei.* 260

IV. *De neceſſitate Dei, an, & qualis ſit.* 270
V. *De Æternitate Dei.* 276
VI. *De exiſtentia, & præſentia rerum in æternitate.* 287
VII. *De immenſitate Dei.* 296
VIII. *An immenſitas Dei rectè probetur ex ejus operatione ubique.* 308
IX. *De ineffabilitate Dei.* 316

DISPUTATIO V.

De inviſibilitate Dei. 325
QUÆST. I. *An, & quomodo Deus ſit inviſibilis, aut viſibilis.* ibid.
II. *Unde petatur ſupernaturalitas rei.* 338
III. *An poſſibilis ſit creatura, cui connaturalis ſit Dei viſio intuitiva.* 346
IV. *An viſio Dei ſit connaturalis intellectui informato lumine gloriæ.* 352
V. *An eſſentia Dei poſſit videri oculo corporeo.* 358
VI. *An viſio Dei eſſentiæ ſit poſſibilis viventi in corpore mortali, & an ſic contigerit unquam.* 367
VII. *An viſio Dei concedatur animabus juſtis, & purgatis ſtatim, & ante judicium univerſale.* 372
VIII. *An eſſentia Dei ſit in ſe, & per ſe immediatè viſibilis; an per ſpeciem aliquam ſive de facto, ſive de poſſibili.* 378
IX. *De lumine gloriæ. An ſit, quid ſit, & quotuplex.* 393
X. *Quid præſtet lumen gloriæ in viſione Dei.* 404
XI. *An poſſibilis ſit viſio Dei abſque lumine intrinſeco, ſeu, An poſſit ſuppleri concurſus illius luminis ad viſionem.* 415
XII. *De concurſu intellectus creati ad viſionem.* 422
XIII. *An viſio Dei ſit inæqualis, & an illa inæqualitas venire poſſit ab inæqualitate virtutis*

tutis activæ, & naturalis intellectus. 431
XIV. An viſio Dei ſit ſcientia, comprehenſio, & verbum mentis, & ejuſdem ſpeciei in omnibus. 444

DISPUTATIO VI.

De objecto viſionis Dei. 457
QUÆST. I. Quodnam ſit objectum illius viſionis primarium, & eſſentiale. ibid.
II. An ſic perſonæ, & attributa ſint de objecto viſionis Dei, ut eſſentia non poſſit videri ſine illis, ſeu, an viſio Dei poſſit eſſe præciſiva, & inadæquata. 461
III. An Decreta Dei libera, ſeu actus omnes intellectus, & voluntatis Dei ſint de objecto viſionis beatificæ. 476
IV. An, & quæ creaturæ videantur in Deo, An omnia, vel aliqua poſſibilia, vel futura, An omnia, quæ Deus videt. 481

DISPUTATIO VII.

De Attributis poſitivis, & 1. de Unitate, Veritate, & Bonitate. 502
QUÆST. I. An, & quid ſit Unitas Dei. ibid.
II. An, & quid ſit Veritas Dei. 508
III. An, & quid ſit Bonitas Dei. 510

DISPUTATIO VIII.

De intellectu, & ſcientia Dei. 519
QUÆST. I. An, & quid ſit intellectus, & ſcientia in Deo. ibid.
II. De objecto ſcientiæ Dei; An, & quomodo cognoſcat ſeipſum. 531
III. De objectis ſecundariis ſcientiæ Dei; An, & quomodo cognoſcat creaturas tam exiſtentes,

tes, quàm poſſibiles. 539
IV. De cognitione poſſibilium, quomodo cognoſcantur. 548
V. An, & quomodo cognoſcat futura contingentia. 556
VI. An, & quomodo cognoſcat futura conditionata. 572
VII. An detur aliquod decretum circa futura conditionata, In quo illa videantur ab eo, Et de ſcientia media. 581
VIII. Quomodo Deus cognoſcat non entia, chimeras privationes, & peccata. 594
IX. Qualis ſit ſcientia Dei, An practica, vel ſpeculativa. 600
X. An ſcientia Dei ſit cauſa rerum ad extra. 603
XI. An, & quomodo ſcientia Dei certa de futuris ſtet cum libertate, & contingentia eorum. 608
XII. Quotuplex ſit ſcientia Dei. 615
XIII. Qualis ſit ſcientia Dei, & de proprietatibus ejus. 617

DISPUTATIO IX.

De Ideis Divinis. 622
QUÆST. I. An, & quid ſint Ideæ in Deo. ibid.
II. An ſint plures ideæ in Deo, An omnium, quæ cognoſcit, Et an in intellectu, aut in voluntate. 629

DISPUTATIO X.

De voluntate Dei. 633
QUÆST. I. An, & quid ſit voluntas in Deo, & quotuplex. ibid.
II. De objecto voluntatis Dei; An velit ſe, & Creaturas, & quomodo. 641
III. De libertate voluntatis Dei; An & qualis, &

& quid importet formaliter in actu libero, 648
IV. *De actibus divinæ voluntatis; de Decretis, & prædefinitionibus; quales ſint, & qualis ordo earum.* 656
V. *An voluntas Dei ſemper impleatur, An velit omnes ſalvari.* 680
VI. *An detur aliqua cauſa voluntatis divinæ.* 697
VII. *An Deus velit neceſſario id, quod eſt optimum; An velit æqualiter majora, & minora bona.* 701
VIII. *De paſſionibus voluntatis Dei.* 706
IX. *De virtutibus voluntatis divinæ. An, & quid ſit ſanctitas ejus.* 715
X. *De Iuſtitia, an, & qualis ſit in Deo.* 719
XI. *De miſericordia; An, & qualis ſit in Deo.* 728

DISPUTATIO XI.

De Providentia Dei. 733
QUÆST. I. *An, & quid ſit providentia in Deo.* ibid.
II. *An providentia ſit in intellectu, aut voluntate.* 741
III. *An conſecutio finis ſit de ratione providentiæ ita, ut res omnes ſemper finem conſequantur, ad quem ſunt ordinatæ à Deo.* 744

DISPUTATIO XII.

De Prædeſtinatione. 749
QUÆST. I. *An, & quid ſit Prædeſtinatio.* ibid.
II. *De cauſis prædeſtinationis. An ſit purè gratuita ex parte prædeſtinati, An verò ex prævisis meritis.* 758
III. *An, & quomodo Chriſtus ſit cauſa noſtræ prædeſtinationis.* 780
IV. *De effectibus prædeſtinationis.* 786

V. De

V. *De certitudine prædeſtinationis; de ſignis ejus, & de numero prædeſtinatorum.* 794

DISPUTATIO XIII.

De Reprobatione. 804

QUÆST. I. *An, & quid ſit Reprobatio.* ibid.

II. *De cauſa reprobationis; An ſit aliqua ex parte Reprobi.* 808

III. *De effectibus, & ſignis reprobationis.* 819

DISPUTATIO XIV.

De Libro vitæ. 822

QUÆST. UNICA. *An, & quid ſit liber vitæ.* 823

DISPUTATIO XV.

De potentia Dei. 827

QUÆST. I. *An, & quid ſit potentia Dei.* ibid.

II. *De objecto potentiæ Dei; An poſſit in præteritum, & futurum.* 837

III. *An potentia Dei extendatur ad præterita, & poſſit facere, ut non fuerint. An poſſit facere, quæ non facit, aut ea facere meliora.* 842

FINIS.

NOI

NOI REFFORMATORI
Dello Studio di Padoa.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Ambroſio Liſotti Inquiſitore di Padoa nel Libro intitolato. *Summa Theologiæ Scholaſticæ, &c. Scribente P. F. Seb. Dupaſquier Minorita Conventuale, &c.* non v'eſſer coſ' alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza à Zuanne Manfrè Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Pubbliche Librarie di Venetia, & di Padoa.

Dat. 26. Febraro 1704.

(*Ferigo Marcello Pr. Reff.*
(*Girolamo Venier Kav. P. Reff.*
(

Agoſtino Gadaldini Seg.

SUM-

SUMMA THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ.

DISPUTATIO PROOEMIALIS de Theologia in ſe.

In hoc veſtibulo tantiſper hærebimus, ut in aliis ſcientiis præſtari ſolet, ut ipſius Theologiæ, cujus ſacrarium ingredi tentamus, exiſtentiam, neceſsitatem, aut utilitatem, naturam, qualitates, & principia meditemur, exemplo Doctoris noſtri ſubtilis, & aliorum, qui quæſtiones iſtas in Prologo premittunt.

QUÆSTIO PRIMA.

An ſit, & quid ſit Theologia, & quotuplex.

THEOLOGIÆ nomen, in latiſſima ſignificatione, ſumitur pro quocumque ſermone, vel cognitione de Deo, & de rebus divinis, & hoc ſenſu non ſolùm Philoſophi, qui de Deo ex ſolo lumine rationis, & ex ſolis principiis naturalibus loquuntur, ſed etiam Poetæ, qui de Diis ſuis fabulas ſcripſerunt, Theologi dicerentur, ut de Orpheo dixit Clemens Alexandrinus. [1] Preſſiùs verò nos hoc nomine intelligimus doctrinam, quæ de Deo vero, rebuſque divinis differit ex lumine, & principiis ſupernaturalibus, ſc. ex revelatione divina, ex Scripturis canonicis, Traditionibus Apoſtolicis, & Eccleſiæ Decretis: & de iſta hìc agimus.

Hæc autem duplex eſſe poteſt. Prima eſt, qua veritates ſupernaturales intelligimus, & eis aſſentimur ſimpliciter, & abſolutè, abſque diſcurſu rationis noſtræ, ſed ex ſola authoritate, & certitudine revelationis divinæ, ut cùm credimus, Deum exiſtere, eſſe unum,

[1] 5. Str.

& trinum, & hæc non diſtinguitur ab habitu fidei: & de Theologia in hoc ſenſu non agimus hic, ſed in libro tertio, & in proprio tractatu. Secundò ſumitur pro habitu, quo diſcurrimus circa veritates illas ſupernaturales ex principiis fidei, ſive explicando germanos ſenſus Scripturarum, *ut in Theologia poſitiva*: ſive ex propoſitionibus revelatis, & creditis, ac definitis alias inferendo per legitimum diſcurſum, ut fit in *Scholaſtica, & argumentativa*.

His ſuppoſitis, quærimus, an adſit in Eccleſia hujuſmodi doctrina ſupernaturalis? An, & quomodo diſtinguatur ab habitu fidei? & quotuplex illa ſit?

Concl. 1. *Theologia, de qua hic agimus, eſt habitus intellectualis, ſupernaturalis, quo ex principiis fidei diſcurrimus de Deo, rebuſque divinis, & hæc re vera datur in Eccleſia.*

Prob. 1. ex Scoto [1] admittente triplicem habitum, quem poteſt habere homo de divinis cum fide. *Primus eſt, quem habere poteſt ex ſenſu litteræ Scripturæ Sacræ de creditis, & revelatis. Secundus, qualem habet exponendo Scripturam, & explicando concluſiones, & ſolvendo ea, quæ videntur contraria. Tertius, qualis habitus fuit in mentibus recipientibus primo ſcientiam, &c.* Ille ſecundus habitus pertinet ad Theologiam, de qua hic agimus, & alibi dicit [2] quòd *quinque ſunt gradus cognitionis de Deo*; & quòd quarta cognitio eſt illa, quæ opitulatur piis, & defenditur contra impios, ut *cùm Litteræ ſenſus cognoſcitur, & unus locus Litteræ per alium exponitur, & perſuaſiones adducuntur, & contra impios defenditur.* Habes igitur & naturam, & exiſtentiam Theologiæ juxta concluſionem noſtram.

Prob. 2. ex D. Aug. dicente, quòd *Theologia eſt ſcientia, qua fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Vides exiſtentiam, & naturam Theologiæ, qualem deſcripſimus.

Prob. 3. quia hic explicatur natura illius doctrinæ, ſecundum quod communiter ab omnibus uſurpatur, & traditur. Dicitur 1. *habitus*, & quidem intellectualis, & id ponitur loco generis, & per id conve-

[1] 3. d. 24. q. E. 14. [2] *Repor. q. 2. prol. n. 17.*

venit cum ſcientia. 2. *Supernaturalis*, & ſic adhuc convenit cum fide: ſed jam differt à ſcientiis naturalibus; ut Metaphyſica, quæ eſt habitus naturalis. 3. *Quo diſcurrimus de Deo ex principiis fidei*, & ſic differt à fide pura, quæ propriè non eſt diſcurſiva, & adhuc à Metaphyſica, quæ diſcurrit quidem de Deo, ſed ex principiis naturalibus, & lumine rationis purè naturalis, ergo ſufficienter deſcribitur hæc Theologia. Quòd autem exiſtat, non indiget alia probatione.

Porrò Theologia, ut vides, diſtinguitur à pura fide, quæ eſt habitus ſupernaturalis, inclinans ad aſſentiendum veritatibus revelatis præcisè ob veracitatem revelantis, & reſpicit veritates revelatas, ut tales, ſive ſit diſcurſiva, ſive non: de quo dicetur ſuo loco. Hæc verò diſcurrit circa propoſitiones revelatas; ex quibus, & ex aliis naturaliter notis elicit per legitimam conſeq; alias veritates, aut illas explicat, roborat, ſuadet, atque defendit contra impugnantes, & impios, ac incredulos: aut verſatur in explicando germano ſenſu Scripturæ Sacræ ex principiis aliarum ſcientiarum, vel ex aliis locis ejuſdem Scripturæ, aut ex ſententia Patrum, & Doctorum.

Latè ſumpta dividi ſolet 1. *in naturalē*, quæ ex principiis purè naturalibus diſcurrit de Deo, ut Metaphyſica, & *ſupernaturalem*, quæ ex principiis ſupernaturalibus, ſc. fidei, ſeu ex revelatis, licèt habeat aliquid immixtum de lumine, & principiis naturalibus, & *mixtam*, quæ lumine tùm naturali, tùm ſupernaturali comparatur, qualis eſt *Scholaſtica*.

2. *Naturalem* dividebat Varro in *Myſticam*, ſeu fabuloſam, quæ propria eſt Poetarum prophanorum, de Diis ſuis, ſub fabularum figmentis, loquentium; *Phyſicam*, qua *Philoſophi* de Deo, rationis naturalis ductu, aliqua dicunt, & *Civilem*, ſeu *Politicam*, quæ ad Sacerdotes, & Principes pertinebat, quatenùs illis incumbebat, populos in divinorum cultu inſtruere. *Supernaturalis* verò dividitur in *Symbolicam*, quæ ſub figuris, & ſymbolis explicat divina; ut cùm tribuit Deo pedes, manus, iram, furorem, aut illum repræſentat ſub figuris *Solis*, *Ignis*, *Regis*, &c. 2. *Demonſtrantem*, quæ loquitur de Deo verbis propriis, quantùm fieri poteſt, ut cùm dicimus

illum eſſe *bonum*, *ſapientem*, *juſtum*, *trinum*, *unum*, &c. licèt enim has loquutiones ſumamus ex creaturis: tamen magis propriè conveniunt Deo, ſcilicet eminenter, & ſublatis defectibus, cum quibus ſunt in creaturis, ideo dixi, *quantum fieri poteſt*. Nam ut videbimus, non poſſumus in ſtatu præſenti viæ formare de Deo conceptus proprios, niſi ex communibus, quos accipimus ex creaturis. 3. *affirmantem*, quæ Deo tribuit aliquas perfectiones, ut ſapientiam, juſtitiam, &c. 4. *negantem*, quæ ab eo removet imperfectiones, v. g. mutabilitatem, ignorantiam, &c. 5. *poſitivam*, quæ præcipuè occupatur in explicanda Sacra Scriptura, & ſic ponit prima principia totius doctrinæ Chriſtianæ, ideo dicta *fundamentalis*, quia ponit fundamenta totius Theologiæ. 6. *Scholaſticam*, ſeu *Methodicam*, quæ more philoſophico, ſc. rationibus, & argumentis verſatur circa veritates, & materias fidei, ut eas explicet, ſuadeat, & defendat, notando accuratiùs, & ſubtiliùs ea, quæ vel ex fide conſequuntur, & conveniunt, vel quæ illi repugnant, & ſic juvat, ut tenebræ, quas hæretici ſuis ſophiſmatibus, & fallaciis offundere nituntur rebus fidei, depellantur. *Poſitiva* autem, & *Scholaſtica* conveniunt in objecto, fine, principiis, & mediis: nam utraque verſatur circa Deum, & divina, & præter Scripturam, utitur Traditionibus Apoſtolicis, & Decretis Conciliorum Eccleſiæ, & ſententiis Patrum, & Doctorum ad firmandas veritates catholicas, & utraque argumentatur: ſed *Poſitiva* oratorio magis ſtylo: Scholaſtica autem philoſophico, ſeu ſyllogiſtico. 7. *moralem*, quæ ſc. circa mores humanos dirigendos verſatur, & quidem reſolutivè, ſeu affectivè, & præcipiendo magis, quàm diſputando.

Solet etiam dividi ratione ſubjectorum, in quibus exiſtit, in *Theologiam Dei*, qua Deus ſe ipſum, & omnia in ſe, & Verbo ſuo comprehendit, & *beatorum*, quæ & dicitur *intuitiva*, qua illi in cœlo Deum vident facie ad faciem, & *viatorum*, qualis eſt noſtra, quæ & *abſtractiva* dicitur, quia ex revelatione tantùm illum agnoſcimus, vel per diſcurſum ex creaturis, & de hac tertia hìc agimus.

Scotus adhuc diſtinguit Theologiam *in ſe*, & *in nobis*. *Prima* eſt talis cognitio de objecto Theologico,

qua-

qualem ipſum objectum natum eſt cauſare in intellectu ſibi proportionato. Secunda verò eſt talis, qualem intellectus noſter pro hoc ſtatu natus eſt habere de objecto Theologico v. g. de Deo: & ſic poſſunt conſiderari omnes cognitiones, & ſcientiæ: agimus autem principaliter de Theologia *in nobis*, ſeu *noſtra*: parum enim nobis refert diſputare, qualis ſit *in ſe*.

Denique dividitur in Theologiam *neceſſariorum*, & contingentium. Prima agit de veritatibus, quæ ſunt *ad intra*, ſeu *neceſſariæ* in Deo: ut, quòd ſit, quòd ſit unus, trinus: quòd pater generet, quòd filius, & pater ſpirent. Secunda verò agit de illis, quæ ſunt ad extra, & peraguntur in tempore, ut quòd Deus creaverit, quòd verbum ſit incarnatum, quòd inſtituerit Sacramenta: ejuſmodi etiam ſunt juſtificatio, redemptio, glorificatio, &c.

QUÆSTIO II.

An Theologia ſit ſcientia? qualis? an practica, vel ſpeculativa? an ſit ſapientia?

SCientiæ nomen latè ſumitur pro omni cognitione vera, & hoc ſenſu eam definit [1] Ariſt. *qua anima affirmando, vel negando dicit verum*: & ſic fides, qua cognoſcimus Deum ex revelatione divina, imò & Romam, & Oceanum ex revelatione humana, dici poteſt ſcientia: abſit, inquit [2] S. Aug. *ut ſcire nos negemus, quæ teſtimonio didicimus aliorum, alioquin eſſe neſcimus Oceanum. Strictè autem ſignificat cognitionem certam*, & evidentem rei neceſſariæ, partam per demonſtrationem: ideò ad hanc ſcientiam requiritur 1. ut ſit vera, & certa, & ſic diſtinguitur ab errore, & opinione. 2. Ut ſit de re neceſſaria, quæ aliter non poſſit ſe habere, quàm ut cognoſcitur, alioqui certa non eſſet. 3. Evidens, ſc. per cauſas, aut effectus, quorum connexio clariſſimè appareat intellectui, & ſic diſtinguitur etiam à fide divina, quæ quidem eſt certiſſima, & de rebus neceſſariis, verb. grat. de Deo, ſed obſcura, & ænigmatica,

A 3 quip-

[1] 6. *Eth. c.* 5. [2] 15. *de trin. c.* 12.

quippe nititur ſolo dicto Dei revelantis. 4. ut ſit *parta per diſcurſum Syllogiſticum* : & ſic differt ab habitu primorum *principiorum*, qui dicitur *Intellectus*, quo cognoſcuntur prima principia ex ſola terminorum apprehenſione : differt etiam à viſione beata, quæ eſt ſimplex intuitio Dei. An autem diſcurſus ille debeat eſſe formalis, & explicitus ; an virtualis, & eminentialis ſufficiat ? lis eſt de nomine. Deus non diſcurrit formaliter, ſed eminenter, & tamen illi tribuitur ſcientia. [1] Unde *Theologia in ſe non eſt ſcientia, quantùm ad hanc ultimam conditionem, ſed quantum ad alias tres conditiones eſt ſcientia in ſe, & in intellectu* divino, inquit Doctor. *Omnia enim ſunt nuda, & aperta oculis ejus*, ait Sapiens, ſed non poteſt formaliter diſcurrere, quia omnia novit uno, ac ſimpliciſſimo intuitu. Reſtat ergo difficultas de Theologia beatorum, & noſtra.

Rurſus cognitio noſtra de Deo poteſt niti vel *lumine fidei*, quod obſcurum eſt, ſicut lumen nocturnum, & quo *vid́emus per ſpeculum in ænigmate*, vel 2. *Lumine ſcientiæ*, aut *Infuſæ* à Deo, aut *acquiſitæ* per diſcurſum, quo ex propoſitionibus revelatis, & adminiculo ſcientiarum naturalium, ſeu rationis naturalis elicimus concluſiones de rebus divinis. 3. Vel lumine ſpeciali divinæ contemplationis, quo Deus ſpecialiter aliquos elevat, & rapit ad myſteriorum, & arcanorum ſuorum intelligentiam in hac vita, ut contigit Paulo, & aliquot aliis. De iſto lumine non diſcurrimus, nec de primo: nam iſtud tertium eſt clariſſimum, & extra ordinem : primum verò eſt obſcurum : ſed de 2. quod partim naſcitur ex primo, à quo habet aliquid evidentiæ. De natura, & conditionibus ſcientiæ diximus in Logica, & de differentia, & conditionibus practici, & ſpeculativi.

Concl. 1. *Theologia Beatorum dici poteſt ſatis propriè ſcientia, non autem noſtra*. Eſt communis quoad 1. par. & communior quoad 2.

Prob. 1. par. ex Scot. [2] dicente. *Poteſt concedi, quod Beatus verè poteſt habere ſcientiam theologicam quantùm ad omnes conditiones ſcientiæ, &c.* ergo &c. & prob.

[1] *Q. 3. prolog. 26. vel 4.* R. [2] *Q. 3. prolog. n. 27. ſeu q. 4. & 5. later. A.*

prob. ant. 1. quia eſt cognitio certa, & evidens; vident enim eſſentiam Dei in lumine gloriæ, & facie ad faciem, quo nihil certius, nec evidentius: 2. de objecto ſummè neceſſario, ſcilicet de Deo, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. 3. per cauſam effectuum: vident enim omnia in eſſentia, quæ eſt fons, & cauſa omnium attributorum, & aliarum perfectionum, quæ illi tribuuntur. 4. Per diſcurſum ſaltem virtualem, & eminentialem: nec illis repugnat formalis: nam ex viſione eſſentiæ poſſent inferre per legitimam conſeq. reliquas omnes veritates, quæ inde manant; licet fortè unico hæc de facto videant intuitu: nam, inquit Doctor, *quidditas ſubjecti, in quocumque lumine videatur, continet virtualiter veritates, quas poteſt facere notas intellectui paſſivo à tali objecto, nec diſcurſus eſſentialiter requirit ſucceſſionem temporis, notitiarum*, cauſæ, & effectuum, vel præmiſſarum, & concluſionis: *Nec ordinem ipſius*, ſed ordinem *naturæ; qui conſiſtit in hoc, quod principium diſcurſus, ſeu præmiſſæ* ſit naturaliter priùs notum, & ut ſic ſit cauſativum alterius extremi diſcurſus, ſcilicet concluſionis; ergo ex Scoto, & ratione Theologia Beatorum habet omnes conditiones veræ ſcientiæ.

Dixi autem, *ſatis propriè*, quia, in toto rigore philoſophico, videtur requiri formalis diſcurſus, quo ex notis ignota inferantur: ſed tamen de hoc non convenit; nec valde curandum eſt, & ſufficit virtualis.

Prob. 2. ex eodem, nam evidentia eſt neceſſaria, & eſſentialis conditio veræ ſcientiæ: ſed Theologia noſtra non poteſt eſſe evidens, ergo nec proprie ſcientia, prob. maj. ex Scoto. [1] *Dico hoc, quod in ſcientia perfectionis eſt, quod ſit evidens, & certa*, & alibi dicit, quòd *fides eſt infra ſcientiam, quæ eſt ex evidentia objecti*: Probatur min. quia omnis concluſio Theologiæ noſtræ eſt inevidens: non enim poteſt eſſe evidentior ſuis principiis; nam concluſio ſequitur debiliorem partem, & perfectio, quæ non eſt in cauſa, nequit eſſe in effectu: probatur eadem min. in omni argumento noſtræ Theologiæ, principia, ſeu præmiſſæ ſunt de fide, aut eam ſupponunt:

[1] *Ibid. n.* 28. 3. *d.* 23. *c.n.* 5.

fides autem eſt argumentum non apparentium, ex Apoſtolo.

Dices 1. evidentiam non eſſe eſſentialem ſcientiæ, ſed accidentalem, quia requiritur, ut propter firmitatem adhæreat intellectus propoſitioni, aut concluſioni, hoc autem præſtat certitudo, quæ naſcitur ex principiis revelatis.

Contra 1. cognitio clara eſt intrinſecè perfectior obſcura, & non poteſt eſſe ſine certitudine, ſicut certitudo poteſt eſſe ſine claritate, ut patet de fide, quæ certa eſt, & obſcura: & ſi claritas quæreretur tantùm propter certitudinem, & firmitatem aſſenſus, habita certitudine quieſceret intellectus; ſed hoc conſ. eſt falſum, & contra experientiam; quilibet enim quærit aſſentiri per ſe, & ex proprio ſenſu, non verò tantùm ex alieno, ut facit fides, ſed hoc conſequens eſt falſum, ergo & ant. contra 2. quia, ſi evidentia eſſet tantùm conditio accidentalis, non faceret eam differre à fide eſſentialiter; ſed per evidentiam ſcientia differt eſſentialiter à fide, ut omnes fatentur: ergo eſt illi eſſentialis. Probatur maj. accidens non facit differentiam eſſentialem, nec conſtituit eſſentiam rei; ſed quod facit eſſentialiter differre, conſtituit eſſentiam; juxta illud axioma receptiſſimum: *Idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum rei*, ergo &c.

Dices 2. Theologiam noſtram eſſe evidentem in Theologia Beatorum, cui ſubalternatur tanquam inferior ſuperiori; & hoc ſufficit, ut noſtra habeat veram ſcientiæ rationem.

Contra 1. quia gratis, & ſine fundamento ſupponitur illa ſubalternatio, ut dicemus: contra 2. quia etiam ſuppoſita ſubalternatione illa, adhuc lumen fidei, quo intelligimus principia concluſionum noſtræ Theologiæ, eſt obſcurum; ergo & ipſæ concluſiones; nec illa ſubalternatio affert illis aliquam evidentiam; ergo nec facit, ut habeant rationem veræ ſcientiæ. Probatur conſeq. ut aliqua cognitio noſtra ſit ſcientia, debet eſſe evidens in nobis; ſed licèt veritates fidei ſint evidentes Beatis, id non facit eas evidentes in nobis; ergo neque ut ſint in nobis ſcientificæ.

Dices 3. eas eſse evidentes evidentia conſequentiæ,

&

& illationis; non verò conſequentis; quod ſufficit ad rationem ſcientiæ.

Contra 1. vera ſcientia debet eſse ex præmiſſis certis, & evidentibus, ergo non ſufficit evidentia illationis, ſeu conſequentiæ; alioqui ſophiſmata, & concluſiones probabiles eſsent ſcientificæ; concludunt enim vi formæ, quæ evidentem habent conſequentiam, vi formæ ſyllogiſticæ; Nam evidenter infertur, quòd aſinus eſt riſibilis ex his præmiſſis; aſinus eſt homo, ſed omnis homo eſt riſibilis; ergo aſinus eſt riſibilis. Ita & in iſto; omnis mater diligit filium, ſed Anna eſt mater Petri; ergo diligit Petrum; & tamen nullus dixerit has concluſiones eſse ſcientificas. Contra 2. quia ſi aſsenſus concluſionis Theologicæ attenderetur penes vim formæ, & illationis, non pertineret ad Theologiam, ſed ad Logicam. Attenditur ergo penes veritatem, & aſsenſum præmiſsarum, & veritatem conſequentis, qui ſpectat ad fidem, & Theologiam, & id clarum eſt [1] ex S. Thoma, *de memoriter tenente Geometriam, qui ſi non propter media geometrica eis aſsentitur, non habet ſcientiam Geometriæ.*

Objic. præterea 1. ex Script. & PP. Fides, & Theologia dicitur ſcientia, ut cùm D. Paulus dicit, [2] quòd *ſcientia deſtruetur*, & quòd *aliis datur ſermo ſcientię*, nempe Theologis, [3] & D. Auguſtinus *eam vocat ſcientiam, qua fides gignitur, & nutritur*; ergo eſt verè ſcientia.

Reſp. neg. ant. non enim hæc loca loquuntur de ſcientia propriè; alioqui non deſtrueretur in patria, ut docet Apoſtolus, ſed potiùs maneret, & perficeretur in claritate; nec diceret noſtram viſionem eſse nunc *per ſpeculum in ænigmate*, ſed evidentem. Loquitur ergo de cognitione per fidem, quæ eſt obſcura. Idem eſt de Auguſtino.

Inſt. S. Hieronymus [4] dicit, Theologiam noſtram perſeverare in cęlis, *diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeveret nobiſcum in cœlis*; ſed in cęlis erit ſcientia; ergo & in terris.

Reſ. d. ant. & locum Hieronymi; perſeverabit quo-

A 5 ad

[1] *Q. 2. de verit. a. 3. ad 6.* [2] *1. Corin. 13. & 12.*
[3] *12. de trini. 14.*
[4] *Epiſt. ad Paul.*

ad propoſitiones objectivas, & materiales; conc. ant. quoad propoſitiones formales, lumen, aut principia, & formalem rationem ſcientiæ, neg. ant. & conſeq. In cœlis erunt eadem objecta, ſed evacuabitur obſcuritas fidei, & ſuccedet claritas ſcientiæ beatæ.

Inſt. 2. omnis habitus cognoſcitivus, & intellectualis eſt vel intellectus, ſeu habitus principiorum, vel ſcientia, vel ars, vel prudentia, vel opinio, ſed Theologia noſtra eſt habitus cognoſcitivus, & non eſt intellectus, nec ars, nec opinio, nec prudentia, ergo eſt ſcientia.

Reſp. neg. maj. nam fides ſupernaturalis, quam non novit Ariſtoteles, nec numeravit, eſt etiam habitus cognoſcitivus, & intellectualis, & ad eam pertinet Theologia noſtra, eſt enim fides explicata, & acquiſita per ſtudium cum intellectu, & lumine naturali, & aliarum ſcientiarum auxilio, ſuppoſita revelatione divina, cui maximè innititur. Poteſt etiam reduci ad ſcientiam propter ſuam certitudinem, & propter modum procedendi, qui eſt ſcientificus, atque etiam ad habitum ſapientiæ, quatenus eſt *de primis, & altiſsimis cauſis*, inquit Scotus [1] ex S. Auguſtino.

Objic. 2. quilibet fidelis tenetur firmiter credere articulos fidei, ergo ſunt veri evidenter. Probatur conſeq. nemo tenetur credere id, cui poteſt ſuſpicari ſubeſſe falſitatem, ſed poſſumus ſuſpicari ſubeſſe falſitatem rei, quæ non apparet evidenter vera, ergo, ſi articuli fidei non ſunt evidenter veri, nemo tenetur illos firmiter credere.

Reſp. neg. conſeq. & min. prob. nam non poſſumus ſuſpicari falſitatem in articulis, qui revelantur ab infallibili veritate, qualis eſt Deus, qui eſt neceſſariò, & ſummè verax, & à quo revelati ſunt articuli fidei: ideo tàm firmiter debeo credere hoc, *Deus eſt trinus*, quàm] iſtud, *dies eſt*, orto ſole, aut iſtud, *totum eſt majus ſua parte*.

Inſt. Ergo fides, & Theologia noſtra eſt evidens in ſuis principiis, prob. aſſumptum. Evidens eſt, Deum eſſe veracem, ergo evidens eſt, articulos fidei, qnos revelavit, eſſe veros, ergo veritas fidei eſt

[1] *Q.* 2. *n.* 8. *F.*

eſt evidens, ergo & Theologia eſt ci entia, quia eſt ex principiis evidenter veris.

Reſp. 1. neg. 1. conſeq. & diſt. 3. veritas fidei eſt evidens, ſi evidens eſt revelatio, conc. ſi non ſit evidens, neg.conſ. eſt quidem evidens, quod, quidquid Deus revelat, eſt verum, ſed non eſt evidens, quod Deus hoc, vel illud in particulari, v. g. Deus eſt trinus, revelaverit: hoc quidem verum eſt, ſed creditum, quatenus id nobis Eccleſia proponit ut revelatum à Deo. De hoc ex profeſſo dicemus in tract. de fide.

Inſt. 2. cognitio Theologi de divinis eſt clarior cognitione, quam habet ſimplex Fidelis de eiſdem, ergo illa eſt ſcientia, cum iſta eſt fides, alioquin ille non eſſet doctior iſto.

Reſp. neg. conſeq. & rationes ejus: nam in fide eſt plus, & minus claritatis, & obſcuritatis, cognitio ergo Theologi differt accidentaliter à cognitione idiotæ, & licèt utraque pertineat ad fidem, illa eſt magis explicita, & clarior, iſta obſcurior, & implicitior.

Inſt. 3. ex Aug. [1] Lumen Theologiæ differt à lumine fidei propter claritatem. *Aliud eſt lumen ad credendum, alud ad intelligendum. Lux increata illuminat hominem duplici lumine ſapientiæ, qua ſapientiam loquimur inter perfectos*, [2] ut dicebat D. Paulus.

Reſp. Auguſtinum, & Patres loqui de ſcientia in communiori ſenſu, non in rigoroſo, ut nos hìc loquimur: & per lumen intelligentiæ fortè intelligit lumen contemplationis, de quo diximus ſupra, quod quidem eſt clarius lumine fidei, imo & ipſo habitu ordinario Theologiæ, eſtque Theologia infuſa, & de hac non loquimur.

Objic. 3. Scotum dicentem, quod Prophetæ, Apoſtoli, & alii Doctores Eccleſiæ habuerunt ſcientiam, non quia eorum notitia de divinis erat evidens, ſed quia erat adeò firma, ut nullo modo potuerint dubitare. *Tales habuerunt habitum præbentem magnum aſſenſum ita, quod illo ſtante non potuerunt non aſſentiri veritati. Illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei ... fuit tamen certitudo illa firma, ſicut eſt certitudo ſcientialis*,

A 6 ergo

[1] *In G. 1. Jo.* [2] *1. Cor. 2.*

& trinum, & hæc non diſtinguitur ab habitu fidei: & de Theologia in hoc ſenſu non agimus hìc, ſed in libro tertio, & in proprio tractatu. Secundò ſumitur pro habitu, quo diſcurrimus circa veritates illas ſupernaturales ex principiis fidei, ſive explicando germanos ſenſus Scripturarum, *ut in Theologia poſitiva*: ſive ex propoſitionibus revelatis, & creditis, ac definitis alias inferendo per legitimum diſcurſum, ut fit in *Scholaſtica, & argumentativa*.

His ſuppoſitis, quærimus, an adſit in Eccleſia hujuſmodi doctrina ſupernaturalis? An, & quomodo diſtinguatur ab habitu fidei? & quotuplex illa ſit?

Concl. 1. *Theologia, de qua hìc agimus, eſt habitus intellectualis, ſupernaturalis, quo ex principiis fidei diſcurrimus de Deo, rebuſque divinis, & hæc re vera datur in Eccleſia.*

Prob. 1. ex Scoto [1] admittente triplicem habitum, quem poteſt habere homo de divinis cum fide. *Primus eſt, quem habere poteſt ex ſenſu litteræ Scripturæ Sacræ de creditis, & revelatis. Secundus, qualem habet exponendo Scripturam, & explicando concluſiones, & ſolvendo ea, quæ videntur contraria. Tertius, qualis habitus fuit in mentibus recipientibus primo ſcientiam, &c.* Ille ſecundus habitus pertinet ad Theologiam, de qua hìc agimus, & alibi dicit, [2] quòd *quinque ſunt gradus cognitionis de Deo*; & quòd quarta cognitio eſt illa, quæ opitulatur piis, & defenditur contra impios, ut *cùm Litteræ ſenſus cognoſcitur, & unus locus Litteræ per alium exponitur, & perſuaſiones adducuntur, & contra impios defenditur*. Habes igitur & naturam, & exiſtentiam Theologiæ juxta concluſionem noſtram.

Prob. 2. ex D. Aug. dicente, quòd *Theologia eſt ſcientia, qua fides ſaluberrima, quæ ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Vides exiſtentiam, & naturam Theologiæ, qualem deſcripſimus.

Prob. 3. quia hìc explicatur natura illius doctrinæ, ſecundum quod communiter ab omnibus uſurpatur, & traditur. Dicitur 1. *habitus*, & quidem intellectualis, & id ponitur loco generis, & per id conve-

[1] 3. d. 24. q. E. 14. [2] Repor. q. 2. prol. n. 17.

venit cum ſcientia. 2. *Supernaturalis*, & ſic adhuc convenit cum fide: ſed jam differt à ſcientiis naturalibus; ut Metaphyſica, quæ eſt habitus naturalis. 3. *Quo diſcurrimus de Deo ex principiis fidei*, & ſic differt à fide pura, quæ propriè non eſt diſcurſiva, & adhuc à Metaphyſica, quæ diſcurrit quidem de Deo, ſed ex principiis naturalibus, & lumine rationis purè naturalis, ergo ſufficienter deſcribitur hæc Theologia. Quòd autem exiſtat, non indiget alia probatione.

Porrò Theologia, ut vides, diſtinguitur à pura fide, quæ eſt habitus ſupernaturalis, inclinans ad aſſentiendum veritatibus revelatis præcisè ob veracitatem revelantis, & reſpicit veritates revelatas, ut tales, ſive ſit diſcurſiva, ſive non: de quo dicetur ſuo loco. Hæc verò diſcurrit circa propoſitiones revelatas; ex quibus, & ex aliis naturaliter notis elicit per legitimam conſeq; alias veritates, aut illas explicat, roborat, ſuadet, atque defendit contra impugnantes, & impios, ac incredulos: aut verſatur in explicando germano ſenſu Scripturæ Sacræ ex principiis aliarum ſcientiarum, vel ex aliis locis ejuſdem Scripturæ, aut ex ſententia Patrum, & Doctorum.

Latè ſumpta dividi ſolet 1. *in naturalẽ*, quæ ex principiis purè naturalibus diſcurrit de Deo, ut Metaphyſica, & *ſupernaturalem*, quæ ex principiis ſupernaturalibus, ſc. fidei, ſeu ex revelatis, licèt habeat aliquid immixtum de lumine, & principiis naturalibus, & *mixtam*, quæ lumine tùm naturali, tùm ſupernaturali comparatur, qualis eſt *Scholaſtica*.

2. *Naturalem* dividebat Varro in *Myſticam*, ſeu fabuloſam, quæ propria eſt Poetarum prophanorum, de Diis ſuis, ſub fabularum figmentis, loquentium; *Phyſicam*, qua *Philoſophi* de Deo, rationis naturalis ductu, aliqua dicunt, & *Civilem*, ſeu *Politicam*, quæ ad Sacerdotes, & Principes pertinebat, quatenùs illis incumbebat, populos in divinorum cultu inſtruere. *Supernaturalis* verò dividitur in *Symbolicam*, quæ ſub figuris, & ſymbolis explicat divina; ut cùm tribuit Deo pedes, manus, iram, furorem, aut illum repræſentat ſub figuris *Solis*, *Ignis*, *Regis*, &c. 2. *Demonſtrantem*, quæ loquitur de Deo verbis propriis, quantùm fieri poteſt, ut cùm dicimus

illum eſſe *bonum*, *ſapientem*, *juſtum*, *trinum*, *unum*, &c. licèt enim has loquutiones ſumamus ex creaturis: tamen magis propriè conveniunt Deo, ſcilicet eminenter, & ſublatis defectibus, cum quibus ſunt in creaturis, ideo dixi, *quantum fieri poteſt*. Nam ut videbimus, non poſſumus in ſtatu præſenti viæ formare de Deo conceptus proprios, niſi ex communibus, quos accipimus ex creaturis. 3. *affirmantem*, quæ Deo tribuit aliquas perfectiones, ut ſapientiam, juſtitiam, &c. 4. *negantem*, quæ ab eo removet imperfectiones, v. g. mutabilitatem, ignorantiam, &c. 5. *poſitivam*, quæ præcipuè occupatur in explicanda Sacra Scriptura, & ſic ponit prima principia totius doctrinæ Chriſtianæ, ideo dicta *fundamentalis*, quia ponit fundamenta totius Theologiæ. 6. *Scholaſticam*, ſeu *Methodicam*, quæ more philoſophico, ſc. rationibus, & argumentis verſatur circa veritates, & materias fidei, ut eas explicet, ſuadeat, & defendat, notando accuratiùs, & ſubtiliùs ea, quæ vel ex fide conſequuntur, & conveniunt, vel quæ illi repugnant, & ſic juvat, ut tenebræ, quas hæretici ſuis ſophiſmatibus, & fallaciis offundere nituntur rebus fidei, depellantur. *Poſitiva* autem, & *Scholaſtica* conveniunt in objecto, fine, principiis, & mediis: nam utraque verſatur circa Deum, & divina, & præter Scripturam, utitur Traditionibus Apoſtolicis, & Decretis Conciliorum Eccleſiæ, & ſententiis Patrum, & Doctorum ad firmandas veritates catholicas, & utraque argumentatur: ſed *Poſitiva* oratorio magis ſtylo: Scholaſtica autem philoſophico, ſeu ſyllogiſtico. 7. *moralem*, quæ ſc. circa mores humanos dirigendos verſatur, & quidem reſolutivè, ſeu affectivè, & præcipiendo magis, quàm diſputando.

Solet etiam dividi ratione ſubjectorum, in quibus exiſtit, in *Theologiam Dei*, qua Deus ſe ipſum, & omnia in ſe, & Verbo ſuo comprehendit, & *beatorum*, quæ & dicitur *intuitiva*, qua illi in cœlo Deum vident facie ad faciem, & *viatorum*, qualis eſt noſtra, quæ & *abſtractiva* dicitur, quia ex revelatione tantùm illum agnoſcimus, vel per diſcurſum ex creaturis, & de hac tertia hic agimus.

Scotus adhuc diſtinguit Theologiam *in ſe*, & *in nobis*. *Prima* eſt talis cognitio de objecto Theologico, qua-

qualem ipſum objectum natum eſt cauſare in intellectu ſibi proportionato. Secunda verò eſt talis, qualem intellectus noſter pro hoc ſtatu natus eſt habere de objecto Theologico v. g. de Deo: & ſic poſſunt conſiderari omnes cognitiones, & ſcientiæ: agimus autem principaliter de Theologia *in nobis*, ſeu *noſtra*: parum enim nobis refert diſputare, qualis ſit *in ſe*.

Denique dividitur in Theologiam *neceſſariorum*, & contingentium. Prima agit de veritatibus, quæ ſunt *ad intra*, ſeu *neceſſariæ* in Deo: ut, quòd ſit, quòd ſit unus, trinus: quòd pater generet, quòd filius, & pater ſpirent. Secunda verò agit de illis, quę ſunt ad extra, & peraguntur in tempore, ut quòd Deus creaverit, quòd verbum ſit incarnatum, quòd inſtituerit Sacramenta: ejuſmodi etiam ſunt juſtificatio, redemptio, glorificatio, &c.

QUÆSTIO II.

An Theologia ſit ſcientia? qualis? an practica, vel ſpeculativa? an ſit ſapientia?

SCientiæ nomen latè ſumitur pro omni cognitione vera, & hoc ſenſu eam definit [1] Ariſt. *qua anima affirmando, vel negando dicit verum*: & ſic fides, quâ cognoſcimus Deum ex revelatione divina, imò & Romam, & Oceanum ex revelatione humana, dici poteſt ſcientia: abſit, inquit [2] S. Aug. *ut ſcire nos negemus, quæ teſtimonio didicimus aliorum, alioquin eſſe neſcimus Oceanum. Strictè autem ſignificat cognitionem certam*, & evidentem rei neceſſariæ, partam per demonſtrationem: ideò ad hanc ſcientiam requiritur 1. ut ſit vera, & certa, & ſic diſtinguitur ab errore, & opinione. 2. Ut ſit de re neceſſaria, quæ aliter non poſſit ſe habere, quàm ut cognoſcitur, alioqui certa non eſſet. 3. Evidens, ſc. per cauſas, aut effectus, quorum connexio clariſſimè appareat intellectui, & ſic diſtinguitur etiam à fide divina, quæ quidem eſt certiſſima, & de rebus neceſſariis, verb. grat. de Deo, ſed obſcura, & ænigmatica,

 quip-

[1] 6. *Eth. c.* 5. [2] 15. *de trin. c.* 12.

quippe nititur ſolo dicto Dei revelantis. 4. ut ſit *parta per diſcurſum Syllogiſticum*: & ſic differt ab habitu primorum *principiorum*, qui dicitur *Intellectus*, quo cognoſcuntur prima principia ex ſola terminorum apprehenſione: differt etiam à viſione beata, quæ eſt ſimplex intuitio Dei. An autem diſcurſus ille debeat eſſe formalis, & explicitus; an virtualis, & eminentialis ſufficiat? lis eſt de nomine. Deus non diſcurrit formaliter, ſed eminenter, & tamen illi tribuitur ſcientia. [1] Unde *Theologia in ſe non eſt ſcientia, quantùm ad hanc ultimam conditionem, ſed quantum ad alias tres conditiones eſt ſcientia in ſe, & in intellectu* divino, inquit Doctor. *Omnia enim ſunt nuda, & aperta oculis ejus*, ait Sapiens, ſed non poteſt formaliter diſcurrere, quia omnia novit uno, ac ſimpliciſſimo intuitu. Reſtat ergo difficultas de Theologia beatorum, & noſtra.

Rurſus cognitio noſtra de Deo poteſt niti vel *lumine fidei*, quod obſcurum eſt, ſicut lumen nocturnum, & quo *videmus per ſpeculum in ænigmate*, vel 2. *Lumine ſcientiæ*, aut *Infuſæ* à Deo, aut *acquiſitæ* per diſcurſum, quo ex propoſitionibus revelatis, & adminiculo ſcientiarum naturalium, ſeu rationis naturalis elicimus concluſiones de rebus divinis. 3. Vel lumine ſpeciali divinæ contemplationis, quo Deus ſpecialiter aliquos elevat, & rapit ad myſteriorum, & arcanorum ſuorum intelligentiam in hac vita, ut contigit Paulo, & aliquot aliis. De iſto lumine non diſcurrimus, nec de primo: nam iſtud tertium eſt clariſſimum, & extra ordinem: primum verò eſt obſcurum: ſed de 2. quod partim naſcitur ex primo, à quo habet aliquid evidentiæ. De natura, & conditionibus ſcientiæ diximus in Logica, & de differentia, & conditionibus practici, & ſpeculativi.

Concl. 1. *Theologia Beatorum dici poteſt ſatis propriè ſcientia, non autem noſtra*. Eſt communis quoad 1. par. & communior quoad 2.

Prob. 1. par. ex Scot. [2] dicente. *Poteſt concedi, quod Beatus verè poteſt habere ſcientiam theologicam quantùm ad omnes conditiones ſcientiæ, &c.* ergo &c. & prob.

[1] *Q. 3. prolog. 26. vel 4. R.* [2] *Q. 3. prolog. n. 27. ſeu q. 4. & 5. later. A.*

prob. ant. 1. quia eſt cognitio certa, & evidens; vident enim eſſentiam Dei in lumine gloriæ, & facie ad faciem, quo nihil certius, nec evidentius: 2. de objecto ſummè neceſſario, ſcilicet de Deo, *apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*. 3. per cauſam effectuum: vident enim omnia in eſſentia, quæ eſt fons, & cauſa omnium attributorum, & aliarum perfectionum, quæ illi tribuuntur. 4. Per diſcurſum ſaltem virtualem, & eminentialem: nec illis repugnat formalis: nam ex viſione eſſentiæ poſſent inferre per legitimam conſeq. reliquas omnes veritates, quæ inde manant; licet fortè unico hæc de facto videant intuitu: nam, inquit Doctor, *quidditas ſubjecti, in quocumque lumine videatur, continet virtualiter veritates, quas poteſt facere notas intellectui paſſivo à tali objecto, nec diſcurſus eſſentialiter requirit ſucceſſionem temporis, notitiarum*, cauſæ, & effectuum, vel præmiſſarum, & concluſionis: *Nec ordinem ipſius*, ſed ordinem *naturæ; qui conſiſtit in hoc, quod principium diſcurſus, ſeu præmiſſæ* ſit naturaliter priùs notum, & ut ſic ſit cauſativum alterius extremi diſcurſus, ſcilicet concluſionis; ergo ex Scoto, & ratione Theologia Beatorum habet omnes conditiones veræ ſcientiæ.

Dixi autem, *ſatis propriè*, quia, in toto rigore philoſophico, videtur requiri formalis diſcurſus, quo ex notis ignota inferantur: ſed tamen de hoc non convenit; nec valde curandum eſt, & ſufficit virtualis.

Prob. 2. ex eodem, nam evidentia eſt neceſſaria, & eſſentialis conditio veræ ſcientiæ: ſed Theologia noſtra non poteſt eſſe evidens, ergo nec proprie ſcientia, prob. maj. ex Scoto. [1] *Dico hoc, quod in ſcientia perfectionis eſt, quod ſit evidens, & certa*, & alibi dicit, quòd *fides eſt infra ſcientiam, quæ eſt ex evidentia objecti*: Probatur min. quia omnis concluſio Theologiæ noſtræ eſt inevidens: non enim poteſt eſſe evidentior ſuis principiis; nam concluſio ſequitur debiliorem partem, & perfectio, quæ non eſt in cauſa, nequit eſſe in effectu: probatur eadem min. in omni argumento noſtræ Theologiæ, principia, ſeu præmiſſæ ſunt de fide, aut eam ſupponunt: *fides*

[1] *Ibid. n. 28. 3. d. 23. c. n. 5.*

fides autem eſt argumentum non apparentium, ex Apoſtolo.

Dices 1. evidentiam non eſſe eſſentialem ſcientiæ, ſed accidentalem, quia requiritur, ut propter firmitatem adhæreat intellectus propoſitioni, aut concluſioni, hoc autem præſtat certitudo, quæ naſcitur ex principiis revelatis.

Contra 1. cognitio clara eſt intrinſecè perfectior obſcura, & non poteſt eſſe ſine certitudine, ſicut certitudo poteſt eſſe ſine claritate, ut patet de fide, quæ certa eſt, & obſcura: & ſi claritas quæreretur tantùm propter certitudinem, & firmitatem aſſenſus, habita certitudine quieſceret intellectus; ſed hoc conſ. eſt falſum, & contra experientiam; quilibet enim quærit aſſentiri per ſe, & ex proprio ſenſu, non verò tantùm ex alieno, ut facit fides, ſed hoc conſequens eſt falſum, ergo & ant. contra 2. quia, ſi evidentia eſſet tantùm conditio accidentalis, non faceret eam differre à fide eſſentialiter; ſed per evidentiam ſcientia differt eſſentialiter à fide, ut omnes fatentur: ergo eſt illi eſſentialis. Probatur maj. accidens non facit differentiam eſſentialem, nec conſtituit eſſentiam rei; ſed quod facit eſſentialiter differre, conſtituit eſſentiam; juxta illud axioma receptiſſimum: *Idem eſt principium conſtitutivum, & diſtinctivum rei*, ergo &c.

Dices 2. Theologiam noſtram eſſe evidentem in Theologia Beatorum, cui ſubalternatur tanquam inferior ſuperiori; & hoc ſufficit, ut noſtra habeat veram ſcientiæ rationem.

Contra 1. quia gratis, & ſine fundamento ſupponitur illa ſubalternatio, ut dicemus: contra 2. quia etiam ſuppoſita ſubalternatione illa, adhuc lumen fidei, quo intelligimus principia concluſionum noſtræ Theologiæ, eſt obſcurum; ergo & ipſæ concluſiones; nec illa ſubalternatio affert illis aliquam evidentiam; ergo nec facit, ut habeant rationem veræ ſcientiæ. Probatur conſeq. ut aliqua cognitio noſtra ſit ſcientia, debet eſſe evidens in nobis; ſed licèt veritates fidei ſint evidentes Beatis, id non facit eas evidentes in nobis; ergo neque ut ſint in nobis ſcientificæ.

Dices 3. eas eſſe evidentes evidentia conſequentiæ,

& illationis; non verò conſequentis; quod ſufficit ad rationem ſcientiæ.

Contra 1. vera ſcientia debet eſse ex præmiſſis certis, & evidentibus, ergo non ſufficit evidentia illationis, ſeu conſequentiæ; alioqui ſophiſmata, & concluſiones probabiles eſsent ſcientificæ; concludunt enim vi formæ, quæ evidentem habent conſequentiam, vi formæ ſyllogiſticæ; Nam evidenter infertur, quòd aſinus eſt riſibilis ex his præmiſſis; aſinus eſt homo, ſed omnis homo eſt riſibilis; ergo aſinus eſt riſibilis. Ita & in iſto; omnis mater diligit filium, ſed Anna eſt mater Petri; ergo diligit Petrum; & tamen nullus dixerit has concluſiones eſse ſcientificas. Contra 2. quia ſi aſsenſus concluſionis Theologicæ attenderetur penes vim formæ, & illationis, non pertineret ad Theologiam, ſed ad Logicam. Attenditur ergo penes veritatem, & aſsenſum præmiſsarum, & veritatem conſequentis, qui ſpectat ad fidem, & Theologiam, & id clarum eſt [1] ex S. Thoma, *de memoriter tenente Geometriam, qui ſi non propter media geometrica eis aſsentitur, non habet ſcientiam Geometriæ.*

Objic. præterea 1. ex Script. & PP. Fides, & Theologia dicitur ſcientia, ut cùm D. Paulus dicit,[2] quòd *ſcientia deſtruetur*, & quòd *aliis datur ſermo ſcientię*, nempe Theologis, [3] & D. Auguſtinus *eam vocat ſcientiam, qua fides gignitur, & nutritur*; ergo eſt verè ſcientia.

Reſp. neg. ant. non enim hæc loca loquuntur de ſcientia propriè; alioqui non deſtrueretur in patria, ut docet Apoſtolus, ſed potiùs maneret, & perficeretur in claritate; nec diceret noſtram viſionem eſse nunc *per ſpeculum in ænigmate*, ſed evidentem. Loquitur ergo de cognitione per fidem, quæ eſt obſcura. Idem eſt de Auguſtino.

Inſt. S. Hieronymus [4] dicit, Theologiam noſtram perſeverare in cęlis, *diſcamus in terris, quorum ſcientia perſeveret nobiſcum in cælis*; ſed in cęlis erit ſcientia; ergo & in terris.

Reſ. d. ant. & locum Hieronymi; perſeverabit quo- ad

[1] *Q. 2. de verit. a. 3. ad 6.* [2] *1. Corin. 13. & 12.*
[3] *12. de trini. 14.*
[4] *Epiſt. ad Paul.*

ad propoſitiones objectivas, & materiales; conc. ant. quoad propoſitiones formales, lumen, aut principia, & formalem rationem ſcientiæ, neg. ant. & conſeq. In cœlis erunt eadem objecta, ſed evacuabitur obſcuritas fidei, & ſuccedet claritas ſcientiæ beatæ.

Inſt. 2. omnis habitus cognoſcitivus, & intellectualis eſt vel intellectus, ſeu habitus principiorum, vel ſcientia, vel ars, vel prudentia, vel opinio, ſed Theologia noſtra eſt habitus cognoſcitivus, & non eſt intellectus, nec ars, nec opinio, nec prudentia, ergo eſt ſcientia.

Reſp. neg. maj. nam fides ſupernaturalis, quam non novit Ariſtoteles, nec numeravit, eſt etiam habitus cognoſcitivus, & intellectualis, & ad eam pertinet Theologia noſtra, eſt enim fides explicata, & acquiſita per ſtudium cum intellectu, & lumine naturali, & aliarum ſcientiarum auxilio, ſuppoſita revelatione divina, cui maximè innititur. Poteſt etiam reduci ad ſcientiam propter ſuam certitudinem, & propter modum procedendi, qui eſt ſcientificus, atque etiam ad habitum ſapientiæ, quatenus eſt *de primis, & altiſsimis cauſis*, inquit Scotus [1] ex S. Auguſtino.

Objic. 2. quilibet fidelis tenetur firmiter credere articulos fidei, ergo ſunt veri evidenter. Probatur conſeq. nemo tenetur credere id, cui poteſt ſuſpicari ſubeſſe falſitatem, ſed poſſumus ſuſpicari ſubeſſe falſitatem rei, quæ non apparet evidenter vera, ergo, ſi articuli fidei non ſunt evidenter veri, nemo tenetur illos firmiter credere.

Reſp. neg. conſeq. & min. prob. nam non poſſumus ſuſpicari falſitatem in articulis, qui revelantur ab infallibili veritate, qualis eſt Deus, qui eſt neceſſariò, & ſummè verax, & à quo revelati ſunt articuli fidei: ideo tàm firmiter debeo credere hoc, *Deus eſt trinus*, quàm iſtud, *dies eſt*, orto ſole, aut iſtud, *totum eſt majus ſua parte*.

Inſt. Ergo fides, & Theologia noſtra eſt evidens in ſuis principiis, prob. aſſumptum. Evidens eſt, Deum eſſe veracem, ergo evidens eſt, articulos fidei, qnos revelavit, eſſe veros, ergo veritas fidei eſt

[1] *Q. 2. n. 8. F.*

eſt evidens, ergo & Theologia eſt ſcientia, quia eſt ex principiis evidenter veris.

Reſp. 1. neg. 1. conſeq. & diſt. 3. veritas fidei eſt evidens, ſi evidens eſt revelatio, conc. ſi non ſit evidens, neg. conſ. eſt quidem evidens, quod, quidquid Deus revelat, eſt verum, ſed non eſt evidens, quod Deus hoc, vel illud in particulari, v. g. Deus eſt trinus, revelaverit: hoc quidem verum eſt, ſed creditum, quatenus id nobis Eccleſia proponit ut revelatum à Deo. De hoc ex profeſſo dicemus in tract. de fide.

Inſt. 2. cognitio Theologi de divinis eſt clarior cognitione, quam habet ſimplex Fidelis de eiſdem, ergo illa eſt ſcientia, cum iſta eſt fides, alioquin ille non eſſet doctior iſto.

Reſp. neg. conſeq. & rationes ejus: nam in fide eſt plus, & minus claritatis, & obſcuritatis, cognitio ergo Theologi differt accidentaliter à cognitione idiotæ, & licèt utraque pertineat ad fidem, illa eſt magis explicita, & clarior, iſta obſcurior, & implicitior.

Inſt. 3. ex Aug. [1] Lumen Theologiæ differt à lumine fidei propter claritatem. *Aliud eſt lumen ad credendum, aliud ad intelligendum. Lux increata illuminat hominem duplici lumine ſapientiæ, quo ſapientiam loquimur inter perfectos,* [2] ut dicebat D. Paulus.

Reſp. Auguſtinum, & Patres loqui de ſcientia in communiori ſenſu, non in rigoroſo, ut nos hìc loquimur: & per lumen intelligentiæ fortè intelligit lumen contemplationis, de quo diximus ſupra, quod quidem eſt clarius lumine fidei, imo & ipſo habitu ordinario Theologiæ, eſtque Theologia infuſa, & de hac non loquimur.

Objic. 3. Scotum dicentem, quod Prophetæ, Apoſtoli, & alii Doctores Eccleſiæ habuerunt ſcientiam, non quia eorum notitia de divinis erat evidens, ſed, quia erat adeò firma, ut nullo modo potuerint dubitare. *Tales habuerunt habitum præbentem magnum aſſenſum ita, quod illo ſtante non potuerunt non aſſentiri veritati. Illa tamen certitudo non fuit evidens ex evidentia rei ... fuit tamen certitudo illa firma, ſicut eſt certitudo ſcientialis,*

[1] *In G. 1. Jo.* [2] *1. Cor. 2.*

ergo ex Scoto Theologia, propter certitudinem, & non obſtante inevidentia, habet veram ſcientiæ rationem.

Reſp. neg. conſeq. aliud enim eſt, quòd fides, & Theologia tam firmiter, imò & fortè firmiùs adhæreat articulis fidei, & principiis, licèt obſcurè notis, quàm ſcientia ſuis principiis, aut concluſionibus propter evidentiam; & aliud, quòd propter illam certitudinem habeat rationem veræ ſcientiæ. Certitudo Theologiæ venit à veracitate Dei revelantis ejus principia; certitudo verò ſcientiæ venit ab evidentia; ideo non dicit de illa notitia, quòd fuerit ſcientialis, ſed de certitudine, quòd fuerit, *ſicut certitudo ſcientialis*. Imo dicit, quòd in diſcurſu Theologico, *cùm præmiſſa ſumpta ex Scriptura non ſit evidens ex terminis, ſed credita: igitur nec concluſio erit demonſtrata, generans ſcientiam, quamvis poſſit generare alium habitum à fide*.

Concl. 2. *Theologia noſtra poteſt dici ſapientia ſupernaturalis acquiſita, ſed non evidens*.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Sapientia eſt altiſsimus mentis habitus occupatus circa univerſaliſsima, difficillima, certiſsima, omnium cauſas, & principia evidenter proferens, maximè propter ſe expetendus, & cæteris habitibus ſcientificis, tanquam famulis imperans*. Sed has omnes conditiones habet Theologia noſtra, excepta evidentia, ergo in hoc ſenſu dici poteſt ſapientia. Prob. min. nam 1. *Eſt altiſsimus mentis habitus; occupatus circa univerſaliſsima, & præſtantiſsima*, ſcilicet circa Deum, & divinas ejus perfectiones, quibus nihil ſublimius, nec præſtantius, nec univerſalius, ſcilicet, *ex quo omnia, in quo omnia, & per quem omnia*. 2. *circa difficillima*, Deus enim eſt ineffabilis, & incomprehenſibilis, infinitus, &c. *Altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ, incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus*. 3. *Circa certiſsima*, quid enim certius, quàm quod Deus dixit, quàm ejus exiſtentia, & lumen ipſum fidei, quo mediante, inveſtigat illa? Deus autem eſt ſumma neceſſitas eſsendi, nec poteſt mutari, nec fallere, nec falli. 4. *Omnium cau-*

[1] *Metaph. cap. 1. num. 9.*

cauſas, et principia (non quidem evidentem, ſed ex principiis certis, ſc. ex revelatis, quibus non poteſt ſubeſſe falſum) *proferens*: Agit enim de Deo, ut omnium Creatore, Conſervatore, Gubernatore, & in ſuos fines ſapientiſſimo, & potentiſſimo, ac infallibili Directore; & ſic Theologus omnia cognoſcit, non quidem diſtinctè, & in ſpecie, ſed confusè, & in ſuo fonte, & cauſa, & ex lumine, ac principiis ſupernaturalibus, & certioribus omni ſcientia creata. 5. *Eſt habitus maximè propter ſe expetendus*, ſc. ſuper omnes alias ſcientias, & habitus intellectuales humanos; cùm enim ſit ſuper illos longè præſtantiſsimus; ita & *maximè propter ſe*, non propter illos *expetendus*. 6. *Cæteris habitibus ſcientificis imperans*; quippe eſt finis ordinatus, & naturalis eorum: ideò enim alia omnia ſcire cupimus, ut ex eis diſcamus Deum, & ſupernaturalia, & æterna; ergo illi applicatur dictum ſapientis, quòd [1] *miſit ancillas ſuas, ut vocarent ad arcem*, &c, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum*, ut docet S. Thomas. Sic aliis præeſt, & de aliis judicat, ut quidquid in aliis ſcientiis invenitur veritati hujus ſcientiæ repugnans, totum condemnetur, ut falſum, inquit D. Thomas; [2] ergo Theologia noſtra habet omnes conditiones veræ ſapientiæ, excepta evidentia.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ hanc doctrinam, qua fides proponitur, explicatur, & defenditur, vocat ſapientiam [3] *Sapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam verò non hujus ſeculi.... Sed Dei ſapientiam in myſteriis*, & hoc Chriſtus Apoſtolis promiſerat. [4] *Dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſiſtere omnes adverſarii veſtri.* Et S. Auguſt. loquens de ſcientia Scripturarum ſacrarum, ait: [5] *Hic eſt Phyſica; quoniam rerum naturalium cauſæ in Deo ſunt. Hic Ethica; quia vita beata, & honeſta non aliunde ſumitur, quàm cùm ea, quæ ſunt diligenda, diliguntur, ut diligenda ſunt, quod docet hæc ſcientia. Hic Logica; quid veritas, lumenque naturæ rationalis Deus eſt.* Sic D. Ambroſius docet, hanc continere quodammodò ſcientias omnes.

Dixi.

[1] *Proverb.* [2] *Q.* 1. *a.* 6. *ad* 2. [3] 1. *Cor.* 22.
[4] *Luc.* 21. [5] *Ep.* 3. *ad Voluſ.*

Dixi autem 1. quòd eſt *ſupernaturalis*, & per hoc diſtinguitur à Metaphyſica, quam diximus eſſe ſapientiam, ſed naturalem, agit enim de ente, & de Deo, prout eſt naturaliter cognoſcibilis: hæc verò procedit ex lumine fidei, quod eſt ſupernaturale. 2. *acquiſita*, & per hoc diſtinguitur ab illa ſapientia ſupernaturali, & infuſa, quæ numeratur 1. inter dona Spiritus Sancti, & eſt diverſiſſima à lumine fidei, ut ſuppono ex dicendis ſuo loco. 3 *ſed non evidens*; ut patet ex concl. præcedenti, & hujus conditionis defectu abſolutè, & in rigore dicenda non eſſet ſapientia; ſed, cùm adſint omnes aliæ, ita poteſt appellari; & maximè ob ſupereminentiam ejus ad omnes alias ſcientias humanas.

Obijc. 1. Vera ſapientia debet tradere principia aliarum ſcientiarum, & eas ſibi ſubalternare: ſed hoc non facit Theologia noſtra; ergo non eſt ſapientia, nec habet alias conditiones ſapientiæ.

Reſp. diſt. maj. Sapientia naturalis, & phyſica, conc. maj. ſupernaturalis, neg. maj. nam propter eminentiam luminis, cui innititur, non deſcendit per ſe ad ſcientias naturales, niſi ut judicet de illis, ſi quid à veritate, & ſanitate doctrinæ fidei alienum doceant, ut illud reprobet, & reijciat à Chriſtianis ſcholis. Diſt. etiam min. non tradit principia cognitionis, conc. min. exiſtentiæ, & entitatis, neg. min. agit enim de Deo, prima, & univerſaliſſima omnium cauſa, & de omnium creatione; de Angelis, & hominibus, de ſubſtantia, ſubſiſtentia, & perſonalitate; de accidentibus, de habitibus, ſaltem incidenter, & occaſione myſteriorum, & Sacramentorum, & præceptorum moralium.

Objic. 2. Theologia agit de contingentibus, v.g. de Creatione, de Incarnatione, & de Sacramentis; ſed de contingentibus non datur ſcientia, & multò minùs ſapientia; ergo non eſt ſcientia, nec ſapientia.

Reſp. ex Scoto diſt. min. Non datur ſcientia, nec ſapientia, ſi non poſſint habere cognitionem certam, & evidentem, conc. min. ſi poſſint habere, neg. min. & conſeq. & hoc veriſſimũ eſt de Theologia in ſe; nam inquit Doctor, [1] *Contingentia, ut pertinent ad Theo-*

[1] *q. 4. C. n. 28.*

Theologiam, nata ſunt habere cognitionem certam, & nata ſunt videri in primo objecto theologico, &c. ſc. in Deo. Et pro noſtra Theologia hæc videntur in revelatis per lumen Fidei, quod eſt certiſſimum, & infallibile. Quid certius, quàm exiſtentia Incarnationis, & creatio mundi, & futuritio judicij, &c? Deinde non omnia, quæ in ea traduntur, ſunt contingentia. Nam Deus, attributa, & trinitas ſunt neceſſaria: & denique ſufficit, ut ſit ſcientia hoc modo, prout ſcientia opponitur opinioni, & ſuſpicioni, & per eam determinatè dicimus verum.

Concl. 3. *Theologia noſtra eſt ſimpliciter practica*. Ita Scotiſtæ cum Doct.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Cùm actus voluntatis elicitus ſit veriſsimè praxis, etiamſi non comitetur aliquis actus imperatus... & extenſio cognitionis practicæ conſiſtat in conformitate ad praxim, & prioritate aptitudinali... ſequitur, quòd illa eſt cognitio practica, quæ eſt aptitudinaliter conformis volitioni rectæ, & naturaliter prior ipſa. Sed tota Theologia neceſsaria in intellectu creato eſt ſic conformis volitioni rectæ, quia à ratione ejus ſumuntur principia prima rectitudinis in volitione, &c. ergo ex primo objecto ſequitur tàm conformitas, quàm prioritas Theologiæ ad volitionem, & ita extenſio ad praxim; à qua ipſa extenſione cognitio dicenda ſit practica.*

Ut vim rationis capias, repete ex Logica, quæ diximus de praxi, & ſcientia practica, & ſpeculativa; vel iſta lege in præſenti quæſtione apud Doctorem ſubtilem. Diximus, ſcientiam dici practicam à praxi, quam dirigit; praxis autem eſt *alterius potentiæ actus, quàm intellectus*, (ſeu eſt actus voluntatis) *naturaliter poſterior intellectione, & natus elici conformiter rationi rectæ, ut ſit rectus*. Et primam conditionem probat Doctor ex Philoſopho dicente, quòd *intellectus extenſione fit practicus*, ſc. extendendo ſe ad actus voluntatis, quos dirigit. Hoc ſuppoſito.

Prob. concluſio ex Scoto: ille habitus eſt ſimpliciter practicus, qui de ſe, & ex objecto ſuo eſt directivus praxis, ſeu actuum voluntatis, ut ſint

[1] *q. 4. prol. O. n. 31.*

ſint recti; ſed habitus Theologiæ de ſe, & ex objecto ſuo eſt directivus actuum voluntatis, ut ſint recti; ergo eſt ſimpliciter practicus. Major eſt certa, nec ab ullo negatur. Prob. min. ut habitus dicatur practicus ex objecto, non requiritur, ut ipſum ſit operabile, alioqui Medicina non eſset practica, quia non facit corpus ſanabile, ſed ſufficit, ut ſit virtualiter conforme operationi rectæ; ſeu, ut ab eo ſumantur principia operationis rectæ; ſed tale eſt objectum Theologiæ, nempe Deus; ergo habitu Theologiæ de ſe, & ex objecto eſt directivus volitionum, ut ſint rectæ. Prob. min. Cognito Deo ut ſummo ente, & bono, & fine, inde ſumuntur prima principia actuum voluntatis, v.g. *Deus eſt amandus, colendus, quærendus*, &c. ergo ab objecto Theologiæ ſumuntur prima principia operationis rectæ.

Confirm. ex Scriptura. Chriſtus enim docet, eum eſse finem totius doctrinæ evangelicæ, ut credentes vitam habeamus. [1] *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & credentes vitam habeatis*. Imò & totius Scripturæ ſacræ, [2] *Nam plenitudo legis eſt dilectio*. Et [3] *his in mandatis pendet univerſa lex, et prophetæ*. Item ex D. Petro dicente, [4] *finem fidei*, & per conſequens Theologiæ, *eſſe ſalutem animarum*; & D. Paulus, [5] *Omnis ſcriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum.... et quidem, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*; & D. Jacobus, [6] *Scienti bonum, et non facienti, peccatum eſt illi*.

Confirm. ex Patribus, maximè ex Auguſt. [7] *Tria hæc ſunt, quibus & ſcientia omnis* (ſc. Chriſtiana) *militat, et prophetæ, fides, ſpes, charitas*: & l. de cognitione veræ vitæ, qui habetur inter opera ejus: *Conſtat profectò naturam rationalem ad hoc ſolùm factam, ut factorem ſuum Deum intelligat, intelligendo diligat, et diligendo in eo, qui eſt vita æterna, æternaliter beatè vivat*. Certè nulla eſt concluſio theologica, quæ non ſit ordinabilis ad praxim, ne illæ quidem, quæ videntur puriùs ſpeculativæ: ut iſtæ, *Deus eſt trinus; Pater generat Verbum* di-

[1] *Jo* 22. [2] *Rom.* 13. [3] *Matt.* 22. [4] 1. *Pet.* 1. [5] 2. *Tim.* 3. [6] *Jac.* 4. [7] *Doct. chriſt.* 38.

dictione, &c. Sunt enim virtualiter practicæ. *Prima enim includit virtualiter notitiam rectitudinis dilectionis, tendentis in tres perſonas*, inquit Scotus; [1] *ita quòd ſi actus dilectionis eliceretur circa unam ſolam excludendo alias, ſicut Infidelis eliceret, eſſet actus non rectus*, &c.

Prob. 3. Ille habitus eſt practicus, cujus finis eſt opus; ſed finis Theologiæ eſt opus, nempe amor, & cultus Dei; ergo eſt practica, & quidem ſimpliciter: min. patet ex locis Scripturæ citatis, & ex omnium Patrum, & Doctorum conſenſu; quis enim audeat dicere, hanc doctrinam à Deo inſpirati, vel ab homine addiſci, ut ſiſtat in ſimplici cognitione Dei, rerumque divinarum, non verò ad eum colendum, & amandum? Major etiam patet ex Philoſopho: *Finis practicæ eſt opus; ſpeculativæ veritas*.

Objic. 1. ex Scriptura. Nam Chriſtus ipſe docet, *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis*; ergo finis primarius, & principalis eſt contemplatio.

Reſp. neg. conſeq. tum quia ipſa fides, & omnes actus credendi ſunt practici, & ordinantur ad actus voluntatis circa Deum dirigendos; tum quia ipſe habitus, & actus fidei habent aliquid mixtum de voluntario; ille enim etiam inclinat voluntatem ad piam illam affectionem, qua movetur intellectus noſter ad aſſentiendum veritatibus, quas non videt, ut ſuppono ex dicendis, & ex omnium ſenſu.

Objic. 2. Si ideò Theologia diceretur practica, quia objectum ejus contineret virtualiter principia operationis rectæ, Metaphyſica, prout agit de Deo, diceretur practica, & nulla eſset ſcientia ſpeculativa; quia nulla eſt, cujus objectum non contineat talia principia: ſed conſequens eſt falſum, & abſurdum, & contra nos, qui aſſerimus Metaphyſicam, & Phyſicam eſſe ſpeculativas; ergo & ant. Prob. maj. Nullum eſt ens, vel objectum ſcientiæ, quod ex ſe non ſit aptum dirigere operationes voluntatis circa Deum, ut cauſam primam, & ultimum finem, ejuſque aſsecutionem; juxta illud, *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit creator horum videri*.

Reſp.

[1] *ibid. n.* 12.

Reſp. neg.maj. & diſt. ant.prob. Nullum eſt objectum, quod non poteſt dirigere operationem voluntatis per accidens, & ex voluntaria applicatione talium cognitionum, conc. per ſe, ex inſtitutione divina, vel humana talium ſcientiarum, neg.ant. nam iſtæ ſcientiæ, ut Metaphyſica, Phyſica, Aſtronomia, &c. ſunt purè naturales, nec datæ à Deo, ut eſt finis ſupernaturalis, nec acquiruntur medio ullo ſupernaturali, nec neceſſariæ, nec per ſe connectuntur cum redemptione, & ſalute, ut Theologia. *Nec enim*, ait Auguſt. [1] *Chriſtus mortuus eſt pro nobis, ut Mathematici, aut Rhetores, aut Philoſophi, ſed ut juſti eſſemus, & ſecundum virtutem rectè viveremus.* Non ergo illæ aliæ ſcientiæ faciunt per ſe ad directionem morum, ſed valde indirectè, & per accidens, & cùm extrahuntur extra proprios limites, qui ſunt naturales, nam Philoſophi, & primi Metaphyſici non cognoverunt Deum, niſi ut nobiliſſimam ſpeciem objecti ſui, ſc. entis, non ut ultimum finem, nec ut objectum voluntatis.

Objic. 2. Major pars concluſionũ Theologiæ eſt purè ſpeculativa ex ſe, ergo Theologia, ſaltem ex majori parte, eſt purè ſpeculativa. Prob.ant. Major pars eſt de eſſentia Dei, de Perſonis, de Trinitate, & unitate: de ſubſiſtentia, & perſonalitatibus, quæ per nos non dicunt perfectionem poſitivam in Deo, & ſic non reddunt eum amabilem, nec terminant amorem noſtrum, aut cultum; ſed ſola eſſentia, & eſſentialia.

Reſp.neg.ant. & prob ejus. Nam, ut dicebamus ex Scoto, actus religionis, & dilectionis circa Deum reſpiciunt eſſentiam, prout ſubſiſtentem in tribus perſonis, ita ut ſi excluderent perſonas, vel alteram illarum, eſſent non recti, imò & irreligioſi; perſonalia igitur terminant actus illos, *ut quod*, & eſſentialia, *ut quo*.

Inſt. Theologia prius conſiderat Deum in ratione Deitatis, quàm ultimi finis; ergo prius attingit objectum ſuum, ut ſpeculabile, quàm ut operabile: ant. patet, prius enim eſt Deum eſſe ſummum ens, ſummum bonum, quàm eſſe à nobis fruendum, ſed ſub illa priori ratione eſt objectum ſpeculationis; & ſub

2. tan-

[1] *ibid.*

2. tantùm eſt operabile; ergo Theologia noſtra primò, & per ſe eſt ſpeculativa, & ſecundariò tantùm practica.

Reſp. neg. conſeq. Nam objectum Theologiæ continet principia practica primò, & fundamentaliter, ſub ratione Deitatis, ſummi entis, ſummi boni, &c. Quia hinc oritur ratio ultimi finis, quæ eſt relativa; omne autem relativum fundatur in poſitivo.

Objic. 3. Theologia eſt nobiliſſima inter ſcientias, & habitus intellectuales; ergo ſpeculativa. Ant. ſupponitur receptum ab omnibus. Prob. conſeq. Speculativæ ſunt gratia ſuî, ſc. propter ſcire; practicæ verò ſunt propter aliud. ſc. propter operari, ſed, quod eſt propter ſe, eſt nobilius; ergo ſpeculativæ ſunt nobiliores.

Reſp. neg. conſeq. & maj. prob. ex Scoto. [1] Nam nobilitas in ſcientia petitur ex ordine ad nobiliorem potentiam, & operationem, quales ſunt operationes voluntatis circa Deum, ut finem ultimum, quod probat ex Philoſopho, [2] *Nobilitatis eſt in inferiori attingere ſuum ſuperius.*

Objic. 4. Si Theologia eſſet practica ex objecto; idem eſſet de Theologia Beatorum, imò & Dei; ſed falſum conſeq. maxime de divina; ergo &c. Prob. maj. Idem eſt objectum Theologiæ Beatorum, & Deî, & viatorum; ergo, ſi iſta eſt practica ab objecto, ita & illæ.

Reſp. conc. maj. de Theologia Beatorum. Nam viſio beatifica eſt etiam directiva amoris Beatorum circa Deum; de divina autem neg. maj. & ratio diſparitatis eſt, quia voluntas Dei de ſe eſt eſſentialiter recta, & ideo incapax dirigibilitatis; eſt ipſamet ſibi proxima regula ſuarum operationum, & amat ſe neceſſariò; amor ejus non cadit ſub electionem; ideo non eſt dirigibilis. Non ita eſt de nobis, nec de Beatis; ergo Theologia illorum dici poteſt practica, ſicut & noſtra.

Reſponderi poteſt 2. ex Scoto, conceſſa tota majori, neg. min. abſolutè; nam licèt de facto, & ex parte voluntatis divinæ, quæ non eſt dirigibilis, viſio, qua Deus ſe videt, & cognoſcit, non dirigit amorem, quo

[1] *ibid. BB. n. 42.* [2] 7. *Pol. c. 9. vel* 14.

quo ſe amat, quia iſte non eget directione, nec cadit ſub electionem, id non impedit, quin illa ex objecto, & quantum eſt de ſe, ſit capax directivitatis.

Hinc vides, quid ſit dicendum de Theologia Beatorum; ſcilicet quòd ſit practica, ſicut & noſtra ob eaſdem rationes. De divina autem, Scotus videtur problematicus, ut patet ex duplici reſp. ad ultimam hanc objectionem. Porrò ſolet agitari quæſtio de Theologia contingentium, & neceſſariorum; ſed mihi videtur, quoad nos id eſſe ſuperfluum; tàm enim cognitio contingentium, quàm neceſſariorum tendit ad directionem operationum voluntatis noſtræ circa Deum; & hoc ſufficit, ut dicamus abſolutè Theologiam noſtram eſſe ſimpliciter practicam.

QUÆSTIO III.

De objecto Theologiæ.

Suppono ex dictis in Philoſophia ſciri, quid ſit objectum ſcientiæ; & quotuplex, & quæ conditiones ad illud requirantur; nec id placet repetere. Quærimus ergo, quodnam ſit objectum tam materiale, quàm formale Theologię, & quidem noſtræ; nam de beatifica, & divina nihil ad nos, ſaltem pro nunc.

Concl. *Deus eſt objectum totale Theologiæ noſtræ, & quidem, ut Deus, quatenus ex revelatione, & diſcurſu in revelatione fundato nobis innoteſcit.*

Prob. 1. ex Scoto. Qui, relatis [1] variis opinionibus circa hanc quæſtionem, concludit, Deum non eſſe objectum Theologiæ ſub ulla formalitate, vel ratione ſpeciali, v. g. *Boni*, aut *Reparatoris*, aut *Glorificatoris*, &c. ſed ſub ratione eſſentiæ, ſeu Deitatis: *Contra iſtas omnes opiniones duplex eſt via; una probando iſtam affirmativam, quòd Deus ſub ratione divinitatis eſt primum ſubjectum hujus ſcientiæ. Alia probando iſtam negativam, quòd non ſub aliis rationibus, quæ aſſignantur.* Paulò aliter loquitur in ſcripto Oxonienſi, ubi videtur pro formali

[1] *Rep. q.1. prol.5. n. 19. q.3. prol. N. n.12.*

mali aſſignare infinitatem; ſed ibi non loquitur de objecto formali continentiæ, & ultimato, ſed de objecto evidentiæ, & quaſi de formalitate nobis magis nota, & primò revelata. *Theologiæ noſtræ, ut noſtra eſt, non oportet dari objectum primum, niſi primum notum.... illud primum notum eſt ens infinitum.*

Prob. 2. ex eod.[1] quoad 1. p. Dico, quòd *primum ſubjectum Theologiæ in ſe non poteſt eſse, niſi Deus,* & idem eſt de Theologia noſtra. I. Quia primum objectum continere debet virtualiter omnes veritates illius habitus, cujus eſt objectum; ſed nihil continet omnes veritates Theologicas, niſi Deus, ergo &c. Prob. min. Omnia, quæ traduntur in Theologia, continentur in Deo, ut Deus eſt, ut in cauſa, aut ad illum reducuntur per aliquam attributionem; ut facilè patebit diſcurrenti per ſingula, ergo &c. Prob. ant. In 1. libro agitur de Deo in ſe, & divinis attributis, & perſonis; in 2. de Deo in creaturis, quas creat, aut gubernat, & ad ſuos fines naturales dirigit; in 3. de Deo, ut Redemptore, & per gratiam, ac media ſupernaturalia elevante ad finem ſupernaturalem; ſcilicet per myſterium Incarnationis, per auxilia gratiæ, per habitus fidei, ſpei, & charitatis. In 4. de Deo, ut Sanctificatore per Sacramenta, & Glorificatore, & Remuneratore, qui bonos remunerat gloriæ corona; aut vindice, qui punit malos per ſupplicia æterna; ergo omnia, quæ traduntur in Theologia, Deum reſpiciunt, & in ipſo continentur virtualiter, ut in cauſa, aut ad ipſum pertinent per attributionem.

Prob. 2. p. Quia nihil aliud congruè poteſt aſſignari pro tali objecto, præter Deum, ut Deus eſt, ita ut Deitas ſit objectum formale, ergo ita rectè dicitur. Prob. ant. diſcurrendo per alias opiniones, & 1. Petrus Lombardus dicebat, illud eſse res, & ſigna, ſeu ſymbola, ſub quibus divina figurabantur in veteri Teſtamento; aut Sacramenta, quæ gratiam ſignificant, & efficiunt in novo; ſed hoc ab omnibus rejicitur, quia rerum naturalium cognitio ſecundum ſe pertinet ad Phyſicam, & ſignificatio ad Logicam, aut Grammaticam: & quatenùs ſignificarent divi-

[1] *ibid. F.*

divina, Deum ipſum haberent pro objecto; ergo quatenus hęc Theologia hæc reſpicit, ſēper Deus eſt primum, & totale ejus objectum. 2. Durandus vult, illud eſſe opus meritorium, *aut hominis ſalutem*. Sed cōtra 1. quomodo enim ad hæc pertinet cognitio unitatis eſſentiæ, & trinitatis perſonarum, & ordo proceſſionum divinarum? 2. ipſamet opera ulterius ordinantur ad Deum, & ſunt à Deo. 3. quia etiamſi nullum daretur meritum, nec ulla ſperanda eſſet ſalus, adhuc daretur Theologia; ergo in his non ponendum eſt objectum Theologiæ.

3. Hugo, & alii putant, quòd illud ſit *Deus, ut ſalvator*, ut Chriſtus; vel opus redemptionis, ut volunt alii, inter quos numeratur S.Bonav. ſed contra, nam ad Deum, ut Salvatorem, aut ad Chriſtum non referuntur omnia, nec ille continet virtualiter omnia; ergo neque Deus ut Salvator, neque Chriſtus eſt objectum Theologiæ noſtræ. Prob. ant. Generatio æterna Verbi, innaſcibilitas Patris, ſpiratio activa, & paſſiva, creatio, & ſimiles veritates non pertinent ad Deum, ut Salvatorem, neque ad Chriſtum; ergo vel non pertinent ad Theologiam noſtram; vel aliud eſt objectum ejus. Præterea objectū attributionis debet eſſe quid prius contentis ſub illo; ſed Chriſtus, & Deus, ut ſalvator non eſt quid prius ipſo Deo, ut Deo, nec aliis prædictis veritatibus, ſed potiùs ſub ratione ſalvatoris, eſt poſterior, & quid contingens, ac dependens à Deitate, omnipotentia, ſapientia, &c. ergo ſub illis rationibus non poteſt eſſe objectum Theologiæ noſtræ, ſed Deus ſub ratione Deitatis, ſub qua eſt principium Incarnationis, & ſalutis.

4. Alii volunt, Deum eſſe quidem objectum materiale ſub ratione *finis ultimi*, ſeu *ſummi boni*; ſed neque hoc dici poteſt; ergo &c. Prob. min. Nam ratio objecti formalis debet eſſe primum principium continentiæ virtualis omnium, quæ dicuntur, vel agnoſcuntur in ſcientia; ſed ratio *ultimi finis*, ſeu *boni*, non eſt prior ipſa Deitate, & aliis multis prædicatis, quæ de Deo agnoſcuntur, & dicuntur in Theologia; illa enim ratio eſt attributalis, & velut extra eſſentiam, ergo prior eſt Deitas, à qua illæ perfectiones fluunt, velut accidentia, & proprietates; ergo Deitas potiùs,

tiùs, quàm bonitas eſt objectum Theologiæ.

Alias rationes videbis in textu Scoti, v.g. 1. quia Theologia noſtra agit de iis, quæ ſunt Deo naturaliter nota: ſed talis eſt Deus ipſe, ut Deus, ergo tale eſt objectum Theologiæ. 2. in nulla alia ſcientia traditur diſtinctior notitia de Deo; alioqui hæc non eſſet ſuprema doctrina, nec ſapientia; ſed daretur alia ſuperior. 3. quia ex Auguſt. Theologia eſt de illis, quibus *Fides gignitur, defenditur, & roboratur*; ergo eſt de eodem objecto, ac fides, ſed hæc eſt de prima veritate; ergo & Theologia.

Prob. denique, & clariùs eadem 2. pars, illud eſt objectum formale, *quod*, in ſcientia, quod eſt ratio, per quam objectum totale continet virtualiter omnia, quæ in ea tractantur: ſed talis eſt Deitas, ergo eſt objectum formale Theologiæ noſtræ. Prob. min. Veritates neceſſariæ, ut, *quòd Deus ſit unus, trinus, infinitus, æternus, omnipotens*, &c. manant à Deitate, velut à fonte, & radice, idem eſt de contingentibus; ut quòd ſit *Creator*, *Sanctificator*, *Redemptor*, *Glorificator*, & ſimilia, quæ ex operationibus ad extra tribuuntur aut ſingulis Perſonis, aut toti Trinitati; hæc enim omnia continentur in Deitate, ut per ſe nota, & in eam ultimatè reſolvuntur, ergo, &c.

Prob. denique. Quia per hoc Theologia noſtra ſpecificatur, & diſtinguitur ab aliis habitibus, qui verſantur circa Deum, v. g. à Metaphyſica, quæ Deum conſiderat non ut Deum abſolutè, ſed ut primum ens, primam cauſam, ens infinitum, &c. ergo &c.

Prob. 3. p. ſcilicet, quòd ſit *Deus, ut Deus, quatenùs ex revelatione, et diſcurſu in ea fundat o, nobis innoteſcit*. Quia nonniſi per hanc conditionem Theologia noſtra ſupernaturalis diſtinguitur à Theologia Dei, & Beatorum; ergo hæc conditio habet rationem objecti formalis *quo*. Prob. ant. Nam Theologia Dei attingit Deum in ſe, & per ſe, ac neceſſariò, & comprehenſivè; Beatorum verò Deum ut clarè viſum; & ex clara viſione eſſentiæ poſſunt inferre concluſiones prorſùs ſcientificas; nos verò non cognoſcimus Deum, niſi obſcurè, & per reve-

vela-

velationem ſupernaturalem; Theologia verò naturalis Deum agnoſcit ex creaturis, & quaſi à poſteriori, & imperfectè, ergo per hanc conditionem Theologia noſtra ſupernaturalis diſtinguitur ab aliis omnibus.

Prob.2. ex Scoto. Nam [1] *quando habitus* cognoſcitivus eſt in aliquo intellectu, non habens evidentiam ex objecto, non debet ei aſſignari objectum primum, quod contineat virtualiter omnes veritates, ut nobis notas; ſed Deus ſecundum eſſentiam, ſeu Deitatem non eſt nobis notus evidentia objecti, ſed ex revelatione ſupernaturali, ergo non eſt objectum Theologiæ noſtræ, niſi ut notus ex revelatione, & diſcurſu in ea fundato.

Dixi, *ex diſcurſu in ea fundato*, ut habitus Theologiæ noſtræ diſtinguatur ab habitu fidei, qui reſpicit etiam Deum, ut revelatum, ſine diſcurſu, & ob ſolam authoritatem revelantis: Theologia verò per diſcurſum in revelatione fundatum; & ideo certior eſt, quàm omnes aliæ ſcientiæ creatæ; quia ſcilicet ultimò reſolvitur in authoritatem Dei revelantis.

Objic.1. contra 1.p. Ad objectum totale debent pertinere omnia, quæ tractantur in ſcientia; ſed ad Deum non reducuntur omnia, quæ tractantur in Theologia; ergo &c. Prob. min. Theologia noſtra agit de vitiis, & peccatis; ſed hæc non pertinent, ſed repugnant Deo, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Ordinantur omnia directè, vel indirectè, conc. maj. directè tantùm, neg. maj. ſimiliter diſt. min. non pertinent directè, conc. min. indirectè neg. min. & conſeq. Ad prob. diſt. majorem; directè, neg. indirectè, conc. maj. & ſimiliter diſt. min. nego conſequentiam. Dico igitur, quòd indirecte conſiderantur, cæterum directè vitia, & peccata repugnant Deo, ipſum offendunt, ab eo prohibētur, & puniuntur, & avertunt ab ultimo fine.

Objic. 2. Theologia noſtra probat exiſtentiam Dei, ergo ipſe non eſt objectum ejus. Ant. patebit infra. Prob. conſeq. Nam omnis ſcientia ſupponit objecti ſui exiſtentiam; ut diximus alibi.

Reſp. diſt. ant. Probat exiſtentiam Dei à poſteriori, per

[1] *ibid. n.24.*

per effectus, & ex principiis alienis; conc. à priori, & ex propriis ſuis principiis; neg. ant. & conſeq. Nam Dei exiſtentiam credimus, & in Theologia noſtra ſupponimus ex fide.

Objic. cont. 2. p. primò. Si Deus, ut Deus, ſeu ſub ratione Deitatis, eſſet objectum Theologiæ noſtræ, deberemus eum comprehendere, & de illo cognoſcere infinitas veritates; ſed falſum eſt conſeq; ergo & ant. Prob. maj. ſcientia debet adæquare ſuum objectum, & ſic illud cognoſcere ſecundum omnes veritates, quas continet; ſed illæ ſunt infinitæ; & hoc eſt comprehendere Deum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. ſcientia perfecta, & adæquata, conc. imperfecta, & inadæquata, neg. maj. & conſeq. Nam Theologia non ſolùm noſtra, ſed etiam omnis creatura eſt inadæquata reſpectu Dei, ac Deitatis; hæc enim eſt infinita, & incomprehenſibilis; illa verò eſt limitata, imperfecta, & inadæquata. Deus quidem, ut Deus adæquat totam Theologiam noſtram, quia nihil illa cognoſcit, quod ad illum non referatur aliquo modo; ſed hæc illi non adæquatur, ſed ab eo infinitè deficit.

Objic. 2. diverſorum habituum non poteſt eſſe idem objectum formale: ſed Deus, ut Deus eſſet objectum diverſorum habituum, ſcilicet fidei, & Theologiæ noſtræ ſcholaſticæ; ergo id dici non poteſt. Prob. maj. habitus diſtinguuntur per objecta; ergo diverſorum habituum diverſa ſunt objecta formalia.

Reſp. diſt. maj. habituum eſſentialiter, & ſpecie diſtinctorum, conc. maj. diverſorum accidentaliter, neg. maj. ſimiliter diſt. min. nam fides, & Theologia ſcholaſtica non diſtinguuntur eſſentialiter, utraque eſt de Deo, ut Deo ſub lumine revelationis; fides quidem purè, & ſimpliciter; Theologia verò ſuas concluſiones elicit partim ex revelatis, partim ex principiis aliarum ſcientiarum, & præcipuè Metaphyſicæ; ſed pertinent ſemper ad fidem; quia, inquit Doctor, [1] *Cum præmiſſa ex Scriptura non ſit evidens, ſed credita, igitur nec concluſio erit demonſtrata, & generans ſcientiam*, &c.

[1] 3. *d.* 24. *F.*

Ideo concluſio Theologiæ noſtræ ſequens ex præmiſſis una de fide, alia de ſcientia, erit ſemper inevidens, quia juxta regulam Logicalem, *Concluſio ſequitur debiliorem partem*.

Objic. 3. Deus non poteſt cognoſci à nobis ſub ratione Deitatis; quia non poteſt cognoſci ſecundum prædicata eſſentialia; ergo, ut Deus, non eſt objectum noſtræ Theologiæ.

Reſp. diſt. ant. non poteſt cognoſci diſtinctè, & intuitivè, & per proprias ſpecies, conc. obſcurè, & abſtractivè, per revelationem, & ex creaturis neg. ant. & rationem ejus; & id conſtat ex Apoſtolo: [1] nam, *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*.

Objic. 4. objectum formale debet eſſe radix, & cauſa formalis omnium, quæ de objecto materiali dicuntur in ſcientia; ſed talis non eſt Deitas, non enim eſt cauſa formalis proprietatum perſonalium, ut ſunt innaſcibilitas in Patre, generabilitas in verbo, & ſpirabilitas in ſpiritu S. alioqui hæc prædicata eſſent omnibus perſonis divinis communia, ſicut & Deitas.

Reſp. diſt. maj. cauſa formalis mediata, vel immediata; conc. immediata tantum; neg. maj. & ad min. dico, quòd Deitas non eſt quidem cauſa immediata innaſcibilitatis (& ſic de generabilitate, & ſpirabilitate) ſed eſt mediata, ſcilicet mediante paternitate, & ſic eſſentia Dei, quatenus ſuppoſitata per paternitatem, eſt cauſa formalis innaſcibilitatis, & ſic de aliis.

Objic. denique. Scotus [2] docet, quòd Deitas non eſt objectum niſi Theologiæ in ſe, non autem in nobis. Nam, inquit, *Theologiæ noſtræ, ut noſtra eſt, non oportet dare objectum primum, niſi primum notum....illud autem primum notum eſt ens infinitum*, &c. ergo concluſio hæc quoad hanc partem eſt contra Scotum.

Reſp. neg. conſeq. nam Scotus vult tantùm, quòd facilius à nobis cognoſcatur Deus, *ut ens infinitum*, quàm ſub ratione Deitatis; ſed non negat, quin ipſa Deitas ſit verè objectum primarium formale in eſſen-

do,

[1] *Rom.* 1. [2] *Q.* 3. *prol. n.* 7. *M.*

do, & in rei veritate, nam ideo ſic loquitur, quia *Iſte eſt conceptus perfectiſſimus, quem poſſumus habere de illo, quod eſt in ſe primum ſubjectum;* qualis eſt Deitas, & addit, quòd *idem eſt objectum Theologiæ noſtræ, quod eſt primum ſubjectum Theologiæ in ſe* (& illud eſt ſine dubio Deus, ut Deus ſub ratione Deitatis) *ſed quia illud non eſt nobis evidens; ideo non continet iſta ut nobis notum.*

Id mihi videtur probari ex eo, quod ipſe ſibi objicit; ergo *non eſt primum ſubjectum noſtræ Theologiæ.* Reſp. *Non eſt primum ſubjectum dans evidentiam, ſed ſubjectum primum, continens omnes veritates, & natum dare evidentiam, ſi ipſum cognoſceretur.* Inſignes ejus commentatores Lichetus, & Poncius putant eum loqui de infinitate, ſed immeritò, ni fallor; nam ſub ratione infinitatis, Deus eſt objectum notum, & dans evidentiam; ut patet ex diſcurſu allato. Loquitur ergo de Deo, ut Deus eſt, & ſub ratione Deitatis; ratione cujus eſt primum ſubjectum *continentiæ* veritatum omnium Theologiæ noſtræ, non autem primum objectum *evidentiæ;* quia hoc tribuit infinitati. Sic intelligit eum Pater Fraſſen, & benè.

Objic. contra 3. p. ratio formalis qua, ſeu motiva objecti primarii ſcientiæ, debet eſſe illi intrinſeca, ſed revelatio non eſt intrinſeca objecto Theologiæ noſtræ, ſcilicet Deo, ut Deus eſt, ergo revelatio non eſt objectum formale *quo*, ſeu motivum Theologiæ noſtræ. Prob. min. revelatio fundatur in veracitate Dei revelantis; ergo non eſt intrinſeca objecto primario.

Reſp. ex Scoto diſt. maj. in habitu habente evidentiam ex objecto, ut in ſcientiis naturalibus, conc. in non habente evidentiam ex objecto, ut eſt Theologia ſupernaturalis, neg. maj. & conſ. quando igitur *habitus habet evidentiam ex objecto, tunc primum objectum illius non tantùm continet virtualiter illum, ſed etiam, ut notum illi intellectui, continet ipſum habitum, ita quod notitia illius objecti continet evidentiam habitus, in habitu verò non habente evidentiam ex objecto, ſed cauſatam aliunde, quàm ex objecto noto;* (Ut Theologia noſtra, quæ Deum cognoſcit ex revelatione) *non oportet dari objectum pri-*

mum ejus, habens duas illas conditiones. Igitur ratio formalis, ſub qua Deus cognoſcitur à Theologia, non eſt quid intrinſecum ipſi, quia hæc notitia non habet evidentiam ex objecto, ſed ex revelatione.

QUÆSTIO IV.

De ſubalternatione, unitate, & nobilitate Theologiæ noſtræ.

NOn repetam, quæ dicta ſunt in Logica de ſubalternatione, unitate, & diſtinctione Scientiarum, & habituum; hæc meminiſſe juvabit ad intelligentiam, & deciſionem harum quæſtionum, quæ ſunt 1. an Theologia noſtra ſubalternetur Theologiæ Dei, ac Beatorum. 2. an, & qualis ſit unitas ejus; & 3. an præſtet aliis nobilitate.

Concl. 1. *Theologia noſtra minimè ſubalternatur Divinæ, aut Beatæ.*

Prob. 1. ex Scoto [1] quia adverſarii dicunt, quòd ſcientia non poteſt ſtare cum fide, ergo Theologia noſtra non poteſt eſſe ſubalternata; quia hæc ſtat cum fide; ergo in hoc contradicunt ſibi; ſubalternata enim ſtare poteſt cum ſubalternante, quomodo autem Theologia noſtra, quæ involvit fidem, ſtare poteſt cum Theologia Dei, & beatorum? 2. *Scientia de Deo non poteſt eſſe, niſi una*, ſcilicet aut clara, ſicut Beata, & divina; aut obſcura, ſicut noſtra. 3. *Scientia ſecundum rationem non dependet niſi ab objecto, ſeu ſubjecto, vel lumine; ſed reſpectu intellectus viatorum, viſio Beatorum nullam habet rationem cauſæ*; ergo noſtra nullo modo ſubalternatur illi.

3. *Quia ſcientia ſubalternata, & ſubalternans non ſunt primo de eiſdem veritatibus, vel prædicatis ſcitis; nam ubi ſubalternata incipit, ibi ſubalternans deſinit. Sed hæc* (noſtra) *poteſt eſſe de eiſdem veritatibus, & prædicatis, de quibus eſt ſcientia Beatorum*; ergo noſtra non ſubalternatur illi, &c.

4. *Quia*

[1] *Q.3.prol.n.30.vel 4.later.1.*

4. *Quia habens ſubalternatam poteſt habere ſubalternantem, & è converſo*: Sed hoc eſt impoſſibile de iſtis; quia una eſt fides, & obſcura; alia eſt viſio clariſſima; ergo &c. Prob. maj. nam *habens ſcientiam de principiis, ut ſubalternans, poteſt ſcire concluſionem*, qualis eſt ſubalternata; & ſciens concluſiones poteſt ſcire principia, quæ ſunt univerſaliora, & per conſequens priùs nota; ergo ſubalternans, & ſubalternata poſſunt eſſe ſimul, ut patet de Phyſica, & Medicina.

Prob. 5. nam ſubalternata nequit haberi ſine ſubalternante; ſed Theologia noſtra poteſt haberi ſine beata; ergo illa huic non ſubalternatur. Maj. patet ex conditionibus ſubalternationis. Prob. min. nam implicante Theologia beata, ſeu viſione Dei; adhuc poſſet haberi fides, & cognitio, quam hìc habemus.

Prob. denique; quia conditiones ſubalternationis deſunt inter has Theologias; ergo & ſubalternatio. Prob. ant. 1. conditio ſubalternationis eſt, ut objectum ſubalternatæ contineatur ſub objecto ſubalternantis, & illi addat rationem aliquam accidentalem, ſub qua non conſideretur à ſubalternante; ut Medicina reſpectu Phyſicæ; utraque conſiderat corpus naturale, ſed Medicina conſiderat illud, ut ſanabile, non autem Phyſica. 2. eſt, ut principia ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalternantis; ſed neutra ex his conditionibus adeſt inter has Theologias; ergo &c. Prob. min. de prima; nam noſtra conſiderat Deum, ut Deum, & ſub ratione Deitatis æquè, ac beata; ergo eſt idem prorsùs objectum, & ſub eadem ratione.

Dices. Noſtra conſiderat Deum, ut notum obſcurè; beata verò, ut clarè viſum, & hæc obſcuritas eſt ratio accidentalis in noſtra.

Contra; ergo illæ duæ Theologiæ differunt eſſentialiter; non verò tantùm accidentaliter; ſed in ſubalternatis differentia non eſt eſſentialis, ſed accidentalis; quia ſubalternata debet continuari cum ſubalternante, ut Medicina cum Phyſica; ergo obſcuritas, & claritas non ſalvant, ſed impediunt ſubalternationem. Quòd autem noſtra non poſſit continuari cum Beata, patet ex Apoſtolo. *Quando enim*

venerit, quod perfectum eſt, ſcilicet clara viſio Dei, *evacuabitur, quod ex parte eſt*, ſcilicet cognitio obſcura.

Prob. eadem min. de 2. conditione, nulla enim concluſio, aut veritas cognoſcitur de Deo in Theologia noſtra, quæ non cognoſcatur in beata, ergo concluſiones ſcientiæ Beatæ non ſunt principia in Theologia viatorum; ergo deeſt quoque in illis hæc 2. conditio ſubalternationis.

Objic. 1. ad veram ſubalternationem ſufficit, quòd principia ſubalternatæ ſint cognita in ſubalternante; ſed hoc reperitur in his Theologiis; nam principia, quæ in noſtra cognoſcuntur obſcurè, ſunt clarè cognita in beata; ergo noſtra eſt verè ſubalternata beatæ.

Reſp. neg. maj. tùm quia plura requiruntur, quàm illa inæqualitas, & ordo; ut ſuppono ex Logica; tùm quia illud non importat ullam dependentiam noſtræ ad beatam; ad hanc enim deberet noſtra uti concluſionibus ſcientiæ beatæ pro principiis, ex quibus deduceret ſuas; & quòd iſtæ non cognoſcantur per ſe in illa ſuperiori; patet autem, quòd nihil concluditur, aut agnoſcitur in noſtra, quod non ſciatur in beata, ut diſcurrenti patebit; tum denique quia noſtra non poteſt continuari cum beata, ſed illi repugnat.

Objic. 2. Theologia noſtra ordinatur ad conſecutionem beatæ; ergo noſtra dependet, & ſubalternatur beatæ.

Reſp. 1. neg. conſeq. hóc enim minimè infert propriam ſubalternationem, imò id eam impedit, quia ſubalternans debet præcedere, non ſequi ſubalternatam, cùm huic debeat viam ſternere, & ſubminiſtrare principia.

Reſp. diſt. ant. ordinatur ad conſequendam beatam per modum meriti, & moraliter, & ex ordinatione divina, conc. per ſe, & phyſicè, neg. ant. unde implicante viſione beatifica in creaturis, adhuc poſſibilis eſſet noſtra, ut diximus.

Concl. 2. *Theologia noſtra eſt una in ſe, unitate ſpecifica, diſtincta ab aliis ſcientiis, & à Theologia Beatorum; ſed non ab habitu ſupernaturali fidei, niſi accidentaliter.*

Prob.

Prob. 1. ex Scoto 1. [1] quia, *Theologia noſtra habet aliquod ſubjectum formale alind; quia ſubjectum illius eſt ſingulare, ſecundum verò Ariſt. ſubjectum aliarum eſt aliquod univerſale: quia id patet diſcurrendo per alias ſcientias, quæ diverſa habent objecta; nam ſubjectum in Phyſica eſt corpus, vel ens mobile, Deus vero non eſt mutabilis. Subjectum in mathematica eſt quantitas*, &c. Hinc

Prob. 2. [2] unitas ſpecifica ſcientiæ petitur, ſaltem extrinſecè, ab unitate objecti formalis, ut diximus in Logica; ſed objectum tàm materiale, quàm formale Theologiæ eſt unum, & diſtinctum ſpecie ab objectis, & modis ſcientiarum naturalium; ergo eſt una in ſe, & diſtincta ſpecie ab aliis. Prob. min. ex dictis de objecto tam materiali, quàm formali, *quo*, & *ſub quo*: 1. enim eſt Deus. 2. Deitas & 3. revelatio cum diſcurſu; tendit enim in Deum, ut Deus eſt, & cognitus ex revelatione, & per diſcurſum.

Confirm. nam omnia, quæ tractantur in Theologia noſtra, conſiderantur ſub hac una formalitate, & medio, ſc. ſub revelatione, aut quatenus ſunt concluſiones ex principiis revelatis deductæ; & hæc ratio eſt una in tota Theologia; & nulla alia ſcientia naturalis id præſtat; imò nec divina, aut beata; ergo quoad hoc eſt verè in ſe una, & diſtincta ab omnibus aliis ſcientiis. Dico, *unitate ſpecifica*. Nam de entitativa, & indivisibilitatis certum eſt, eam non eſſe aliam, quàm aggregationis, & ordinis, ſc. ex multis habitibus partialibus, ſecundum diverſas materias particulares, & veritates; nec in hoc aliter diſcurrendum, quàm in aliis ſcientiis, & habitibus; ut diximus in Logica.

Prob. 2. p. Theologia Beatorum tendit in objectum, ſc. Deum intuitivè, & mediante lumine gloriæ, eſtque eſſentialiter intuitiva, & clariſſima; noſtra verò in Deum abſtractivè, & mediante revelatione, ac lumine fidei; & ideò eſt eſſentialiter obſcura; ergo hæc ſpecie diſtinguitur ab illa.

Prob. 3. p. 1. ex Scoto [3] citato, & dicente, quòd *Cum præmiſſa ſumpta ex Scriptura non ſit evidens ex* B 4 *ter-*

[1] *Repor.q.3.prol.n.12.& 15.* [2] *Diſp.13.q.40.*
[3] *3.d.24.F.n.16.*

terminis, ſed credita; igitur nec concluſio erit demonſtrata, generans ſcientiam ... quamvis poſset generare habitum alium à fide, ſc. medium inter opinionem, & ſcientiam; quia certior erit opinione, & inevidentior ſcientia.

Conſtat igitur, Theologiam noſtram ſcholaſticam (de illa enim loquor, qua *fides gignitur, defenditur, explicatur, & roboratur* ex principiis revelatis mediante diſcurſu) in hoc differre ab omnibus aliis doctrinis, & ſcientiis, quòd concluſiones omnes ejus deducuntur ex principiis revelatis, & revelationi nituntur, ſaltem majori ex parte; & à ſcientia tam divina, quàm beata; quia principia noſtræ ſunt ſemper obſcura; & denique convenit quidem cum habitu fidei; quia inclinat ad aſſentiendum ſuis concluſionibus ex motivo revelationis divinæ; differt autem, quia immixtum aliquid habet ille aſſenſus de veritate conſequentiæ, propter legitimum diſcurſum; licèt principaliùs adhæreat eis propter veritatem præmiſſæ revelatæ.

Conſtat etiam, quòd ſicut ſunt diverſiſſimæ veritates partiales, circa quas verſatur; ita & diverſiſſimi partiales habitus generantur ex earum contemplatione; nam ex ſtudio myſterii Trinitatis acquiritur habitus aſſentiendi, & diſcurrendi de illo, potiuſquam de myſterio Prædeſtinationis, aut Incarnationis, aut de gratia, &c. Imo & in ſingulis, ut dantur veritates diverſæ, ita & diverſi habitus; & de his, ut jam præmiſimus, eodem modo diſcurrendum hìc.

Objic. ex Scoto. Scientia de Deo non poteſt eſſe niſi una, ſed tam ſcientia beata, & divina, quàm noſtra eſt de Deo; ergo non diſtinguuntur.

Reſp. 1. diſt. maj. niſi una genericè, & objectivè: conc. ſpecificè, & ex aliis principiis, aut mediis: neg. maj. [1] Theologia autem noſtra eſt ex mediis ſpecie, & eſſentialiter diverſis, ut patet. Reſp. 2. diſt. eandem maj. niſi una, id eſt, aut ſola beata, aut ſola non beata: conc. maj. ita ut utraque, & omnis notitia de illo ſit una ſpecie, neg. maj. poteſt enim cognoſci alterutra notitia, & ambæ inter ſe ſunt diſtinctiſſimæ, & incompatibiles.

Objic. 2.

[1] *Poncius ibid. n. 85.*

Objic. 2. ſi Theologia noſtra eſſet una in tanta objectorum, & rerum diverſitate, maximè propter unitatem revelationis, ſub qua conſiderantur: ſed hoc non ſufficit ad unitatem ſcientiæ; ergo non eſt una. Maj. patet ex fundamento noſtro. Prob. min. Deus eadem volitione, & actu poſſet revelare ſcientias diverſiſſimas, v. g. Logicam, & Metaphyſicam, &c. Sed quamvis omnes convenirent in eſſe revelato, adhuc differrent ſpecie; ergo ita eſt de veritatibus theologicis.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. adhuc differrent ſpecie materialiter, ſi homo eis non aſſentiretur præcisè ex motivo revelationis, nec propter ſolam veritatem Dei teſtificantis, ſed propter evidentiam earum realem: conc. min. Formaliter, ſi aſſentiretur eis ex ſolo motivo revelationis: neg. min. & conſeq. Igitur omnes concluſiones, & veritates Theologicæ, & habitus totius Theologiæ ideo eſt unus, quia ex eodem motivo revelationis inclinat ad aſſenſum earum, & quoad hoc omnes uniuntur. Scientiæ autem illæ eſſent plures, & diverſiſſimæ materialiter, ratione objectorum, imo & formaliter, ſi eis aſſentiremur, non præcisè propter revelationem, ſed propter evidentiam veritatis earum, ſi verò unicè propter revelationem eis aſſentiremur, non eſſent plures ſcientiæ, niſi materialiter.

Inſt. actus, quibus aſſentimur illis diverſis concluſionibus, ſunt ſpecie diverſi; ergo & habitus earum. Patet ant. nam actus, quo aſſentior huic propoſitioni; *Deus eſt trinus*, differt ſpecie ab eo, quo aſſentior iſti, *Deus eſt incarnatus*, aut *baptiſma eſt Sacramentum novæ legis*. Nam actus ſpecificantur ab objectis. Prob. conſeq. nam ſinguli actus generant ſuos habitus. Dum frequenter credo Trinitatem, acquiro habitum facilitantem, & inclinantem ad ſimiles actus; non verò præcisè ad credendam incarnationem, & illi omnes habitus credendi ſunt ſeparabiles, ſicut actus, & acquiruntur ſucceſſivè.

Reſp. diſt. ant. & conſeq. ſunt ſpecie diverſi materialiter, & ex objectis, & generant habitus partiales theologicos, ſimiliter diverſos materialiter, & objectivè, conc. ant. & conſeq. diverſi formali-

velationem ſupernaturalem; Theologia verò naturalis Deum agnoſcit ex creaturis, & quaſi à poſteriori, & imperfectè, ergo per hanc conditionem Theologia noſtra ſupernaturalis diſtinguitur ab aliis omnibus.

Prob.2. ex Scoto. Nam [1] *quando habitus* cognoſcitivus eſt in aliquo intellectu, non habens evidentiam ex objecto, non debet ei aſſignari objectum primum, quod contineat virtualiter omnes veritates, ut nobis notas; ſed Deus ſecundum eſſentiam, ſeu Deitatem non eſt nobis notus evidentia objecti, ſed ex revelatione ſupernaturali, ergo non eſt objectum Theologiæ noſtræ, niſi ut notus ex revelatione, & diſcurſu in ea fundato.

Dixi, *ex diſcurſu in ea fundato*, ut habitus Theologiæ noſtræ diſtinguatur ab habitu fidei, qui reſpicit etiam Deum, ut revelatum, ſine diſcurſu, & ob ſolam authoritatem revelantis: Theologia verò per diſcurſum in revelatione fundatum; & ideo certior eſt, quàm omnes aliæ ſcientiæ creatæ; quia ſcilicet ultimò reſolvitur in authoritatem Dei revelantis.

Objic.1. contra 1.p. Ad objectum totale debent pertinere omnia, quæ tractantur in ſcientia; ſed ad Deum non reducuntur omnia, quæ tractantur in Theologia; ergo &c. Prob. min. Theologia noſtra agit de vitiis, & peccatis; ſed hæc non pertinent, ſed repugnant Deo, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Ordinantur omnia directè, vel indirectè, conc. maj. directè tantùm, neg. maj. ſimiliter diſt. min. non pertinent directè, conc. min. indirectè neg. min. & conſeq. Ad prob. diſt. majorem; directè, neg. indirectè, conc. maj. & ſimiliter diſt. min. nego conſequentiam. Dico igitur, quòd indirecte conſiderantur, cæterum directè vitia, & peccata repugnant Deo, ipſum offendunt, ab eo prohibētur, & puniuntur, & avertunt ab ultimo fine.

Objic. 2. Theologia noſtra probat exiſtentiam Dei, ergo ipſe non eſt objectum ejus. Ant. patebit infra. Prob. conſeq. Nam omnis ſcientia ſupponit objecti ſui exiſtentiam; ut diximus alibi.

Reſp. diſt. ant. Probat exiſtentiam Dei à poſteriori, per

[1] *ibid. n.24.*

per effectus, & ex principiis alienis; conc. à priori, & ex propriis ſuis principiis; neg. ant. & conſeq. Nam Dei exiſtentiam credimus, & in Theologia noſtra ſupponimus ex fide.

Objic. cont. 2. p. primò. Si Deus, ut Deus, ſeu ſub ratione Deitatis, eſſet objectum Theologiæ noſtræ, deberemus eum comprehendere, & de illo cognoſcere infinitas veritates; ſed falſum eſt conſeq; ergo & ant. Prob. maj. ſcientia debet adæquare ſuum objectum, & ſic illud cognoſcere ſecundum omnes veritates, quas continet; ſed illæ ſunt infinitæ; & hoc eſt comprehendere Deum; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. ſcientia perfecta, & adæquata, conc. imperfecta, & inadæquata, neg. maj. & conſeq. Nam Theologia non ſolùm noſtra, ſed etiam omnis creatura eſt inadæquata reſpectu Dei, ac Deitatis; hæc enim eſt infinita, & incomprehenſibilis; illa verò eſt limitata, imperfecta, & inadæquata. Deus quidem, ut Deus adæquat totam Theologiam noſtram, quia nihil illa cognoſcit, quod ad illum non referatur aliquo modo; ſed hæc illi non adæquatur, ſed ab eo infinitè deficit.

Objic. 2. diverſorum habituum non poteſt eſſe idem objectum formale; ſed Deus, ut Deus eſſet objectum diverſorum habituum, ſcilicet fidei, & Theologiæ noſtræ ſcholaſticæ; ergo id dici non poteſt. Prob. maj. habitus diſtinguuntur per objecta; ergo diverſorum habituum diverſa ſunt objecta formalia.

Reſp. diſt. maj. habituum eſſentialiter, & ſpecie diſtinctorum, conc. maj. diverſorum accidentaliter, neg. maj. ſimiliter diſt. min. nam fides, & Theologia ſcholaſtica non diſtinguuntur eſſentialiter, utraque eſt de Deo, ut Deo ſub lumine revelationis; fides quidem purè, & ſimpliciter; Theologia verò ſuas concluſiones elicit partim ex revelatis, partim ex principiis aliarum ſcientiarum, & præcipuè Metaphyſicæ; ſed pertinent ſemper ad fidem; quia, inquit Doctor, [1] *Cum præmiſſa ex Scriptura non ſit evidens, ſed credita, igitur nec concluſio erit demonſtrata, & generans ſcientiam*, &c.

[1] 3. *d.* 24. *F.*

Ideo concluſio Theologiæ noſtræ ſequens ex præmiſſis una de fide, alia de ſcientia, erit ſemper inevidens, quia juxta regulam Logicalem, *Concluſio ſequitur debiliorem partem*.

Objic. 3. Deus non poteſt cognoſci à nobis ſub ratione Deitatis; quia non poteſt cognoſci ſecundum prædicata eſſentialia; ergo, ut Deus, non eſt objectum noſtræ Theologiæ.

Reſp. diſt. ant. non poteſt cognoſci diſtinctè, & intuitivè, & per proprias ſpecies, conc. obſcurè, & abſtractivè, per revelationem, & ex creaturis neg. ant. & rationem ejus; & id conſtat ex Apoſtolo: [1] nam, *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*.

Objic. 4. objectum formale debet eſſe radix, & cauſa formalis omnium, quæ de objecto materiali dicuntur in ſcientia; ſed talis non eſt Deitas, non enim eſt cauſa formalis proprietatum perſonalium, ut ſunt innaſcibilitas in Patre, generabilitas in verbo, & ſpirabilitas in ſpiritu S. alioqui hæc prædicata eſſent omnibus perſonis divinis communia, ſicut & Deitas.

Reſp. diſt. maj. cauſa formalis mediata, vel immediata; conc. immediata tantum; neg. maj. & ad min. dico, quòd Deitas non eſt quidem cauſa immediata innaſcibilitatis (& ſic de generabilitate, & ſpirabilitate) ſed eſt mediata, ſcilicet mediante paternitate, & ſic eſſentia Dei, quatenus ſuppoſitata per paternitatem, eſt cauſa formalis innaſcibilitatis, & ſic de aliis.

Objic. denique. Scotus [2] docet, quòd Deitas non eſt objectum niſi Theologiæ in ſe, non autem in nobis. Nam, inquit, *Theologiæ noſtræ, ut noſtra eſt, non oportet dare objectum primum, niſi primum notum....illud autem primum notum eſt ens infinitum*, &c. ergo concluſio hæc quoad hanc partem eſt contra Scotum.

Reſp. neg. conſeq. nam Scotus vult tantùm, quòd facilius à nobis cognoſcatur Deus, *ut ens infinitum*, quàm ſub ratione Deitatis; ſed non negat, quin ipſa Deitas ſit verè objectum primarium formale in eſſendo,

[1] *Rom. 1.* [2] *Q. 3. prol. n. 7. M.*

do, & in rei veritate, nam ideo ſic loquitur, quia *Iſte eſt conceptus perfectiſſimus, quem poſſumus habere de illo, quod eſt in ſe primum ſubjectum;* qualis eſt Deitas, & addit, quòd *idem eſt objectum Theologiæ noſtræ, quod eſt primum ſubjectum Theologiæ in ſe (&* illud eſt ſine dubio Deus, ut Deus ſub ratione Deitatis*) ſed quia illud non eſt nobis evidens; ideo non continet iſta ut nobis notum.*

Id mihi videtur probari ex eo, quod ipſe ſibi objicit; ergo *non eſt primum ſubjectum noſtræ Theologiæ.* Reſp. *Non eſt primum ſubjectum dans evidentiam, ſed ſubjectum primum, continens omnes veritates, & natum dare evidentiam, ſi ipſum cognoſceretur.* Inſignes ejus commentatores Lichetus, & Poncius putant eum loqui de infinitate, ſed immeritò, ni fallor; nam ſub ratione infinitatis, Deus eſt objectum notum, & dans evidentiam; ut patet ex diſcurſu allato. Loquitur ergo de Deo, ut Deus eſt, & ſub ratione Deitatis; ratione cujus eſt primum ſubjectum *continentiæ* veritatum omnium Theologiæ noſtræ, non autem primum objectum *evidentiæ*: quia hoc tribuit infinitati. Sic intelligit cum Pater Fraſſen, & benè.

Objic. contra 3. p. ratio formalis qua, ſeu motiva objecti primarii ſcientiæ, debet eſſe illi intrinſeca, ſed revelatio non eſt intrinſeca objecto Theologiæ noſtræ, ſcilicet Deo, ut Deus eſt, ergo revelatio non eſt objectum formale *quo*, ſeu motivum Theologiæ noſtræ. Prob. min. revelatio fundatur in veracitate Dei revelantis; ergo non eſt intrinſeca objecto primario.

Reſp. ex Scoto diſt. maj. in habitu habente evidentiam ex objecto, ut in ſcientiis naturalibus, conc. in non habente evidentiam ex objecto, ut eſt Theologia ſupernaturalis, neg. maj. & conſ. quando igitur *habitus habet evidentiam ex objecto, tunc primum objectum illius non tantùm continet virtualiter illum, ſed etiam, ut notum illi intellectui, continet ipſum habitum, ita quod notitia illius objecti continet evidentiam habitus, in habitu verò non habente evidentiam ex objecto, ſed cauſatam aliunde, quàm ex objecto noto;* (Ut Theologia noſtra, quæ Deum cognoſcit ex revelatione) *non oportet dari objectum pri-*

mum ejus, habens duas illas conditiones. Igitur ratio formalis, ſub qua Deus cognoſcitur à Theologia, non eſt quid intrinſecum ipſi, quia hæc notitia non habet evidentiam ex objecto, ſed ex revelatione.

QUÆSTIO IV.

De ſubalternatione, unitate, & nobilitate Theologiæ noſtræ.

NOn repetam, quæ dicta ſunt in Logica de ſubalternatione, unitate, & diſtinctione Scientiarum, & habituum; hæc meminiſſe juvabit ad intelligentiam, & deciſionem harum quæſtionum, quæ ſunt 1. an Theologia noſtra ſubalternetur Theologiæ Dei, ac Beatorum. 2. an, & qualis ſit unitas ejus; & 3. an præſtet aliis nobilitate.

Concl. 1. *Theologia noſtra minimè ſubalternatur Divinæ, aut Beatæ.*

Prob. 1. ex Scoto [1] quia adverſarii dicunt, quòd ſcientia non poteſt ſtare cum fide, ergo Theologia noſtra non poteſt eſſe ſubalternata; quia hæc ſtat cum fide; ergo in hoc contradic unt ſibi; ſubalternata enim ſtare poteſt cum ſubalternante, quomodo autem Theologia noſtra, quæ involvit fidem, ſtare poteſt cum Theologia Dei, & beatorum? 2. *Scientia de Deo non poteſt eſſe, niſi una*, ſcilicet aut clara, ſicut Beata, & divina; aut obſcura, ſicut noſtra. 3. *Scientia ſecundum rationem non dependet niſi ab objecto, ſeu ſubjecto, vel lumine; ſed reſpectu intellectus viatorum, viſio Beatorum nullam habet rationem cauſæ*; ergo noſtra nullo modo ſubalternatur illi.

3. *Quia ſcientia ſubalternata, & ſubalternans non ſunt primo de eiſdem veritatibus, vel prædicatis ſcitis; nam ubi ſubalternata incipit, ibi ſubalternans deſinit. Sed hæc* (noſtra) *poteſt eſſe de eiſdem veritatibus, & prædicatis, de quibus eſt ſcientia Beatorum*; ergo noſtra non ſubalternatur illi, &c.

[1] *Q.3. prol. n. 30. vel 4. later. 1.*

4. *Quia habens ſubalternatam poteſt habere ſubalternantem, & è converſo*: Sed hoc eſt impoſſibile de iſtis; quia una eſt fides, & obſcura; alia eſt viſio clariſſima; ergo &c. Prob. maj. nam *habens ſcientiam de principiis, ut ſubalternans, poteſt ſcire concluſionem*, qualis eſt ſubalternata; & ſciens concluſiones poteſt ſcire principia, quæ ſunt univerſaliora, & per conſequens priùs nota; ergo ſubalternans, & ſubalternata poſſunt eſſe ſimul, ut patet de Phyſica, & Medicina.

Prob. 5. nam ſubalternata nequit haberi ſine ſubalternante; ſed Theologia noſtra poteſt haberi ſine beata; ergo illa huic non ſubalternatur. Maj. patet ex conditionibus ſubalternationis. Prob. min. nam implicante Theologia beata, ſeu viſione Dei; adhuc poſſet haberi fides, & cognitio, quam hìc habemus.

Prob. denique; quia conditiones ſubalternationis deſunt inter has Theologias; ergo & ſubalternatio. Prob. ant. 1. conditio ſubalternationis eſt, ut objectum ſubalternatæ contineatur ſub objecto ſubalternantis, & illi addat rationem aliquam accidentalem, ſub qua non conſideretur à ſubalternante; ut Medicina reſpectu Phyſicæ; utraque conſiderat corpus naturale, ſed Medicina conſiderat illud, ut ſanabile, non autem Phyſica. 2. eſt, ut principia ſubalternatæ ſint concluſiones ſubalternantis; ſed neutra ex his conditionibus adeſt inter has Theologías; ergo &c. Prob. min. de prima; nam noſtra conſiderat Deum, ut Deum, & ſub ratione Deitatis æquè, ac beata; ergo eſt idem prorſùs objectum, & ſub eadem ratione.

Dices. Noſtra conſiderat Deum, ut notum obſcurè; beata verò, ut clarè viſum, & hæc obſcuritas eſt ratio accidentalis in noſtra.

Contra; ergo illæ duæ Theologiæ differunt eſſentialiter; non verò tantùm accidentaliter; ſed in ſubalternatis differentia non eſt eſſentialis, ſed accidentalis; quia ſubalternata debet continuari cum ſubalternante, ut Medicina cum Phyſica; ergo obſcuritas, & claritas non ſalvant, ſed impediunt ſubalternationem. Quòd autem noſtra non poſſit continuari cum Beata, patet ex Apoſtolo. *Quando enim*

venerit, quod perfectum eſt, ſcilicet clara viſio Dei, *evacuabitur, quod ex parte eſt*, ſcilicet cognitio obſcura.

Prob. eadem min. de 2. conditione, nulla enim concluſio, aut veritas cognoſcitur de Deo in Theologia noſtra, quæ non cognoſcatur in beata, ergo concluſiones ſcientiæ Beatæ non ſunt principia in Theologia viatorum; ergo deeſt quoque in illis hæc 2. conditio ſubalternationis.

Objic. 1. ad veram ſubalternationem ſufficit, quòd principia ſubalternatæ ſint cognita in ſubalternante; ſed hoc reperitur in his Theologiis; nam principia, quæ in noſtra cognoſcuntur obſcurè, ſunt clarè cognita in beata; ergo noſtra eſt verè ſubalternata beatæ.

Reſp. neg. maj. tùm quia plura requiruntur, quàm illa inæqualitas, & ordo; ut ſuppono ex Logica; tùm quia illud non importat ullam dependentiam noſtræ ad beatam; ad hanc enim deberet noſtra uti concluſionibus ſcientiæ beatæ pro principiis, ex quibus deduceret ſuas; & quòd iſtæ non cognoſcantur per ſe in illa ſuperiori; patet autem, quòd nihil concluditur, aut agnoſcitur in noſtra, quod non ſciatur in beata, ut diſcurrenti patebit; tum denique quia noſtra non poteſt continuari cum beata, ſed illi repugnat.

Objic. 2. Theologia noſtra ordinatur ad conſecutionem beatæ; ergo noſtra dependet, & ſubalternatur beatæ.

Reſp. 1. neg. conſeq. hoc enim minimè infert propriam ſubalternationem, imò id eam impedit, quia ſubalternans debet præcedere, non ſequi ſubalternatam, cùm huic debeat viam ſternere, & ſubminiſtrare principia.

Reſp. diſt. ant. ordinatur ad conſequendam beatam per modum meriti, & moraliter, & ex ordinatione divina, conc. per ſe, & phyſicè, neg. ant. unde implicante viſione beatifica in creaturis, adhuc poſſibilis eſſet noſtra, ut diximus.

Concl. 2. *Theologia noſtra eſt una in ſe, unitate ſpecifica, diſtincta ab aliis ſcientiis, & à Theologia Beatorum; ſed non ab habitu ſupernaturali fidei, niſi accidentaliter.*

Prob.

Prob. 1. ex Scoto 1. [1] quia, *Theologia noſtra habet aliquod ſubjectum formale alind; quia ſubjectum illius eſt ſingulare, ſecundum verò Ariſt. ſubjectum aliarum eſt aliquod univerſale: quia id patet diſcurrendo per alias ſcientias, quæ diverſa habent objecta; nam ſubjectum in Phyſica eſt corpus, vel ens mobile, Deus vero non eſt mutabilis. Subjectum in mathematica eſt quantitas*, &c. Hinc

Prob. 2. [2] unitas ſpecifica ſcientiæ petitur, ſaltem extrinſecè, ab unitate objecti formalis, ut diximus in Logica; ſed objectum tàm materiale, quàm formale Theologiæ eſt unum, & diſtinctum ſpecie ab objectis, & modis ſcientiarum natnralium; ergo eſt una in ſe, & diſtincta ſpecie ab aliis. Prob. min. ex dictis de objecto tam materiali, quàm formali, *quo*, & *ſub quo*: 1. enim eſt Deus. 2. Deitas & 3. revelatio cum diſcurſu; tendit enim in Deum, ut Deus eſt, & cognitus ex revelatione, & per diſcurſum.

Confirm. nam omnia, quæ tractantur in Theologia noſtra, conſiderantur ſub hac una formalitate, & medio, ſc. ſub revelatione, aut quatenus ſunt concluſiones ex principiis revelatis deductæ; & hæc ratio eſt una in tota Theologia; & nulla alia ſcientia naturalis id præſtat; imò nec divina, aut beata; ergo quoad hoc eſt verè in ſe una, & diſtincta ab omnibus aliis ſcientiis. Dico, *unitate ſpecifica*. Nam de entitativa, & indiviſibilitatis certum eſt, eam non eſſe aliam, quàm aggregationis, & ordinis, ſc. ex multis habitibus partialibus, ſecundum diverſas materias particulares, & veritates; nec in hoc aliter diſcurrendum, quàm in aliis ſcientiis, & habitibus; ut diximus in Logica.

Prob. 2. p. Theologia Beatorum tendit in objectum, ſc. Deum intuitivè, & mediante lumine gloriæ, eſtque eſſentialiter intuitiva, & clariſſima; noſtra verò in Deum abſtractivè, & mediante revelatione, ac lumine fidei; & ideò eſt eſſentialiter obſcura; ergo hæc ſpecie diſtinguitur ab illa.

Prob. 3. p. 1. ex Scoto [3] citato, & dicente, quòd *Cum præmiſſa ſumpta ex Scriptura non ſit evidens ex ter-*

B 4

[1] *Repor.q.3.prol.n.12.& 15.* [2] *Diſp.13.q.40.*
[3] *3.d.24.F.n.16.*

terminis, ſed credita; igitur nec concluſio erit demonſtrata, generans ſcientiam ... quamvis poſset generare habitum alium à fide, ſc. medium inter opinionem, & ſcientiam; quia certior erit opinione, & inevidentior ſcientia.

Conſtat igitur, Theologiam noſtram ſcholaſticam (de illa enim loquor, qua *fides gignitur, defenditur, explicatur, & roboratur* ex principiis revelatis mediante diſcurſu) in hoc differre ab omnibus aliis doctrinis, & ſcientiis, quòd concluſiones omnes ejus deducuntur ex principiis revelatis, & revelationi nituntur, ſaltem majori ex parte; & à ſcientia tam divina, quàm beata; quia principia noſtræ ſunt ſemper obſcura; & denique convenit quidem cum habitu fidei; quia inclinat ad aſſentiendum ſuis concluſionibus ex motivo revelationis divinæ; differt autem, quia immixtum aliquid habet ille aſſenſus de veritate conſequentiæ, propter legitimum diſcurſum; licèt principaliùs adhæreat eis propter veritatem præmiſſæ revelatæ.

Conſtat etiam, quòd ſicut ſunt diverſiſſimæ veritates partiales, circa quas verſatur; ita & diverſiſſimi partiales habitus generantur ex earum contemplatione; nam ex ſtudio myſterii Trinitatis acquiritur habitus aſſentiendi, & diſcurrendi de illo, potiuſquam de myſterio Prædeſtinationis, aut Incarnationis, aut de gratia, &c. Imo & in ſingulis, ut dantur veritates diverſæ, ita & diverſi habitus; & de his, ut jam præmiſimus, eodem modo diſcurrendum hìc.

Objic. ex Scoto. Scientia de Deo non poteſt eſſe niſi una, ſed tam ſcientia beata, & divina, quàm noſtra eſt de Deo; ergo non diſtinguuntur.

Reſp. 1. diſt. maj. niſi una genericè, & objectivè: conc. ſpecificè, & ex aliis principiis, aut mediis: neg. maj. [1] Theologia autem noſtra eſt ex mediis ſpecie, & eſſentialiter diverſis, ut patet. Reſp. 2. diſt. eandem maj. niſi una, id eſt, aut ſola beata, aut ſola non beata: conc. maj. ita ut utraque, & omnis notitia de illo ſit una ſpecie, neg. maj. poteſt enim cognoſci alterutra notitia, & ambæ inter ſe ſunt diſtinctiſſimæ, & incompatibiles.

Objic. 2.

[1] *Poncius ibid. n.85.*

Objic. 2. ſi Theologia noſtra eſſet una in tanta objectorum, & rerum diverſitate, maximè propter unitatem revelationis, ſub qua conſiderantur: ſed hoc non ſufficit ad unitatem ſcientiæ; ergo non eſt una. Maj. patet ex fundamento noſtro. Prob. min. Deus eadem volitione, & actu poſſet revelare ſcientias diverſiſſimas, v. g. Logicam, & Metaphyſicam, &c. Sed quamvis omnes convenirent in eſſe revelato, adhuc differrent ſpecie; ergò ita eſt de veritatibus theologicis.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. adhuc differrent ſpecie materialiter, ſi homo eis non aſſentiretur præcisè ex motivo revelationis, nec propter ſolam veritatem Dei teſtificantis, ſed propter evidentiam earum realem; conc. min. Formaliter, ſi aſſentiretur eis ex ſolo motivo revelationis: neg. min. & conſeq. Igitur omnes concluſiones, & veritates Theologicæ, & habitus totius Theologiæ ideò eſt unus, quia ex eodem motivo revelationis inclinat ad aſſenſum earum, & quoad hoc omnes uniuntur. Scientiæ autem illæ eſſent plures, & diverſiſſimæ materialiter, ratione objectorum, imo & formaliter, ſi eis aſſentiremur, non præcisè propter revelationem, ſed propter evidentiam veritatis earum, ſi verò unicè propter revelationem eis aſſentiremur, non eſſent plures ſcientiæ, niſi materialiter.

Inſt. actus, quibus aſſentimur illis diverſis concluſionibus, ſunt ſpecie diverſi; ergo & habitus earum. Patet ant. nam actus, quo aſſentior huic propoſitioni; *Deus eſt trinus*, differt ſpecie ab eo, quo aſſentior iſti, *Deus eſt incarnatus*, aut *baptiſma eſt Sacramentum novæ legis*. Nam actus ſpecificantur ab objectis. Prob. conſeq. nam ſinguli actus generant ſuos habitus. Dum frequenter credo Trinitatem, acquiro habitum facilitantem, & inclinantem ad ſimiles actus; non verò præcisè ad credendam incarnationem, & illi omnes habitus credendi ſunt ſeparabiles, ſicut actus, & acquiruntur ſucceſſivè.

Reſp. diſt. ant. & conſeq. ſunt ſpecie diverſi materialiter, & ex objectis, & generant habitus partiales theologicos, ſimiliter diverſos materialiter, & objectivè, conc. ant. & conſeq. diverſi formaliter;

ter; neg. ant. & conſ. nam objectum formale motivum, & per conſequens ſpecificativum formaliter eſt ſemper idem; ſc. revelatio applicata per diſcurſum, & hæc ratio eſt una in omnibus revelatis, tam mediatè, quàm immediatè; nam concluſioni deductæ ex præmiſſis revelatis aſſentior, non tam propter vim conſequentiæ naturalis, quàm propter revelationem divinam, ex qua ſequitur, & in qua fundatur, quod valdè notandum eſt.

Inter veritates Theologiæ noſtræ, aliquæ ſunt immediatè, formaliter, & expreſsè revelatæ, ut iſta; *Verbum caro factum eſt*. Aliæ ſunt revelatæ mediatè, virtualiter, & implicitè; ut ſunt concluſiones omnes, quæ neceſſariò ſequuntur ex primis illis, ut eſt, *Verbum factum eſt animal rationale*; Quia neceſſariò ſequitur ex illa prima formaliter, & explicitè, & immediatè revelata. Primæ pertinent ad fidem, & ſunt principia prima iſtarum, quæ pertinent ad Theologiam; ſed utriſque aſſentimur ex eodem motivo, ſc. propter veracitatem Dei revelantis. Non ita eſt in ſcientiis naturalibus, in quibus aſſentimur concluſionibus deductis ex earum principiis propter earum naturalem evidentiam, & ſicut ſingulæ habent ſuam evidentiam inſeparabilem à ſuis principiis, ita & ſingulæ habent ſuum objectum formale diſtinctum.

Inſt. 2. Tam in concluſionibus theologicis, quàm in ſcientificis, aſſenſus fundatur in evidentia ſequelæ, ſeu conſequentiæ; ſed evidentia conſequentiæ diverſificatur pro diverſitate principiorum, & concluſionum, ergo &c.

Reſp. neg. conſeq. nam aſſenſus concluſionis fundatur in aſſenſu præmiſſarum; ſed in Theologia aſſentimur præmiſſis, aut ſaltem uni earum propter revelationem, ergo & concluſioni; de hoc iterum in tr. de fide.

Concl. 3. *Theologia noſtra ſupereminet omnibus ſcientiis naturalibus nobilitate, & certitudine*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quoad 1. p. licèt Theologia ſit practica, & licèt Ariſtoteles præferat ſpeculativas pra-

[1] *Q. 4. & 5. prol. B. B. n. 42. 7. pol. c. 14. vel 9.*

practicis; tamen illa præſtat cæteris, quia *nobilitas eſt in inferiori attingere ſuum ſuperius ex Philoſopho, ideo præfert ſpeculativas, quia non ponit aliquam ſcientiam conformem praxi voluntatis circa finem habere praxim, ſed quandam motionem ſimplicem naturalem*, &c.

Prob. 2. nobilitas ſcientiæ, & habitus petitur ab objecto, quod attingit; ſed nulla ſcientia naturalis habet nobilius objectum, quàm ſit Deus ſub ratione Deitatis, & per lumen ſupernaturale, & ſub revelatione divina; ergo &c.

Confirm. nam Theologia adjuvatur per ſe ad ultimum finem cognoſcendum, appetendum, proſequendum, & conſequendum per media ſupernaturalia, & perfectiſſima, ergo ex fine ſuo nulla eſt nobilior, nec ſublimior.

Prob. 2. p. ille habitus eſt certior, & meretur aſſenſum intellectus firmiorem, & cum minori metu erroris, qui firmiori, & infallibiliori motivo innititur; ſed talis eſt habitus Theologiæ noſtræ in concluſionibus verè theologicis reſpectu ſcientiarum naturalium; ergo eſt illis certior. Prob. min. motivum, quo intellectus determinatur ad aſſentiendum concluſioni Theologicæ (quando ambæ præmiſſæ, aut una illarum eſt de fide, & altera evidens, aut certa) eſt ſupernaturale, & infallibile; ergo &c. Prob. min. motivum illud eſt revelatio Dei, & veracitas ejus, cui repugnat fallere, aut falli in ſuis dictis; Scientiæ autem naturales nituntur lumine naturali rationis, quæ de ſe eſt fallibilis; ergo &c.

Objic. 1. Evidentia eſt perfectio ſcientiæ; ſed hæc deeſt Theologiæ noſtræ, & adeſt in aliis ſcientiis; ergo in hoc aliæ ſunt nobiliores.

Reſp. diſt. maj. eſt perfectio in ordine ad certitudinem, conc. maj. in ordine ad ſe ipſam, aut quæ non compenſetur aliundè, aut quæ ſit neceſſaria, habita certitudine ſufficienti: neg. maj. & conſeq. nam evidentia quæritur in ſcientiis propter certitudinem, qua intellectus quietetur ſufficienter ad dirigendas ſuas operationes prudenter in finem ſuum, & talem habemus in Theologia propter certitudinem revelatorum, in quibus fundantur concluſiones ejus.

Objic. 2. illæ ſcientiæ ſunt perfectiores, quæ perfectiori modo attingunt, & comprehendunt objectum ſuum; ſed tales ſunt ſcientiæ naturales præ Theologia noſtra; ergo &c. Prob. min. illæ enim quaſi comprehendunt objecta ſua; habent demonſtrationes evidentes de illo, ejuſque proprietatibus omnibus; ſed non ita eſt de Theologia reſpectu Dei, de quo pauca ſcimus, & ferè nihil præ magnitudine ejùs; *Videmus per ſpeculum in ænigmate*, inquit Apoſtolus; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. ſi limitatio veniat ex parte habitus præcisè, & ex ſe abſolutè, conc. maj. ſi veniat ex diſpoſitione intellectus cum objecto, ſc. ex limitatione potentiæ, & elevatione, ac magnitudine, ac incomprehenſibili perfectione objecti, neg. maj. & conſeq. nam quòd non poſſimus Deum comprehendere venit ex limitatione, & improportione intellectus noſtri cum ſublimi, & incomprehenſibili objecto: Unde fit [1] *ut minimum, quod haberi poteſt de cognitione rerum altiſsimarum, deſiderabilius ſit, quàm certiſsima cognitio de rebus minimis. Confuſa cognitio de homine, vel angelo eſt nobilior, quàm diſtinctiſsima cognitio muſcæ; & generaliter nobilius eſt parum attingere de nobilioribus, quàm multum de aliis, inquit Philoſ.* [2] *denique actus credendi eſt ſimpliciter perfectior, quàm actus intelligendi, elicitus ab habitu naturali perfecto primorum principiorum*, inquit Doctor, [3] ſc. in ſe, quia non poteſt produci niſi à Deo, & verſatur circa Deum. Ita eſt de habitu, & actibus theologicis, qui ſunt ſupernaturales, & fundantur in revelatione divina, & ſunt circa divina, & ſic venit à ſublimioribus principiis, & circa nobilius objectum verſatur.

Objicies contra 2. p. Ibi certitudo eſt major, ubi minùs dubitationis, ſeu timoris eſt de falſitate; ſed in ſcientiis naturalibus minus eſt dubitationis, & timoris de falſitate; ergo & major certitudo, quàm in Theologia. Maj. patet ex definitione certitudinis. Prob. min. certitudo veritatis, ſeu concluſionis theologicæ non eſt major certitudine fidei; ſed hæc

non

[1] *Q.1.prol.a.5.*
[2] *2. de anim.*
[3] *3.d.23.M.n.9.*

non excludit omnem dubitationem, inquit Scotus, [1] ſed dubitationem vincentem, & trahentem in oppoſitum rei credibilis, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ubi minus timoris venientis de, & ex natura principii, ac motivi, conc.maj. ex parte potentiæ, ſeu ſubjecti, neg. maj. & ſic diſt. min. in ſcientiis eſt minus timoris ex parte potentiæ, ac ſubjecti, conc. min. ex parte objecti, ac motivi, neg.min. & ant. prob. nam Scotus loquitur de dubitatione ſubjectiva, non de objectiva, nec motiva. Objecto Theologiæ, ac fidei nihil certius; quia eſt prorsùs immutabile; ſic de motivo, quod eſt veracitas Dei in revelando, qua nihil certius, nec infallibilius; ſed ſubjectivè, nempè quoad firmitatem aſſenſus, ex parte intellectus noſtri, aliquando eſt debiliſſimus; ideò petebant Apoſtoli à Chriſto, *Adauge fidem noſtram*: Et ille exprobrat Petro, *Modicæ fidei, quare dubitaſti*?

Igitur triplex eſt certitudo 1. *objectiva*, quæ venit ex immutabilitate objecti complexi, vel incomplexi. 2. *Subjectiva*, quæ conſiſtit in firmitate adhæſionis intellectus ad propoſitionem; ſive illa in ſe vera ſit, ſive falſa; talis eſt certitudo in hæreticis, qui tenaciùs hærent ſuis erroribus, quàm multi fideles veritati. 3. eſt *motiva*, quæ venit à connexione medii cognitionis cum re cognita: ut ſi credas, quia vides. Sic aſſenſus fidei nititur veritati Dei revelantis; & ſicut nihil eſt infallibilius tali medio, ſic fides eſt certiſſima; ſicut & Theologiæ concluſiones, quæ ex præmiſſis eliciuntur, quarum ſaltem una eſt de fide, altera de ſcientia naturali, Ut, *Chriſtus eſt riſibilis*, ex his præmiſſis, *omnis homo eſt riſibilis, ſed Chriſtus eſt homo*; 1. eſt de ſcientia. 2. de fide, & ſic concluſio habet certitudinem ex fidei motivo, ſcilicet ex veritate Dei revelantis, quòd *Chriſtus eſt homo*.

Objic. 2. certitudo concluſionis theologicæ pendet aliquando à certitudine præmiſſæ naturalis, ergo non eſt certior ſcientiis naturalibus. Ant. patet ex diſcurſu poſito. Prob. conſeq. quia effectus non ſuperat cauſam ſuam.

Reſp. diſt. ant. pendet partialiter, conc. adæquatè, neg.

[1] *Ibid. G. n.* 15.

neg. ant. & conſ. & ſic diſt. rationem ejus, effectus non ſuperat cauſam adæquatam, benè verò inadæquatam, qualis eſt præmiſſa ex lumine naturali.

Inſt. concluſio ſequitur debiliorem partem, ſed præmiſſa naturalis eſt debilior quoad certitudinem, ergo concluſio Theologica, ſaltem ex hoc capite, non erit certior.

Reſp. diſt. maj. ſequitur debiliorem partem, ita ut participet de illius imperfectione, conc. ita ut nihil participet perfectionis alterius præmiſſæ, neg. maj. & conſ. nam hoc etiam patet in Phyſicis: genita enim ex parentibus diverſæ ſpeciei aliquid habent ab utroque parente; non ſuperant quidem, nec adæquant perfectiorem, ſed ſuperant imperfectiorem, hoc patet de mulo genito ex equa, & aſino; iſte eſt imperfectior equa, ſed perfectior aſino, & ſic de aliis. Axioma illud logicum non eſt in omnibus rigorosè verum, ſed tantùm in Syllogiſmis, ubi una præmiſſarum eſt negativa, aut particularis; in aliis verò aliquid perfectionis accipit à perfectiori; imo & in illis ſi non niſi una præmiſſarū eſſet affirmans, aut univerſalis, concluſio non eſſet bona, ut diximus ex Scoto, in concluſione theologica attenditur connexio, quam habet cum principio ſupernaturali, & revelato, quæ connexio eſt principale motivum aſſenſus, quem ei præbemus, de quo iterum dicemus tr. de fide.

Fateor tamen concluſionem theologicam eſſe minùs certam præmiſſa, quæ eſt immediatè revelata, & de fide. 1. propter illa axiomata: *Propter quod unumquodque tale*, *& illud magis*, ergo ſi concluſio theologica eſt certa propter præmiſſam revelatam, in qua continetur, hæc debet eſſe certior. 2. propter iſtud aliud; *concluſio ſequitur partem debiliorem*. Nam ex conſortio præmiſſæ debilioris contrahit etiam aliquid imperfectionis ejus; licèt aliunde habeat aliquid perfectionis à præmiſſa de fide, quæ eſt certior. Loquor de concluſione elicita ex præmiſſis, quarum una eſt de fide, alia de ſcientia naturali; nam ſi utraque præmiſſa eſſet de fide, ita & concluſio.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

De neceſſitate Theologiæ noſtræ.

AB hac quæſtione incipit ſuum Prologum Doctor noſter ſub hoc titulo. [1] *Utrum homini pro hoc ſtatu ſit neceſſarium, aliquam doctrinam ſpecialem ſupernaturaliter inſpirare, ad quam non poſſet attingere lumine naturali intellectus?* Et hoc poteſt quidem intelligi generaliter de quacumque Theologia, etiam de fide ipſa, ut dicetur in tr. de fide, & neceſſitate ejus. Nos verò hìc examinamus eam de Theologia noſtra, qua fides ipſa, & Scripturæ, & veritates revelatæ explicantur, & defenduntur; ſive per ſimplicem explicationem, ut facit Theologia *poſitiva*; ſive per argumentationes, in quibus varias concluſiones elicimus ex revelatis, ut præſtat *Scholaſtica*. Uno verbo Theologiam hìc ſumimus pro doctrina revelata, aut ex revelatis acquiſita circa Deum, & divina; deinde id examinamus preſſiùs de Theologia ſcholaſtica, qualis nunc habetur in Eccleſia; & quærimus de utraque, an ſit neceſſaria homini viatori ad conſequendam ſalutem, & hoc abſolutè, & ſimpliciter: an autem ſecundum quid, & ad meliùs eſſe?

Porrò, ut notat Doctor, non eſt nobis hæc quæſtio cum catholicis, quia hi agnoſcunt, & confitentur neceſſitatem auxilii ſupernaturalis ad cogitandum, & agendum aliquod opus bonum conducens ad ſalutem. Id patet 1. ex Scriptura dicente, [2] quòd *non ſumus ſufficientes cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis, ſed ſufficientia noſtra cum Deo eſt*. 2. ex Concil. Arauſicano[3] decernente; *Qui dixerit, nos poſſe bonum aliquod, quod ad ſalutem pertineat vitæ æternæ, per naturæ vigorem cogitare, aut eligere .... abſque illuminatione, & inſpiratione Spiritus S.... hæretico fallitur ſpiritu, &c.* Et infra, *Divini muneris eſt, cum & rectè cogitamus, & pedes noſtros à falſitate, & injuſtitia detinemus, &c.* Quod ex aliis multis Conciliorum, & Pontificum decretis colligitur. Agimus ergo contra Philoſophos, *Qui tenent perfectionem*

[1] *Q.1. prol.*
[2] *2. Cor. 3.* [3] *c. 2.*

nem naturæ, inquit Scotus, *& negant perfectionem ſupernaturalem. Theologi verò cognoſcunt defectum naturæ, & neceſſitatem gratiæ, & perfectionum ſupernaturalium.*

Sit igitur concluſio 1. *Aliqua Theologia, ſeu cognitio de Deo ſupernaturalis eſt neceſſaria homini viatori, & de facto datur*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. p. ex Scoto[1] contra Philoſophos. *Omni agenti per cognitionem neceſsaria eſt diſtincta cognitio ſui finis* (quia omne agens propter finem agit ex appetitu finis, &, utappetat, debet illum cognoſcere) *Sed homo non poteſt ſcire ex naturalibus finem ſuum diſtinctè, ergo neceſsaria eſt ſibi tradi aliqua cognitio ſupernaturalis*. Prob. min. 1. ſi poſſet naturaliter cognoſci diſtinctè, qui ſit ultimus finis hominis, & ſummum ejus bonum, illud cognoviſſent ipſi Philoſophi, & maximè Ariſtoteles; ſed id neſcierunt diſtinctè, ſeu poſitivè, & determinatè, ergo, &c. Prob. min. quia ipſe Ariſtoteles dubius in hoc fuit; aliquando *poſuit illud in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum acquiſita*; Et revera non cognovit aliquam felicitatem nobis poſſibilem in æternitate; ſicut nec alii Philoſophi. 2. quia nulla ſunt principia naturalia, ex quibus cognoſcere poſſimus, quòd poſt hanc vitam juſti habebunt illam felicitatem, ut patet experientia: nihil enim in nobis ſentimus, ex quo id naturaliter colligamus.

Prob. 2. ex eodem; Quia agenti propter finem non ſolùm eſt neceſſaria cognitio determinata finis; ſed etiam 1. quomodo pervenire poſſit ad finem. 2. neceſſaria media ad illum conſequendum, & 3. ſufficientia, & efficacitas illorum mediorum; ſed hæc naturaliter ſciri non poſſunt ab homine in ſtatu iſto; ergo neceſſaria eſt cognitio ſupernaturalis. Prob. min. 1. beatitudo non acquiritur à nobis niſi per modum mercedis, ſeu ex meritis, vel jure hæreditatis, & hæc pendet ex mero Dei beneplacito ſic ſtatuente, & diſponente; 2. quia media neceſſaria ad conſecutionem ſunt auxilia gratiæ, Sacramenta, & bona opera ex gratia facta, & hæc etiam ex nulla cauſa naturali poſſunt cognoſci, quia etiam

[1] *Ibid. A. n. 6.*

etiam pendent à puro Dei beneplacito largiente gratias, inſtituente Sacramenta, & acceptante opera, & 3. quia ſicut naturaliter non agnoſcimus exiſtentiam gratiæ, nec Sacramentorum, & aliorum mediorum ad ſalutem, ita nec eorum efficaciam, aut ſufficientiam, ergo naturaliter non poſſunt cognoſci tria illa.

Confirm. ex erroribus Philoſophorum circa finem ultimum, & media ad ipſum; nam, inquit S. Auguſt. [1] Vitam beatam *volunt omnes, ſed ad hanc tam magnam poſſeſſionem, qua itur? inſtruxerunt ſibi vias erroris Philoſophi; alii dixerunt hac via eundum: alii non hac, ſed hac; latuit eos via, quia Deus ſuperbis reſiſtit: lateret & vos, niſi veniſset ad nos ipſe, qui eſt via, veritas, & vita*. Et narrat ex Varrone 288. diverſas de ſummo bono ſententias, & S. Proſper [2] dicit, quòd Græci, & Latini, & excellentiſſima orbis ingenia ſtudiis acerrimis laborarunt, ad inveniendum ſummum illud bonum; & quòd *Laborando nihil egerint, niſi ut evaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur inſipiens cor eorum, qui ad noſcendam veritatem ſe ipſis utebantur*. Et, ut ſcribit S. Juſtinus, [3] circa Deum innumeros errores admiſerunt. *Thales Mileſius, naturalis Philoſophiæ auctor rerum omnium principium aquam eſse cenſuit; Anaximander infinitatem; Anaximenes aerem; Heraclitus, & Hipaſus ignem; Anaxagoras particulas inter ſe ſimiles, ſive ſimilaritates; Archelaus aerem infinitum, & quæ circa eum ſunt, denſitatem, & raritatem; Pythagoras numeros: Epicurus corpuſcula: Empedocles elementa*, &c. Et in hos errores ceciderunt, quia *non à peritis diſcere voluerunt, ſed ſeipſos humanæ mentis ſolertia cœleſtia clarè pervidere poſſe confiſi fuerint, cùm ne terrena quidem proſpicere quiverint.* Ideo concludit Tertullianus: *Sapientia ſæcularis eſt temeraria interpres divinæ naturæ, & diſpoſitionis*. Et S. Hilarius. [4] *à Deo diſcendum, quid de Deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe auctore cognoſcitur*. Quod fatetur ipſe Plato, qui de divinis altiora ſcri-

[1] *De Stoicis Epic. fin.* [2] *Con. collat. c. 12. et 26.*
[3] *Ex Hom. 1. ad Græc.*
[4] *De præſcript. c. 7. l. 5.*

ſcripſit inter Philoſophos. *Veritatem* (ait) *omnem uno dumtaxat addiſci modo poſſe, ſi eum vel ab ipſo Deo, vel ab iis, qui à Deo ſunt orti, doceamur.*

Prob.2. p.1. ex Script. & Patribus, qui ex parabola de patre familias mittente operarios in vineam colligunt, Deum ab initio mundi providiſſe operarios, ſeu Doctores, qui Eccleſiam colerent. [1] *Primo mane conducere operarios in vineam.* Id eſt *à mundi hujus initio uſque in finem, ad erudiendam plebem fidelium Prædicatores congregare non deſtitit.* Inquit S. Greg. *Quia & priùs per Patres* (in lege naturæ) *& poſtmodum per legis Doctores, & Prophetas* (in lege ſcripta) *ad extremum verò per Apoſtolos,* (in lege Euangelica) *dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per operarios in vineæ cultura laboravit.* Adam non caruit Theologia revelata de Deo, & neceſſariis ad ſalutem; nec omiſit ea docere filios per nongentos, & plures annos, quibus vixit cum illis. Idem conſtat de Seth, Enoc, Enos, Cainam, Malaleel, Matuſalem, & aliis uſque ad Noe, & de Noe uſque ad Abraham; & de aliis Patriarchis uſque ad Moyſem. Hic verò primus [illegible]cepit à Deo legem Scriptam, ſecundum qua[illegible] [illegible]ie-bantur populi per Scribas, Sacerdotes, [illegible] [illegible]e-tas, uſque ad Chriſtum D. qui nov[illegible] [illegible]o-ctor Euangelii, quod tradidit Eccleſ[illegible] [illegible]di-[2] *quoſdam quidem Apoſtolos; qu[illegible] phetas; alios Euangeliſtas, &c.* [illegible] *nem Sanctorum, ut jam non ſi[illegible] antes, & circumferamur omn[illegible] nequitia hominum.*

Prob. 2. eadem pars, na[illegible] ſupernaturalis de Deo, [illegible] lutem neceſſaria ſit h[illegible] ſatis illi providiſſet [illegible] ſi hæc illi ſcientia [illegible] tate dici non po[illegible] Dei; ergo dice[illegible] extitiſſe.

Dixi, *Al*[illegible] *ralis*, &[illegible]

[1] [illegible]
[2] [illegible]

in largiori ſenſu; ſc. pro cognitione ſupernaturali de Deo, rebuſque divinis, ſcituque neceſſariis homini ad ſalutem, de potentia Dei ordinaria, ſecundum præſentem ſtatum hominis ab Adamo, nam de Theologia poſitiva, aut Scholaſtica, & in ſtrictiori ſignificatione mox dicemus, quid ſentiendum.

Objic. 1. contra 1. part. Intellectus agens in nobis eſt ſufficiens principium producendi omnes notitias; & patiens, ſeu poſſibilis ſufficiens ad eas recipiendas; ergo fruſtra, ac proinde ſine neceſſitate aſſeritur alia cognitio ſupernaturalis.

Reſp. diſt. ant. eſt ſufficiens quantum eſt de ſe, & ſuppoſitis aliis concauſis notitiarum, conc. ſe ſolo, & abſolutè, ſeu quoad totalem ſufficientiam, neg. ant. & conſeq. Intellectus non eſt ſe ſolo totalis cauſa notitiæ ſuæ; ad illam concurrit objectum partialiter, & illud debet applicari debitè, & proportionari, *Nam ab objecto, & potentia pariter naſcitur notitia*; Quando ergo objectum eſt ſupernaturale, & [illegible] extra naturalem attingentiam intelle[illegible] [illegible], ergo poteſt in illud fer[illegible] [illegible] Scriptura na[illegible] quib[illegible] j[illegible] ti[illegible] [illegible] [illegible]iſſima ali[illegible] [illegible]ant. in ali[illegible] [illegible], ut non niſi [illegible]cum erui poſ[illegible] [illegible] S. PP. imò & [illegible] [2] *Da mihi* [illegible]*n; revela oculos* [illegible] *lege tua: faciem* [illegible], *& doce me juſti*[illegible] [illegible]*opheta tenebras i*[illegible] Hieron. *qua non* [illegible] *inſcitiæ nocte cir*[illegible] [illegible]*orſis* (in veteri te[illegible] [illegible]*n Evangeliis, &*.

[illegible] [illegible]tura, ſed in le[illegible] [illegible] nequitia; ergo ſi [illegible] [illegible]iſſima. Prob. ant. ex

 Apoſt.

eſſet ignobilior, & deterioris conditionis, quàm ſenſus; quod falſum eſt, & abſurdum.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nobilitatis enim eſt in paſſivo, quod non poſſit perfici, niſi à ſupremo, & nobiliſſimo agente. Sic ſumma eſt dignitas hominis, quòd quoad animam pendeat à ſolo Deo, ita eſt de intellectu, quòd ſit capax cognitionum, quæ à ſolo agente ſupernaturali poſſunt in ipſo cauſari, & quòd per illas attingere poſſit objecta, ad quæ nulla creata potentia poteſt naturaliter attingere viribus creatis.

Poſſet etiam negari ant. quis enim ſcit, num potentia ſenſitiva poſſit elevari à Deo ad ſenſationes ſupernaturales, quarum ſit naturaliter receptiva? Talis eſt potentia obedientialis paſſiva, de qua diximus in Phyſica. Cave tamen æquivocationem in voce, *Naturalis*, quæ aliquando opponitur *Violento*; aliquando verò *Libero*; hìc autem opponitur *Supernaturali*.

Objic. 2. ens, ut ens, pro ut comprehendit creatum, ſeu finitum, & increatum, ſeu infinitum, eſt objectum adæquatum intellectus; ergo tam Deus, quàm quævis creatura poteſt cognoſci etiam naturaliter ab intellectu humano; ergo ſufficit homini ſcientia naturalis, quæ haberi poteſt de Deo.

Reſp. diſt. ant. objectum adæquatum naturalis inclinationis, & aliqualis attingentiæ, conc. naturalis attingentiæ, neg. ant. Inclinatur quidem ad Dei cognitionem, & ejus eſt capax ſupernaturaliter, non verò naturaliter, ſaltem diſtinctè, & in ratione ultimi finis.

Inſt. naturaliter ſcimus dari aliquod ens ſummum habens plenitudinem omnis eſſe, & boni: ergo naturaliter cognoſci poteſt Deus in ratione ultimi finis, & ſummi boni.

Reſp. diſt. ant. ſcimus confusè, & per aliquos conceptus ex communibus, conc. diſtinctè, & per conceptus proprios, ex propriis, neg. ant. & conſ. Ex creaturis cum lumine rationis naturalis habemus aliquos conceptus de Deo, ut ſummo ente, quos vocamus *Proprios ex communibus*, quia ſumuntur ex illis, quæ ſunt aliqualiter communia creaturis; ſed illi conceptus ſunt confuſi, & imperfectiſſimi, nec

ſuffi-

ſufficiunt homini ad directionem ſui in illum finem, & ad ſalutem.

Inſt.2. ad ſalutem ſufficit credere, aut ſcire de Deo [1] *quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator eſt*. Ideo Philoſophi, qui hoc ſciverunt, inexcuſabiles ſunt in ſua Idololatria; quia, inquit Apoſtolus, [2] *Cùm Deum cognoviſſent, non ſicut Deum glorificaverunt*, &c. Sed hoc ſciri, & credi poteſt naturaliter; ergò, &c. Prob. min. tum ex illis locis, tum ex aliis, verbi gratia: [3] *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, &c. Ita ut ſint inexcuſabiles, &c. ergo ex naturali Philoſophia ſciri, & credi poteſt de Deo, quidquid ſufficit ad ſalutem.

Reſp. diſt. maj. ſufficit credere, & ſcire diſtinctè, & ex fide ſupernaturali: conc. confusè, & imperfectè, neg. maj. ex Philoſophia ſciri poteſt Deus confusè, imperfectè, & à poſteriori, & inde poterant Philoſophi inquirere majorem ſcientiam ab ipſo Deo ſic cognito; *Eis Deus ſilens quodammodo loquebatur ipſis mundi operibus; & eos ad quærendum artificem rerum mundi ſpecies invitabat*, inquit Auguſt. [4] & ſaltem debebat hæc cognitio illos avertere ab Idololatria; unde arguuntur, quia illa malè uſi ſunt, nec ut talem coluerunt ſaltem, qualem agnoverant. *Dupliciter Deum cognoverunt*, inquit S. Thom. 1. ſicut eminentem, & ſic cùm deberent ei gloriam, & honorem, [5] *Non ſicut Deum glorificaverunt, nec ei debitum cultum impenderunt, vel quia virtuti ejus, & ſcientiæ terminum impoſuerunt. 2. cognoverunt ut omnium cauſam bonorum, unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur, quam tamen ipſi non impenderunt*. De hoc fuſiùs, ubi de neceſſitate gratiæ, & fidei.

Concl.2. *Theologia Scholaſtica, & poſitiva eſt Eccleſiæ utiliſſima, & multùm neceſſaria, non tamen ſingulis immediatè*. Ita communiter contra Hæreticos hujus ſæculi, qui in eam acriter invehuntur, quia errorum inimica. Per Theologiam Scholaſticam intelligo diſciplinam proprio ſtudio, & labore comparatam, per quam ex fidei, quam ſupponit, prin-

[1] *Heb.2.* [2] *Rom.1.* [3] *Ibid.*
[4] *Serm.143.* [5] *Ibid.*

principiis ſpeculativè inferantur plures concluſiones, & veritates circa res divinas, & humanos mores, quibus concluſionibus ipſa fides explicatur, & defenditur, ac roboratur, impugnantur, & profligantur errores contrarii, & expenduntur obſcuriores Scripturæ ſenſus, & veriores educuntur, & hoc vel ſtylo argumentativo, & ſtricto, more Dialecticorum, & Philoſophorum in ſcholis uſitato: (ob id dicitur ſcholaſtica, & rigoroſa), vel ſtylo oratorio, & liberiore, ut facit *Poſitiva*; ſive methodo, & ordine novo, jam uſitato in ſcholis à tempore Magiſtri ſententiarum, ſive antiquo, qualis erat apud SS. Patres, qui alio non utebantur ordine, quàm quem ferebant occaſiones ſcribendi, & diſputandi. Hoc ſuppoſito

Prob. I. p. I. ex Scoto; [1] Quia *nulla ſcientia omnia ſcienda explicavit* (inquit Origenes) *Sed illa, ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici. Unde multæ veritates neceſſariæ non exprimuntur in ſcriptura, & ſi ibi virtualiter contineantur ſicut concluſiones in principiis; circa quarum inveſtigationem utilis fuit labor expoſitorum, & Doctorum*; ergo hæc Theologia utiliſſima eſt Eccleſiæ, ut explicentur ſenſus reconditi Scripturæ, ut facit poſitiva, & inferantur per legitimam conſequentiam concluſiones, & veritates multæ, atque neceſſariæ, quæ latent in articulis fidei, & Scripturis, in quibus tamen continentur virtualiter, ſicut concluſiones in præmiſſis.

Prob 2. ex Scriptura. Nam inquit D. Paulus, [2] *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Sic argumentor, neceſſaria eſt in Eccleſia doctrina, per quam homo doceatur veritates, & arguatur, cùm errat; corripiatur, cum peccat; inſtruatur, cùm reſiſtit fidei; ſed hæc omnia præſtat Theologia ſcholaſtica, & poſitiva, ergo eſt neceſſaria Eccleſiæ, min. patet, ad hæc enim introducta eſt, ut ſc. præſtet hæc bona. Confirm. ex alio textu, in quo dicit idem Apoſtolus, [3] Deum

[1] *Q.2. prol. E. n.15.* [2] *2. Timoth. 3.*
[3] *Eph. 4.*

Deum dediſſe Eccleſiæ *Quoſdam quidem Apoſtolos, & maximè Paſtores, & Sacerdotes ad conſummationem Sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinæ*, &c. Per Doctores, inquit Hieronymus, intelligit *eos, qui ſunt idonei ad alios inſtruendos*, ſc. aperiendo ſenſus reconditos Scripturarum; hortando tepidos, & imperfectos, & comminando protervos. Ideo etiam dicit, [1] *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Contradictores autem ſunt Hæretici, [2] qui *Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam monent in ipſo vero congreſſu, quoſdam quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt*, inquit Tertull. ergo Eccleſiæ neceſſarii ſunt Periti, & Docti, qui Hæreticorum ſophiſmata diluant, & retorqueant; [3] *Veros ſenſus Scripturæ à falſis ſecernant: quippe in Scripturis ſacris ſunt difficilia quædam intellectu, quæ Indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam perditionem*.

Prob. 3. ex SS. PP. qui omnes agnoſcunt difficiles eſſe Scripturas in pluribus locis, & egere viris Doctis, qui veros ſenſus aperiant. *Alii quoque cordati viri*, inquit Orig. [4] *ſcrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt; licèt revera ſit multis in locis obſcura*. Et, ut dicit Ambroſ. [5] *Mare eſt Scriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos*. Idem fatetur Auguſt. [6] *Mira profunditas eſt eloquiorum tuorum Domine ....* & hoc Deus permittit, *ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerumque viluſcunt*. S. Greg. idem docet, [7] *Magnæ utilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod non poteſt capere otioſus. Habet quoque & aliud majus; quia ſi Scripturæ intelligentia in cunctis eſſet aperta, viluſceret*, &c.

Con-

[1] *Ad Tit. 1.* [2] *De præſc. c. 14.*
[3] *2. Petri 3.* [4] *2. concelſum.*
[5] *Epiſt. 44.*
[6] *De doct. Chriſt.*
[7] *Hom. 6. in Ezech.*

Confirm. ex iiſdem tum 1. quia dicunt, Hæreticos ex ipſis Scripturis prætextus errorum ſumere, perversè illas explicantes, & detorquentes à vero ſenſu. *Dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè* (ait Aug.) [1] *Et quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter aſſeritur*. Tum quia 2. hanc doctrinam directè laudant, ut idem S. Doctor ;[2] nam *huic ſcientiæ tribuitur id, quod fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Et Doctores vocat [3] *Plantatores, rigatores, ædificatores, & nutritores Eccleſiæ*. Certè *ſicut ægroto corpori opus eſt medicus; ita his, quorum æger eſt animus, opus eſt Doctore, qui noſtram animam ad cognitionem deducat*, (ait Clemens Alexandrinus.) Tum 3. quia ipſimet tam in diſputationibus contra Hæreticos, quam in exhortationibus, & inſtructionibus ad fideles erudiendos, aut arguendos argumentis ex Scripturis, ex principiis fidei, ex lumine rationis, & ex aliis ſcientiis, ac Philoſophorum ipſorum placitis uſi ſunt, ut legentibus facile patebit.

Prob. 4. ratione ex iiſdem; nam Eccleſiæ neceſſaria eſt doctrina, per quam res fidei explicentur, doceantur, & defendantur contra Hæreticos, & Infideles; ſed hæc præſtat Theologia noſtra in ſenſu concluſionis accepta, ergo eſt Eccleſiæ neceſſaria. Min. patet experientia. Nam Chriſtus ipſe uſus eſt argumentatione in Euangelio; ut cùm ſuadet recurſum ad Deum Patrem in noſtris indigentiis, & admonet ejus in nos charitatis, exemplo hominum in filios, & amicos. *Si ergo vos cùm ſitis mali*, inquit, *noſtris bona data dare filiis veſtris; quantò magis pater veſter cæleſtis dabit vobis Spiritum bonum petentibus ſe?* Item ex principiis naturalibus, & politicis arguit Phariſæos tribuentes Dæmoni miracula ejus, quibus liberat dæmoniacos, probat, quòd, ſi hoc eſſet, regnum Dæmonis caderet, *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Sed ſi ejicio Dæmonia *in Beelzebub principe Dæmoniorum*, Regnum ejus diviſum eſt in ſe ipſum; *Quomodo ergo*

[1] *Tr.18. in Jo.*
[2] 14. *de Trin. c.1.*
[3] 1. *pæd. c.1.*

ga regnum ejus ſtabit? Sed non ſic ageret Chriſtus, niſi hoc eſſet utiliſſimum, aut neceſſarium ad inculcandas veritates fidei, & convincendos protervos, quales erant Phariſæi; ergo, &c. Prob. etiam illa maj. primi argumenti, 1. quia ſicut neceſſaria eſt fides in Eccleſia, ſine qua *Impoſſibile eſt placere Deo*, ita & doctrina, per quam fides explicetur, doceatur, & defendatur. Cùm enim plures articuli fidei ſint difficiles, intellectus noſter eget auxilio luminis rationis naturalis ad aſſentiendum; ſicut enim peccant tardiores, & duriores ad credendum ſufficienter propoſitis, & revelatis, & explicatis; ita & peccant faciliores, aſſentientes inconſideratè quibuſcumque propoſitis. *Qui citò credit, levis eſt corde*, inquit Sapiẽs:[1] *Et qui crediderit, nõ feſtinet*, ergo pro utriſque neceſſaria eſt Theologia, quæ illorum duritiem convincat, & iſtorum mollitiem firmet, & ignorantiam erudiat rationibus. Prob. 2. eadem maj. quia eadem providentia, quæ permittit adeſſe protervos, qui Eccleſiam erroribus vexent, (*Oportet hæreſes eſſe*) ut Fideles exerceant circa veritates fidei, & morum; item & alios, qui rationes exigant eorum, quæ illis credenda proponuntur, & difficultates apparentes contrarias opponunt, ſive ex Scriptura malè intellecta, ſive ex ratione naturali; eadem, inquam, providentia debet Doctores ſuſcitare, qui & illos convincant, & iſtis ſatisfaciant, & reſpondeant; ut faciunt Theologi ſcholaſtici, & poſitivi; & de facto ſemper Deus providit Eccleſiæ tales Doctores ab Adam, qui primus fuit Theologus, uſque in præſens, & ſic providebit in poſterum.

Denique id patet ex univerſæ Eccleſiæ praxi, quæ ubique hanc diſciplinam approbat, eique ſcholas publicas aperit, & aſſignat.

Prob. 2. p. quia ſinguli non ſunt capaces amplioris Scientiæ, quàm ſimplicis aſſenſus principiorum fidei, ut ſunt rudiores, & ſimpliciores. *Unde hac Scientia non pollent plurimi fideles*, inquit Auguſt. [2] *quamvis polleant fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quid homo credere debeat ad adipiſcendam vitam Beatam, quæ non niſi æterna eſt;*

[1] *Eccl.* 19.
[2] 14. *de Trin.* c. 1.

nem naturæ, inquit Scotus, *& negant perfectionem ſupernaturalem. Theologi verò cognoſcunt defectum naturæ, & neceſſitatem gratiæ, & perfectionum ſupernaturalium.*

Sit igitur concluſio 1. *Aliqua Theologia, ſeu cognitio de Deo ſupernaturalis eſt neceſſaria homini viatori, & de facto datur*. Eſt communis, & de fide.

Prob. 1. p. ex Scoto[1] contra Philoſophos. *Omni agenti per cognitionem neceſſaria eſt diſtincta cognitio ſui finis* (quia omne agens propter finem agit ex appetitu finis, &, ut appetat, debet illum cognoſcere) *Sed homo non poteſt ſcire ex naturalibus finem ſuum diſtinctè, ergo neceſſaria eſt ſibi tradi aliqua cognitio ſupernaturalis*. Prob. min. 1. ſi poſſet naturaliter cognoſci diſtinctè, qui ſit ultimus finis hominis, & ſummum ejus bonum, illud cognoviſſent ipſi Philoſophi, & maximè Ariſtoteles; ſed id neſcierunt diſtinctè, ſeu poſitivè, & determinatè, ergo, &c. Prob. min. quia ipſe Ariſtoteles dubius in hoc fuit, aliquando *poſuit illud in cognitione ſubſtantiarum ſeparatarum acquiſita*; Et revera non cognovit aliquam felicitatem nobis poſſibilem in æternitate; ſicut nec alii Philoſophi. 2. quia nulla ſunt principia naturalia, ex quibus cognoſcere poſſimus, quòd poſt hanc vitam juſti habebunt illam felicitatem, ut patet experientia: nihil enim in nobis ſentimus, ex quo id naturaliter colligamus.

Prob. 2. ex eodem; Quia agenti propter finem non ſolùm eſt neceſſaria cognitio determinata finis; ſed etiam 1. quomodo pervenire poſſit ad finem. 2. neceſſaria media ad illum conſequendum, & 3. ſufficientia, & efficacitas illorum mediorum; ſed hæc naturaliter ſciri non poſſunt ab homine in ſtatu iſto; ergo neceſſaria eſt cognitio ſupernaturalis. Prob. min. 1. beatitudo non acquiritur à nobis niſi per modum mercedis, ſeu ex meritis, vel jure hæreditatis, & hæc pendet ex mero Dei beneplacito ſic ſtatuente, & diſponente; 2. quia media neceſſaria ad conſecutionem ſunt auxilia gratiæ, Sacramenta, & bona opera ex gratia facta, & hæc etiam ex nulla cauſa naturali poſſunt cognoſci, quia etiam

[1] *Ibid. A. n. 6.*

etiam pendent à puro Dei beneplacito largiente gratias, inſtituente Sacramenta, & acceptante opera, & 3. quia ſicut naturaliter non agnoſcimus exiſtentiam gratiæ, nec Sacramentorum, & aliorum mediorum ad ſalutem, ita nec eorum efficaciam, aut ſufficientiam, ergo naturaliter non poſſunt cognoſci tria illa.

Confirm. ex erroribus Philoſophorum circà finem ultimum, & media ad ipſum; nam, inquit S. Auguſt.[1] Vitam beatam *volunt omnes, ſed ad hanc tam magnam poſſeſſionem, qua itur? inſtruxerunt ſibi vias erroris Philoſophi; alii dixerunt hac via eundum: alii non hac, ſed hac; latuit eos via, quia Deus ſuperbis reſiſtit: lateret & nos, niſi veniſset ad nos ipſe, qui eſt via, veritas, & vita*. Et narrat ex Varrone 288. diverſas de ſummo bono ſententias, & S. Proſper[2] dicit, quòd Græci, & Latini, & excellentiſſima orbis ingenia ſtudiis acerrimis laborarunt, ad inveniendum ſummum illud bonum; & quòd *Laborando nihil egerint, niſi ut evaneſcerent in cogitationibus ſuis, & obſcuraretur inſipiens cor eorum, qui ad noſcendam veritatem ſe ipſis utebantur*. Et, ut ſcribit S. Juſtinus, [3] circa Deum innumeros errores admiſerunt. *Thales Mileſius, naturalis Philoſophiæ auctor rerum omnium principium aquam eſſe cenſuit; Anaximander infinitatem; Anaximenes aerem; Heraclitus, & Hipaſus ignem; Anaxagoras particulas inter ſe ſimiles, ſive ſimilaritates; Archelaus aerem infinitum, & quæ circa eum ſunt, denſitatem, & raritatem; Pythagoras numeros: Epicurus corpuſcula: Empedocles elementa*, &c. Et in hos errores ceciderunt, quia *non à peritis diſcere voluerunt, ſed ſeipſos humanæ mentis ſolertia cæleſtia clarè pervidere poſſe confiſi fuerint, cùm ne terrena quidem proſpicere quiverint*. Ideo concludit Tertullianus: *Sapientia ſæcularis eſt temeraria interpres divinæ naturæ, & diſpoſitionis*. Et S. Hilarius. [4] *à Deo diſcendum, quid de Deo intelligendum ſit, quia non niſi ſe auctore cognoſcitur*. Quod fatetur ipſe Plato, qui de divinis altiora ſcri-

[1] *De Stoicis Epic. fin.* [2] *Con. collat. c. 12. et 26.*
[3] *Ex Hom. 1. ad Græc.*
[4] *De præſcript. c. 7. l. 5.*

ſcripſit inter Philoſophos. *Veritatem* (ait) *omnem uno dumtaxat addiſci modo poſſe, ſi eum vel ab ipſo Deo, vel ab iis, qui à Deo ſunt orti, doceamur.*

Prob. 2. p. 1. ex Script. & Patribus, qui ex parabola de patre familias mittente operarios in vineam colligunt, Deum ab initio mundi providiſſe operarios, ſeu Doctores, qui Eccleſiam colerent. [1] *Primo mane conducere operarios in vineam.* Id eſt *à mundi hujus initio uſque in finem, ad erudiendam plebem fidelium Prædicatores congregare non deſtitit.* Inquit S. Greg. *Quia & priùs per Patres* (in lege naturæ) *& poſtmodum per legis Doctores, & Prophetas* (in lege ſcripta) *ad extremum verò per Apoſtolos*, (in lege Euangelica) *dum plebis ſuæ mores excoluit, quaſi per operarios in vineæ cultura laboravit.* Adam non caruit Theologia revelata de Deo, & neceſſariis ad ſalutem; nec omiſit ea docere filios per nongentos, & plures annos, quibus vixit cum illis. Idem conſtat de Seth, Enoc, Enos, Cainam, Malaleel, Matuſalem, & aliis uſque ad Noe, & de Noe uſque ad Abraham; & de aliis Patriarchis uſque ad Moyſem. Hic verò primus accepit à Deo legem Scriptam, ſecundum quam erudiebantur populi per Scribas, Sacerdotes, & Prophetas, uſque ad Chriſtum D. qui novus venit Doctor Euangelii, quod tradidit Eccleſiæ, cui dedit [2] *quoſdam quidem Apoſtolos; quoſdam autem Prophetas; alios Euangeliſtas, &c. Ad conſummationem Sanctorum, ut jam non ſimus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento Doctrinæ, in nequitia hominum.*

Prob. 2. eadem pars, nam cùm Doctrina aliqua ſupernaturalis de Deo, & rebus neceſſariis ad ſalutem neceſſaria ſit homini in hac vita, Deus non ſatis illi providiſſet de neceſſaris ad eum finem, ſi hæc illi ſcientia defuiſſet. Sed hoc ſine impietate dici non poteſt de bonitate, & providentia Dei; ergo dicendum eſt talem Doctrinam ſemper extitiſſe.

Dixi, *Aliqua Theologia, ſeu cognitio ſupernaturalis*, &c. Ut videas hoc intelligi de Theologia in

[1] *Matth.* 20.
[2] *Ephe.* 4.

in largiori ſenſu; ſc. pro cognitione ſupernaturali de Deo, rebuſque divinis, ſcituque neceſſariis homini ad ſalutem, de potentia Dei ordinaria, ſecundum præſentem ſtatum hominis ab Adamo, nam de Theologia poſitiva, aut Scholaſtica, & in ſtrictiori ſignificatione mox dicemus quid ſentiendum.

Objic. 1. contra 1. part. Intellectus agens in homine eſt ſufficiens principium producendi omnes notitias; & patiens, ſeu paſſibilis ſufficiens ad eas recipiendas; ergo fruſtra, aut ſaltem ſine neceſſitate aſſeritur alia cognitio ſupernaturalis.

Reſp. diſt. ant. eſt ſufficiens quantùm eſt de ſe, & ſuppoſitis aliis concauſis notitiarum, conc. ſe ſolo, & abſolutè, ſeu quoad totalem efficientiam, neg. ant. & conſeq. Intellectus non eſt ſe ſolo totalis cauſa notitiæ ſuæ; ad illam concurrit objectum partialiter, & iſtud debet applicari debitè, & proportionari, *Nam ab objecto, & potentia paritur notitia;* Quando ergo objectum eſt ſupernaturale, & extra naturalem attingentiam intellectus, iſte non poteſt in illud ferri ſine lumine, ac revelatione ſupernaturali, quibus objectum fiat illi præſens, & illi iſte proportionetur, ut poſſit producere notitias de illo; & ita eſt de intellectu hominis reſpectu Dei, & rerum divinarum.

Inſt. intellectus poſſibilis eſt naturaliter receptivus omnis notitiæ; ergo debet dari etiam naturaliter activus omnis notitiæ. Prob. conſeq. fruſtra eſſet illa potentia in intellectu poſſibili, niſi poſſet reduci ad actum, per intellectum pariter activum.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus; nam, ut diximus, corpus eſt naturaliter receptivum animæ rationalis, & tamen nullum datur agens creatum, & naturaliter productivum ejus; ſed à ſolo Deo creari poteſt. Sufficit igitur, ut detur potentia aliqua ſive naturalis, ſive ſupernaturalis, per quam poſſit produci illa forma, cujus potentia paſſiva eſt receptibilis.

Inſt. 2. ſenſus poſſibilis habet activum ejuſdem ordinis, à quo poſſit perfici, ergo & intellectus poſſibilis. Prob. conſeq. alioqui enim intellectus

eſſet ignobilior, & deterioris conditionis, quàm ſenſus; quod falſum eſt, & abſurdum.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nobilitatis enim eſt in paſſivo, quod non poſſit perfici, niſi à ſupremo, & nobiliſſimo agente. Sic ſumma eſt dignitas hominis, quòd quoad animam pendeat à ſolo Deo, ita eſt de intellectu, quòd ſit capax cognitionum, quæ à ſolo agente ſupernaturali poſſunt in ipſo cauſari, & quòd per illas attingere poſſit objecta, ad quæ nulla creata potentia poteſt naturaliter attingere viribus creatis.

Poſſet etiam negari ant. quis enim ſcit, num potentia ſenſitiva poſſit elevari à Deo ad ſenſationes ſupernaturales, quarum ſit naturaliter receptiva? Talis eſt potentia obedientialis paſſiva, de qua diximus in Phyſica. Cave tamen æquivocationem in voce, *Naturalis*, quæ aliquando opponitur *Violento*; aliquando verò *Libero*; hìc autem opponitur *Supernaturali*.

Objic. 2. ens, ut ens, pro ut comprehendit creatum, ſeu finitum, & increatum, ſeu infinitum, eſt objectum adæquatum intellectus; ergo tam Deus, quàm quævis creatura poteſt cognoſci etiam naturaliter ab intellectu humano; ergo ſufficit homini ſcientia naturalis, quæ haberi poteſt de Deo.

Reſp. diſt. ant. objectum adæquatum naturalis inclinationis, & aliqualis attingentiæ, conc. naturalis attingentiæ, neg. ant. Inclinatur quidem ad Dei cognitionem, & ejus eſt capax ſupernaturaliter, non verò naturaliter, ſaltem diſtinctè, & in ratione ultimi finis.

Inſt. naturaliter ſcimus dari aliquod ens ſummum habens plenitudinem omnis eſſe, & boni: ergo naturaliter cognoſci poteſt Deus in ratione ultimi finis, & ſummi boni.

Reſp. diſt. ant. ſcimus confusè, & per aliquos conceptus ex communibus, conc. diſtinctè, & per conceptus proprios, ex propriis, neg. ant. & conſ. Ex creaturis cum lumine rationis naturalis habemus aliquos conceptus de Deo, ut ſummo ente, quos vocamus *Proprios ex communibus*, quia ſumuntur ex illis, quæ ſunt aliqualiter communia creaturis; ſed illi conceptus ſunt confuſi, & imperfectiſſimi, nec

ſuffi-

ſufficiunt homini ad directionem ſui in illum finem, & ad ſalutem.

Inſt.2. ad ſalutem ſufficit credere, aut ſcire de Deo [1] *quia eſt, & quòd inquirentibus ſe remunerator eſt*. Ideo Philoſophi, qui hoc ſciverunt, inexcuſabiles ſunt in ſua Idololatria; quia, inquit Apoſtolus, [2] *Cùm Deum cognoviſsent, non ſicut Deum glorificaverunt*, &c. Sed hoc ſciri, & credi poteſt naturaliter; ergo, &c. Prob. min. tum ex illis locis, tum ex aliis, verbi gratia: [3] *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*, &c. Ita ut ſint inexcuſabiles, &c. ergo ex naturali Philoſophia ſciri, & credi poteſt de Deo, quidquid ſufficit ad ſalutem.

Reſp. diſt. maj. ſufficit credere, & ſcire diſtinctè, & ex fide ſupernaturali: conc. confusè, & imperfectè, neg. maj. ex Philoſophia ſciri poteſt Deus confusè, imperfectè, & à poſteriori, & inde poterant Philoſophi inquirere majorem ſcientiam ab ipſo Deo ſic cognito; *Eis Deus ſilens quodammodo loquebatur ipſis mundi operibus; & eos ad quærendum artificem rerum mundi ſpecies invitabat*, inquit Auguſt. [4] & ſaltem debebat hæc cognitio illos avertere ab Idololatria; unde arguuntur, quia illa malè uſi ſunt, nec ut talem coluerunt ſaltem, qualem agnoverant. *Dupliciter Deum cognoverunt*, inquit S. Thom. 1. ſicut eminentem, & ſic cùm deberent ei gloriam, & honorem, [5] *Non ſicut Deum glorificaverunt, nec ei debitum cultum impenderunt, vel quia virtuti ejus, & ſcientiæ terminum impoſuerunt*. 2. *cognoverunt ut omnium cauſam bonorum, unde ei in omnibus gratiarum actio debebatur, quam tamen ipſi non impenderunt*. De hoc fuſiùs, ubi de neceſſitate gratiæ, & fidei.

Concl.2. *Theologia Scholaſtica, & poſitiva eſt Eccleſiæ utiliſſima, & multùm neceſsaria, non tamen ſingulis immediatè*. Ita communiter contra Hæreticos hujus ſæculi, qui in eam acriter invehuntur, quia errorum inimica. Per Theologiam Scholaſticam intelligo diſciplinam proprio ſtudio, & labore comparatam, per quam ex fidei, quam ſupponit, prin-

[1] *Heb.2.* [2] *Rom.1.* [3] *Ibid.*
[4] *Serm.143.* [5] *Ibid.*

principiis ſpeculativè inferantur plures concluſiones, & veritates circa res divinas, & humanos mores, quibus concluſionibus ipſa fides explicatur, & defenditur, ac roboratur, impugnantur, & profligantur errores contrarii, & expenduntur obſcuriores Scripturæ ſenſus, & veriores educuntur, & hoc vel ſtylo argumentativo, & ſtricto, more Dialecticorum, & Philoſophorum in ſcholis uſitato: (ob id dicitur ſcholaſtica, & rigoroſa), vel ſtylo oratorio, & liberiore, ut facit *Poſitiva*; ſive methodo, & ordine novo, jam uſitato in ſcholis à tempore Magiſtri ſententiarum, ſive antiquo, qualis erat apud SS. Patres, qui alio non utebantur ordine, quàm quem ferebant occaſiones ſcribendi, & diſputandi. Hoc ſuppoſito

Prob. 1. p. 1. ex Scoto; [1] Quia *nulla ſcientia omnia ſcienda explicavit* (inquit Origenes) *Sed illa, ex quibus poſſunt alia ſufficienter elici. Unde multæ veritates neceſſariæ non exprimuntur in ſcriptura, & ſi ibi virtualiter contineantur ſicut concluſiones in principiis; circa quarum inveſtigationem utilis fuit labor expoſitorum, & Doctorum*; ergo hæc Theologia utiliſſima eſt Eccleſiæ, ut explicentur ſenſus reconditi Scripturæ, ut facit poſitiva, & inferantur per legitimam conſequentiam concluſiones, & veritates multæ, atque neceſſariæ, quæ latent in articulis fidei, & Scripturis, in quibus tamen continentur virtualiter, ſicut concluſiones in præmiſſis.

Prob 2. ex Scriptura. Nam inquit D. Paulus, [2] *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in juſtitia, ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus*. Sic argumentor, neceſſaria eſt in Eccleſia doctrina, per quam homo doceatur veritates, & arguatur, cùm errat; corripiatur, cum peccat; inſtruatur, cùm reſiſtit fidei; ſed hæc omnia præſtat Theologia ſcholaſtica, & poſitiva, ergo eſt neceſſaria Eccleſiæ, min. patet, ad hæc enim introducta eſt, ut ſc. præſtet hæc bona. Confirm. ex alio textu, in quo dicit idem Apoſtolus, [3] Deum

[1] *Q.2. prol. E. n.* 15. [2] *2. Timoth.* 3.
[3] *Eph.* 4.

Deum dediſſe Eccleſiæ *Quoſdam quidem Apoſtolos, & maximè Paſtores, & Sacerdotes ad conſummationem Sanctorum, ut non circumferamur omni vento doctrinæ*, &c. Per Doctores, inquit Hieronymus, intelligit *eos, qui ſunt idonei ad alios inſtruendos*, ſc. aperiendo ſenſus reconditos Scripturarum; hortando tepidos, & imperfectos, & comminando protervos. Ideo etiam dicit, [1] *Oportet Epiſcopum eſſe amplectentem eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem; ut potens ſit exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*. Contradictores autem ſunt Hæretici, [2] qui *Scripturas obtendunt, & hac ſua audacia ſtatim quoſdam movent in ipſo vero congreſſu, quoſdam quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum ſcrupulo dimittunt*, inquit Tertull. ergo Eccleſiæ neceſſarii ſunt Periti, & Docti, qui Hæreticorum ſophiſmata diluant, & retorqueant; [3] *Veros ſenſus Scripturæ à falſis ſecernant: quippe in Scripturis ſacris ſunt difficilia quædam intellectu, quæ Indocti, & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas ad ſuam perditionem.*

Prob. 3. ex SS. PP. qui omnes agnoſcunt difficiles eſſe Scripturas in pluribus locis, & egere viris Doctis, qui veros ſenſus aperiant. *Alii quoque cordati viri*, inquit Orig. [4] *ſcrutando Scripturam, intellectum ejus invenire potuerunt; licèt revera ſit multis in locis obſcura*. Et, ut dicit Ambroſ. [5] *Mare eſt Scriptura divina, habens in ſe ſenſus profundos*. Idem fatetur Auguſt. [6] *Mira profunditas eſt eloquiorum tuorum Domine ....* & hoc Deus permittit, *ad edomandam labore ſuperbiam, & intellectum faſtidio revocandum, cui facilè inveſtigata plerumque vileſcunt.* S. Greg. idem docet, [7] *Magnæ utilitatis eſt ipſa obſcuritas eloquiorum Dei, quia exercet ſenſum, ut fatigatione dilatetur, & exercitatus capiat, quod non poteſt capere otioſus. Habet quoque & aliud majus; quia ſi Scripturæ intelligentia in cunctis eſſet aperta, vileſceret*, &c.

Con-

[1] *Ad Tit.* 1. [2] *De præſc. c.* 14.
[3] 2. *Petri* 3. [4] 2. *concelſum*.
[5] *Epiſt.* 44.
[6] *De doct. Chriſt.*
[7] *Hom.* 6. *in Ezech.*

Confirm. ex iiſdem tum 1. quia dicunt, Hæreticos ex ipſis Scripturis prætextus errorum ſumere, perverſè illas explicantes, & detorquentes à vero ſenſu. *Dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè* (ait Aug.) [1] *Et quod in eis non bene intelligitur, etiam temerè, & audacter aſſeritur*. Tum quia 2. hanc doctrinam directè laudant, ut idem S. Doctor ;[2] nam *huic ſcientiæ tribuitur id, quod fides ſaluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur*. Et Doctores vocat [3] *Plantatores, rigatores, ædificatores, & nutritores Eccleſiæ*. Certè *ſicut ægroto corpori opus eſt medicus; ita his, quorum æger eſt animus, opus eſt Doctore, qui noſtram animam ad cognitionem deducat*, (ait Clemens Alexandrinus.) Tum 3. quia ipſimet tam in diſputationibus contra Hæreticos, quam in exhortationibus, & inſtructionibus ad fideles erudiendos, aut arguendos argumentis ex Scripturis, ex principiis fidei, ex lumine rationis, & ex aliis ſcientiis, ac Philoſophorum ipſorum placitis uſi ſunt, ut legentibus facile patebit.

Prob. 4. ratione ex iiſdem; nam Eccleſiæ neceſſaria eſt doctrina, per quam res fidei explicentur, doceantur, & defendantur contra Hæreticos, & Infideles; ſed hæc præſtat Theologia noſtra in ſenſu concluſionis accepta, ergo eſt Eccleſiæ neceſſaria. Min. patet experientia. Nam Chriſtus ipſe uſus eſt argumentatione in Euangelio; ut cùm ſuadet recurſum ad Deum Patrem in noſtris indigentiis, & admonet ejus in nos charitatis, exemplo hominum in filios, & amicos. *Si ergo vos cùm ſitis mali*, inquit, *noſtris bona data dare filiis veſtris; quantò magis pater veſter cæleſtis dabit vobis Spiritum bonum petentibus ſe?* Item ex principiis naturalibus, & politicis arguit Phariſæos tribuentes Dæmoni miracula ejus, quibus liberat dæmoniacos, probat, quòd, ſi hoc eſſet, regnum Dæmonis caderet, *Omne regnum in ſe diviſum deſolabitur*. Sed ſi ejicio Dæmonia *in Beelzebub principe Dæmoniorum*, Regnum ejus diviſum eſt in ſe ipſum; *Quomodo ergo*

[1] *Tr.* 18. *in Jo.*
[2] 14. *de Trin. c.* 1.
[3] 1. *pæd. c.* 1.

ea regnum ejus ſtabit? Sed non ſic ageret Chriſtus, niſi hoc eſſet utiliſſimum, aut neceſſarium ad inculcandas veritates fidei, & convincendos protervos, quales erant Phariſæi; ergo, &c. Prob. etiam illa maj. primi argumenti, 1. quia ſicut neceſſaria eſt fides in Eccleſia, ſine qua *Impoſſibile eſt placere Deo*, ita & doctrina, per quam fides explicetur, doceatur, & defendatur. Cùm enim plures articuli fidei ſint difficiles, intellectus noſter eget auxilio luminis rationis naturalis ad aſſentiendum; ſicut enim peccant tardiores, & duriores ad credendum ſufficienter propoſitis, & revelatis, & explicatis; ita & peccant faciliores, aſſentientes inconſideratè quibuſcumque propoſitis. *Qui citò credit, levis eſt corde*, inquit Sapiẽs: [1] *Et qui crediderit, nõ feſtinet*, ergo pro utriſque neceſſaria eſt Theologia, quæ illorum duritiem convincat, & iſtorum mollitiem firmet, & ignorantiam erudiat rationibus. Prob. 2. eadem maj. quia eadem providentia, quæ permittit adeſſe protervos, qui Eccleſiam erroribus vexent, (*Oportet hæreſes eſſe*) ut Fideles exerceant circa veritates fidei, & morum; item & alios, qui rationes exigant eorum, quæ illis credenda proponuntur, & difficultates apparenter contrarias opponunt, ſive ex Scriptura malè intellecta, ſive ex ratione naturali; eadem, inquam, providentia debet Doctores ſuſcitare, qui & illos convincant, & iſtis ſatisfaciant, & reſpondeant; ut faciunt Theologi ſcholaſtici, & poſitivi; & de facto ſemper Deus providit Eccleſiæ tales Doctores ab Adam, qui primus fuit Theologus, uſque in præſens, & ſic providebit in poſterum.

Denique id patet ex univerſæ Eccleſiæ praxi, quæ ubique hanc diſciplinam approbat, eique ſcholas publicas aperit, & aſſignat.

Prob. 2. p. quia ſinguli non ſunt capaces amplioris Scientiæ, quàm ſimplicis aſſenſus principiorum fidei, ut ſunt rudiores, & ſimpliciores. *Unde hac Scientia non pollent plurimi fideles*, inquit Auguſt. [2] *quamvis polleant fide plurimùm. Aliud eſt enim ſcire tantummodo, quid homo credere debeat ad adipiſcendam vitam Beatam, quæ non niſi æterna eſt;* *aliud*

[1] *Eccl.* 19.
[2] 14. *de Trin.* c. 1.

aliud autem ſcire quemadmodum hoc ipſum & piis opituletur, & contra impios defendatur. Confirm. ex Apoſtolo docente varietatem gratiarum, & donorum ſingulis dividi, ita ut non omnes ſint Doctores; *Nunquid omnes Doctores?* 2. quia multi etiam non indigent; quia ex dono gratiæ ſatis firmiter capiunt, & aſſentiuntur, & adhærent articulis fidei abſque auxilio ulterioris explicationis, & rationis, & pro ſuo ſtatu, & conditione privata; ergo ſingulis non eſt neceſſaria hæc Scientia ſaltem immediatè.

Dixi: *Singulis immediatè*. Nam mediatè dici poteſt neceſſaria, ſc. ratione totius corporis Eccleſiæ, in quo vix poſſet conſervari fides vera contra errores ſine illa Scientia: & ſic non conſervaretur ſaltem facilè in ſingulis membris. Præterea, quia cùm articuli fidei ſint ſublimes veritates, & obſcuræ, minùs prudenter, & minùs firmiter illis aſſentirentur homines, niſi in eis confirmarentur rationibus, & exemplo, & auctoritate illorum, quos norunt prudentes, & doctos.

Objic. 1. ad ſalutem ſufficit fides; ergo fruſtra eſt alia Theologia. Prob. ant. 1. ex Euang. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* 2. Quia fides ſufficienter oſtendit finem ultimum, & media ad ipſum, ergo ſufficit fides ad ſalutem, non enim alia eſt neceſſitas ſcientiæ ſupernaturalis.

Reſp. diſt. ant. prob. ejus. Sufficit unicuique in particulari; conc. ant. omnibus in communi, ſeu toti corpori Eccleſiæ, neg. ant. nam Chriſtus in Euang. loquitur de ſingulis in particulari, & quidem ſuppoſitis cæteris conditionibus ad ſalutem requiſitis. Ratio etiam concludit quoad aliquos particulares, & quidem quoad hoc non illis neceſſaria amplior Scientia immediatè, benè verò mediatè. Nam ſine hac Theologia fides ea docens non conſervaretur in Eccleſiæ corpore, & ſic poſſet deperdi pro particularibus, ſtante præſenti hominis conditione, & rerum ordine, ac providentia, in quibus tot quotidiè excitantur difficultates, & dubia, & errores circa fidem, & Religionem.

Inſt. 1. ſunt multæ provinciæ, & ſæcula, in quibus nulli, aut pauciſſimi fuerunt Doctores; & tamen viguit fides, & multi ſalvati ſunt; ergo falſa reſponſio.

ſio. Prob. ant. in tota lege naturæ multi ſalvabantur & fideles erant, & vix ulli narrantur tunc Doctores Theologi.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus; nam, ut diximus, ab initio mundi ſemper fuerunt aliqui Theologi, & maximè Patriarchæ; & ſi defuerunt in aliquibus regnis, aut partibus, defecit etiam fides; aut ſi aliqui ibi fuerunt fideles, id factum eſt ex Dei ſpeciali providentia, ut dicitur de Job in terra Hus pio, & juſto inter iniquos; & de Lot in regnis Sodomæ, & Gomorrhæ.

Objic. 2. Theologiam hanc dicimus utilem ad explicandam, & tuendam fidem; ſed hæc ratio falſa eſt; ergo & utilitas. Prob. min. nam, inquit Calvinus: *Non obſcuriorem veritatis ſuæ ſenſum Scripturæ præfefert, quàm coloris ſui res albæ, aut nigræ*. Quod patet ex Scriptura. [1] Nam *Præceptum Domini lucidum, & illuminans oculos*. Et *mandatum lucerna eſt, & lex lux*. Et, ut ait D. Petrus, *Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoſo loco*; ergo ſicut lux ſe ſe per ſe ipſam explicat, ita & Scriptura ſacra, & non eget alia doctrina.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. Lux eſt clariſſima alicubi, conc. in omnibus, & ubique, neg. ant. in aliquibus locis adeo eſt obſcura, & difficilis, ut non niſi Deo illuſtrante, & ſummo labore Doctorum erui poſſit ſenſus legitimus, ut patet ex ipſis SS. PP. imò & ex ipſa Scriptura. Orabat enim David; [2] *Da mihi intellectum, & ſcrutabor legem tuam; revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua: faciem tuam illumina ſuper ſervum tuum, & doce me juſtificationes tuas*. Quod ſi *tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur*, [3] inquit S. Hieron. *qua non putem parvulos, & penè lactentes inſcitiæ nocte circumdari? hoc velamen non in facie Moyſis* (in veteri teſtamento, & Prophetis) *ſed etiam in Euangeliis, & Apoſtolis poſitum eſt*.

Inſt. illa obſcuritas non eſt in Scriptura, ſed in legentibus, quos exercet ſuperbia, vel nequitia; ergo ſi legatur rectè, ut debet, erit clariſſima. Prob. ant. ex

[1] *Pſ.* 118. [2] *Ibid.*
[3] *Ep. ad Paul.*

Apoſt. [1] *Si opertum eſt Euangelium in illis, qui pereunt, opertum eſt, in quibus Deus hujus ſæculi mentes excæcavit infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Euangelii*, quod fatetur S. Chryſoſt. [2] *Philoſophi obſcurè loquuti ſunt, Apoſtoli verò, & Prophetæ omnia fecerunt manifeſta, claraque prodiderunt, veluti communes orbis Doctores, ut per ſe quiſque diſcere poſſit ea, quæ diſcuntur ex ſola lectione*.

Reſpond. neg. ant. utrumque enim venit ex Scripturæ, ac myſteriorum ſublimitate, & obſcuritate, & ex legentium cæcitate malitioſa; ſed tamen ex obſcuritate illa non excuſantur iſti; nam Apoſtoli, & Doctores veritatem manifeſtant quærentibus, & audientibus ea, qua decet, diſpoſitione, [3] *non enim ambulantes in aſtutia, neque adulterantes verbum Dei*; (ut faciunt hæretici) *ſed in manifeſtatione veritatis commendantes noſmetipſos*, &c. Hoc confirmat concluſionem: nam præſtò ſunt in Eccleſia Doctores, & Apoſtoli, qui manifeſtent veritatem, ita ut obſcuritas Euangelii non noceat, niſi pereuntibus ex malitioſa cæcitate, qua vel lumen reſpuunt, vel Scripturarum ſenſum detorquent, & adulterant. Chryſoſtomus autem loquitur de libris hiſtorialibus, quos ne ubique quidem claros cenſet; dicit enim: *Lege hiſtoriam omnem; quæ nota ſunt, memoria tene, & quæ obſcura ſunt, parumque manifeſta, frequenter percurre; quod ſi non potueris aſſiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad Sapientiorem; vade ad Doctiorem*. Vides hìc impudentiam Hæreticorum, qui ſententias Scripturæ, & Patrum detruncatas objiciunt, ut incautos decipiant.

Inſt. 2. Si adſint obſcuritates, non à Theologis, ſed à Deo ſolo per internas illuſtrationes tolluntur; ergo ſemper inutilis eſt, aut pernicioſa Theologia, quæ ſibi uſurpat, quod ſoli Deo convenit. Prob. ant. ex Scriptura. [4] *Ponam univerſos tuos Doctos à domino*, (non ab hominibus) *& dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam*; Imò id prohibet attentari ab hominibus: [5] *Non docebit ultra vir proximum ſuum, dicens: cognoſce Dominum*;

[1] 2. *Cor*. 4. [2] *Hom*. 3. *de Laz*.
[3] *Ibid*. [4] *Iſa*. 54.
[5] *Jerem*. 31. 34.

num; omnes enim cognoſcunt me à minimo uſque ad maximum; ergo, ſi adſint difficultates in Scriptura, tolluntur, non à Theologis noſtris, ſed à ſolo Deo.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. docemur enim quidem à Deo interiùs illuminante, & etiam ab homine exteriùs docente, & prædicante; *Ego plantavi*, inquit D. Paulus, *Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Et ideo, *dedit quoſdam Apoſtolos, alios autem Doctores*, &c. Et hoc ſenſu ſcribit legem in cordibus noſtris per ſe; ſed ad aures defert illam per Doctores: *Quomodo credent, quem non audierunt? & quomodo audient ſine prædicante?* Jeremias autem loquitur de Deo per filium ſuum Chriſtum Euangelium docente; non autem ampliùs per Moyſem, aut Prophetas: [1] *Olim Deus loquens Patribus in Prophetis, noviſſimè locutus eſt nobis in filio*. Et hoc ſenſu S. Joannes dicebat, [2] *Non neceſſe habetis, vos doceat, ſed unctio docet vos de omnibus*, ſc. internè, dum Apoſtoli, & Doctores docent externè, alioqui ipſemet Joannes fruſtra laboraſſet prædicando, & ſcribendo. Cur Chriſtus ipſe præcepiſſet Apoſtolis, *Docete omnes gentes?* Hæc ipſa argumenta Hæreticorum faciunt contra ipſos: docent enim evidenter, quantùm Scripturæ indigeant explicatione ob ipſas apparentes contradictiones.

Objic. 3. Theologia ſcholaſtica, qualis uſurpatur apud nos, potiùs nocet doctrinæ, ac merito fidei, ergo ableganda eſt, ut inutilis, imò & ut pernicioſa. Prob. ant. 1. relictis principiis fidei, Scriptura, & revelatione, Theologi omnia decidunt ex rationis, & argumentorum lumine, & ſic Philoſophiam, & Scientiam ſapit, non fidem, quæ [3] *non habet meritum, ſi humana ratio præbeat experimentum*, inquit S. Greg. 2. ferè tota verſatur in contentionibus, & quæſtionibus vanis, & Philoſophicis, circa quas rixantur, & dividuntur in varias partes; ita ut inter Theologos noſtros nihil ſit fixum, & certum; & ideo illos cavendos monet Apoſtolus. [4] *Videte, ne quis vos decipiat per Philoſophiam, & inanem fallaciam*. 3. quia ex Philoſophis potiùs, quàm ex Scriptura, & Patribus eli-

[1] *Hebr.* 1. [2] 1. *Joa.* 2.
[3] *Hom. 26. in Ev.* [4] *Coloſ.* 2.

elicit ſua argumenta; Philoſophia verò eſt inimica fidei; ergo Theologia Scholaſtica potiùs nocet, quàm ſervit Religioni.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus, quæ ſunt potius calumniȩ; nam germana Theologia ſcholaſtica primò, & principaliter fundat ſuas aſſertiones in verbis Dei ſcriptis, aut traditis, & decretis Eccleſiæ in Conciliis, in ſententiis Sanctorum Patrum; & ſi in auxilium aliquando advocet Philoſophiam, & Scientias humanas, & rationis lumina; ſequitur in hoc ductum ipſiuſmet Scripturæ, & Apoſtolorum; qui & Philoſophorum, & Poetarum ſententias aliquando uſurpant, ut ſc. Gentiles per ipſoſmet convincant, & per rationis naturalis lumen; at ſemper, ut diximus, præcipuum motivum aſſenſus eſt revelatio, & principium fidei. 2. Theologi ubique conveniunt in veritatibus fidei; in aliis verò, in quibus diſſentiunt, nihil eſt, quod ad fidei ſubſtantiam faciat. Et qui nugas, & rixas inutiles, ac vanas inferunt, in hoc corrigendi. 3. & denique veritates Theologicæ nituntur principiis fidei; & nullo modo Philoſophorum placitis, quamvis aliquando allegentur ad confutandos protervos & Infideles per ſe ipſos; ratiocinationibus verò, ad detegenda Sophiſmata Hæreticorum. Certè *Apoſt. Paulus Dialecticus erat*, inquit Aug. [1] *& ideò conferre cum Stoicis non timebat, quia non ſolùm acutè ſicut illi, ſed etiam veraciter, quod non illi. Cave, ne cuiquam Dialecticam pro crimine objeceris, qua uſos Apoſtolos confiteris... ſi autem Chriſtum dixeris Dialecticum, laudabis Dialecticam, quam pro crimine objeceras.*

Certè ipſimet Hæretici ex Philoſophis multa deſumunt, ut catholicas veritates impugnent: v.g. Euchariſtiæ, ex impoſſibilitate poſitionis ejuſdem rei in diverſis locis; ſic Arriani contra myſterium Trinitatis; unde SS. PP. ut Baſilius, Dialecticam dixerunt *eſſe muri inſtar ſacris dogmatibus, quod ea non ſinit facilè diripi, & quorumlibet incurſioni patere.*

Hinc colligis rationem, cur in Scholaſticam Theologiam tam acriter invehantur hoſtes veritatis Hæretici; quia per illam diſſipantur tenebræ, quas in Religionem nituntur afferre; & ideò illorum exprobra-

[1] 2. *Cor.*

brationes, & vitia potiùs illam commendant; ſicut noctuæ odium lucis hanc non inhonorat. Inde [1] vocaverit Lutherus, *Ignorantiam veritatis, & inanem fallaciam*, & Scholas noſtras, *Antichriſti Lupanaria*; Vvicleffus, *caſtra Caïnina*, Melancton, *Theologiam Prophanam*; alii *Errorum, & abominationum ſentinam, & lernam*, Calvinus *Theologos Scholaſticos velut obducto velo Chriſtum texiſſe, & plurima mala illis accepta referri debere*, &c. Quibus reſponderet Tertullianus: [2] *Talibus dedicatoribus damnationis Theologiæ etiam glorìemur, qui enim ſcit illos intelligere poteſt nonniſi aliquod bonum grande ab Hæreticis damnatum, probatio enim veritatis noſtræ accuſatio ipſorum, atque calumnia. Tenebræ ipſorum veram Theologiæ lucem non comprehendunt, nec obſcurant*. De hujuſmodi viris dixit etiam S. Judas. [3] *Quod quæcumque ignorant, blaſphemant, quæcumque autem naturaliter tanquam muta animalia norunt, in his corrumpuntur.*

Igitur aliqua ſcientia divinitùs inſpirata eſt hominibus abſolutè neceſſaria ad ſalutem conſequendam, & quidem ſingulis hominibus adultis; Scholaſtica verò, & poſitiva eſt utiliſſima, & moraliter neceſſaria corpori Eccleſiæ, ad fidem explicandam, nutriendam, & defendendam.

Porro ab initio utebantur SS. PP. poſitiva, quia illis temporibus, quibus fides Chriſtiana nondum plenè adoleverat, aptior erat, Oratorio, ſymbolico, & familiari ſtylo inſinuare veritates, nec circa illam decebat formare varias quæſtiones, quæ fidelium animos turbaſſent potiùs, quàm juvaſſent; ſed poſtea quàm robuſtior effecta eſt, congruum fuit totam illam doctrinam in unum corpus, & per ordinem redigere; eamque fortiori ſtylo Ariſtotelis, ſc. philoſophandi modo tradere.

QUÆSTIO VI.

De ſupernaturalitate Theologiæ.

NOn ſufficit ſcire, quòd aliqua doctrina ſupernaturalis requiratur in homine ad ſalutem, niſi

[1] *Juſt. c. 2.* [2] *Apol. & c. 5.* [3] *Epiſt. catho. n. 1.*

ſciamus, an, & quæ, & quo ſenſu habitus Theologicus dicatur ſupernaturalis. Pro quo

Notandum ex Scoto, [1] & ex dictis in Phyſica, quòd potentia paſſiva, ſeu receptiva poteſt comparari vel ad formam, quam recipit, vel ad agens, à quo eam recipit. Sub 1. reſpectu dicitur *Naturalis*, ſi inclinatur ad formam illam, ut Lapis ad deſcenſum; vel *Violenta*; ſi averſatur formam, ut Lapis ad aſcenſum; vel *Neutra*, ſi ſit indifferens ad illam; id eſt ſi nec poſitivè appetat formam, nec poſitivè averſetur, ut Lapis ad albedinem, vel nigredinem. Sub 2. reſpectu dicitur potentia *Naturalis*, ſi agens ſit naturaliter inductivum formæ in illud ſubjectum, quod dicitur potentia, vel *Supernaturalis*, ſi agens non ſit inductivum illius formæ niſi ſupra totum naturæ debitum, & ordinem; id eſt, ſi in toto agentium naturalium ordine, vel modo agendi nullum ſit, quod poſſit eam inducere. Sic calor eſt naturalis in aqua propè ignem; & frigus eſt ſupernaturale in igne; quia nullum agens creatum, & naturale poteſt inducere frigus in ignem. Rurſus *Naturale* dicitur 1. in agente ex determinatione naturæ ad unum, & pro ut opponitur libero, aut *Voluntario*. Sic ignis eſt agens naturale caloris. 2. in agente per reſpectum ad ſubjectum, in quod agit, ſeu ad paſſum; & ſic dicitur *Naturale*, ſi agat ſecundum ordinem ſtatutum univerſi; *Supernaturale*, ſi agat ſupra talem ordinem, & ſic Deus ſolus eſt propriè agens *Supernaturale*; Omnis autem creatura erit ſemper agens naturale.

Hinc forma aliqua dicitur *Naturalis*, quando eſt ſecundum appetitum, & inclinationem poſitivam ſubjecti, ut frigus in aqua, vel *Violenta*, ſi ſit contra illam inclinationem, ut calor in eadem aqua; Dicitur *Neutra* ſi ſit indifferens ſubjecto, ut albedo lapidi. Dicitur *Supernaturalis vel ſecundum ſubſtantiam*, ſi ex ſua natura, & de ſe non contineatur in virtute activa ullius agentis creati in tali ſubjecto, ut ſunt habitus gratiæ, fidei, ſpei, & charitatis, & lumen gloriæ, vel *quoad modum*, ſi ex ſe quidem poſſit produci ab aliquo agente, & in illo ſubjecto; ſed non in talibus circumſtantiis, & modis; ut curatio febris ſubitanea, & ſolo verbo, & juſſu, nam per re-

media

[1] *Diſp*. 8. *q*. 3.

media, & artem medicinæ poteſt fieri, ſed non in talibus circumſtantiis, & mediis; idem eſſet de ſcientia Philoſophiæ, ſi alicui daretur ſubitò, & abſque ullo ſtudio, vel labore. His præſuppoſitis, quærimus hìc, an *Theologia ſcholaſtica*, de qua hìc agimus, ſit *ſupernaturalis*, an *naturalis*, & quidem naturalitate oppoſita *Supernaturalitati* quoad *modum*, ſeu *per accidens*, an *in ſubſtantia*, ſeu *per ſe*, nam certum eſt, eam non eſſe violentam reſpectu potentiæ paſſivæ intellectus humani, quia certum eſt illum eſſe inclinatum, & perfectibilem per quamcumque notitiam.

Concl. *Theologia noſtra eſt habitus verè ſupernaturalis, ſaltem mediatè, & radicaliter*.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui poſtquam docuit ſupernaturalitatem in formis peti ab agente, non à potentia paſſiva ſubjecti, arguit Theologiam noſtram eſſe ſupernaturalem abſolutè, dicens, quòd *poſita tota actione intellectus agentis, & phantaſmatum, multæ complexiones remanebunt ignotæ.... iſtarum igitur notitiam eſt neceſſe nobis ſupernaturaliter tradi, quia nullus earum notitiam poteſt naturaliter invenire, & eam aliis docendo tradere, quia ſicut uni, ita cuilibet ex naturalibus erunt neutræ*. Vides ex Scoto [2] veritates complexas de rebus divinis, ſine prævia revelatione ſupernaturali, remanſuras incognitas; & docet concluſiones Theologicas deductas ex principiis partim ex fide, partim ex ſcientiis Metaphyſicalibus, & aliis, immiſcendo Philoſophiam Scripturæ ſacræ, non eſſe naturales: nam.... *cùm præmiſſa ſumpta ex Scriptura non ſit evidens ex terminis, ſed credita; igitur nec concluſio erit demonſtrata, generans ſcientiam, quamvis poſſit generare alium habitum ex fide*. Sed non generabit illum viribus puræ naturæ, quia concluſio, per quam generatur, erit ſupernaturalis, ſc. ex fide ſupernaturali. Denique docet [3] nos aſſentiri illis concluſionibus: *Non propter evidentiam crediti, ſed propter veritatem revelantis, cui aſſentimur, & illa eſt eadem reſpectu primorum articulorum* (immediatè revelatorum) *& reſpectu aliorum explicatorum ex illis: quia idem eſt objectum*

[1] *Q. 1. prol. n. 22. M.* [2] *3. d. 24. E.*
[3] *Ibid. d. 35. fin.*

ſub eadem ratione formali, ergo illi actus concluſionum ſunt ſupernaturales in ſubſtantia; ergo & habitus Theologiæ per illos acquiſitus.

Prob.2. ille habitus eſt ſupernaturalis in ſubſtantia, qui non poteſt generari, niſi à principio ſupernaturali; ſed habitus Theologiæ noſtræ non poteſt generari, niſi à principio ſupernaturali; ergo eſt ſupernaturalis in ſubſtantia. Prob. min. ex Scoto mox cit. nam generari non poteſt ſine habitu fidei, & revelatione divina, cui innititur aſſenſus tàm concluſionum, quàm præmiſſarum; nam aſſenſus illi ſunt ſupernaturales, cùm ſint ex fide, & propter revelationem divinam; & illi aſſenſus generant habitum iſtum, ſicut actus charitatis eliciti ex habitu charitatis ſupernaturalis ſunt in ſubſtantia ſupernaturales, & generant habitum etiam ſupernaturalem.

Dixi *Saltem mediatè, & radicaliter*; Nec enim prætendimus, quòd omnes actus, & concluſiones, quibus generatur habitus ille, ſint in ſubſtantia, & immediatè ab habitu, vel lumine ſupernaturali fidei, vel ab objectis proximè revelatis, vel ab agente ſupernaturali; ſed ſolùm quòd fundantur, & radicantur in principiis revelatis, & ope luminis fidei, aut gratiæ cognitis, & creditis. Nec negamus etiam, quòd intellectus noſter ad ejus acquiſitionem concurrat per facultatem ſibi propriam, & naturalem, ſicut & ad actus; ſed hoc non debet impedire ſupernaturalitatem, ut prætendit Lamazeres: [1] nec etiam diſputamus, an propterea dicendus ſit habitus ſupernaturalis in ſubſtantia, vel quoad modum; hoc enim eſt longioris diſcuſſionis, & pertinet ad Tract. de Habitibus ſupernaturalibus.

Sic conciliantur, ni fallor, opiniones, quæ videntur contrariæ circa naturalitatem, & ſupernaturalitatem hujus doctrinæ; nam qui dicunt eam eſſe naturalem, loquuntur de cauſabilitate ejus immediata, & proxima; nam cauſatur à creatura per actus noſtros ratiocinandi, & ſpeculandi; & ex illorum frequentatione generatur habitus iſte inclinans, & facilitans ad ſimiles actus. Actus illi, inquam, ſunt cauſæ naturales habitus iſtius, ſicut & in omnibus aliis ſcientiis, & artibus. Qui verò cenſent hunc habitum

[1] *Q.2. n.34.*

bitum eſſe ſupernaturalem, ut Vulpes noſter; hoc dicunt, quia prima cognitio principiorum, ſuper quibus fundantur diſcurſus, & concluſiones Theologicæ, venit ex objectis ſupernaturalibus, qualia ſunt myſteria fidei, & per revelationem divinam, & ſupernaturalem, & ordinariè ex habitu fidei, & auxilio gratiæ; nec puto in hoc poſſe eſſe difficultatem, niſi de nomine; & hinc ſolvuntur objectiones.

Objic. 1. cum P. Fraſſen. [1] Ille habitus non eſt ſupernaturalis intrinſecè, qui noſtris actibus, & ſtudiis comparatur; ſed habitus Theologiæ noſtræ ſic comparatur; ergo, &c. Maj. patet. Quod enim actibus noſtris comparatur, non excedit vires noſtras. Prob. min. experientia, qua conſtat, nos per tales actus ſpeculandi, & diſcurrendi acquirere hunc habitum, quod non faciunt otioſi, & minimè ſtudentes.

Reſp. diſt. maj. non eſt ſupernaturalis purè, & proximè, conc. maj. radicaliter, & ſaltem remotè, ſi ad ejus acquiſitionem concurrat aliquod principium, & agens ſupernaturale, neg. maj. & diſt. ſimiliter prob. quod actibus noſtris, cum concurſu objectorum, vel principiorum, & agentium purè naturalium, conc. cum concurſu objectorum, vel principiorum ſupernaturalium, neg. Nam alioqui actus fidei, ſpei, & charitatis perfectiſſimi, imò & viſionis Beatæ dicerentur naturales, quia, ex Scoto, ut videbimus, intellectus, & voluntas illos producunt per vires ſuas naturales, ſed elevatas, & adjutas auxiliis ſupernaturalibus divinis, aut lumine fidei, aut gloriæ, aut habitu charitatis.

Objic. 2. ipſimet actus Theologici, quibus generatur habitus, ſunt naturales; ergo & ipſe habitus. Pat. conſ. nam effectus non eſt altioris ordinis, quàm ſua cauſa, ſaltem univoca, quales ſunt actus reſpectu habituum, quos cauſant; hi enim inclinant ad ſimiles actus. Prob. ant. illi actus ſunt concluſiones elicitæ ex præmiſſis per vim diſcurſivam, & conſequentiam legitimam; ſed utraque eſt purè naturalis; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. & maj. prob. ſunt naturales formaliter, & quoad artem dialecticam, & connexionem, quam habent cùm ſuis principiis, conc. ſunt naturales radicaliter, & abſque dependentia ab objectis, & lumine ſupernaturali, neg. ant. & maj. prob. Connexio con-

[1] *Diſp. 1. a. 2. n. 4*

cluſionum Theologiæ noſtræ cum ſuis principiis eſt quidem naturalis; ſed ſicut illa principia non ſunt cognita naturaliter, ſaltem ex toto, ſed per revelationem divinam, & objecta ipſa ſunt ſupernaturalia, & tam illa prima cognitio, quàm objecta ſupernaturalia concurrunt moraliter, aut phyſicè, & mediatè, ac fundamentaliter, ideo illæ non ſunt purè naturales.

Inſt. ut actus circa objectum ſupernaturale ſit ſupernaturalis, debet illud reſpicere, ut ſupernaturale; ſed concluſiones omnes Theologiæ noſtræ non ſic reſpiciunt objecta ſua, licèt hæc ſint in ſe ſupernaturalia, ergo illi actus ſunt purè naturales. Prob. min. reſpicimus illa objecta ut certa, non autem ut ſupernaturalia, nam licèt eſſent naturalia, modo eſſent certa, non minùs certò concluderemus.

Reſp. neg. maj. nam ad ſupernaturalitatem actus fidei; v. g. aut viſionis beatificæ minimè requiritur cognitio ſupernaturalitatis, ſed ſufficit, ex Scoto, & ex ratione, ut illi actus ſuperent vires noſtras naturales, & non poſſint elici, niſi agente Deo ſupernaturaliter. Ita eſt de actibus Theologicis noſtris, ad ſupernaturalitatem ſufficit, quòd eos non poſſimus habere, niſi aliquo principio ſupernaturali concurrente.

Objic. 3. ex fide, ſpe, & charitate ſupernaturali poſſunt generari habitus acquiſiti, & naturales circa eadem objecta; ſed hoc eſſet falſum, ſi propter præſuppoſitionem revelationis ſupernaturalis, aut propter ſupernaturalitatem objectorum, actus, & habitus eſſent ſupernaturales; ergo ſupernaturalitas revelationis principiorum, & objectorum Theologię non impedit naturalitatem ejus. Prob. maj. ex dicendis ſuo loco, & de mente Scotiſtarum omnium. Theologus Catholicus cadens in hæreſim circa unum articulum fidei, amittit habitum fidei ſupernaturalis, & tamen eodem modo, & facilitate diſcurrit circa alia objecta, & alios articulos fidei, ſed id non facit ex habitu ſupernaturali, quem amiſit; ergo ex habitu naturali acquiſito; ergo ex habitu fidei ſupernaturalis, & per actus ejus frequentatos poteſt acquiri habitus naturalis; ita eſt de ſpe, & charitate ob eamdem rationem.

Reſp.

Reſp. neg. min. nam in caſibus allatis perſeverat quidem habitus acquiſitus; ſed ceſſat influxus habitus fidei ſupernaturalis, & aliorum auxiliorum ſupernaturalium, qui concurrunt in Theologo Catholico ad actus ejus Theologicos; & ideo actus iſtius habent aliquid ſupernaturalitatis, quod deeſt in Hæretico.

Conſtat igitur, Theologiam noſtram eſſe ſupernaturalem in ſuo principio, & radice, quatenùs naſcitur ex objectis, & principiis revelatis à Deo ſupernaturaliter. Et ideo hæc revelatio eſt ſupernaturalis; *quia*, inquit Doctor 1. [1] *eſt ab agente, quod non eſt naturaliter motivum intellectus noſtri pro ſtatu iſto viæ*, in quo pendemus à phantaſmatibus, & hæc à ſenſibus, ſine quibus nihil eſt in intellectu. 2. *Quia eſt ab agente ſupplente vices objecti ſupernaturalis: nam objectum naturaliter cauſat notitiam hujus veritatis; Deus eſt trinus, & unus, & ſimilium; eſt eſſentia ſub propria ratione Deitatis cognita. Ipſa autem ſub tali ratione cognoſcibilis eſt objectum ſupernaturale.* Id enim facit Deus, non per eſſentiæ oſtenſionem, ſed per voluntatem ſuam, qua id revelat nobis: Et hæc revelatio ex parte Dei ſemper influit in omnes notitias, & concluſiones, quas ex illis primis veritatibus immediatè revelatis elicimus, ſicut & ipſæ primæ veritates, in quibus virtualiter, aut eminenter continentur iſtæ poſteriores; & idem habitus fidei, per quem aſſentimur illis primis, in Catholicis ſemper, & per ſe influit, ſuo modo, ſaltem moraliter, in aſſenſum concluſionum iſtarum; licèt etiam in eum influat conſequentia naturalis, & vis diſcurſiva.

Non diffiteor, quin ſuppoſita prima revelatione myſteriorum, & veritatum ſupernaturalium fidei, poſſit homo illis per actum purè naturalem aſſentiri; ut puer Judæus, vel Ethnicus ante Baptiſmum à Catholico inſtructus poſſet aſſentiri omnibus articulis fidei vel ex fide humana, vel ex motivis aliis credibilitatis, ut docet Scotus, [2] Sed id non eſt verum, ut diximus, de Theologia fidelium Catholicorum, in quorum aſſenſum ſemper influit fides infuſa, & prima revelatio; ſed de hoc fuſiùs, ubi de habitibus infuſis.

QUÆ-

[1] *Q.* 1. *prol.* 11. [2] 3. *d.* 23. *C.* & *quodl.* 14. *F.*

QUÆSTIO VII.

De locis theologicis.

DIximus in Logica, *Locos* eſſe ſedes argumentorum, ſcilicet ex quibus deſumuntur media, & argumenta ad diſcurrendum circa materias, & *Locum* diviſimus in *Intrinſecum*, quando argumenta petuntur ab his, quæ pertinent ad eſſentiam rei; & *Extrinſecum*, quando argumenta ſumuntur ab his, quæ ſunt extra eſſentiam rei, ſeu terminorum in quæſtione poſitorum. Loci ergo theologici ſunt veluti ſedes, in quibus continentur media, quibus utitur Theologus ad argumentandum, & ad probandas ſuas concluſiones. Suppono autem ex dictis huc uſque, Theologiam noſtram eſſe diſcurſivam, ſeu argumentativam, & ex principiis notis deducere concluſiones, quæ in eis deliteſcunt. Imò & id de fide noſtra divina afferunt communiter Theologi. Quod probant ex ipſamet Scriptura Sacra, in qua ſæpiùs occurrunt argumentationes, & illationes; & propoſitiones aliquæ fidei probantur per alias; ut cùm Judæi improbarent laudes, & benedictiones puerorum in Chriſtum, arguit eorum iniquitatem ex Pſalmis: *Utique nunquam legiſtis, quia ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem.* Et cùm iidem Judæi dicerent, Meſſiam eſſe purum hominem, & purè filium David, arguit eos ex eodem Pſalmo. [1] *Quomodo ergo David vocat eum Dominum dicens, dixit Dominus Domino meo; Sede à Dextris meis?* Sic D. Paulus [2] ex reſurrectione Chriſti præterita colligit noſtram futuram, & ſic de aliis multis. Sunt ergo loci theologici præcipuæ quædam propoſitiones, & *Maximæ* (ut cum Dialecticis loquar) ex quibus eruuntur præmiſſæ argumentorum theologicorum, quæ, ut ſæpè diximus, conſtant vel utraque, vel altera præmiſſa de fide. Unde loci Theologiæ generales duo ſunt, nempe *Anthoritas divina*, ex qua propoſitiones, ſeu præmiſſæ à Deo revelatæ ſumuntur; & *ratio naturalis*, ex qua ſumuntur propoſitiones, ſeu præmiſsæ naturaliter evidentes. *Authoritas divi-*

[1] *Math.* 12. [2] 1. *Cor. c.* 15.

divina potiſſimum locum obtinet in argumentis verè theologicis; *Ratio verò naturalis* licèt non contemnatur; tamen minoris longè ponderis eſt; præmiſſæ enim ex ea ſumptæ miniſterialiter potiùs, quàm magiſtraliter uſui pantur, & velut loca extranea, quàm principaliter; nec tanquam principia propria huic doctrinæ; tamen aliter ſolent dividi, & aſſignari, ideo ſit

Concl. 1. *Loci theologici ſufficienter enumerantur hi ſeptem* 1. *verbum Dei Scriptum*, *ſeu Scriptura Sacra*. 2. *verbum Dei non ſcriptum*, *ſeu traditiones Apoſtolicæ*. 3. *decreta SS. Pontificum*. 4. *definitiones conciliorum œcumenicorum*. 5. *ſententiæ SS. PP.* 6. *ſenſus communis Eccleſiæ*, *ſeu Fidelium*. 7. *veritas certa*, *& evidens naturalis*. In hoc conveniunt omnes.

1. Prob. quia ex his omnibus locis, & principiis ſumuntur præmiſſæ argumentorum Theologiæ, & nullus alius aſſignabilis eſt, qui non reducatur facilè ad unum ex enumeratis; ergo diviſio, & enumeratio eſt ſufficiens. Ant. patebit explicatione ſingulorum. Fateor quidem ab aliis pauciores, ab aliis plures enumeratos; quidam enim addunt *authoritatem Doctorum Eccleſiæ*, *& Philoſophorum*; & alii addunt, *Doctorum ſcholaſticorum*, alii *narrationes hiſtoricas*, & *juriſperitorum placita*; Sed hæ omnes authoritates, vel non faciunt verè argumenta theologica, ſed probabilia, & opinativa; vel reducuntur ad aliquem ex aſſignatis.

Porro 1. ponitur *Sacra Scriptura*, quæ eſt verbum Dei ſcriptum, & continetur libris canonicis veteris, & novi Teſtamenti; præcipuumque locum tenet, quia firmiſſima, & plurima ſuppeditat tam pro materiarum, quàm ſenſuum diverſitate Theologizandi principia.

2. Ponuntur *traditiones Apoſtolicæ*; quæ ſunt verbum Dei non ſcriptum ab aliquo Scriptore canonico, & à Deo conſtituto, ac inſpirato ſpecialiter ad hoc; ſed eſt doctrina revelata, ſeu tradita à Deo, vel Chriſto verbis, aut factis, & hoc Prophetis, vel Apoſtolis, & ab his in Eccleſiam, & ab Eccleſia in poſteros ſucceſſivè tranſmiſſa; ut Virginitas Mariæ Deiparæ, exiſtentia ipſius Scripturæ Sacræ, & Libro-

Librorum Canonicorum, in quibus continetur, &c. Et hæc doctrina eſt ejuſdem authoritatis, ſicut & authoris ſcilicet Dei cum Scriptura ipſa; eſt enim æquè verbum Dei, licèt non ſcriptum, niſi in mente, & memoria Fidelium. Has recipit, & veneratur Eccleſia Catholica, rejiciunt autem Hæretici prætendentes, quòd Scriptura ſufficienter continebat omnia credenda, & facienda. De hoc videndi controverſiſtæ.

3. Ponuntur *Decreta ſummorum Pontificum*; Qualia ſunt dogmata, quæ ut ſupremus, & univerſalis Eccleſiæ Doctor, ex ſpecialiſſima Spiritus S. aſſiſtentia, ut credenda ab omnibus Chriſti fidelibus, *ex Cathedra*, ſeu ex ſuprema authoritate docendi, aut judicandi, proponit, atque decernit ſummus Pontifex. Hæc firmam, & irrefragabilem habent vim in rebus fidei decidendis, obliganturque Fideles omnes iis ſtare, & obedire. De hoc loco videbimus in Tr. de Fide.

4. *Definitiones Conciliorum œcumenicorum, ſeu generalium*, Congregatorum authoritate ſummi Pontificis, graves perſonas Eccleſiaſticas, & inprimis Epiſcopos, & alios Prælatos majores convocantis. Hujuſmodi Conciliorum, & definitionum authoritas pleniſſima, & ſumma eſt, ſi adſit ejuſdem ſummi Pontificis confirmatio, & hoc propter infallibilem Spiritus Sancti, in quo congregantur, aſſiſtentiam Eccleſiæ Chriſti promiſſam.

5. *Sententiæ SS. Patrum*; illæ ſcilicet, in quibus SS. Patres, & Doctores Eccleſiæ unanimiter conveniunt; hos quippe Deus providit Eccleſiæ ſuæ[1]*Paſtores, & Doctores, ut non circumferamur omni vento doctrinæ: &, ut ſal terræ*, poſuit, & dixit, ut condiant mentes, & corda populorum; ne vermes, & putredinem falſorum dogmatum ex prava Scripturarum intelligentia, & Hæreticorum conſuetudine, ac veneno contrahant. Hic locus eſt valde firmus; quippe, ut legimus in Concil. Lateranenſi 1. *Dogmata, & Sermones SS. PP. uno corde, & ore unanimiter confirmamus, nihil addentes, nihil ſubtrahentes ex his, quæ ab ipſis tradita ſunt nobis, ſicque credimus, ſicut Patres tradiderunt, ita prædicamus, ſicut docuerunt*. Certè quando unanimiter conſentiunt in ali-

[1] *Epheſ.* 4.

aliquem Scripturæ ſenſum circa fidei dogmata, & mores, non licet aliter ſentire; ut patet ex Decretis Conciliorum Conſtantinopolitani in Trullo c. 19. & Lateran. III. decreto 1. Leonis, & Trid. ſeſſ. 4. ubi de editione, & uſu SS. Librorum ſtatuit, ut *nemo ſuæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad ſuos ſenſus contorquens, contra unanimem conſenſum Patrum interpretari audeat, &c.*

His ſuccedunt *Theologi Scholaſtici*, de quibus ſic ſcribit D. Greg. [1] *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filii; conſtitues eos Principes ſuper omnem terram. In virtute quippe antiquorum Patrum, ſi qui poſtmodum Prælati ſunt, ſubrogantur, quia & cum annoſa arbuſta ſuccidunt, in eorum labore tenera virgulta ſuccreſcunt.* Unde quando Theologi Scholaſtici concordant in aliquo dogmate, quod ſuſtinent eſſe de fide; non ſolum temerarium, ſed etiam errori, vel hæreſi proximum eſſet, ab eis diſſentire. In aliis verò auctoritas eorum præcisè non excedit gradum opinionis, nec facit locum verè theologicum. Idem ſentiendum arbitror de Doctoribus Canoniſtis ob eaſdem rationes.

6. Ponitur *Eccleſiæ totius, ſeu fidelium omnium conſenſus unanimis*; & hic locus eſt ſine dubio magni ponderis; nam Deus non permitteret errorem adeò univerſalem in tota Eccleſia, & univerſo populo. Ideo propoſitiones univerſim receptæ poſſunt credi conformes fidei, ac Religioni; & ſi poſſet talis error cadere in populum univerſum, cenſeretur etiam in totam Eccleſiam, quæ ex tali populo conſtat; aut quæ illum in populo, & filiis tolerare cenſeretur. Ego verò crediderim, hunc locum videri confuſum cum 3. nam tota Eccleſia non minùs repræſentatur in Conciliis generalibus, quàm in univerſo populo; nec in iſto magis, quàm in Concilio videtur errare poſſe; ergo quod ab univerſis Chriſti Fidelibus tenetur ut certum in rebus fidei, aut morum, poteſt aſſumi ut certum ad probandam concluſionem theologicam.

7. Denique ponitur *rationis, aut ſcientiæ naturalis authoritas*; Id eſt veritas evidens, & per ſe nota, aut demonſtrata, aut ſaltem corroborata omnium Philoſo-

[1] 36. mor. c. 7.

loſophorum, & peritorum conſenſu generante moralem evidentiam, & certitudinem, quæ ideo unita præmiſſæ certæ ex fide cauſare poterit conclusionem theologicam, & paris certitudinis. Fateor tamen, quòd hic locus præ cæteris eſt maximè extrinſecus; & extra ordinem theologicum. Nam aliæ omnes authoritates important directè, vel indirectè divinam revelationem, qua fulciuntur, ut patet non ſolùm de decretis Papæ ex cathedra loquentis; & Conciliis univerſis legitimè congregatis in Spiritu S. & confirmatis; ſed etiam de doctrina SS. PP. & Theologorum, ſeu Doctorum, & totius cœtus Fidelium; qui ut tales non loquuntur niſi de rebus fidei, & principiis ejus; & objecto formali motivo, qualis eſt revelatio divina. Rationis verò naturalis auctoritas, licèt adhibeatur, ut connexionem habens cum objectis, & rebus revelatis; tamen non ita ſapit Theologiam, eò vel maximè, quia ſcientiarum naturalium axiomata ut plurimum non excedunt probabilitatem.

Id à fortiori verum eſt de *Hiſtoriis*, quæ fidem humanam ſapiunt: & de *auctoritatibus*, & *placitis Philoſophorum*, qui longè minùs attigerunt veritates ſupernaturales.

QUÆSTIO VIII.

De Scriptura Sacra, & variis ejus ſenſibus.

Quia *Scriptura Sacra*, ſeu *verbum Dei ſcriptum* eſt primus, ac præcipuus theologicarum argumentationum locus, non abs re erit in hoc veſtibulo Theologiæ paulò diſtinctiorem ejus notitiam ſtudioſis dare, & de variis ejus ſenſibus aliquid prælibare, ut magis ſciant eos, in quibus fundare debeant ſuas concluſiones.

Sacræ autem Scripturæ nomine intelligimus volumen illud 72. librorum, in quibus continentur omnia credibilia, & agibilia, quæ Deus hominibus revelavit mediatè, vel immediatè; & dictum unum volumen dicitur *Biblia Sacra*: quaſi, *Liber*, per excellentiam, quâ præminet cæteris, & in toto illo volumine, ac Scriptura ſolent attendi 1. verba 2. ſen-

ſenſus verborum, & hic ſenſus primò dividitur in *Litteralem*, *ſeu hiſtoricum*; & *myſticum*, ſeu *ſpiritalem*. *Litteralis*, ſeu *hiſtoricus* ille eſt, quem ſecundum leges grammaticales verba præſeferunt, ac ſignificant ex intentione Dei loquentis.

Spiritalis verò, & *Myſticus* eſt ille, qui ſub rerum litteraliter, & hiſtoricè ſignificatarum cortice latet, & intenditur à Spiritu S. ut cùm legis, *ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & projice abs te*. *Litteraliter* intelligis de oculo capitis tui, & illius effoſſione reali, & effectiva; *Spiritualiter* verò per oculum intelligis objecta, & proximum, quæ te ad peccatum inducunt; & hæc præcipit Deus amovere ab oculis tuis, & à te. Litteralis ſubdividitur in *Hiſtoricum*, & *Parabolicum*. Primus explicat, & ſumit verba, & ſignificata verborum, prout re ipſa ſunt in ſe, aut facta; ut cùm legis, *In principio creavit Deus cęlum, &. terram*. 2. verò loquitur de rebus non prout ſunt in ſe, & factę, ſed ſimilitudinariè, & parabolicè, quatenùs alia poſſunt ita fieri, ſicut hæc facta ſupponuntur; & hæc ſic facta ſupponuntur ex intentione inſtruendi, & docendi, qualiter aliqua fieri debeant, ut cùm legis, *Simile eſt regnum cęlorum theſauro abſcondito in agro*. Id dicitur, ut diſcas omnia contemnere, & impendere, ut cœlum lucreris, &c.

Spiritalis, & *myſticus* ſubdividitur in *Allegoricum*, *Moralem*, & *Anagogicum*. 1. eſt, quo res, quæ narrantur geſtæ in veteri Teſtamento, ſignificant ea, quæ futura erant, & facta ſunt in novo. Ut comeſtio Agni Paſchalis ſignificat eſum carnis Chriſti in Euchariſtia. 2. qui dicitur etiam *Tropologicus*, eſt ille, ſecundum quem res, quæ narrantur geſtæ, indicant ea, quæ in moribus noſtris imitari, & facere debemus: ut cùm narratur clementia Chriſti in crucifigentes ſe, pro quibus orat, ut nos oremus pro inimicis. 3. denique eſt, cùm ea, quæ narrantur in alterutro Teſtamento facta, ſumuntur ad ſignificanda ea, quæ pertinent ad vitam futuram in æternitate. Exemplum horum habes in hac voce, *Jeruſalem*, quæ *litteraliter* ſignificat *Metropolim* Palęſtinæ; *Spiritualiter*, ſeu *Allegoricè* Eccleſiam Militantem; *Moraliter* animam, & *Anagogicè* Eccleſiam triumphantem.

Hos

Hos ſenſus explicat iſtud vulgare carmen.

Littera geſta docet, quid credas Allegoria;
Moralis quid agas, quò tendas Anagogia.

His addunt ſenſum accommodatitium, quo ſignificatum proprium alicujus vocis, aut ſententię applicamus alteri rei, vel perſonæ. Ut dicta de Noe, de Joſeph, de Moyſe, de Aaron applicamus SS. Epiſcopis, aut Sacerdotibus, ut ſolent Concionatores. De hoc ſenſu conveniunt ferè omnes, eum non facere propriè locum verè theologicum, ſaltem diſtinctum ab aliis; nam quicumque ſenſus tribuitur Scripturæ, & Verbo Dei alius, quàm quem intendit loquens, non pertinet ad fidem, nec per conſequens ad hunc locum Theologiæ. His ſuppoſitis, ſit

Concl. 1. *Sacra Scriptura eſt doctrina de Deo, rebuſque divinis, à Deo ſpecialiter revelata, & in communem Eccleſiæ utilitatem conſcripta, pro ut continetur in libris canonicis Bibliæ, quæ dicitur vulgata.*

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, *quòd cognitio viatori neceſſaria eſt ſufficienter tradita in ſacra Scriptura*, & quòd hæc à Deo fuit revelata, eſtque propterea ſatis evidenter credibilis; quod probat multis argumentis tota q. 2. prol. & alibi dicit cum Auguſt. [2] quòd *Scriptura S. ſcilicet Biblia, non eſt tradita per modum ſcientiæ demonſtrativæ; ſed divinis eloquiis privilegiata... unde verba ſua commendata ſunt Propheticis ſermonibus, hoc eſt divinis vocibus; non argumentationum concitationibus intellecta; ut non hominis ingenium, ſed Dei eloquium contemnere formidaret, qui illa cognoſceret, quæ in Scriptura S. ſunt tradita*; ergo ex Scoto, [3] Scriptura S. eſt divinitùs revelata, & Scripta in *Canone* (ſic vocat volumen librorum Canonicorum) & dum illud vocat *Bibliam*, ſatis judicat illam eſſe in illo volumine contentam.

Prob. 2. ex communi totius Eccleſiæ ſenſu, quæ per Scripturam nihil aliud intelligit, quàm hujuſmodi doctrinam; nec poteſt meliùs explicari: ſic enim habentur omnes ejus cauſæ, & eſſentia ejus ex illis inno-

[1] *Q. 2. prol.* [2] 18. *de civit. c. 4.*
[3] *Rep. 3. d. 24. n. 17.*

innoteſcit. Nam dicitur 1. *Doctrina*; quia Deum habet auctorem docentem. *Quippe homo ad viſionem pertingere non poteſt, niſi per modum addiſcentis à Deo Doctore*, inquit S. Thomas; [1] & ideo requirit, ut credat Deo tanquam diſcipulus Magiſtro docenti. 2. dicitur *de Deo, rebuſque divinis*. In quo habetur cauſa materialis; nempè omnia, quæ ibi docentur, ſunt de Deo, vel de rebus, & veritatibus, quæ ad Deum pertinent, aut dirigunt; & in hoc excellit hæc doctrina ſuper humanas omnes. 3. *à Deo ſpecialiter revelata*; & ecce cauſam efficientem principalem; nam Scriptores ſunt cauſæ miniſteriales, & quaſi inſtrumentales; & per hoc ſignificatur, Deum non ſolùm per aſſiſtentiam aliqualem, ut præſtat in Conciliorum, ac Pontificum deciſionibus, ſed per dictamen ſententiarum, imò & verborum ipſis Scriptoribus Canonicis, quod non facit in illis aliis occaſionibus, ubi aſſiſtit quidem Conciliis, & Pontificibus, ut ſecundum veritatem definiant, & decernant; ſed non ſuggerit ipſas propoſitiones, & verba, ſaltem eſſentialia, ſeu neceſſaria ad veritatis expreſſionem. 4. *ad Eccleſiæ utilitatem*. Ecce cauſam finalem; & per hoc vides, ſacram Scripturam conducere ad ſalutem hominum, quos in cœleſtium rerum cognitionem ducit; ad pietatem excitat, & ad bonos mores informat, &c. 5. & denique dicitur, *conſcripta*: en cauſam formalem, qua diſtinguitur à traditionibus Apoſtolicis, & divinis, quæ ſunt quidem verba Dei, & doctrina per Spiritum S. in bonum Eccleſiæ revelata, ſed non Scripta, ſaltem directè, & per Scriptorem Canonicum, ut ſcripti ſunt omnes Libri biblici.

Prob. etiam concl. quoad 2. p. tum ex communi ſenſu Theologorum Catholicorum: tum ex Concilio Trid.[2] quo *Biblia*, quæ dicuntur *Vulgata*, commendantur, & libri, qui in illis ſunt, ut Canonici, & ut credendi enumerantur his verbis. *Sacroſancta Synodus hoc ſibi perpetuò ante oculos proponens, ut ſublatis erroribus puritas ipſa Euangelii in Eccleſia conſervetur .... perſpicienſque hanc veritatem, & diſciplinam contineri in Libris ſcriptis, & ſine ſcripto traditionibus, quæ ab ipſius Chriſti ore ab* Apo-

[1] *Seſſ.4.* [2] *2.2.q.2.art.3.*

Apoſtolis accepta, aut ab ipſis Apoſtolis, Spiritu S. dictante, quaſi per manus traditæ ad nos uſque pervenerunt, Orthodoxorum Patrum exempla ſequuta omnes Libros tam veteris, quàm novi Teſtamenti, cum utriuſque unus Deus ſit auctor, ſuſcipit, ac veneratur.

Hi verò libri, quos ut Canonicos ſuſcipit S. Synodus, ſunt infraſcripti. *Teſtamenti veteris, quinque Moyſis, id eſt, Geneſis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Joſue, Judicum, Ruth, quatuor Regum; duo Paralipomenon; Primus, & ſecundus Eſdræ, qui dicitur Nehemias; Tobias, Judith, Eſther, Job, Pſalterium Davidicum* 150. *Pſalmorum; Parabolæ, Eccleſiaſtes, Canticum Canticorum, Sapientia, Eccleſiaſticus, Iſaias, Jeremias cum Baruch; Ezechiel, Daniel,* 12. *Prophetæ minores; id eſt Oſeas, Joel, Abdias, Amos, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabæorum,* 1. *&* 2. *Teſtamenti novi, quatuor Euangelia, ſecundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem; actus Apoſtolorum à S. Luca Euangeliſta conſcripti;* 14. *Epiſtolæ Pauli, ad Roman. duæ ad Corinth. ad Galatas, ad Epheſ. ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, duæ ad Theſſalonicenſes, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos. Petri Apoſtoli duæ, Joannis tres, Jacobi Apoſtoli una, Judæ Apoſtoli una, & Apocalypſis Joannis Apoſtoli. Et quantum ad Bibliam, in qua illi* 72. *libri continentur, addit Concilium: Siquis autem ipſos libros integros cum omnibus ſuis partibus, pro ut in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro ſacris, & Canonicis non ſuſceperit, & traditiones prædictas prudens, & ſciens contempſerit, anathema ſit.* Et infrà iterum eandem Bibliam Latinam, quæ vulgata dicitur, commendat. *Statuit, & declarat, ut hæc ipſa vetus, & vulgata Editio, quæ longo tot ſæculorum uſu in ipſa Eccleſia probata eſt, in publicis lectionibus, diſputationibus, concionibus, & expoſitionibus pro authentica habeatur & nemo illam quovis prætextu rejicere audeat, vel præſumat;* ergo S.Scriptura eſt locus theologicus

cus pro ut in Bibliis, quæ dicuntur Latina vulgata, continetur.

Concl. 2. *Scriptura S. eſt locus theologicus maximè ſecundum ſenſum litteralem intentum à Spiritu S. & ſecundum ſpiritualem ſimiliter intentum, & ab Eccleſia receptum.*

Prob. 1. Scriptura S. ſecundum illum ſenſum eſt regula infallibilis credendorum, & principium certiſſimum theologicarum veritatum, ſecundum quem à Deo eſt dictata; ſed eſt dictata ordinariè ſecundum ſenſum litteralem, & aliquando etiam ſecundum ſpiritualem, pro ut ab Eccleſia recipitur; ergo eſt locus theologicus, & regula credendorum maximè ſecundum ſenſum litteralem, & aliquando ſecundum ſpiritualem intentum à Deo, & ab Eccleſia receptum. Maj. negari non poteſt, *Non enim putandum eſt in mortuis Scripturarum Characteribus Euangelium eſſe, ſed in ſenſu*, inquit S. Joann. [1] ideo Chriſt. apparens diſcipulis, *Aperuit illis ſenſum Scripturarum*. Prob. min. 1. de ſenſu litterali, quia quando eſt per ſe clarus, nihil proiſus cogit alium latentem quærere, & maximè quando ita intelligitur, & recipitur in tota Eccleſia, quæ eſt Spiritus Domini depoſitaria.

Confirm. ex Scriptura ipſa dicente, quòd [2] *Eloquia Domini, eloquia caſta*. Quia, inquit Auguſt. *Sunt ſine corruptione ſimulationis*. Et Deus dicit. [3] *Juſti ſunt Sermones mei, non eſt in eis pravum quid, neque perverſum*; recti ſunt intelligentibus, &c. [4] *Et quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt*. [5] *Et Spiritu Sancto inſpirati loquuti ſunt Dei homines*; ergo quantùm fieri poteſt ſingula Scripturæ Sacræ verba attendenda ſunt, ut ſonant litteraliter, & qualia ad nos perveniunt. Et id adhuc patet clariùs ex Apocalypſi, [6] *Conteſtor omni audienti verba Prophetiæ hujus, ſi quis appoſuerit ſuper hæc, apponet Deus plagas Scriptas in libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ.*

Confir. 2. quia ſi quis detorqueat verba Scripturæ

[1] *In Ep. ad Gal.* [2] *Pſ.* 11. [3] *Prov.* 8.
[4] 2. *Tim.* 3. [5] 2. *Petri* 1.
[6] *Apoc. ult.*

ræ in alium ſenſum, quàm quem Deus intendit, loquens, non erunt ampliùs verba Dei, ſed hominis; ergo nec regula fidei, nec principia theologica.

Prob. 2. nam omnes alii ſenſus Scripturæ fundantur in litterali; ergo priùs intelligenda ſunt verba, ſecundum quod ſonant, quàm fiat tranſitus ad ſpiritualem; ergo ille maximè attendendus in rebus fidei, & principiis theologicis.

Prob. 2. p. de ſpirituali. 1. quia multa; imò ferè omnia in veteri teſtamento, præter ſenſum litteræ, ſignificabant & præfigurabant futura per Chriſtum & quæ facta ſunt ab ipſo, & ſcripta ſunt in novo; ergo neceſſarium eſt in eis etiam attendere ad ſenſum ſpiritualem, & myſticum. Prob. ant. 1. ex Scriptura [1] dicente de antiquis quod *Omnia in figuris contingebant illis*. Et poſteaquam Apoſtolus locutus eſt de filiis duobus Abrahæ; addit, *quæ ſunt per allegoriam dicta*, [2] Id eſt *per alium intellectum*, inquit Gloſſa. Quod alibi ſæpè docet. Et ipſamet Scriptura nos monet, & indicat, quando loquatur in ſenſu Anagogico; ut cum dicebat idem Apoſtolus: [3] *Illa autem, quæ ſurſum eſt Jeruſalem libera eſt mater noſtra, Scriptum eſt enim; lætare ſterilis*, &c. Sic enim per Jeruſalem intelligit paradiſum.

Prob. 2. ex S. Auguſt. [4] quoad utramque partem: *Sanè quiſquis voluerit omnia Scripturæ dicta ſecũdum litteralem ſenſum accipere, id eſt non aliter intelligere, quàm littera ſonat; & potuerit vitare blaſphemias, & omnia congruentia fidei prædicare Catholicè, non ſolùm ei non eſt invidendum, ſed præcipuus, multumque laudabilis intellector habendus eſt*. Ecce pro litterali. *Si autem nullus exitus datur, ut piè, & dignè, quæ de Deo ſcripta ſunt, intelligantur niſi figuratè, atque ænigmaticè, propoſita iſta credamus habentes auctoritatem Apoſtolicam, à quibus tam multa de libris veteris teſtamenti ſolvantur ænigmata, modum, quem intendimus, teneamus*: Ecce pro ſenſu ſpiritali. Et alibi [5] docet ſenſum litteralem ſemper tenendum, quando fieri poteſt, & congruè intelligitur, quod in ea dicitur; ergo

[1] *Cor.* 10.
[2] *Gal.* 4.
[3] *Ibid.* [4] *De Gen. con. Manich. c. 2.*
[5] *8. de Gen. ad lit. c. 7.*

ergo, quando congruè non intelligitur, nec intelligi poteſt, quod dicitur ſecundum ſonum litteræ, recurrendum ad ſenſum ſpiritualem; unde ibidem arguit eos, qui libros hiſtoricos volunt intelligi figuratè; v. g. cùm loquitur de Paradiſo terreſtri, quem fuiſſe realem negabant aliqui (ut Origenes) aliter eſt de Cantico canticorum; hic enim liber totus ſpiritualiter, & myſticè eſt intelligendus.

Denique id confirmatur de ſenſu morali ex eodem Apoſtolo dicente, quòd *quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus*, ſcilicet ſcripta ſunt ad mores noſtros dirigendos.

Prob. 3. p. *ſcilicet de ſenſu intento per Spiritum S. loquentem, & recepto ab Eccleſia*; nam, ut jam monui, verba Scripturæ in omni alio ſenſu, quàm qui certò creditur eſſe ille, quem intendit Deus, non ſunt verba Dei; &, ut certi ſimus de tali ſenſu, conſulenda eſt vel ipſamet Scriptura, ſi fortè alibi ſe explicet, vel traditio Apoſtolica, vel S. mater Eccleſia loquens vel in ſuo capite, ſummo ſcilicet Pontifice ex cathedra, vel in concilio definiens, vel ex unanimi ſententia Patrum ejus, & Doctorum, vel ex communi ſenſu Fidelium; & quia hæ viæ inveſtigandi ſenſum ſpiritualem ſunt rariores, ideo etiam rariùs nobis ſuppeditat principia certa ad efficaciter argumentandum; & ideo argumenta ex Scriptura ſpiritualiter intellecta raró ſunt verè, & propriè Theologica; [1] *Et hoc non eſt propter defectum authoritatis, quod ex ſenſu ſpiritali non poteſt trahi efficax argumentum, ſed eſt ex ipſa natura ſimilitudinis, in qua fundatur ſpiritualis ſenſus, &c.* inquit S. Thomas.

Hinc certum eſt, quòd ex ſenſu litterali faciliùs, & frequentiùs habentur principia certa Theologicæ argumentationis, quàm ex ſpirituali: quia longè faciliùs de illo conſtat, quàm de ſpirituali; nam ille eſt proprius ſenſus verborum; iſte verò eſt metaphoricus, & impropriùs.

Objic. 1. con. 1. & 3. p. contrarium videtur ſentire Apoſtolus, ergo potiùs attendendum ad ſenſum ſpiritualem, quàm ad litteralem. Prob. ant. nam Chriſtus in-

[1] *quodlib. 7. a. 14. ad 4.*

inquit, *Nos fecit idoneos miniſtros novi teſtamenti non littera , ſed ſpiritu ; littera enim occidit , ſpiritus autem vivificat ;* ergo docet ſenſum ſpiritalem attendendum, non litteralem, maximè in novo Teſtamento.

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. nam per litteram, & ſpiritum non intelligit ſenſum litteralem, & ſpiritualem Scripturæ, ſed per litteram intelligit verba nuda legis; & per Spiritum intelligit gratiam adjuvantem nos, ut impleamus legem, & dicit, quòd littera illa ſine iſto Spiritu occidit, quod maximè verum eſt de lege veteri, quæ plena erat innumeris præceptis, & vacua gratiis adjuvantibus infirmitatem noſtram in comparatione novæ, in qua pauciora ſunt præcepta, & abundantiores gratiæ propter efficaciora Sacramenta: ideo, inquit [1] S. Aug. *Cum ſola littera eſt ſine Spiritu, ideſt, lex ſine gratia, tantummodo reos facit,* ait enim Apoſtolus, *Peccatum non cognovi niſi per legem, nec reprehendit legem, cùm dicit, littera occidit, ſicut non reprehenditur ſcientia, cùm dicit, ſcientia inflat:* Loquitur etiam de ſpiritualitate quoad affectus, qui ſunt ſpirituales.

Objic. 2. Non ita facilè conſtat de legitimo ſenſu litteræ; ergo non ita certò fundat argumenta, nec eſt adeò certus locus Theologicus. Prob. ant. nam littera ſæpè inducit perſonas fallibiles loquentes, v. g. ſerpentem dicentem ad Evam: *Nequaquam moriemini;* & ita eſt de innumeris aliis; ergo tunc non conſtat de legitimo ſenſu litteræ, nec ille facit ad fidem.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam ſi perſona, quam Scriptura inducit loquentem, & cujus verba recitat, non eſt digna fide certa, & ſi non loquitur ex Deo, illa non ſunt Dei, ſed creaturæ, ſcilicet ſerpentis, aut dæmonis, vel hominis; & ſic ad veritatem Scripturæ, & ſenſus litteralis ſufficit ita contigiſſe, ut narratur; non autem requiritur, ut verba, quæ narrantur dicta, ſint in ſe vera.

Objic. 3. vel ſenſus litteralis eſt ubique verus, vel nullibi; ſed neutrum dici poteſt; ergo ſenſus litteralis non facit locum Theologicum. Prob. 1. non eſt ubique verus, ſed ſæpè falſus, & blaſphemus, ut

[1] 15. *con. Fauſt. c.* 8.

cùm

cùm tribuuntur Deo manus, pedes, aures, &c. Item cùm [1] dicitur. *Non eſt malum in civitate, quod non fecerit Dominus*. Et *pater major me eſt*. Et *de die illa neq; filius hominis ſcit*. Item Deus non vult litteraliter intelligi præceptum hoc, *ſi manus tua*, *vel pes tuus ſcandalizat te*, *abſcinde eum*, &c. ergo ſenſus litteralis non eſt ubique verus. Prob. 2. non eſt major ratio, cur alicubi ſit verus, quàm alibi, vel ubique; quia Deus eſt, qui ubique loquitur, & non declarat, ſe hìc loqui figurativè, & illic hiſtoricè, & litteraliter; ergo vel ubique valet ſenſus litteralis, vel nullibi valet.

Reſp. neg. maj. nam alicubi eſt verus, & valet, & alibi non valet, & ſic etiam falſa. eſt minor, quoad utramque partem. Ad 1. prob. dico [2] ex Auguſt. cit. quòd quando ſenſus litteralis eſt clarus, & nullam importat blaſphemiam, nec diſſonantiam ad alia ejuſdem Scripturæ loca, præſumitur à Deo intentus, & tenendus eſt, ut in præceptis decalogi; quando verò importat blaſphemiam, vel diſſonantiam, aut incongruentias, ut in locis adductis, tunc per alia dicta ejuſdem Scripturæ iſta ſunt interpretanda.

Inſt. ſi Deus vellet aliter intelligi in uno loco, quàm in alio, non fuiſſet ita loquutus; ergo cùm ubique ita loquitur quoad voces, ita & quoad ſenſum; cur enim alicubi clarè, alibi verò obſcurè loqueretur?

Reſp. neg. ant. & ad rationem ejus audi [3] Auguſt. *Divini ſermonis obſcuritas etiam ad hoc eſt utilis, quod plures ſcientias veritatis parit, dum alius eum ſic, alius ſic intelligit*. 2. id facit Deus ad evitandum faſtidium; quæ enim aperta ſunt, & obvia, & facilè inveſtigata faſtidio habentur, & contemnuntur; obſcura verò magis deſiderantur, ardentiùs inquiruntur, & inventa ſuaviùs guſtantur. 3. ad comprimendam humani ingenii temeritatem, ejuſque ſuperbiam labore domandam, &c. [4] inquit Sixtus Senenſis. Idem docet Scotus, [5] & ut recurramus ad Deum, qui nobis dabit intellectum, ut ſcrutemur legem ejus cum David.

D 2 Inſt.

[1] *Amos* 3. [2] *Ibid.* [3] 11. *de civit.*
[4] *Lib.* 2. *Bibli. V. ſignatus liber.* [5] q. 2. *prol. E. num.* 15.

Inſt. non convenit ubique de ſenſu litteræ; ergo non eſt certus locus, prob. ant. nam Expoſitores ipſi non conveniunt de Paradiſo terreſtri, nec de pomo Evæ, nec de aquis cœleſtibus; alii enim figuratè, alii litteraliter explicant; ita eſt de Divite, & Lazaro, & de Prodigo.

Reſp. diſt. conſ. non eſt certus locus, ſi ſenſum illum Eccleſia non recipiat, conc. ſi recipiat, neg. conſ. ut patet ex concl. ideo graduandi profitentur, *Quòd Scriptura in eo ſenſu recipitur, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, ad quam ſpectat judicare de vero ſenſu Scripturarum.*

Objic. cont. 2. par. 1. Si alii ſenſus præter litteralem admittantur, aperitur via Hæreticis ad impugnandas veritates Catholicas, ſed hoc eſt inconveniens; ergo ſolus litteralis eſt admittendus. Prob. maj. in pluribus locis non conſtat de vero ſenſu litterali; ergo ſaltem tunc licebit Hæreticis uti ſpiritualibus, quos excogitarint.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus. Tum quia nulla, aut pauciſſima ſunt; & ſi dubitetur de aliquo ſive ſpirituali, ſive litterali, ad eam recurrendum eſt, quæ eſt depoſitaria fidei, ut *columna firmamentum veritatis.* Tum quia, ut docet Lyranus noſter, omnia neceſſaria tam credibilia, quam agibilia ſunt clara in ſenſu litterali. [1] *Et ipſa Scriptura determinat, quæ ſunt neceſſaria ad finem. Et ſi alicubi eſt obſcura, horum etiam explicatio & quantum ad credenda, & quantum ad ſperanda, & quantum ad operanda explicatur in diverſis locis Scripturæ,* [2] ait Scotus.

Quæres 1. *An idem locus Scripturæ poſſit inſervire ſecundum plures ſenſus, v. g. litteralem, & myſticum?*

Reſp. affirmativè, quia ſæpè Spiritus S. utrumque intendit: nam, ut teſtatur D. Paulus, intendit non ſolùm narrare, quæ facta ſunt, & declarare myſteria; ſed etiam per eadem facta, quæ narrat, intendit docere nos, quæ agenda ſunt: [3] *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt.* Eò præcipuè tendunt omnes parabolæ; & hoc patet in ferè toto veteri teſtamento, & Lege Moſaica, cujus præce-

[1] *Pro. ad 1. prol.* [2] *Ibid. n. 14.*
[3] *Rom. 15.*

cepta præter ſenſum litteralem, cui ſe Judæi conformare debebant, ſignificabantur etiam futura de Meſſia; quæ illi credere debebant, v. g. cùm dicebatur litteraliter de Agno Paſchali, [1] *Os non confringetis ex eo*, id figuraliter, & Propheticè dictum etiam eſſe de Chriſto teſtatur S. Joã. [2] *Facta autem ſunt hæc, ut Scriptura impleretur, os non comminuetis de eo*, ita eſt de aliis innumeris. Nec quidquam repugnat, quin rebus æquè, ac verbis explicet Deus ſuas veritates, & voluntates; ut tamen ſenſus alius præter litteralem faciat fidem, conſtare debet eum eſſe intentum à Deo, & id conſtabit vel ex alio loco ejuſdem Scripturæ, vel ex conſenſu Eccleſiæ, aut Patrum, &c.

Quæres 2. *An eadem verba Scripturæ poſſint habere plures ſenſus litterales?* Reſp. id nullo modo repugnare. Nam cùm Deus uno actu ſimpliciſſimo omnia videat, ſic uno, eodemque verbo poteſt plura ſignificare, ſed hoc eſt poſſe dare eiſdem verbis plures ſenſus litterales; ergo &c. prob. min. nam ille ſenſus eſt litteralis, quem primò per verba intendit ſignificare loquens.

Confirm. nam de facto interpretes plures ſenſus litterales dant pluribus ſententiis Scripturæ, [3] *Ut in principio creavit Deus cęlum, & terram*. Alii *in principio* ſumunt pro initio temporis contra errorem eorum, qui dicunt mundum eſſe ab æterno; alii pro initio operum, & ante alia omnia contra illos, qui volunt Angelos creatos ante cęlum, & terram, Alii pro, in verbo, ſeu filio, &c. Sic verba iſta: [4] *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. SS. PP. explicant litteraliter modo de generatione æterna Chriſti, modo de temporali. Similiter hæc verba, *generationem ejus quis enarrabit?* Explicant de utraque generatione. Idem eſt de aliis multis.

Dices; ergo nihil certi haberetur ex Scriptura in tali ſenſu.

Reſp. neg. conſ. nam ſi uterque ſenſus admitteretur ab Eccleſia, uterque etiam certus eſſet; quia in utroque potuit loqui Deus, & æquè verè. Si verò unum admittat, ille ſolus erit certus.

[1] *Exodi* 12. [2] *Joan.* 19.
[3] *Gen.* 1. [4] *Pſal.* 2.

Quæres 3. *Unde cognoſci poteſt verba eſſe ſumenda propriè, vel Metaphoricè?*

Reſp. id cognoſci per ſequentes regulas: 1. quando verba in proprio ſenſu ſignificarent aliquid impoſſibile; tunc debent ſumi metaphoricè: Ut cùm legis in cantico B. V. *Magnificat anima mea Dominum*. Et; *fecit potentiam in brachio ſuo*. Nam Deus non poteſt fieri magnus, aut major, nec habet brachium, ut ſenſus litteralis videtur docere; ideo recurrendum ad Metaphoricum, quaſi diceret, anima mea agnoſcit, & prædicat Dei magnitudinem: & Deus fecit in me opus omnipotentiæ ſuæ.

2. Si verba in ſenſu litterali, & proprio ſignificent falſum: Ut cùm legis [1] *Joannes eſt ipſe Elias*, nam in rigore litteræ id falſum eſt, *Joannes* enim Baptiſta *in Spiritu Elias erat, in perſona non erat Elias*, ait S. Greg.

3. Si verba in ſenſu litterali, & proprio ſignificent abſurdum, aut rationi contrarium, ut diximus de ſcandalo; [2] *Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum*. Id enim non de reali effoſſione oculi, ut ſonat, ſed de fuga occaſionis, & materiæ ſcandali, quantumcumque charæ.

4. Idem eſt, ſi ſignificent aliquid alienum ab honeſtate morum, vel à ſanctitate Scripturæ; qualia multa ſunt in Cantico Canticorum; quæ ideo ſumenda ſunt ſpiritualiter.

5. Idem eſt, ſi ſignificent aliquod contrarium aliis documentis Scripturæ, ut [3] cùm Chriſtus dicit, filium Dei neſcire diem judicii; quod contrarium eſt alteri dicto; quo ipſemet fatetur, quòd [4] *Pater diligit filium, & omnia demonſtrat ei*. In 1. igitur ſubintelligendum, quòd neſcit illum diem à ſe ut homo, ſed à Patre, vel neſcit, ut dicat aliis.

Quæres 4. *an Scriptura in ſenſu accommodatitio ſit locus Theologicus?*

Reſp. negativè. Nam, ut patet ex ejus deſcriptione, iſte ſenſus eſt prorsùs extra mentem Dei loquentis, & pendet ab arbitrio hominis, qui verba in unum ſenſum prolata à Deo de aliqua re aptat alteri ſecundum mentem ſuam; ut ſi quis verba hæc Chriſti de Pha-

[1] *Joan.* 1. [2] *Matth.* 5. [3] *Marc.* 15.
[4] *Joan.* 5.

Phariſæis hypocritis, & Iſaias de Judæis; [1] *Populus hic labiis me honorat*, &c. aptaret hypocritis, & falſis adulatoribus.

Quæres 5. *Ad quem ſpectat judicium de vero ſenſu Scripturæ?*

Reſp. jam diximus id ſpectare ad Eccleſiam in ſummo Pontifice ex Cathedra loquente, vel in Concilio generali, ut conſtat [2] ex Trid. *quo cavetur, ut nemo ſuæ prudentiæ innixus in rebus fidei, & morum ad ædificationem doctrinæ Chriſtianæ pertinentium, S. Scripturam ad ſuos ſenſus contorqueat contra eum, quem tenuit, & tenet S. Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, &c.*

Porrò multiplex ille ſenſus Scripturarum valde utilis eſt Fidelibus; nam *Litteralis* maximè inſtruit, & explicat objecta fidei. *Allegoricus* juvat ad confirmandam fidem, oſtendens facta eſſe in novo Teſtamento illa, quæ præfigurabantur, ſeu prædicebantur in veteri. *Moralis* ad excitandas virtutes, & maximè charitatem; & *Anagogicus* exigit, & roborat ſpem bonorum, quæ oſtendit de altera vita.

Notatur etiam, quòd in ſingulis his ſenſibus eruendis ex Scriptura S. excelluerunt SS. 4. Principes Eccleſiæ Doctores; S. Hieronymus in litterali, S. Gregorius in morali, S. Ambroſius in allegorico, & S. Auguſtinus in Anagogico.

QUÆSTIO IX.

An Theologia noſtra ſit purè declarativa, an verò etiam argumentativa, & adhæſiva?

JAm vidimus non ſemel, quòd Theologia noſtra procedit ex principiis fidei ſcholaſticè, & per viam argumentationum, deducendo ſuas concluſiones ex præmiſſis, quarum ſaltem una eſt de fide, aut ex fide deducta; altera de Philoſophia, & ratione naturali, imo & id notavimus de ipſa Scriptura S. in qua ſæpè legimus veritates ex aliis illatas. Reſtat videre, an argumentetur, ut probet ſua principia; & ut per ſuas argumentationes ſuadeat, & inducat ad aſ-

D 4 ſen-

[1] *Matth.* 15. & *Iſa.* [2] *Seſſ.* 4.

ſentiendum, & adhærendum; & ita ſit adhæſiva; 2. ait verò purè ad cognoſcendum,ita ut ſit purè declarativa eorum, quæ credenda ſunt.

Supponimus autem,dupliciter aliquid probari poſſe, ſcilicet 1. *Poſitivè*, quando per aliquod medium probatur neceſſaria connexio prædicati cum ſubjecto propoſitionis, quæ aſſeritur; ut ſi probes in Chriſto eſſe duas voluntates, quia in eo ſunt duæ naturæ, ſcilicet divinitas, & humanitas; vel 2. *Negativè*, quando oſtenditur, propoſitionem aſſertam nullam involvere contradictionem; & id fit ſolvendo rationes, quibus videtur impugnari per allegationes implicantiarum, ſeu contradictionum. Ut ſi aſſeras poſſibilitatem Incarnationis, quia nullam involvit contradictionem; & tunc iſta probatio dicitur evidens; cùm evidenter ſolvantur omnes objectiones, quæ contra aſſertionem afferri poſſunt; & ſic tandem reducitur ad *poſitivam*. Rurſus probatio fit vel 1. *per locum intrinſecum*, quando ſcilicet medium ſumitur ex viſceribus, ſeu ex eſſentia rei, ac neceſſariò connexis cum illa, ut cùm arguitur à definitione ad definitum, vel à cauſa ad effectum; vel 2. *Per locum extrinſecum*, quando ſumitur ab his, quæ ſunt extra eſſentiam rei, ſeu terminorum, ut diximus in Logica. Theologus argumentatur pro novo Teſtamento ex veteri contra Judæos; & ex novo realem præſentiam corporis Chriſti in Euchariſtia contra Calviniſtas.

Quæritur ergo hìc 1. an Theologia poſſit argumentari, ut probet poſitivè ſua principia; 2. an habitus Theologiæ ſit purè explicativus veritatum fidei, an verò etiam illativus, & adhæſivus, ita ut ex præmiſſis inferat Concluſionem aliquo modo inducentem, & neceſſitantem ad aſſenſum.

Concl. 1. *Theologia noſtra eſt argumentativa, & ſic probare poteſt poſitivè, & ſuadere ſua principia, non tamen demonſtrare.*

Prob. 1. ex Scoto. Dum quia ipſe affert octo, vel decem motiva, ſeu media, ex quibus convinci poſſunt Hæretici damnantes Sacram Scripturam, quæ, ut diximus, eſt potiſſimum principium Theologiæ. *Octo ſunt viæ* eos Hereticos damnantes S. Scripturam, vel partem ejus rationabiliter convincendi, &c.

&c.[1] *Hoc igitur tenendum eſt tanquam certum, quod revelatorum in Scriptura eſt à nobis fides acquiſita ex auditu, & actibus noſtris; qua eis firmiter adhæremus*; ergo ex Scoto Theologia noſtra, quæ ſpectat ad fidem acquiſitam, eſt argumentativa, probans ſua principia, nempè revelationem divinam Scripturæ Sacr. & eſt adhæſiva, non autem purè declarativa.

Prob.2. quoad 1.par.1. quia, ut dicebamus ex Scoto, Theologus aut habet inſtruendum, vel convincendum Infidelem, qui nihil agnoſcit de Scriptura, nec revelatione divina; vel Judæum, qui recipit vetus Teſtamentum, ut revelatum à Deo, & rejicit novum; vel Hæreticum, qui aliquid recipit de S. Scriptura tam in novo, quàm in veteri; ſed in his omnibus Theologia habet argumenta, quibus probet & ſua principia, ut revelata, & ſuas concluſiones per Scripturam; ergo eſt verè argumentativa, prob. min. quoad Judæos, nam omnia, quæ ipſi habent, & credunt in veteri Teſtamento, ſunt figuræ, promiſſiones, vel Prophetiæ eorum, quæ facta narrantur, & creduntur in novo juxta illud, *Omnia in figura contingebant illis*; ergo ex oraculis, & figuris, & promiſſionibus, & Prophetis poſſunt convinci de veritate Evangelii. 2. contra Hæreticos, qui admittunt aliquas partes utriuſque, poteſt argumentari pro aliis, quas nolunt admittere; & pro articulis fidei, quos negant; & loca, quæ pro ſuo errore allegant depravato ſenſu, poſſunt in bono ſenſu ſuſtineri per alia; ut præſtitum eſt in Conciliis, & decretis Eccleſiæ, per quæ fides eſt explicata, & determinata; ut legentibus patebit.

Denique contra Protervos, & Infideles poteſt ſuaderi veritas, & ſanctitas Scripturæ, ut à Deo revelatæ, ex allatis motivis credibilitatis. 1. ex Prophetiis, quas continet; ut enim cognitio certa futuri Deo ſoli reſervatur; ſic illæ Prophetiæ à Deo ſolo potuerunt revelari Scriptoribus illis, ſeu Prophetis; ergo quoad illas Scriptura S. fuit à Deo revelata. Infidelibus dicebat Iſaias, [2] *Annuntiate, quæ ventura ſunt, & ſciemus, quia Dii eſtis*.

2. Ex concordia Scripturarum: nam moraliter

 im-

[1] *In 3. d.C. n. 5.*
[2] *Iſai. 41.*

impoſſibile eſſe, ut tot Scriptores maximè inter ſe diſtantes & loco, & temporibus, & ingeniis, ſeu affectibus, tàm unanimiter conveniſſent in articulis fidei ſcribendis, aut explicandis, niſi fuiſſent à Deo ſpecialiter inſpirati; v.g. Ezechiel prophetabat Babylone eodem tempore, quo Jeremias Jeroſolymis; & ſic de aliis; non ita eſt de Philoſophis, qui in tot, & tam diverſas ſectas, & opiniones diviſi ſunt. In his igitur, quæ non ſunt evidentia ex terminis, vel ex principiis evidenter deducta, impoſſibile eſt, ſaltem moraliter loquendo, ut multi diverſimodè affecti conveniant unanimiter, niſi Deus direxerit ſpecialiter eorum intellectus, & calamos; ſed Scriptores Sacri in circumſtantiis illis diverſiſſimis ſic convenerunt in rebus fidei, & morum, quas ſcripſerant; ergo &c.

3. Ex Scriptorum authoritate, gravitate, & fama ſanctitatis, quales fuerunt Moyſes, Prophetæ, Evangeliſtæ, Apoſtoli, & alii. Quis enim ſuſpicaretur, illos mentitos in ſuis Scriptis, & dictis, qui toti fuerunt in mendaciis, & vitiis confutandis; & pro veritatis defenſione tot, & tantos labores, & tormenta, & denique mortem paſſi ſunt?

4. Ex ſumma diligentia tam Synagogæ, quàm Eccleſiæ in colligendis, & ſeligendis Libris canonicis ab Apochryphis: maxima enim fuit utriuſque ſolicitudo, Synagogæ pro ſuis, & Eccleſiæ pro ſuis, ut patet ex Conciliis provincialibus, & generalibus, in quibus præcipua cura fuit Libros canonicos à falſis diſcernere; quod de nullis aliis Scriptis, aut libris unquam videtur factum per tot ſæcula.

5. Ex rationabilitate contentorum in illis omnibus; nihil enim in eis legitur, quod non tendat ad ſuadendum Dei cultum, & amorem; & quod non ſpiret ſanctitatem morum tam erga Deum, quàm proximum, ſcilicet ut Deum ſuper omnia diligamus, & proximum ſicut nos ipſos; *In his duobus mandatis univerſa lex pendet, & Prophetæ. Nihil, inquam, in Scripturis non ſanctum, non juſtum, non honeſtum, nihil turpe, aut flagitioſum ſpectandum*, inquit [1] Auguſt. *imitandumque proponitur; ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur.*

[1] 2. *de civit*. c.28.

6. E.

6. E contra convincuntur corruptionis, & erroris aliæ Scripturæ, quæ impietatibus Idololatriæ, & erroribus obſcuris, & incentivis vitiorum, & fabularum ineptiis ſcatent; ideo pauciſſimos habuerunt ſectatores, & parum durarunt in comparatione Religionis Chriſtianæ in illa doctrina fundatæ.

7. Ex Eccleſiæ firmitate, & ſanctitate, quæ Libros illos non proponeret, ut ſacros, & ut à Deo revelatos, niſi de hoc certa eſſet, & niſi à Spiritu S. ita docta, & ſuper hanc doctrinam ſtabilita eſſet, non ita feliciter perſeveraſſet ab initio conditi orbis uſque in præſens, & duratura eſſet uſque in finem ſeculorum victrix Inſidiarum, & perſecutionum Inferni, & mundi. *Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam*. Imò inter perſecutores, & perſecutiones, ac tempeſtates floruit, & crevit, dum aliæ omnes ſectæ tàm Infidelium, quàm Hæreticorum, imò & ipſa Synagoga olim Sancta, evanuerunt.

8. Ex miraculis, quæ non niſi à Deo fieri potuerunt, & quæ facta ſunt tum à Scriptoribus, tum ab aliis in teſtimonium veritatum, quas continent hæ Scripturæ. Deus enim minimè faceret miracula in teſtimonium mendacii, vel falſitatis. [1] *Domine*, inquiebat Ricardus, *ſi eſt error, à te decepti ſumus; nam tantis ſignis confirmata ſunt, quæ non niſi per te fieri poſſent. Quod ſi*, inquit [2] Doctor, *dicantur miracula non eſſe facta, aut etiam quod ipſa non teſtentur veritatem; quia Antichriſtus etiam faciet miracula; contra primum dici poteſt cum* [3] *Auguſtino; ſi iſta miracula facta eſſe non credunt, hoc nobis unum grande miraculum ſufficit, quod jam terrarum orbis ſine ullis miraculis credidit. Nota valde illud capitulum, quia ſi quidquid credimus, dicatur incredibile eſſe, non minus eſt incredibile* (inquit Auguſt.) *ignobiles, infimos, pauciſſimos, imperitos rem tam incredibilem tam efficaciter mundo, & in illo etiam doctis perſuadere potuiſſe, ut mundus illud credat, ſicut jam crediſſe videtur, niſi per illos aliqua miracula fierent, per quæ mundus ad credendum induceretur... qui propterea exiguo numero ignobilium, infirmorum, imperitorum hominum credidit; quia in tam con-*

[1] *l. de trin. c.* 11. [2] *Ibid. B. n.*10.
[3] 22. *de civit. c.* 5.

contemptibilibus teſtibus multo mirabiliùs divinitas ſe ipſa perſuaſit. Quid enim incredibilius, quàm ut ad legem contrariam carni, & ſanguini Doctores pauci, & rudes, & pauperes poſſent plurimos potentes, ac ſapientes convertere? quod patet de multis ſapientibus, primò fidei rebellibus, poſtea converſis; ut de Paulo priùs perſecutore, poſtea gentium Doctore; de Auguſtino priùs per Manichæos ſeducto, poſtea Doctore Catholico, vide textum illum Doctoris.

9. Addit aliud motivum non invalidum, ſcilicet teſtimonia extraneorum, quæ tantò ſunt fortiora, quantò minus ſuſpecta adulationis; ut Joſephus, Sibyllæ, & alii, quibus eò magis credendum eſt, quia nihil impellebat eos ad prædicandam, & laudandam Chriſtianam Religionem, & pro illa mentiendum ergo cùm doctrina hæc ab ipſis inimicis probetur, maximè credenda eſt, & divinæ authoritatis, ac veritatis ſupernaturalis evidens eſt indicium.

10. Denique [1] adduci poteſt, quòd *Deus non deeſt quærentibus ex toto corde ſalutem. Multi autem diligentiſſimè inquirentes ſalutem ad hanc ſectam converſi ſunt, & quantò frequentiores facti ſunt inquirendo, tantò in hac ſecta ampliùs confirmati, ſubitoque in ea pœnitentes de malitia ad bonam vitam mutati ſunt, tormentaque pro ea plures in magna exultatione Spiritus perpeſſi ſunt; quæ non videntùr probabilia, niſi Deus hanc ſectam Sacræ Scripturæ innitentem irrefragabiliter approbaret, & ordinaret ad ſalutem.*

His ergo, & aliis mediis probat Theologus exiſtentiam doctrinæ datæ divinitùs, & in S. Scriptura contentæ ad hoc, ùt illi firmiter credat homo, & ex ea quaſi ex infallibili fundamento eliciat Concluſiones in illius articulis virtualiter contentas, aut neceſſario, & evidenti vinculo connexas.

Prob. 2. nam demonſtratio in rigore logico conſtat præmiſſis certis, veris, & evidentibus; ſed præmiſſæ Theologicæ non poſſunt eſſe tales, ſcilicet evidentes; nam una illarum, cùm ſit de fide, vel immediatè ex fide ſequens, non poteſt eſſe niſi ob-

[1] *Ibid. num.* 13. *E.*

obſcura; & ideò diximus Theologiam noſtram non eſſe Scientiam.

Prob. 2. p. Quia myſteria Fidei ſuperant humanam capacitatem, nec continentur intra naturæ limites; ergo nullum eſt medium naturaliter ſcibile,& notum,per quod illa probari poſſint evidenter. Ant. patet. Prob. conſeq. Nam medium veræ, & propriæ demonſtrationis eſt vel definitio ſubjecti, vel aliquod intri nſe cum ſubjecto,aut cauſæ per ſe,ut ſuppono ex Logica, [1] Sed de re ſupernaturali nihil horum agnoſcitur naturaliter, ergo, &c.

Objic. 1. contra 1. p. ex S. Ambroſ. [2] *Auferte hinc argumenta, ubi fides quæritur*; ſcilicet per Theologiam firmanda, & defendenda. Et ex Tertulliano: *Nobis curioſitate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt Evangelium: cùm credimus,nihil ultra credere deſideramus*. Et ex S. Joanne: [3] *Hæc ſcripta ſunt, ut credatis*; non dixit, ut diſputetis, vel ut ſciatis; ergo vera Theologia non eſt argumentativa, ſed tantùm declarativa eorum, quę credenda ſunt.

Reſp. neg. conſeq. nec enim id ſequitur, nec intendunt ea loca Patrum, & Scripturæ. S. Ambroſius auferri vult argumenta humanæ ratiocinationis,non autem ea, quæ in verbo Dei fundantur: *Non creditur Philoſophis*, inquit, *creditur Piſcatoribus; non creditur Dialecticis, creditur Publicanis*; qui ſcilicet ex divina revelatione loquuntur. Ipſemet contra Hæreticos Arrianos pluribus argumentis utitur. Idem eſt de Tertulliano. Joannis autem dicto ſufficiat, quod credatur ejus Evangelio, nec contradicitur,cùm ex iis,quæ ſcripſit,eliciuntur rationes, quibus revelata firmiùs credantur.

Objic. 2. vel Theologia argumentatur ex authoritate, vel ratione; ſed neutrum dici poteſt; ergo non argumentatur. Prob.min. 1.non ex authoritate,quia talia argumenta ſunt debiliora; ergo non decent certitudinem, & dignitatem Theologiæ, quam dicimus aliis ſcientiis certiorem. 2. non ex ratione, quia ratio evacuat meritum fidei, *Quia non habet meritum;cui humana ratio præbet experimentū*, inquit S. Gre-

[1] *Diſp.* 12. *q.* 5. [2] 1. *de fide de præſc.*
[3] *Joan, ult,*

Gregorius;ergo neutro modo Theologia eſt argumentatrix.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. 1. prob. Ex authoritate humana, conc. ant. ex authoritate divina, neg. ant. Nam Theologia noſtra argumentatur ex revelatione divina, qua nihil certius, nec ſublimius. Sic diſt.etiam ant.2.prob. Si Concluſ.Theologica purè innitatur motivo rationis, & iſta dominetur, conc. ant. ſi principaliter innitatur revelationi divinæ, & ratio tantùm inſerviat ad illuſtrandam veritatem Fidei, neg. ant. itaque Theologia nititur præcipuè authoritate divina revelante, & utitur ratione naturali velut ancilla, & face illuſtrante.

Concl. 2. *Theologia noſtra non eſt purè explicativa veritatum fidei, ſed etiam illativa, & adhæſiva*. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto cit. qui expreſsè aſſerit, habitum fidei eſſe adhæſivum; ergo & Theologia, quam dicit eſſe fidem acquiſitam.

Prob.2.Si Theologia eſſet tantùm explicativa,Hæreticus, vel Infidelis, qui melius intelligeret, & explicaret textum Scripturæ ſine aſſenſu, eſſet magis, & melior Theologus, quàm alius Fidelis minus peritus in ſcientia linguarum; ſed conſequens iſtud eſt falſum, ergo Theologia non eſt purè explicativa, ſed etiam illativa, & adhæſiva. Patet conſeq. Nam per Theologum omnes intelligunt hominem imbutum, & adhærentem veritatibus fidei ex cognitione ipſarum. Prob. ant. Nam ille Hæreticus, vel Infidelis ob peritiam linguarum meliùs explicaret, & diſcurreret de ſenſu litterali Scripturæ; ergo quoad hoc eſſet magis Theologus.

Prob. 3. Syllogiſmus Theologicus non magis obligat intellectum ad aſſenſum legitimæ concluſionis poſito aſſenſu præmiſſarum, quàm philoſophicus; ſed philoſophicus, poſito aſſenſu præmiſſarum, cogit intellectum ad aſſenſum legitimæ concluſionis, ut ſuppono ex Logica; ergo & Theologicus. Prob. maj. Concluſio legitima in materiis Fidei, & Theologicis non minùs continetur virtualiter in principiis, ſeu præmiſſis, quàm philoſophica; concludit enim vi formæ, & materiæ; ergo, &c.

Objic. 1. Scotum, qui apertè videtur dicere contra-

trarium. [1] *Notitia, quam habet aliquis de his, quæ traduntur in Canone Bibliorum, non eſt tradita per modum Scientiæ demonſtrativæ, mendicando ſcilicet notitiam illam, ſive habitum de intellectu litteræ ab aliquibus principiis, ex quibus demonſtrativè concluditur. Et quod intellectus immediatè aſſentitur tàm concluſioni, quàm præmiſſis, ſeu omnibus traditis in Scriptura, non uni propter aliud, per diſcurſum ſyllogiſticum*, &c. ergo Theologia ex Scoto [2] non eſt argumentatrix, nec illativa, nec adhæſiva.

Reſp. neg. conſeq. Nam Scotus ibi loquitur de proceſſu demonſtrativo, & de ſyllogiſmo, in quo tam præmiſſæ, quàm concluſiones ſunt revelatæ, & continentur explicitè, & formaliter in Scriptura; & de his non loquimur, ſed de concluſionibus, quæ inferuntur ex præmiſſis, in quibus continentur virtualiter, & implicitè; quales ſunt concluſiones theologicæ, ſcholaſticę, aut poſitivæ, de quibus loquimur. Item loquitur de aſſenſu puræ fidei, qui non debet niti illationi ſyllogiſticæ, ſed revelationi divinæ etiam puræ; at concluſiones Theologicæ ſunt mixtæ (ut alibi dicebat) ex fide, & ſcientia.

Objic. 2. ex eodem, & S. Auguſt. [3] *Myſteria in Scriptura nobis commendata ſunt divinis eloquiis; quamvis per homines non argumentorum concertationibus inculcata*, &c. Item Theologiam vocat habitum, quo fides nutritur, & roboratur, ſed hoc fit per ſolam explicationem Scripturæ, non verò per argumentationes; ergo Theologia non eſt illativa, ſed purè explicativa.

Reſp. ad 1. locum, ibi loqui de habitu fidei, quo creduntur myſteria prout à Deo revelata, non ex motivo ratiocinationis humanæ. Ad 2. neg. min. Nam licèt explicatio Scripturæ faciat ad gignendam, & nutriendam, & tuendam fidem; utilis eſt tamen ſæpè argumentatio, ut diximus ſupra de utilitate hujus doctrinæ. Hæc de prolegomenis ſufficiant.

DI-

[1] 3. *d.24. E. n.14.* [2] *ibid. n.15.*
[3] *ibid. 18. de civit. c.41.*

DISPUTATIO II.

De exiſtentia, & eſſentia Dei.

SAtis diù hæſimus in veſtibulo Theologiæ, tempus eſt, ut in Sacrarium intremus, utinam puris pedibus, & mundis mentibus, ne divinas veritates prophanemus. Incipimus à Dei exiſtentia, quandoquidem illam diximus eſſe hujus facultatis, & doctrinæ objectum.

Porrò monuerim cum Seneca poſt Ariſt. *Nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de Deo agitur. Si intramus templa compoſiti, ſi ad Sacrificium acceſſuri, vultum ſubmittimus, togam adducimus, ſi in omne modeſtiæ argumentum fingimur, quantum hoc magis facere debemus, cùm de Dei natura diſputamus; ne quid temerè, ne quid impudenter, ne quid ignoranter affirmemus, aut ſcientes mentiamur? Nec miremur tam tardè erui, quæ tam altè jacent, quid ſit hoc, ſine quo nihil eſt, ſcire non poſſumus*. Religioſiùs non poſſet loqui Theologus Catholicus, & pudet nos tam ſalutare monitum debere Philoſopho gentili. Ut ut ſit cum ea diſpoſitione Sanctuarium iſtud ingrediamur.

QUÆSTIO I.

An ſit Deus, & quomodo id cognoſcatur.

DEi nomine intelligimus ens ſummum, infinitum, ens à ſe, & ad ſe, &c. Et deſcribi poteſt, *Ens quoddam ſummum, increatum, & à ſe, à quo ſunt omnia cætera*. Hunc autem eſse negant Atheiſtæ, ita dicti, quia ſunt ſine Deo, & tales dicuntur fuiſse Diagoras, Mileſius, Theodorus, Cyrenaicus, Enemerus, Tegioſtes, &c. De hoc dubitaſse fertur Pythagoras apud Ciceronem.[1] Tales etiam dicuntur quidam Politici, quibus ad extra religio in primis curæ eſt; ſed intus nulla, uni ſc. dediti politicæ gubernationi. Idem ſentire videntur im-

[1] 2. *de nat. deor.*

impii, ſi non lingua, ſaltem actibus ſuis, & ſi non omnem prorſus negant divinitatem, ſaltem non agnoſcunt veram, quia imperfectam fingunt, v.g. ignorantem, & cęcam, ad illorum nequitiam, dicentes, *non videbit Dominus*.

Porrò exiſtentiam Dei nullus hodie audet negare, ſaltem apertè; ſed quærimus hìc, unde cognoſcatur? an rationis lumine innato? an ex fide? an demonſtratione aliqua naturali evinci poſſit?

Concl. 1. *Dei exiſtentia conſtat ex fide, imò & probabiliter ex lumine ipſo naturæ ingenito cuilibet homini rationis compoti*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, maximè quoad 2. p. nam de 1. nullus dubitat. [1] *De Deo enim*, inquit, *naturaliter, & ſecundum ſe notum eſt, ſi eſt, Et hęc propoſitio, Deus eſt, ex terminis ſuis habet evidentem veritatem*. Igitur pertinet ad intellectum, qui eſt habitus primorum principiorum, & ipſum lumen innatum cuilibet homini, quo percipit, & aſſentitur primis principiis, ac veritatibus per ſe evidentibus abſque omni ſtudio, vel diſcurſu; ergo ex Scoto Deum eſse quilibet homo rationis compos agnoſcit.

Prob. 1. p. ex Scriptura ubique id atteſtante, aut ſupponente. [2] *In principio creavit Deus Cœlum*, &c. & [3] *Ego ſum, qui ſum*; &, *Qui eſt, miſit me ad vos*. &c. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia eſt*, &c. Eſt ergo hæc veritas de fide, & omnium quidem prima, & reliquarum omnium fundamentum; ideò primò profitemur dicentes, *Credo in Deum*.

Prob. 2. pars 1. ex Scriptura. [4] Nam *ſignatum eſt lumen vultus tui Domine ſuper nos*, ſcilicet lumen vultus, & cognitionis divinæ nobis impreſſum ab ipſo Deo; *Anima lumine vultus ejus illuſtrata, atque ſignata*, [5] inquit Auguſtinus. Et [6] *gentes, quæ legem non habent naturaliter, ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis*, ſcilicet quod lex docebat Judæos de Dei cultu, de virtutum amore, & vitiorum fuga, hoc

[1] *Metaph. q. 1. n. 6. & 1. d. 2. q. 2. B. n. 4.*
[2] *Gen. 1.* [2] *Exod. 3.* [4] *Pſal. 4.* [5] *ibid.*
[6] *Rom. 6.*

hoc lumen innatum hominibus docuit Gentiles. *Per hæc oſtendit, Deum ſic hominem finxiſſe, ut poſſit per ſe virtutem eligere, ac vitium declinare*, inquit S. Chryſoſt. cùm enim dicit, *naturaliter quæ legis ſunt facere*, id eſt, non ſpiritu Dei, non fide, non gratia; inquit Auguſt. [1] ſcilicet ſolo lumine naturali, & id non facerent ſine aliqua Dei cognitione, quamvis non agnoſcant benè, nec ut *Deum vera pietate colant; habent tamen quædam opera bona in vita impia.*

Prob. 2. eadem p. ex SS. PP. *Ratio illa omnibus divinitùs inſita*, inquit Nazianz.[2] *ac primùm in pectoribus noſtris condita, cunctiſque mortalibus innixa, nos ab his rebus, quæ oculis eruuntur, ad Deum ſubvexit*, & Arnobius, *quiſquam ne eſt hominum, qui non cum iſtius Principis notione diem primæ nativitatis non intraverit? cui non ſit ingenitum, non affixum, imò ipſis penè in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem, ac Dominum;* & Chryſoſt. cit. [3] *Cognitionem ſui Deus hominibus jam inde ab initio indidit.* Sic D. Hieron. [4] *Per naturæ bonum notitia Creatoris ineſt cordibus hominum.* Et D. Damaſc. *Nemo eſt mortalium, cui non hoc adeò naturaliter inſitum ſit, ut Deum eſſe perſpectum habeat.* Idem docent paſſim alii omnes SS. PP.

Prob. 3. ex ipſis Ethnicis, qui in hoc teſtes ſunt majores, qui cùm Deum cognoviſſent, *non ſicut Deum glorificaverunt*, ut ait Apoſt. quippe Epicurus, teſte Cicerone, dicebat, [5] *gentes omnes præceptionem quandam habere, quòd Deus ſit naturaliter hominum animis ſine lege, ſine more, ſine inſtituto, aut ſine doctrina inſerta:* Scilicet impius ille Philoſophus *vidit, quòd in minimis Deorum notionem impreſſiſſet ipſa natura*, &c. ait ipſe Cicero. [6] Ideò *de hominibus nulla gens eſt neque tam immanſueta, neque tam ferrea, quæ non, etiam ſi qualem Deum habere doceat, ignoret, tamen habendum ſciat.* Scilicet perditiſſimi, & cæciſſimi Idololatræ, & Barbari ignorarunt quidem, qualis ſit Deus, ſed non quòd ſit, & exiſtat.

Pro-

[1] *de ſpir. & litt. c. 3. & 28.* [2] *Orat. 2. de Theol.* [3] *Hom. 3. in Job. 36.* [4] *l. 2. de fide c. 1.* [5] *1. de nat. deor.* [6] *1. de leg.*

Probatur 3. ratione. Illa cognitio eſt innata homini, quæ nullo ſtudio, vel labore, vel diſcurſu habetur, ſed ex ſimplici terminorum apprehenſione; ſed talis eſt notitia exiſtentiæ Dei; ergo eſt innata. Maior patet, Ideò enim habitus primorum principiorum dicitur intelligentia, quia ſine ſtudio, ac labore ab ipſo innato lumine rationis habetur. Probatur minor 1. ex citatis Scripturæ, & Patrum, & Gentilium teſtimoniis. 2. quia, ut patet ex D. Paulo, Gentes ex eo lumine coluerant Deum, & agnoverant. 3. quia non noverant neque ex fide, quæ non habetur ſine prædicante, & nullus adfuit illis; neque ex revelatione, aut gratia ſpeciali, ut dicebamus ex S. Auguſtino, neque ex ſpiritu Dei; ergo ex inſito naturæ lumine.

Ideò docetur, Deum non poſſe ignorari invincibiliter; alioqui Barbari, & multi Ethnici eſſent excuſabiles. *Non enim tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras*, inquit Auguſt. [1] & ideò Tertullianus [2] ignorantiam Dei, ſeu Idololatriam dicit, *principale crimen generis humani, ſummum ſæculi reatum, totam cauſam judicij*. Et nos diximus, legem naturæ ſaltem quoad prima principia ſua non poſſe ignorari; ergo &c.

Objicies 1. contra 1. p. Fidei aſſenſus jam ſupponit Deum eſſe; ergo ipſa non docet ejus exiſtentiam. Probatur antec. Ille aſſenſus nititur revelationi divinæ; ergo fides ſupponit Deum eſſe.

Reſp. diſt. ant. & conſeq. prob. Deum eſſe realiter, & à parte rei, conc. in eſſe formaliter, & cognito, neg. ant. & conſeq. Nam qui ex revelatione divina credit Deum eſſe, ſupponit quidem Deum eſſe, alioquì non revelaret; ſed illam ſuppoſitionem non agnoſcit, aut cogitat.

Objic. contra 2. p. Si Deum eſſe, notitia eſſet homini inſita, nullus eum ignoraret; ſed falſum conſeq. & contra experientiam; ergo & ant. Maj. patet. Quod enim nobis eſt innatum, ſtatim occurrit in mentem. Prob. min. nam ex relationibus eorum, qui prædicarunt Indianis, & Braſilienſibus, illi populi antea nullum coluerant Deum, vel agnoverant.

Reſp.

[1] 3. *de lib. arb. c.* 15. [2] *de Idol. c.* 1.

Reſp. neg. min. & diſt. prob. Nullum noverant numen clarè, & diſtinctè, conc. confusè, & imperfectè, neg. ant. *Perſa, Gothus, Ægyptius ipſum cognoſcunt, Beſſorum feritas, & Pellitorum turba populorum ſtridorem ſuum in dulce nominis ejus fregerunt melos, & totius mundi, una vox*, Deus eſt, ait Hieron. [1]

Inſt. Plures non ſolùm non agnoſcunt, ſed etiam negant Deum eſſe; ſed hoc non facerent, ſi notitia ejus eſset innata; ergo non eſt innata. Min. patet, quod enim eſt evidens à natura, non poteſt negari, v. g. quis auderet negare hanc veritatem, *Totum eſt majus ſua parte*? Prob. min. tum experientia: de innumeris Atheis, tum ex Scrip. [2] *Dixit enim inſipiens: non eſt Deus.*

Reſpond. diſt. maj. Ex malitia, & perverſitate mentis, conc. ex ignorantia, neg. ant. & probationem ejus. Nam tales Atheiſtæ Deum non cogitant ex perverſitate mentis, quæ claudit oculos ad lumen; quod patet ex illo textu Scripturæ; nam qui hoc dicit, cenſetur inſipiens, & mente excæcatus, aut captus; & adhuc aliquid eſt in eo timoris, dum ſic loquitur, quandoquidem non apertè, ſed in ſecreto cordis ſui hoc dicit: [3] *Nec ipſi ſacrilegi, & deteſtandi Philoſophi, qui perverſa, & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere*, non eſt Deus. *Hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare.*

Concl. 2. *Dei exiſtentia poteſt ratione naturali efficaciter probari*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [4] *De ente infinito non poteſt demonſtrari demonſtratione propter quid quantum ad nos, licèt ex natura terminorum propoſitio eſſet demonſtrabilis propter quid; ſed quantum ad nos propoſitio hæc*, Deus eſt, *eſt demonſtrabilis demonſtratione quia ex creaturis.*

Prob. 2. ex Scriptura, & PP. Nam D. Paulus [5] id probari docet per diſcurſum ab effectis ejus, ſeu ex creaturis. *Quod notum eſt Dei*, id eſt, *quod eſt cognoſcibile de Deo ab homine per rationem*, inquit S. Thomas, *manifeſtum eſt illis, Deus enim illis*

[1] *Epiſt.* 3. *ad Nepot.* [2] *Pſ.* 13. [3] *Aug. ibid.* [4] 1. d. 2. q. 2. [G. n. 10. [5] *Rom.* 1. *ibi hom.* 3.

illis manifeſtavit; Inviſibilia enim ejus à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur..... ita ut inexcuſabiles ſint. Et quomodo manifeſtavit? an revelatione vocali, interna, vel externa? *Unde nam igitur manifeſta erant?* inquit Chryſoſtomus; *vocem è ſuperis immiſit illis Deus? nequaquam; ſed quod illos voce validiùs illicere poterat, id fecit: mundi creatione in medium propoſita, ut poſſit ſapiens, rudis, Scytha, Barbarus ex ipſo aſpectu eorum, quæ oculis ſubjecta ſunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conſcendere*.

Item Sapiens dicebat, [1] quòd *vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt; neque ex operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex...... à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit eorum Creator videri; &c. Interroga jumenta, et docebunt te*, &c. ergo per naturales rationes ex creaturis Dei exiſtentia agnoſci, & probari poteſt, & quidem efficaciter.

Dices, id quidem probari, ſed non niſi probabiliter, non autem efficaciter. Sed

Contra. Nam termini Scripturæ, quibus Deum probari docet, ſignificant probationes efficaciſſimas, & convincentes; id enim ſignificant voces iſtæ, *cognoſcibiliter videri*; &, *notum eſt*; &, *manifeſtum eſt*; &, *intellecta conſpiciuntur*, Id eſt, *tam evidenter intellecta ſunt, ut conſpecta dicantur*, inquit Hieronymus: [2] *Deus poteſt inveniri per creaturam evidenter*, dicente Apoſtolo, *inviſibilia enim ipſius*, &c. ait Auguſt. idem evincit S. Maximus [3] ex voce, *conſpiciuntur*. Nam *creatura claram præbet notitiam, quòd ſit conditor, at non qualis ſit*.

Prob. 3. ex ipſis Ethnicis. Nam, inquit Ariſt. [4] *Cùm Deus univerſæ mortalis naturæ minus cernatur; ex ipſius nimirum operibus ſatis perſpicitur*. Et Cic. cit. [5] *quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus,* quam

[1] *Sap.* 3. [2] *Tract.* 2. *in Joan.* [3] *Cent.* 2. c. 8. [4] *l. de mundo.* [5] *de nat. Deor.*

quàm aliquod eſſe numen præſtantiſſimæ mentis, quâ hæc regantur, & alibi: [1] *præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.*

Prob. 4. ratione tum ex demonſtrationibus adducendis, quibus id manifeſtè evincitur; tum ex dicendis, quòd Deus eſt finis etiam naturalis hominis; ergo debet etiam exiſtentia ejus ex aliquibus principiis naturalibus cognoſci, & quidem certò; alioqui non poſſet illum velle, & intendere.

Objic. Dei exiſtentia creditur ex fide; ergo de illa non eſt ſcientia. Ant. patet ex præced. Prob. conſeq. Scientia, & fides non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. prob. in eodem, & de eodem, & eodem actu, ac motivo, conc. diverſis actibus, ac motivis, n. ant. Uno ergo actu aſſentimur huic veritati, *Deus eſt*, propter revelationem; & alio actu propter evidentem rationem.

Objic. 2. ex Scriptura, & omnium PP. & Doctorum ſententia, homo non poteſt attingere Deum ſine ſpeciali, & ſupernaturali Dei auxilio, ne credendo quidem, ut loquitur Conc. Trid. ergo multò minùs per rationem naturalem. Prob. ant. *Quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei*, & Concil. Arauſic. dicit, [2] *hominem nihil habere de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*. Et idem docent SS. PP. ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Non poteſt attingere ſicut oportet ad ſalutem, & quoad *quid eſt*, conc. naturaliter, & quoad *an eſt*, ſeu quoad exiſtentiam, neg. ant. ſimiliter diſt. prob. Sic enim intelligenda ſunt loca Scripturæ, & Conciliorum, & Patrum.

Objic. 3. Ut cauſa certò cognoſcatur ex effectu, debet eſſe, & cognoſci certa, & neceſſaria connexio inter illa; ſed nulla talis eſt inter Deum, & creaturas; ergo ille non poteſt ex his cognoſci. Prob. min. Nam Deus eſt neceſsariò, & creaturæ ſunt contingenter; ſed contingens, & neceſſarium non poſſunt neceſſariò connecti, ergo, &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. Non poſſunt conne- cti

[1] 2. *de divinat.* [2] *can.* 22.

cti neceſſariò abſolutè, & antecedenter, conc. ex ſuppoſitione, & ex conſequenti, neg.min. & conſeq. Abſolutè loquendo, & ſecundum ſe Deus non habet neceſſariam ullam connexionem cum creatura ulla, & poſſet eſſe ſine illa; ſed ex ſuppoſitione, quòd creatura exiſtat, connexionem neceſſariæ dependentiæ habet ad illum; & ex ex eo, quòd exiſtat, arguitur neceſſariò Deum eſſe, à quo illa eſt.

Inſt. Ut concludatur exiſtentia Dei ex creaturis, debet in præmiſsis agnoſci dependentia illarum, & connexio cum illo; ſed id non poteſt ſic agnoſci, quin cognoſcatur ipſe Deus, & exiſtentia ejus, ergo non poteſt concludi exiſtentia Dei ex creaturis. Maj.patet ex legibus Logicæ. Prob.min. Non enim poſsunt pendere actu à non exiſtente actu, ergo nec actu dependere à Deo, niſi ipſe actu exiſtere ſciatur.

Reſp. diſt. min. Quin cognoſcatur Deus, & exiſtentia ejus ſimpliciter, & confusè, conc. diſtinctè, & formaliter, neg.min. In præmiſſis ergo talis concluſionis apprehenditur quidem ſimpliciter, & confusè, ac implicitè Dei exiſtentia eo ipſo, quòd agnoſcitur creaturarum exiſtentia cum dependentia ab illo; ſed in concluſione judicatur explicitè, formaliter, & diſtinctè, ac directè exiſtens; & ſic veritas, quæ continebatur confusè, & quaſi latens in præmiſſis, eruitur in lucem in concluſione.

Objic. 1. contra utramque concl. & exiſtentiam Dei. Si exiſteret aliquod ens, quod eſset Deus, illud eſset infinitum bonum, ſed hoc repugnat, & falſum eſſe conſtat ex omnium ſenſu, ergo non eſt Deus.

Prob. maj. Ens infinitè bonum excluderet neceſsariò omne malum; ſed hoc conſeq. eſt falſum, & contra fidem, & experientiam, & ſenſum omnium hominum, ergo & falſum eſt eſse Deum. Prob.maj. Nam ſi daretur ullum malum contrarium illi bono, iſtud eſset, & non eſset infinitum; ſed hoc conſequens implicat contradictionem, ergo & Deum eſse. Prob. maj eſset infinitum, ut ſupponitur; non eſset verò, quia limitaretur per illud malum, quod non poſſet impedire. Eodem modo probatur de occupatione omnis alterius entis tàm in ſe abſolutè, quàm in loco, & tempore.

Reſp.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. Si illud ens infinitum eſſet agens neceſſariò, & non liberè, conc. ſi eſſet agens liberè, neg. maj. & conſeq. *Cauſa infinita activa ex neceſsitate naturæ*, ait Doctor, [1] *non compatitur ſibi aliquod contrarium . . . . ſive formaliter, ſive virtualiter. Deus verò eſt cauſa activa liberè, & voluntariè agens reſpectu omnium, quæ ſunt extra ipſum, & ideò compatitur malum.* Et revera nullum eſt malum, cui Deus poſitivè formaliter ſit contrarius, ſed tantùm virtualiter, quatenus poſſet impedire, & excludere omne malum, ſi vellet; tamen quia liberè agit ad extra, non placet ei impedire. Si Sol eſſet infinitè calidus, impediret omne frigus, cùm ſit cauſa neceſsariò, & naturaliter agens; poſſet verò non impedire, ſi ageret liberè.

Inſt. Philoſophi credebant, Deum agere neceſsariò; & tamen admittebant aliquod malum, ergo hæc ſolutio non quadrat cum principiis Philoſophiæ.

Reſp. diſt. ant. Admittebant aliquod malum non contrarium Deo ſuo, qualem illum agnoſcebant, conc. ant. contrarium Deo ſuo, nego ant. & conſeq. Non agnoſcebant Deum, qualis eſt, & ideo non mirum, quòd errarint in multis circa illum.

Objic. 2. Etiam in ratione entis infiniti excluderet omne aliud ens, etiam finitum; ſed hoc eſt falſum; ergo non eſt Deus ut ens infinitum. Prob. maj. eadem ratione; & etiam quia ſicut ſe habet extenſio ad extenſionem, ita entitas ad entitatem; ſed ſi daretur corpus infinitè extenſum, occuparet omnem locum, & non compateretur aliud vel minimum locatum; ergo entitas infinita abſorberet omnes entitates, nec pateretur ullam aliam diſtinctam.

Reſp. neg. utramque maj. & diſparitas eſt in 2. quia una entitas non pugnat cum alia entitate; ſicut quantitas in uno loco, quem replet, repugnat cum alia: Unde, ſi una quantitas non repleret unum locum, non repugnaret cum alia ſimili, ut accidit in duabus quantitatibus ablata divinitùs impenetrabilitate, ut in corporibus glorioſis; ita eſt in entitate infinita reſpectu aliarum finitarum.

Inſt. Infinitum non poteſt fieri majus, ſed ſi cum ente

[1] *ibid. D.D. n.35.*

ente infinito daretur aliud finitum, faceret majus ens cum infinito; ergo, ſi Deus eſſet ens infinitum, non eſſet impoſſibile aliud ens, ne finitum quidem. Maj. patet, nam primum ens reſpectu ſecundi eſſet, & non eſſet infinitum; eſſet, ut ſupponitur, non eſſet autem, quia limitaretur reſpectu ejuſdem, cujus non includeret perfectionem. Prob. min. addito ente finito, primum fieret perfectius; ergo fieret majus.

Reſp. neg. min. & prob. nam ſicut Petrus non fit perfectior, nec major, cùm producitur Paulus; ita nec Deus fit entitativè perfectior, nec major, cùm producuntur entia creata; non ita eſt de quantitate, quæ fit major additione alterius quantitatis.

Objic. 3. quod ita eſt hoc, ut non ſit aliud, non eſt infinitum quoad entitatem; ſed Deus ita eſt hæc entitas, ut non ſit alia; ergo &c. Maj. patet. Quia omnis limitatio in entitate repugnat enti infinito; & ſicut, quod ita eſt hìc, ut non illic, vel alibi, non eſt immenſum, ita eſt de entitate. Prob. min. nam Deus eſt ens ſingulare; ergo ita eſt hoc ens increatum, ut non ſit ens creatum.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. omnis limitatio intrinſeca, con. extrinſeca, neg. maj. Deus intrinſecè eſt illimitatus entitativè, licèt ſingularis: & ita eſt hæc eſſentia, & entitas, infinita tamen, ut non ſit alia; quod autem ſit alia præter illam, id ei eſt extrinſecum.

Conſtat igitur Deum eſſe tùm ex fide, tùm ex lumine naturæ nobis indito; & id probari poteſt rationibus efficacibus. Videndum quibus.

QUÆSTIO II.

Quomodo demonſtretur exiſtentia Dei?

Non ſufficit dixiſſe Dei exiſtentiam efficacibus, & convincentibus rationibus probari poſſe contra Atheos; videndum quibus rationibus id confici poſſit, & an propria, & rigoroſa demonſtratione, eaque; vel *à priori*, vel *à poſteriori*. Pro quo vide, quæ diximus in Logica de natura, conditionibus, & diviſionibus demonſtrationis; quæ hìc repetere non placet. Sit igitur

Concluſio. *Dei exiſtentia demonſtrari poteſt à poſteriori, non autem à priori, quantum ad nos.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. quæſt. præced. & quidem 1. demonſtrat *dari aliquod Primum, quod non ſit effectibile, nec effectivum virtute alterius.* 2. *quod eſt aliquod finitivum primum*, id eſt, *non ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum finire alia.* [2] Et 3. *aliqua natura eminens eſt ſimpliciter prima ſecundum perfectionem, &c.* Scilicet demonſtrat exiſtentiam Dei ex triplici primitate cauſæ efficientis, cauſæ finalis, & Eminentiæ, &c.

Prima igitur demonſtratio ſic formatur. Omne, quod fit, ab alio fit; ergo omnia entia producta habent aliquam cauſam primam, quæ eſt improducta, & improducibilis; ergo Deus eſt; nam Dei nomine nihil aliud intelligimus, quàm talem cauſam. Ant. patet; nihil enim poteſt à ſe ipſo fieri; eſſet enim prius, & poſterius ſe ipſo, dependens, & independens, exiſtens, & non exiſtens, quæ implicant, ut diximus in Phyſica. Prob. conſeq. in ordine cauſarum effectivarum non datur proceſſus in infinitum; ergo præter entia producta debet dari aliquod primum producens, & improducibile. Patet conſeq. niſi enim daretur aliquod primum producens, & improductum, eſſet proceſſus in infinitum; quia nullum poſſet aſſignari, quod non produceretur ab alio, & per conſequens, quod non præſupponeret aliud prius, à quo productum eſſet; prob. ant. ordo cauſarum eſt inter cauſas ſubordinatas vel per ſe, & eſſentialiter, vel per accidens; ſed in neutro datur proceſſus in infinitum, ergo in ordine cauſarum effectivarum non datur proceſſus in infinitum.

Ad prob. min. ſuppono, quòd cauſa *Subordinata* illa eſt, quæ dependet ab alia ſuperiori in eſſendo, vel cauſando; & illa, à qua dependet, dicitur *Subordinans.* Rurſus [3] ſubordinatio illa eſt vel *per ſe, & eſſentialis*, quia cauſa ſubordinata nec eſſe, nec operari poteſt ſine concurſu ſubordinantis, & cauſalitates earum ſunt diverſæ rationis, & ſimul concurrunt ad illos effectus, reſpectu quorum ſunt ſubordinatæ; vel ſubordina-

[1] *Ibid. H. n. 11.* [2] *Ibid. N. n. 17. & O. n. 18.*
[3] *Ld. 2. q. 2. n. 11.*

dinatio eſt tantùm *accidentalis*; quando ſcilicet ſubordinata licèt habeat eſſe à ſubordinante, poteſt tamen agere ſine illa, & per concurſus ejuſdem rationis, & non exigit præſentiam ejus; v. g. ignis B. productus ab igne A. producit calorem abſque iſtius concurſu, & præſentia, & per influxum ejuſdem rationis. Hoc ſuppoſito

Prob. min. 1. de cauſis *per ſe* ſubordinatis; & r. quia ſi in illis daretur proceſſus in infinitum, nihil produceretur ſine concurſu infinitorum agentium; nam tota collectio cauſarum ſubordinantium eſſet infinita, & illæ omnes deberent ſimul coagere; ſed hoc eſt evidenter abſurdiſſimum, ergo & abſurdiſſimus eſt proceſſus infinitus in ordine cauſarum *per ſe*, & *eſſentialiter* ſubordinatarum. Prob. min. motio digiti mei penderet ab illis infinitis cauſis ſubordinantibus, & illarum determinatio ſucceſſiva à prima licèt indeterminata ad ultimam determinatam, quæ eſt manus, & voluntas mea, exigeret tempus, ſaltem retrò infinitum. Quid abſurdius?

Dices, non requiri concurſum actualem, & immediatum immediatione ſuppoſiti, niſi cauſæ proximioris, non autem remotiorum, à quibus ſubalternata haberet vim agendi.

Contra. Ergo cauſæ remotiores non influerent neceſſariò in illum motum; ergo non eſſent illius cauſæ *per ſe* ſubordinantes; quod eſt contra ſuppoſitionem; nam *per ſe* ſubordinantes debent neceſſariò coagere cum *per ſe* ſubordinata; aut ſaltem deberent conſervare iſtam in eſſe; ſicut in ſententia Durandi de concurſu Dei, ipſe conſervat creaturas in eſſe cum virtute agendi, licèt cum illis non agat immediatè.

Prob. 2. eadem min. nam in tota collectione talium cauſarum, quæ de facto exiſterent, quoties aliquid efficitur, aliqua eſſet infinitæ perfectionis; ergo una eſſet Deus; quia Dei nomine intelligimus cauſam perfectionis infinitæ. Prob. ant. nam cauſæ omnes ſimul ſumptæ connectuntur, & ſubordinantur ut ſuperiores, & ſubalternantes, & eò perfectiores, quò ſunt independentiores, & ſuperiores ſubalternata ultima, quæ de præſenti agit; ſed illæ ſubalternantes collectivè ſunt infinitæ, & actu exiſtunt; quia actu

coagunt (ut dictum eſt) ergo una illarum eſt poſitivè infinitæ perfectionis; ergo eſt Deus.

Prob. 3. eadem min. de cauſis ſubordinatis *accidentariò*. Omnes, & ſingulæ illæ cauſæ infinitæ eſſent à ſe, vel non à ſe; nec enim datur medium inter contradictoria; ſed neutrum dici poteſt, quin admittatur Deus; ergo non datur proceſſus infinitus in cauſis per accidens. Prob. min. 1. ſi eſſent à ſe; ergo tota illa collectio cauſarum eſſet Deus; quia ens à ſe eſt Deus, prob. 2. ſi eſſent ab alio; ergo illud aliud eſſet à ſe, & Deus; quia illud eſſet extra collectionem entium, & cauſarum ab alio productarum, & non exiſtentium à ſe.

Dices 1. hoc argumentum eſſe à diſtributivo ad collectivum, & ideo vitioſum; ſicut ſi diceres: *Singuli homines ſunt individuum*; ergo *omnes ſunt individuum*. Similiter cum dicimus, *ſingulæ cauſæ ſunt à ſe, vel ab alio*; Non benè infertur; ergo *tota collectio earum eſt à ſe, vel ab alio*.

Contra. *Regula illa à diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia*, valet tantùm in quantitatibus continuis, vel diſcretis; non verò in prædicatis qualitativis, & eſſentialibus, v. g. *ſinguli homines ſunt rationales*, aut *albi*, rectè infertur; ergo *omnes ſunt rationales*, aut *albi*. Similiter poſito, quod ſingulæ cauſæ per ſe, aut per accidens ſint productæ, rectè infero; ergo omnes collectivè ſunt productæ; ergo datur aliqua extra illam collectionem, quæ eſt à ſe, & improducta, & per quam illæ productæ ſunt, cùm nulla illarum ſit à ſe.

Dices 2. argumentum ſupponit, primò illas cauſas eſſe infinitas in infinitum etiam collectivè, & ſic non datur talis collectio. 2. in tali infinitate non datur totalitas, ſicut nec pars, ex Ariſtotele. [1]

Contra 1. nam illæ omnes, & ſingulæ cauſæ ſunt entia, & exiſtunt, & agunt, aut egerunt; ergo quantumcumque infinitæ, ſumi poſſunt collectivè tam benè, & verè, quàm quicumque numerus finitus; & de infinito æquè poteſt dici, *totum*, & *omne*, quàm de finito; licèt alio ſenſu, & ſicut ab infinito poteſt auferri numerus finitus, ſic collectivè poteſt exprimi totalitas. Voces iſtæ, *omne*, & *totum*, in omni Lin-

[1] 3. *Phy.* 7.

Lingua, & bona Grammatica ſignificant id, quod eſt in aliqua multitudine, quo excepto nihil aliud ibi eſt. Unde finitas, vel infinitas nihil faciunt ad hoc. *Cum dico, omnes, & ſingulæ illæ cauſæ*, vel *tota collectio*, idem eſt, ac ſi dicerem, nulla eſt inter illas, quæ non ſit ab alio; vel quælibet illarum eſt ab alio.

Dices 3. inter productum, & improductum debet dati medium; nam eſſentiæ rerum ſunt æternæ, & nec ſunt productæ, nec improductæ. Habent enim eſſe *diminutum*, & ſecundum quid; ergo ruit argumentum.

Contra. Eſſentiæ in eo ſenſu ſunt verè improductæ, ſeu non productæ, cùm non habeant ullum eſſe actuale, quod per productionem acquiritur: de quo tamen loquimur. Nam eſſe illud diminutum, non eſt quid actuale, nec poſitivum.

Dices denique. [1] Phœnicem à ſe ipſo deſinere, & reproduci; *Nam perit, ut vivat, ſe tamen ipſe creat*, inquit Lactantius; ergo non omne eſt productum ab alio.

Contra; tum quia illud dictum de Phœnice fabula eſt, non hiſtoria, teſte Plinio; tum quia Phœnix non reviviſcit idem numero, ſed ſpecie; unde ille, qui reviviſcit hodie, generatur ab eo, qui mortuus erat nuper; & ſic de cæteris. Tum quia Phœnix mortuus non generat propriè iſtum, qui hodiè dicitur ex cineribus reſurgere; ſed reliquit materiam, ex qua iſte generatur.

2. Demonſtratio petitur ex contingentia rerum, & ſic formatur. Videmus quotidie res fieri, & deſinere, corrumpi & alterari; & ſic contingenter ſe habent ad eſſe, & non eſſe; ergo debet dari aliquod ens neceſſarium, ſcilicet quod ita ſit, ut non poſſit non eſſe, nec aliter eſſe; ſed iſtud ens eſt Deus; ergo Deus eſt. Ant. patet experientia. Prob. conſeq. Si omnia prorſus eſſent contingentia, poſſent etiam omnia non eſſe, & deſinere, ſicut aliquando non fuerunt; ergo aliquando nihil fuit, aut nihil poſſet eſſe in rerum natura; ergo datur aliquod ens neceſſarium, à quo iſta acceperint eſſe. Prob. conſeq. non enim à ſe ipſis habuerunt, nec potuerunt habere eſſe,

[1] L. 10. c. 2.

Reſp. neg. min. & diſt. prob. Nullum noverant numen clarè, & diſtinctè, conc. confusè, & imperfectè, neg. ant. *Perſa, Gothus, Ægyptius ipſum cognoſcunt, Beſſorum feritas, & Pellitorum turba populorum ſtridorem ſuum in dulce nominis ejus fregerunt melos, & totius mundi, una vox*, Deus eſt, ait Hieron. [1]

Inſt. Plures non ſolùm non agnoſcunt, ſed etiam negant Deum eſſe; ſed hoc non facerent, ſi notitia ejus eſset innata; ergo non eſt innata. Min. patet, quod enim eſt evidens à natura, non poteſt negari, v. g. quis auderet negare hanc veritatem, *Totum eſt majus ſua parte*? Prob. min. tum experientia: de innumeris Atheis, tum ex Scrip. [2] *Dixit enim inſipiens: non eſt Deus.*

Reſpond. diſt. maj. Ex malitia, & perverſitate mentis, conc. ex ignorantia, neg. ant. & probationem ejus. Nam tales Atheiſtæ Deum non cogitant ex perverſitate mentis, quæ claudit oculos ad lumen; quod patet ex illo textu Scripturæ; nam qui hoc dicit, cenſetur inſipiens, & mente excæcatus, aut captus; & adhuc aliquid eſt in eo timoris, dum ſic loquitur, quandoquidem non apertè, ſed in ſecreto cordis ſui hoc dicit: [3] *Nec ipſi ſacrilegi, & deteſtandi Philoſophi, qui perverſa, & falſa de Deo ſentiunt, auſi ſunt dicere*, non eſt Deus. *Hoc nemo audet dicere, etiamſi auſus fuerit cogitare.*

Concl. 2. *Dei exiſtentia poteſt ratione naturali efficaciter probari*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [4] *De ente infinito non poteſt demonſtrari demonſtratione propter quid quantum ad nos, licèt ex natura terminorum propoſitio eſſet demonſtrabilis propter quid; ſed quantum ad nos propoſitio hæc*, Deus eſt, *eſt demonſtrabilis demonſtratione quia ex creaturis.*

Prob. 2. ex Scriptura, & PP. Nam D. Paulus [5] id probari docet per diſcurſum ab effectis ejus, ſeu ex creaturis. *Quod notum eſt Dei*, id eſt, *quod eſt cognoſcibile de Deo ab homine per rationem*, inquit S. Thomas, *manifeſtum eſt illis, Deus enim illis*

[1] *Epiſt. 3. ad Nepot.* [2] *Pſ. 13.* [3] *Aug. ibid.*
[4] *1. d. 2. q. 2.* G. *n. 10.* [5] *Rom. 1. ibi hom. 3.*

illis manifeſtavit; Inviſibilia enim ejus à creatura mundi per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur.... ita ut inexcuſabiles ſint. Et quomodo manifeſtavit? an revelatione vocali, interna, vel externa? *Unde nam igitur manifeſta erant?* inquit Chryſoſtomus; *vocem è ſuperis immiſit illis Deus? nequaquam; ſed quod illos voce validiùs illicere poterat, id fecit: mundi creatione in medium propoſita, ut poſſit ſapiens, rudis, Scytha, Barbarus ex ipſo aſpectu eorum, quæ oculis ſubjecta ſunt, pulchritudinem edoctus, ad Deum conſcendere*.

Item Sapiens dicebat, [1] quòd *vani ſunt homines, in quibus non ſubeſt ſcientia Dei, & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui eſt, neque ex operibus attendentes agnoverunt, quis eſſet artifex.... à magnitudine enim ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit eorum Creator videri*, &c. *Interroga jumenta, et docebunt te*, &c. ergo per naturales rationes ex creaturis Dei exiſtentia agnoſci, & probari poteſt, & quidem efficaciter.

Dices, id quidem probari, ſed non niſi probabiliter, non autem efficaciter. Sed

Contra. Nam termini Scripturæ, quibus Deum probari docet, ſignificant probationes efficaciſſimas, & convincentes; id enim ſignificant voces iſtæ, *cognoſcibiliter videri*; &, *notum eſt*; &, *manifeſtum eſt*; &, *intellecta conſpiciuntur*, Id eſt, *tam evidenter intellecta ſunt, ut conſpecta dicantur*, inquit Hieronymus: [2] *Deus poteſt inveniri per creaturam evidenter*, dicente Apoſtolo, *inviſibilia enim ipſius*, &c. ait Auguſt. idem evincit S. Maximus [3] ex voce, *conſpiciuntur*. Nam *creatura claram præbet notitiam, quòd ſit conditor, at non qualis ſit*.

Prob. 3. ex ipſis Ethnicis. Nam, inquit Ariſt. [4] *Cùm Deus univerſę mortalis naturę minus cernatur; ex ipſius nimirum operibus ſatis perſpicitur*. Et Cic. cit. [5] *quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quam*

[1] *Sap.* 3. [2] *Tract.* 2. *in Joan.* [3] *Cent.* 2. *c.* 8. [4] *l. de mundo.* [5] *de nat. Deor.*

quàm aliquod eſſe numen præſtantiſſimæ mentis, qua hæc regantur, & alibi: [1] *præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam, adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.*

Prob. 4. ratione tum ex demonſtrationibus adducendis, quibus id manifeſtè evincitur; tum ex dicendis, quòd Deus eſt finis etiam naturalis hominis; ergo debet etiam exiſtentia ejus ex aliquibus principiis naturalibus cognoſci, & quidem certò; alioqui non poſſet illum velle, & intendere.

Objic. Dei exiſtentia creditur ex fide; ergo de illa non eſt ſcientia. Ant. patet ex præced. Prob. conſeq. Scientia, & fides non poſſunt eſſe ſimul in eodem intellectu de eodem objecto.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. prob. in eodem, & de eodem, & eodem actu, ac motivo, conc. diverſis actibus, ac motivis, n. ant. Uno ergo actu aſſentimur huic veritati, *Deus eſt*, propter revelationem; & alio actu propter evidentem rationem.

Objic. 2. ex Scriptura, & omnium PP. & Doctorum ſententia, homo non poteſt attingere Deum ſine ſpeciali, & ſupernaturali Dei auxilio, ne credendo quidem, ut loquitur Conc. Trid. ergo multò minùs per rationem naturalem. Prob. ant. *Quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi Spiritus Dei*, & Concil. Arauſic. dicit, [2] *hominem nihil habere de ſuo, niſi mendacium, & peccatum*. Et idem docent SS. PP. ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. Non poteſt attingere ſicut oportet ad ſalutem, & quoad *quid eſt*, conc. naturaliter, & quoad *an eſt*, ſeu quoad exiſtentiam, neg. ant. ſimiliter diſt. prob. Sic enim intelligenda ſunt loca Scripturæ, & Conciliorum, & Patrum.

Objic. 3. Ut cauſa certò cognoſcatur ex effectu, debet eſſe, & cognoſci certa, & neceſſaria connexio inter illa; ſed nulla talis eſt inter Deum, & creaturas; ergo ille non poteſt ex his cognoſci. Prob. min. Nam Deus eſt neceſſariò, & creaturæ ſunt contingenter; ſed contingens, & neceſſarium non poſſunt neceſſariò connecti, ergo, &c.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. Non poſſunt conne-
cti

[1] *2. de divinat.* [2] *can. 22.*

ſti neceſſariò abſolutè, & antecedenter, conc. ex ſuppoſitione, & ex conſequenti, neg.min. & conſeq. Abſolutè loquendo, & ſecundum ſe Deus non habet neceſſariam ullam connexionem cum creatura ulla, & poſſet eſſe ſine illa; ſed ex ſuppoſitione, quòd creatura exiſtat, connexionem neceſſariæ dependentiæ habet ad illum; & ex ex eo, quòd exiſtat, arguitur neceſſariò Deum eſſe, à quo illa eſt.

Inſt. Ut concludatur exiſtentia Dei ex creaturis, debet in præmiſsis agnoſci dependentia illarum, & connexio cum illo; ſed id non poteſt ſic agnoſci, quin cognoſcatur ipſe Deus, & exiſtentia ejus, ergo non poteſt concludi exiſtentia Dei ex creaturis. Maj.patet ex legibus Logicæ. Prob. min. Non enim poſsunt pendere actu à non exiſtente actu, ergo nec actu dependere à Deo, niſi ipſe actu exiſtere ſciatur.

Reſp. diſt. min. Quin cognoſcatur Deus, & exiſtentia ejus ſimpliciter, & confusè, conc. diſtinctè, & formaliter, neg.min. In præmiſſis ergo talis concluſionis apprehenditur quidem ſimpliciter, & confusè, ac implicitè Dei exiſtentia eo ipſo, quòd agnoſcitur creaturarum exiſtentia cum dependentia ab illo; ſed in concluſione judicatur explicitè, formaliter, & diſtinctè, ac directè exiſtens; & ſic veritas, quæ continebatur confusè, & quaſi latens in præmiſſis, eruitur in lucem in concluſione.

Objic. 1. contra utramque concl. & exiſtentiam Dei. Si exiſteret aliquod ens, quod eſset Deus, illud eſset infinitum bonum, ſed hoc repugnat, & falſum eſſe conſtat ex omnium ſenſu, ergo non eſt Deus.

Prob. maj. Ens infinitè bonum excluderet neceſsariò omne malum; ſed hoc conſeq. eſt falſum, & contra fidem, & experientiam, & ſenſum omnium hominum, ergo & falſum eſt eſse Deum. Prob.maj. Nam ſi daretur ullum malum contrarium illi bono, iſtud eſset, & non eſset infinitum; ſed hoc conſequens implicat contradictionem, ergo & Deum eſse. Prob. maj eſset infinitum, ut ſupponitur; non eſset verò, quia limitaretur per illud malum, quod non poſſet impedire. Eodem modo probatur de occupatione omnis alterius entis tàm in ſe abſolutè, quàm in loco, & tempore.

Reſp.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. Si illud ens infinitum eſset agens neceſſariò, & non liberè, conc. ſi eſſet agens liberè, neg. maj. & conſeq. *Cauſa infinita activa ex neceſsitate naturæ*, ait Doctor, [1] *non compatitur ſibi aliquod contrarium . . . . ſive formaliter, ſive virtualiter. Deus verò eſt cauſa activa liberè, & voluntariè agens reſpectu omnium, quæ ſunt extra ipſum, & ideò compatitur malum.* Et revera nullum eſt malum, cui Deus poſitivè formaliter ſit contrarius, ſed tantùm virtualiter, quatenus poſſet impedire, & excludere omne malum, ſi vellet; tamen quia liberè agit ad extra, non placet ei impedire. Si Sol eſſet infinitè calidus, impediret omne frigus, cùm ſit cauſa neceſsariò, & naturaliter agens; poſſet verò non impedire, ſi ageret liberè.

Inſt. Philoſophi credebant, Deum agere neceſsariò; & tamen admittebant aliquod malum; ergo hæc ſolutio non quadrat cum principiis Philoſophiæ.

Reſp. diſt. ant. Admittebant aliquod malum non contrarium Deo ſuo, qualem illum agnoſcebant, conc. ant. contrarium Deo ſuo, nego ant. & conſeq. Non agnoſcebant Deum, qualis eſt, & ideo non mirum, quòd errarint in multis circa illum.

Objic. 2. Etiam in ratione entis infiniti excluderet omne aliud ens, etiam finitum; ſed hoc eſt falſum; ergo non eſt Deus ut ens infinitum. Prob. maj. eadem ratione; & etiam quia ſicut ſe habet extenſio ad extenſionem, ita entitas ad entitatem; ſed ſi daretur corpus infinitè extenſum, occuparet omnem locum, & non compateretur aliud vel minimum locatum; ergo entitas infinita abſorberet omnes entitates, nec pateretur ullam aliam diſtinctam.

Reſp. neg. utramque maj. & diſparitas eſt in 2. quia una entitas non pugnat cum alia entitate; ſicut quantitas in uno loco, quem replet, repugnat cum alia: Unde, ſi una quantitas non repleret unum locum, non repugnaret cum alia ſimili, ut accidit in duabus quantitatibus ablata divinitùs impenetrabilitate, ut in corporibus glorioſis; ita eſt in entitate infinita reſpectu aliarum finitarum.

Inſt. Infinitum non poteſt fieri majus, ſed ſi cum ente

[1] *ibid. D.D. n.35.*

ente infinito daretur aliud finitum , faceret majus ens cum infinito; ergo, ſi Deus eſſet ens infinitum, non eſſet impoſſibile aliud ens, ne finitum quidem. Maj. patet, nam primum ens reſpectu ſecundi eſſet, & non eſſet infinitum; eſſet, ut ſupponitur, non eſſet autem, quia limitaretur reſpectu ejuſdem, cujus non includeret perfectionem. Prob. min. addito ente finito, primum fieret perfectius; ergo fieret majus.

Reſp. neg. min. & prob. nam ſicut Petrus non fit perfectior, nec major, cùm producitur Paulus; ita nec Deus fit entitativè perfectior, nec major, cùm producuntur entia creata; non ita eſt de quantitate, quæ fit major additione alterius quantitatis.

Objic. 3. quod ita eſt hoc, ut non ſit aliud, non eſt infinitum quoad entitatem; ſed Deus ita eſt hæc entitas, ut non ſit alia; ergo &c. Maj. patet. Quia omnis limitatio in entitate repugnat enti infinito; & ſicut, quod ita eſt hìc, ut non illic, vel alibi, non eſt immenſum, ita eſt de entitate. Prob. min. nam Deus eſt ens ſingulare; ergo ita eſt hoc ens increatum, ut non ſit ens creatum.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. omnis limitatio intrinſeca, con. extrinſeca, neg. maj. Deus intrinſecè eſt illimitatus entitativè, licèt ſingularis: & ita eſt hæc eſſentia, & entitas, infinita tamen, ut non ſit alia; quod autem ſit alia præter illam, id ei eſt extrinſecum.

Conſtat igitur Deum eſſe tùm ex fide, tùm ex lumine naturæ nobis indito; & id probari poteſt rationibus efficacibus. Videndum quibus.

QUÆSTIO II.

Quomodo demonſtretur exiſtentia Dei?

Non ſufficit dixiſſe Dei exiſtentiam efficacibus, & convincentibus rationibus probari poſſe contra Atheos; videndum quibus rationibus id confici poſſit, & an propria, & rigoroſa demonſtratione, eaque; vel *à priori*, vel *à poſteriori*. Pro quo vide, quæ diximus in Logica de natura, conditionibus, & diviſionibus demonſtrationis; quæ hìc repetere non placet. Sit igitur

Concluſio. *Dei exiſtentia demonſtrari poteſt à poſteriori, non autem à priori, quantum ad nos.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. quæſt. præced. & quidem 1. demonſtrat *dari aliquod Primum, quod non ſit effectibile, nec effectivum virtute alterius.* 2. *quod eſt aliquod finitivum primum;* id eſt, *non ad aliud ordinabile, nec in virtute alterius natum finire alia.* [2] Et 3. *aliqua natura eminens eſt ſimpliciter prima ſecundum perfectionem, &c.* Scilicet demonſtrat exiſtentiam Dei ex triplici primitate cauſæ efficientis, cauſæ finalis, & Eminentiæ, &c.

Prima igitur demonſtratio ſic formatur. Omne, quod fit, ab alio fit; ergo omnia entia producta habent aliquam cauſam primam, quæ eſt improducta, & improducibilis; ergo Deus eſt; nam Dei nomine nihil aliud intelligimus, quàm talem cauſam. Ant. patet; nihil enim poteſt à ſe ipſo fieri; eſſet enim prius, & poſterius ſe ipſo, dependens, & independens, exiſtens, & non exiſtens, quæ implicant, ut diximus in Phyſica. Prob. conſeq. in ordine cauſarum effectivarum non datur proceſſus in infinitum; ergo præter entia producta debet dari aliquod primum producens, & improducibile. Patet conſeq. niſi enim daretur aliquod primum producens, & improductum, eſſet proceſſus in infinitum; quia nullum poſſet aſſignari, quod non produceretur ab alio, & per conſequens, quod non præſupponeret aliud prius, à quo productum eſſet; prob. ant. ordo cauſarum eſt inter cauſas ſubordinatas vel per ſe, & eſſentialiter, vel per accidens; ſed in neutro datur proceſſus in infinitum, ergo in ordine cauſarum effectivarum non datur proceſſus in infinitum.

Ad prob. min. ſuppono, quòd cauſa *Subordinata* illa eſt, quæ dependet ab alia ſuperiori in eſſendo, vel cauſando; & illa, à qua dependet, dicitur *Subordinans.* Rurſus [3] ſubordinatio illa eſt vel *per ſe, & eſſentialis,* quia cauſa ſubordinata nec eſſe, nec operari poteſt ſine concurſu ſubordinantis, & cauſalitates earum ſunt diverſæ rationis, & ſimul concurrunt ad illos effectus, reſpectu quorum ſunt ſubordinatæ; vel ſubordina-

[1] *Ibid. H. n. 11.* [2] *Ibid. N. n. 17. & O. n. 18.*
[3] *Id. 2. q. 2. n. 11.*

dinatio eſt tantùm *accidentalis*; quando ſcilicet ſubordinata licèt habeat eſſe à ſubordinante, poteſt tamen agere ſine illa, & per concurſus ejuſdem rationis, & non exigit præſentiam ejus; v. g. ignis B. productus ab igne A. producit calorem abſque iſtius concurſu, & præſentia, & per influxum ejuſdem rationis. Hoc ſuppoſito

Prob. min. 1. de cauſis *per ſe* ſubordinatis; & r. quia ſi in illis daretur proceſſus in infinitum, nihil produceretur ſine concurſu infinitorum agentium; nam tota collectio cauſarum ſubordinantium eſſet infinita, & illæ omnes deberent ſimul coagere; ſed hoc eſt evidenter abſurdiſſimum, ergo & abſurdiſſimus eſt proceſſus infinitus in ordine cauſarum *per ſe*, & *eſſentialiter* ſubordinatarum. Prob. min. motio digiti mei penderet ab illis infinitis cauſis ſubordinantibus, & illarum determinatio ſucceſſiva à prima licèt indeterminata ad ultimam determinatam, quæ eſt manus, & voluntas mea, exigeret tempus, ſaltem retrò infinitum. Quid abſurdius?

Dices, non requiri concurſum actualem, & immediatum immediatione ſuppoſiti, niſi cauſæ proximioris, non autem remotiorum, à quibus ſubalternata haberet vim agendi.

Contra. Ergo cauſæ remotiores non influerent neceſſariò in illum motum; ergo non eſſent illius cauſæ *per ſe* ſubordinantes; quod eſt contra ſuppoſitionem; nam *per ſe* ſubordinantes debent neceſſariò coagere cum *per ſe* ſubordinata; aut ſaltem deberent conſervare iſtam in eſſe; ſicut in ſententia Durandi de concurſu Dei, ipſe conſervat creaturas in eſſe cum virtute agendi, licèt cum illis non agat immediatè.

Prob. 2. eadem min. nam in tota collectione talium cauſarum, quæ de facto exiſterent, quoties aliquid efficitur, aliqua eſſet infinitæ perfectionis; ergo una eſſet Deus; quia Dei nomine intelligimus cauſam perfectionis infinitæ. Prob. ant. nam cauſæ omnes ſimul ſumptæ connectuntur, & ſubordinantur ut ſuperiores, & ſubalternantes, & eò perfectiores, quò ſunt independentiores, & ſuperiores ſubalternata ultima, quæ de præſenti agit; ſed illæ ſubalternantes collectivè ſunt infinitæ, & actu exiſtunt; quia actu

coagunt (ut dictum eſt) ergo una illarum eſt poſitivè infinitæ perfectionis; ergo eſt Deus.

Prob. 3. eadem min. de cauſis ſubordinatis *accidentariò*. Omnes, & ſingulæ illæ cauſæ infinitæ eſſent à ſe, vel non à ſe; nec enim datur medium inter contradictoria; ſed neutrum dici poteſt, quin admittatur Deus; ergo non datur proceſſus infinitus in cauſis per accidens. Prob. min. 1. ſi eſſent à ſe; ergo tota illa collectio cauſarum eſſet Deus; quia ens à ſe eſt Deus, prob. 2. ſi eſſent ab alio; ergo illud aliud eſſet à ſe, & Deus; quia illud eſſet extra collectionem entium, & cauſarum ab alio productarum, & non exiſtentium à ſe.

Dices 1. hoc argumentum eſſe à diſtributivo ad collectivum, & ideo vitioſum; ſicut ſi diceres: *Singuli homines ſunt individuum*; ergo *omnes ſunt individuum*. Similiter cum dicimus, *ſingulæ cauſæ ſunt à ſe, vel ab alio*; Non benè infertur; ergo *tota collectio earum eſt à ſe, vel ab alio*.

Contra. *Regula illa à diſtributivo ad collectivum non valet conſequentia*, valet tantùm in quantitatibus continuis, vel diſcretis; non verò in prædicatis qualitativis, & eſſentialibus, v. g. *ſinguli homines ſunt rationales*, aut *albi*, rectè infertur; ergo *omnes ſunt rationales*, aut *albi*. Similiter poſito, quod ſingulæ cauſæ per ſe, aut per accidens ſint productæ, rectè infero; ergo omnes collectivè ſunt productæ; ergo datur aliqua extra illam collectionem, quæ eſt à ſe, & improducta, & per quam illæ productæ ſunt, cùm nulla illarum ſit à ſe.

Dices 2. argumentum ſupponit, primò illas cauſas eſſe infinitas in infinitum etiam collectivè, & ſic non datur talis collectio. 2. in tali infinitate non datur totalitas, ſicut nec pars, ex Ariſtotele. [1]

Contra 1. nam illæ omnes, & ſingulæ cauſæ ſunt entia, & exiſtunt, & agunt, aut egerunt; ergo quantumcumque infinitæ, ſumi poſſunt collectivè tam benè, & verè, quàm quicumque numerus finitus; & de infinito æquè poteſt dici, *totum*, & *omne*, quàm de finito; licèt alio ſenſu, & ſicut ab infinito poteſt auferri numerus finitus, ſic collectivè poteſt exprimi totalitas. Voces iſtæ, *omne*, & *totum*, in omni Lin-

[1] 3. *Phy*. 7.

Lingua, & bona Grammatica ſignificant id, quod eſt in aliqua multitudine, quo excepto nihil aliud ibi eſt. Unde finitas, vel infinitas nihil faciunt ad hoc. *Cum dico, omnes, & ſingulæ illæ cauſæ*, vel *tota collectio*, idem eſt, ac ſi dicerem, nulla eſt inter illas, quæ non ſit ab alio; vel quælibet illarum eſt ab alio.

Dices 3. inter productum, & improductum debet dari medium; nam eſſentiæ rerum ſunt æternæ, & nec ſunt productæ, nec improductæ. Habent enim eſſe *diminutum*, & ſecundum quid; ergo ruit argumentum.

Contra. Eſſentiæ in eo ſenſu ſunt verè improductæ, ſeu non productæ, cùm non habeant ullum eſſe actuale, quod per productionem acquiritur: de quo tamen loquimur. Nam eſſe illud diminutum, non eſt quid actuale, nec poſitivum.

Dices denique. [1] Phœnicem à ſe ipſo deſinere, & reproduci; *Nam perit, ut vivat, ſe tamen ipſe creat*, inquit Lactantius; ergo non omne eſt productum ab alio.

Contra; tum quia illud dictum de Phœnice fabula eſt, non hiſtoria, teſte Plinio; tum quia Phœnix non reviviſcit idem numero, ſed ſpecie; unde ille, qui reviviſcit hodie, generatur ab eo, qui mortuus erat nuper; & ſic de cæteris. Tum quia Phœnix mortuus non generat propriè iſtum, qui hodiè dicitur ex cineribus reſurgere; ſed reliquit materiam, ex qua iſte generatur.

2. Demonſtratio petitur ex contingentia rerum, & ſic formatur. Videmus quotidie res fieri, & deſinere, corrumpi & alterari; & ſic contingenter ſe habent ad eſſe, & non eſſe; ergo debet dari aliquod ens neceſſarium, ſcilicet quod ita ſit, ut non poſſit non eſſe, nec aliter eſſe; ſed iſtud ens eſt Deus; ergo Deus eſt. Ant. patet experientia. Prob. conſeq. Si omnia prorſus eſſent contingentia, poſſent etiam omnia non eſſe, & deſinere, ſicut aliquando non fuerunt; ergo aliquando nihil fuit, aut nihil poſſet eſſe in rerum natura; ergo datur aliquod ens neceſſarium, à quo iſta acceperint eſſe. Prob. conſeq. non enim à ſe ipſis habuerunt, nec potuerunt habere eſſe,

[1] *L.10.c.2.*

nec eſt ulla ratio in ipſis, cur jam ſint, & non ante, vel poſt; ergo recurrendum ad aliquod ens neceſſarium, à quo ſic determinentur ad eſſe, vel non eſſe. Prob. ant. nam antequam eſſent, non poterant agere, nec exigere eſſe, vel non eſſe.

3. Petitur ex ratione finis ultimi. Nam datur unum primum efficiens, à quo ſint omnia, & ipſe à nullo niſi à ſe ipſo; ergo & datur ultimus finis, & bonum ſummum, ad quod ſint omnia, & ipſum ad nullum aliud ſit referibile. Ant. patet ex 1. & 2. demonſtratione. Prob. conſ. tum quia primitas illa in ordine efficientium importat ſummam independentiam, & perfectionem; quod enim eſt à ſe, & à quo ſunt omnia, eſt abſolutè ſuper omnia; ergo eſt etiam propter ſe ultimatè, & ſuper omnia appetibile.

4. Petitur à præeminentia; quia ſicut datur primum efficiens omnium, & ultimus finis, ita in illo eſt plenitudo perfectionum omnium poſſibilium; non enim cauſaret illas, niſi illas haberet, aut formaliter, ſi eſt cauſa *Univoca*, aut virtualiter, aut eminenter, ſi eſt *æquivoca*; *nemo enim dat, quod non habet*, aliquo ex his modis: ſed ens, in quo eſt illa plenitudo perfectionum, eſt Deus; ergo Deus eſt. min. patet, nam *Deus eſt, quo nihil melius excogitari poteſt*, inquit S. Anſelm. [1] *Univerſum enim, quod eſt tanquam immenſum quoddam, & infinitum eſſendi Pelagus, complexu ſuo continet*, ait Damaſc. *& non quoquo pacto Deus eſt, ſed ſimpliciter, & incircumſcripte totum in ſe pariter ambiens, & præambiens.* Ait Dionyſ. [2]

5. Ex creaturis, & mirabili mundi fabrica, diſpoſitione, ſeu ordine conſtanti, & pulcherrimo inter tot, tantaſque elementorum contrarietates, & rerum viciſſitudines uniformi, ita ut non ſolùm illæ, quæ ſenſu, aut ratione pollent, ſed etiam quæ utroque carent, uniformiter in ſuos fines tendant, &c. Quæ omnia arguunt evidenter & factorem, & moderatorem ſummum, dicente Scriptura, [3] *à magnitudine ſpeciei, & creaturæ poterit Creator horum videri cognoſcibiliter*; [4] &, *Inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Inde ab ipſis Phi-

[1] 1. *de fide c.*12. [2] *de divinis nom.c.*3.
[3] *Sap.*13. [4] *Rom.*1.

Philoſophis Ethnicis agnitus eſt. Nam, *quonam pacto ordo erit non exiſtente aliquo perpetuo, ſeparato, ac permanente?* ajebat Ariſt. [1] &, *eſſe præſtantem aliquam naturam, æternamque, & eam ſuſpiciendam, admirandamque hominum generi, pulchritudo mundi, rerumque ordo cœleſtium cogit fateri*; dicebat Cicero. Et id à fortiori patet ex SS. Patribus.

Dicet Atheus: eſſe à rerum natura, ut ſic ordinata ſint, & directa, non ab aliquo moderante.

Contra. Nam dicet eſſe à natura, quod terra non ſit major,& amplior, quàm nunc eſt de facto; ita eſt de cœlo, & aliis entibus: idem eſt de ſucceſſione tempeſtatum æſtatis, & hyemis, veris, & autumni; quid enim prohibuit autumnum, aut ver ubique perpetuum? Solis motum tardiorem, aut velociorem? &c.

Dicet alius hæc eſſe quidem facta, ſed coaluiſſe ex Atomorum in nihili ſinu ſe ſe moventium, & diſcurrentium occurſu. Sic Democritus ſomniabat.

Contra 1. quia ipſæ Atomi ſunt entia in nihilo; ergo vel à ſe, vel ab alio, &c. 2. Palatia, Domus, & alia artefacta tribuuntur peritiæ artificum, non lapidum, & arenæ, ac cœmenti, & lignorum occurſu fortuito: ergo tot mirabiliora, & ordinatiora opera ineptè tribuuntur fortuito Atomorum fictorum occurſui. 3. Homo quantumvis ratione, & conſilio præditus non poſſet fabricare hominem, & dare illi vocem, motum, oculos, &c. Idem eſt de aliis mundi corporibus, de cœlis, de aere, aqua, &c. ergo nihil ſtultius, quàm fingere hæc potuiſſe fieri caſu, & occurſu Atomorum. [2] *Quis adeò rationis expers, ut hoc, quo neque formoſius quidquam, nec diſpoſitius, nec in propoſito conſtantius, exiſtimet fortuitum, & caſu volubile, et non à ſuprema aliqua ratione ordinatum?* ait Seneca. *Tanta qui videat, et talia, poteſt exiſtimare nullo effecta eſſe conſilio, nulla convenientia, nulla ratione divina, ſed ex Atomis ſubtilibus, et exiguis concreta eſſe tanta miracula? nonne prodigio ſimile eſt, aut natum eſſe hominem, qui hæc diceret, aut extitiſſe, qui crede-*

[1] 12. *Metaph. c.* 2.
[2] *l.* 1. *q. natu. præf.*

crederet? Inquit Lactant. [1] *mobilitate, & mundus; ergo iſte ſua ordinatiſſima mutabilitate, & viſibilium omnium pulcherrima ſpecie, quodammodo tacitus, & factum ſe eſſe, & non niſi à Deo ineffabiliter pulchrè fieri ſe potuiſſe proclamat*, concludit Aug. [2]
Similiter & à fortiori arguitur ex cœlorum machina, & motu, & ex hominis fabrica, & natura; [3] *nam cæli enarrant gloriam Dei*, &c. [4] Et ut fatebatur Machabæa filiis ſuis; *non ego Spiritum, & animam dedi vobis, & vitam, & ſingulorum membra non ego ipſa compegi, ſed mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem*, &c.

6. Ex moralibus etiam colliguntur rationes inviœiſſimæ; tum ex omnium ſenſu hominum rationabiliter, & honeſtè viventium, qui in hoc maximè à feris differunt, quod Deum agnoſcant, ut fatebatur Plato, Teſte Marſil. Ficino. [5] Tum ex inſito timore Dei, quem ingruente quolibet malo perſentiunt ipſimet perditiſſimi homines; ut legimus in Scriptura de peccatore, qui licèt contra [6] *Deum armatus ſit, verumtamen ſonitus terroris ſemper in auribus illius, &, cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur; ad rumorem tonitrui contremiſcit, &c.* Tum ex ſcelerata vita Atheiſtarum, quibus hæc cæcitas, qua Deum ignorare volunt, aperit viam ad omnia ſcelera; ex quo enim dixerunt in corde ſuo, *Non eſt Deus, corrupti ſunt, & abominabiles facti ſunt in ſtudiis ſuis*; quia ſcilicet, *non eſt timor Dei ante oculos eorum*. Tum ex remorſibus, & accuſationibus conſcientiæ, quibus internè cruciantur mali; tum denique ex internis conſolationibus juſtorum, ex operibus bonis, à quibus præmium expectant, licèt ab hominibus perſecutiones patiantur; ut expertum eſt etiam in Gentilibus.

Objic. 1. pro Atheis. Per nos repugnat infinitum categorematicum, & actu: ſed ſi Deus eſſet, deberet eſſe infinitus categorematicè, & actu; ergo repugnat Deum eſſe. Maj. patet ex Phyſica. Min. patet

[1] *lib.* 1. *de ira c.*10.
[2] 11.*de civit.* 4.
[3] *Pſal.*18. [4] 2. *Machab.* 7.
[5] 4. *de immort.c.* 9.
[6] *Job.*15.

tet ex dicendis infrà de infinitate Dei.

Reſp. diſt. maj. repugnat in creatis, conc. in Deo, neg.maj. & conſeq. nos negamus infinitum in creatis propter rationes allatas ibi, quæ non militant in Deo, qui eſt actus purus, & ſimpliciſſimus.

Objic.2. ſi eſſet Deus, eſſet omniſciens, omnipotens, ſummè bonus, & infinitè juſtus; ſed nihil tale apparet in humanis; ergo Deus non eſt. Prob. min. ſi eſſet omniſciens, videret mala, quæ fiunt; ex omnipotentia poſſet ea impedire, ex ſumma bonitate id vellet, & ex Juſtitia infinita impediret; ſed hæc non impedit, ergo vel non eſt omniſciens, vel omnipotens, vel non eſt ſummè bonus, nec juſtus. Min. patet mille experientiis; unde querebatur ille, *quare via impiorum proſperatur?*

Reſp.neg.min. primi arg.& diſt.maj.2. ſi hæc impedire eſſet abſolutè bonum, & juſtum in regulis ſuæ Providentiæ, & juſtitiæ, conc. maj. ſi non eſſet ita bonum, neg. maj. multa ſunt mala in regulis juſtitiæ, & providentiæ humanæ, aut particularis, quæ mala non ſunt, imò & bona in regulis juſtitiæ, & providentiæ divinæ, ac univerſalis; ut dicemus infrà.

Objic. 3. Non datur alius, nec neceſſe eſt dari alium Deum præter naturam, hæc enim ſufficit; ſed hanc non dicimus Deum; ergo non eſt Deus alius ſaltem à natura. Prob. maj. non enim apparet Univerſum regi niſi à natura, quæ uno curſu, & ordine ſemper eadem agit; nox enim eodem curſu ſuccedit diei, Æſtas Veri, Æſtati Autumnus,& huic Hyems: homines ſemper naſcuntur, & moriuntur; ſic eſt de animalibus, & hominibus; ſed hæc non ſuccederent ita regulariter, ſi Moderator intelligens, & liber gubernaret; nam ubi leges ſunt arbitrariæ, Princeps illas mutat ad libitum, aut ſaltem pro temporum, & negotiorum exigentia, & varietate; ergo non datur alius Moderator Univerſi præter naturam.

Reſp.neg.maj. & prob. ejus, ſicut & min.nam 1. ſi Deo placuit ſtatuere ipſi naturæ regulas permanentes, à quibus non recedit, quid inde contra ejus exiſtentiam colligi poteſt? 2. falſum eſt Deum in illis omnibus regulis ſæpiùs non diſpenſare, ut patet ex miraculis quotidianis, quibus videmus in Hyeme flores, & fructus, in Æſtate nives, & glacies;

in aquis ſoliditatem, & regreſſum; in igne ardoris ſuſpenſionem; in ſole retrogradationes, & Eclypſes extraordinarias; ex mortibus reſurrectiones, & ex diluviis terram inundantibus, &c. Hæc ſpectant ad Dei providentiam.

QUÆSTIO III.

An hæc propoſitio, Deus eſt, *ſit per ſe nota.*

HAnc quæſtionem ex profeſſo tractant hìc Theologi, & ſatis acriter in ea pugnant, quamvis, ut multi graviores cenſent, lis tota ferè ſit de nomine, & uſu vocis hujus, *per ſe notum*.

Propoſitio illa dicitur *per ſe nota*, quæ ex terminis ſimpliciter apprehenſis nata eſt cauſare ſui evidentiam in intellectu; v. g. *Deus*, & *eſt* ſunt termini propoſitionis, de qua quærimus hic, an ſit per ſe nota; id eſt, an cauſare poſſit ſui evidentiam, & extorqueat aſſenſum, omni intellectu ſano, abſque alia explicatione, aut ratione, modò apprehendat ſignificatum vocis, *Deus*, & vocis, *eſt*: ſive clarè, & diſtinctè, ſive confusè. Sicut quilibet intellectus ſanus agnoſcens ſignificatum vocum, *totum*, &, *majus*, &, *pars*, ſtatim percipit veritatem hujus propoſitionis, ut illi aſſentiatur, *Totum eſt majus ſua parte*, & idem eſt de primis principiis (quorum notitia, & aſſenſus pertinent ad habitum, qui dicitur intellectus, *ſeu* primorum Principiorum Ethic.) ſimpliciter apprehenſis: Nec enim eſt neceſſaria diſtincta eorum cognitio; ſed ſufficit confuſa, quæ habeatur ſine recurſu ad quidquam, quod ſit extra illos terminos, aut conceptus eorum; qualis eſſet definitio, quia hæc eſt diſtincta à termino, ſeu re definita, alioqui enim propoſitio non eſſet nota per ſe, ſed per aliud, nempe per definitionem. Igitur propoſitio *per ſe nota* eſt illa, in qua ex ſola cognitione confuſa, vel diſtincta terminorum, quæ per nomen explicatur, ſine cognitione ulla alia, evidentem habet complexionem illorum.

Ideo rejicit Scotus diſtinctionem *per ſe notæ*, & *per ſe noſcibilis*. Quia 2. continetur in 1. vel nulla eſt, quia *per ſe nota* non dicitur talis ob cognitionē actualem;

alio-

alioqui nulla eſſet talis, quandiu nullus intellectus de eâ cogitaret; ſed ideo ſic dicitur, quia de ſe eſt evidenter noſcibilis, ſeu nata de ſe parere evidentem ſui cognitionem, ſive actu pariat, ſive non; & ideo *per ſe nota*, & *per ſe noſcibilis* coincidunt.

Idem dicendum de *per ſe nota in ſe*, & *per ſe nota in nobis*, ob eandem rationem, nam *per ſe nota in ſe*. eſt ea, quæ nata eſt cognoſci evidenter ab omni intellectu cognoſcente terminos, ſive actu cognoſcatur, ſive non; & ideo ſuperfluit illud membrum *in nobis*, aut, *nobis*; per id enim tantùm ſignificatur actualis ejuſdem propoſitionis cognitio. Thomiſtæ verò propoſitiones *per ſe notas* ſic dividunt; quia conſiderant eas, ſecundum quod ſunt immediatæ, & carent medio, per quod cognoſcantur. Unde omnis propoſitio immediata eſt per ſe nota; quod Scotus [1] non admittit: & in hoc conſiſtit tota lis iſta inter Scotiſtas, & Thomiſtas; &, ut vides, ferè eſt de voce, ut fatetur noſter Faventinus. Nobis ſufficiat ad præſentis quæſtionis deciſionem videre, an hæc propoſitio, *Deus eſt*, ſit de ſe nata parere ſui cognitionem, & aſſenſum in quolibet intellectu abſq; alio medio præter ſimplicem cognitionem harum vocum, *Deus*, & *eſt*, ſeu, *exiſtit*.

Nota etiam tres conditiones requiri ad propoſitionem *per ſe notam*. 1. ut prædicatum per ſe immediatè conveniat ſubjecto; alioqui ſicut non conveniret niſi per aliud medium, ita nec per ſe, ſed per aliud eſſet cognoſcibilis. Talis eſt iſta: *Homo eſt riſibilis*. *Riſibile* enim non convenit per ſe immediatè homini, ſed per *rationale*, & ideo cognoſcibilitas ejus non eſt *per ſe* ex terminis illis, ſed per alium terminum, ſeu medium, ſcilicet per *rationale*, quod prius ineſt homini, & per quod *riſibile* ineſt eidem. Tales igitur propoſitiones, quibus proprietas prædicatur de ſubjecto, non ſunt propriè *per ſe notæ*, licèt ſint neceſſariæ: 2. ut prædicatum ſit de eſſentia ſubjecti: unde licèt iſta ſit per ſe evidens, *nix eſt alba*; tamen non dicitur per ſe nota eo modo, quo hic loquimur; quia albedo non eſt de eſſentia nivis. 3. ut connexio prædicati cum ſubjecto non poſſit demonſtrari à priori; alioqui enim propoſitio, aut

[1] *Theor.7.c.2.*

connexio non eſset immediata, nec per ſe nota, ſed per aliud, nempe per illud medium, ſeu per cauſam illam, per quam poſset demonſtrari. Non ita eſt de demonſtratione à poſteriori, ſeu per effectum; quia hæc ſupponit immediationem, & connexionem terminorum in eſsendo, & per conſequens propoſitio non deſinit eſse per ſe nota, licèt aliundè poſſit cognoſci, ſcilicet per effectum.

Denique Propoſitio *per ſe nota*, ſicut & quævis alia dividitur in *Vocalem*, quæ conſiſtit in ipſis vocibus, quibus utimur ad enuntiandum judicium de objecto; *Formalem*, quæ eſt ipſe actus intellectus cognoſcentis, & judicantis de re, pro ut exprimitur voce; & *Objectivam*, quæ eſt res ipſa, de qua judicatur, & enuntiatur, ut in iſta, *Deus*, & *eſt*, ſeu, *Deitas*, & *exiſtentia* ejus qualiter ſe habent à parte rei. Quæſtio non eſt de formali, ſed de vocali cum objectiva, his poſitis ſit

Concl. *Hæc propoſitio*, Deus eſt, *eſt per ſe nota, non tamen nobis pro hoc ſtatu*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ad quæſtionem dico, quòd propoſitio illa eſt per ſe nota, quæ conjungit iſta extrema, eſſe, & eſſentiam divinam, ſive Deum, & eſſe ſibi proprium; quia illa ex terminis ſuis habet evidentem veritatem in tantum, quòd propoſitio illa non eſt per ſe 2. modo, quaſi prædicatum ſit extra modum ſubjecti; ſed per ſe primò, & immediata, & ex terminis evidens; quia eſt immediatiſſima, ad quam reſolvuntur omnes propoſitiones enuntiantes aliquid de Deo, qualitercumque concepto*, & hinc probata manet ab ipſo 1. p. concluſionis.

Prob. 2. ex dictis, nam huic propoſitioni conveniunt & definitio, & conditiones propoſitionis per ſe notæ; ergo &c. Prob. ant. Nata enim eſt habere evidentem veritatem, ſeu cognitionem complexionis terminorum ejus, ut ſunt ejus termini, & hoc ex ſola illorum apprehenſione ab intellectu ſano. Sic definitur à Scoto [2] propoſitio per ſe nota. Unde patent conditiones ejus ineſse iſti 1. *exiſtentia*, ſeu, *eſſe*, quod eſt prædicatum, convenit per ſe, & immediatè ſubjecto, ſeu *Deitati*, qualis eſt in ſe. 2. idem prædica-

[1] *1.d.2.q.2.E.n.4.*
[2] *Ibid.n.3.*

dicatum convenit eidem ſubjecto eſſentialiter, & intrinſecè, quod nemo negat. Et 3. illa convenientia, ſeu connexio illius prædicati cum illo ſubjecto, uno verbo, exiſtentia Dei non poteſt demonſtrari à priori; ergo hæc propoſitio, *Deus eſt*, habet omnes conditiones per *ſe notæ*.

Prob. 2. p. 1. ex eodem. [1] *Si quæritur*, inquit, *an eſſe inſit alicui conceptui, quem nos concipimus de Deo, ita quod ſit propoſitio per ſe nota, in qua enunciatur exiſtentia de tali conceptu, puta, in tali propoſitione, cujus extrema poſſunt à nobis concipi, &c. Ut ſi Deum concipiamus ut ens neceſſariò, vel ens infinitum, vel ſummum bonum, de tali conceptu poſſumus prædicare eſſe eo modo, quo à nobis concipitur, Dico, quòd nulla talis propoſitio eſt per ſe nota, &c.* Et id probat tribus rationibus claris in textu. Igitur, ex Scoto, quia pro hoc ſtatu non concipimus Deum, qui eſt ſubjectum hujus propoſitionis, ſub proprio conceptu Deitatis, ſed ſub aliis conceptibus per quandam oppoſitionem ad creaturas, quos vocamus *proprios ex communibus*; v. g. quando audis Deum, concipis ens infinitum, ens neceſſarium, ſummum bonum, &c. Et ſub his conceptibus propoſitio, *Deus eſt*, non eſt nobis *per ſe nota* ex Scoto. Hinc

Prob. 2. pro hoc ſtatu vix nomine Dei concipimus ens infinitum, ens neceſſarium, ſummum bonum, uno verbo, concipimus Deum ſub perfectionibus attributalibus; ſed non eſt per ſe notum, quod Deus ſic conceptus exiſtit; v. g. *quod ens infinitum exiſtit*; ergo *Deus eſt* non eſt propoſitio nobis *per ſe nota*. Patet maj. quia pro hoc ſtatu non attingimus Deitatem in ſe, ſed in creaturis, & ex creaturis; [2] *Deus enim habitat lucem inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit, nec videre poteſt*. Prob. min. exiſtentia, ſeu eſſe priùs ratione, & immediatiùs competit Deo, quàm infinitas, vel bonitas; ergo ſub his conceptibus infinitatis, & bonitatis hæc propoſitio non eſt per ſe nota nobis, quia non eſt immediata. Prob. ant. nam infinitas ipſa eſt demonſtrabilis ratione à priori, & propter quid; nempe per eſſentiam: ſunt enim velut proprietates, & omnis proprietas de-

[1] *Ibidem.*
[2] 1. *Ti. ult.*

demonſtratur per eſſentiam; ſed propoſitio per ſe nota non poteſt demonſtrari à priori; ergo, &c.

Prob. 3. propoſitio per ſe nota non poteſt negari, nec intellectus poteſt aſſentiri propoſitioni oppoſitæ; ſed in via multi negant *Deum eſſe*, & aſſentiuntur oppoſitæ; Nam *dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus*, Et de facto reperiuntur plures Athei; ergo non eſt per ſe notum nobis, Deum eſſe. Prob. maj. nullus homo negare poteſt, quòd *totum ſit majus ſua parte*, nec aſſentiri contrariæ; nullus negare poteſt hanc, *quinque ſunt plura tribus*, &c.

Prob. 4. non concipimus hic Deum ſub conceptu ſimpliciter ſimplici; ſed propoſitio conſtans terminis, ſeu conceptibus complexis non eſt per ſe nota; ergo nec eſt per ſe notum nobis, quòd Deus eſt. Ant. patet. Nam concipimus eum ſub conceptibus attributalibus, & per creaturas, & ex creaturis, ut diximus, verbi gratia, ut ens infinitum, bonum neceſſarium, &c. Sed hi conceptus non ſunt ſimpliciter ſimplices, ſed complexi; ergo, &c. Prob. min. quia prius quàm prædicetur *eſſe* de ſubjecto complexo, debet cognoſci complexio, ſeu unio partium complexi, ſeu terminorum ſimplicium inter ſe, verbi gratia, ut cognoſcatur hæc propoſitio, *ens infinitum eſt*; debet priùs cognoſci complexio *infinitatis* cum *ente*; ergo propoſitio conſtans conceptibus, ſeu terminis complexis non eſt per ſe nota.

Objic. 1. cont. 2. p. ex D. Damaſceno. [1] *Ejus, quod eſt, Deum eſſe, cognitio omnibus eſt naturaliter inſerta.* Sed id, cujus notitia eſt inſerta omnibus à natura, eſt omnibus per ſe notum; ergo *Deus eſt*, eſt etiam propoſitio per ſe nota nobis. Maj. patet ex dictis ſupra: prob. min. quorum notitia eſt nobis inſerta à natura, ſunt prima principia: ſed prima principia ſunt per ſe omnibus nota; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. naturaliter inſerta, confusè, & imperfectè, & ſecundum aliquos conceptus generales, & ex creaturis, conc. maj. diſtinctè, & perfectè ſub propriis conceptibus Deitatis, neg. maj. & ſic diſt. min. ſi notitia illa naturalis ſit diſtincta, & ſub proprio conceptu rerum, conc. min. ſi ſit confuſa, & ſub conceptibus communibus, vel propriis ex communi-

[1] *l.* 1. *c.* 1.

nibus, neg. min. & conſ. illi autem conceptus, ſub quibus lumen naturæ nobis ingerit Dei cognitionem, ſunt confuſi, imperfecti, & communes, vel ad ſummum proprii ex communibus. [1] *Videmus enim nunc per ſpecu'um in ænigmate*, inquit Apoſtolus.

Objic.2. Ens ſummum, quo nihil majus excogitari poteſt exiſtere, eſt per ſe notum; ſed Deus talis eſt, ex Anſelmo: ergo Deum eſſe eſt per ſe notum. Prob. maj. niſi enim exiſteret, non eſſet majus; nam quod exiſtit, majus eſt non exiſtente; ergo hoc ipſo, quod Deus eſt illud ſummum, per ſe noſcitur, quod exiſtit.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam priuſquàm noſcatur exiſtentia ſummi illius entis, prius cognoſci debet, quid ſit tale ens, quo majus dari non poteſt, & hoc non patet ex terminis, ſed opus eſt diſcurſu, & explicatione.

Objic.3. eſt per ſe notum, quòd veritas eſt, ſed Deus eſt veritas, ergo, &c. Prob. maj. illud eſt per ſe notum, quod negari non poteſt, ſed negari non poteſt, quòd veritas eſt, alioqui diceretur, quòd veritas non eſt, & ſic negando veritatem, veritas aſſereretur; ergo &c.

Reſp. min. eſſe diminutam, deberet dicere; *per ſe eſt notum, quòd Deus eſt veritas*; & ſic negaretur illa min. In forma, diſt. min. Deus de facto eſt veritas, conc. per ſe eſt notum, quòd Deus eſt veritas, neg. min. & conſ. aliud enim eſt, quòd Deus ſit veritas, id fatemur, & aliud dicere, quòd id ſit per ſe notum, & hoc negamus. Præterea in argumento eſt fallacia conſequentis: arguit à communi ad particulare, ſicut qui diceret, *datur animal*, ergo *datur homo*. Poteſt enim dari animal, quod non ſit homo, licèt homo non exiſteret, ſic evidens eſſe poteſt, dari veritatem, non autem quòd detur hæc veritas, quæ Deus eſt.

Objic.4. propoſitiones aliquæ non ſimpliciter neceſſariæ ſunt per ſe notæ; ergo à fortiori iſta, *Deus eſt*, quæ eſt ſimpliciter, & abſolutè neceſſaria. Patet conſ. nam quo magis connexio prædicati cum ſubjecto eſt neceſſaria, eò notior eſt propoſitio. Prob. ant. hæc eſt per ſe nota, *totum eſt majus ſua parte*; & iſta, *homo eſt animal rationale*: ſed iſtæ, & ſimiles non

[1] 1.Cor.13.

non ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ſed ex ſuppoſitione; quòd exiſtant; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus, nam connexio prædicati cum ſubjecto præcisè non reddit propoſitionem nobis per ſe notam; ſed evidentia illius connexionis, quam parere nata eſt ex terminis ſuis, & talis eſt iſta, *totum eſt majus ſua parte*, non verò iſta, *Deus eſt*, ſaltem nobis pro hoc ſtatu viæ, in quo non attingimus Deitatem ſub proprio ejus conceptu, ſecundum quem connectitur cum exiſtentia.

Objic. 5. quod eſt de lege primaria naturæ, eſt per ſe notum; ſed quòd Deus ſit colendus, amandus, &c. eſt de primaria lege naturæ; ergo & quòd *Deus eſt*, eſt per ſe notum, & quidem à fortiori.

Reſp. neg. maj. aliud enim eſt propoſitionem aliquam naturaliter cognoſci, aliud eſſe per ſe notam. Præceptum illud naturaliter cognoſcitur, ſed non per ſe, quia non eſt propoſitio prima, nec immediata, ſupponit enim Deitatem, & exiſtentiam ejus, neutra autem eſt nobis per ſe nota pro hoc ſtatu. Has 3. objectiones proponit, & reſolvit Scotus. [1]

Objic. 6. ex eodem, hæc eſt per ſe nota, *neceſſe eſt eſſe*; & iſta, *Operans exiſtit actu*; quia oppoſitum prædicati, ſcilicet *non eſt*, repugnat ſubjecto; nam ſi non *exiſtit*, non eſt *neceſſe eſſe*; ſed *Deus* eſt *neceſſe eſſe, & operans actu*; ergo per ſe notum eſt, quòd Deus eſt.

Reſp. neg. maj. ob rationem allatam. Termini, ſeu ſubjecta harum propoſitionum ſunt complexa ſaltem implicitè, æquivalent iſtis; *ens neceſſarium, ens operans*; & prius videri debet connexio *entis* cum *neceſſario*, & cum *operante*, quàm agnoſcatur connexio utriuſque cum prædicato, ſcilicet cum *eſſe*.

Objic. denique contra totam concluſionem ex Scoto. Omnis propoſitio, quæ eſt per ſe nota ſecundum ſe, eſt etiam nobis; ſed per nos, & Scotum, Deum eſſe eſt per ſe notum in ſe; ergo & nobis. Prob. maj. improbat enim diviſionem per ſe notæ in per ſe notam in ſe, & per ſe notam nobis. *Patet*, [2] inquit, *quòd nulla eſt diſtinctio de per ſe nota in ſe, & in nobis, quia quæcumque eſt in ſe, & per ſe nota, cui-*

cum-

[1] *Ibid. n.* 8.
[2] *Ibid. n.* 3.

tumque intellectui eſt per ſe nota, licèt non actu cognita; ergo, &c. Hinc multi arguunt Scotum contradictionis; quia in principio quæſtionis reſpuit diſtinctionem illam *per ſe notæ in ſe à per ſe nota nobis*. Et poſtea docet hanc, *Deus eſt*, non eſſe per ſe notam nobis.

Reſp. ex Scoto. Diſt. maj. ſi termini concipiantur per ſe, conc. ſi non concipiantur per ſe, neg. maj. & conſ. nam Scotus [1] ad propoſitionem *per ſe*, & *in ſe* notam requirit, ut, *quantùm eſt ex terminis ſuis, ſit evidenter nota, ſi termini concipiantur*. Et hac poſita conditione, quæ ſemel eſt nota cuicumque intellectui, eſt nota omnibus, ſi verò termini non concipiantur ab omnibus, ita nec propoſitio eſt omnibus *per ſe nota*; quod evenit in iſta, *Deus eſt*, reſpectu hominis viatoris, à quo iſte terminus, *Deus*, non cognoſcitur in ſua quidditate, & conceptu proprio, ut patebit, ſic Scotum non intelligunt, qui accuſant illum contradictionis, aut non legunt attentè.

QUÆSTIO IV.

An Deus ſit unicus: & an id à nobis poſſit demonſtrari.

A Theiſtis, contra quos pugnavimus quæſt. præced. opponuntur *Polytheiſtæ*; quamvis idem in re ſit Deum negare, & plures aſſerere; nam, ut dicebat Tertullianus: *Deus, ſi non unus eſt, non eſt*. Agimus ergo hìc de *unitate ſolitudinis*, quæ excludit pluralitatem naturarum ſimilium, non verò de *unitate entis*, quæ excludit diviſionem, nec de *unitate ſimplicitatis*, quæ opponitur compoſitioni, nec de *perſonali*, quæ opponitur pluralitati perſonarum in unitate naturæ; & quærimus, an ita Deus ſit unus, ut non detur alius, diſtinctæ quidem realiter, ſed ſimilis, ac æqualis naturæ, ſeu eſſentiæ.

Plures fuerunt olim Polytheiſtæ, qui ſcilicet pluralitatem Deorum finxerunt. Gentiles enim Idololatræ innumeros poſuerunt; ut Heſiodus, [2] *qui tri-*

[1] *Ibidem*.
[2] *Euſe. l. 5 præp.*

triginta Deorum millia in terra eſſe cenſuit, alii innumeros, *quæ non erant numina colendorum, ſed crimina colentium*, inquit Auguſt. [1] Hæretici verò etiam plures finxerunt, ut Apelles, & Apelliani, qui tamen revera unicum verè primum agnoſcebant, quia ſecundum à primo factum, ſcilicet Deum malum à Deo bono, ut Manichæus, qui duo rerum prima principia, & ſic duos poſuit Deos, & quidem ingenitos, & coæternos, *unum bonum*, & Creatorem inviſibilis creaturæ, ac lucis; *alterum malum*, & creatorem tenebrarum, ac viſibilis, & corporeæ creaturæ. Id priùs docuerant *Cerdoniſtæ*, & *Marcioniſtæ*, dicentes *unum notum* hominibus, & mundo, & juſtum, crudelem, ac vindicem, & authorem veteris Teſtamenti; *alterum ignotum*, & purè bonum, Patrem Chriſti, & authorem novi Teſtamenti; malum dicebant rerum omnium Conditorem. Manichæis adhæſerunt *Priſcillianiſtæ*; & *Albigenſes*. Alii fuerunt *Tritheiſtæ*, quia tres perſonas divinas, totidem deos dicebant, numero, & natura diſtinctos, ut *Peratæ* quidam, *Joannes Philiponus*, & *Abbas Joachim*, qui videtur dixiſſe tres perſonas divinas eſſe tres eſſentias, Deumque eſſe unum unitate collectionis, ſicut Eccleſia dicitur una. Idem error tribuitur *Raymundo Lullo*; ſed fortè immeritò; item *Valentino Gentili*, & *Jacobo Schekio*, Lutheri diſcipulo; imò & ipſis Luthero, Calvino, & Melanctoni, ut notat Bellarm. [2] contra quos omnes ſit

Concl. *Non ſolum de fide eſt unicum eſſe Deum, ſed etiam demonſtratur*. Ita communiter.

Prob. 1. ex Scoto, [3] ſic ad Deum ipſum loquente. *Unum eſt, quod hic pono, & in uno, quo opuſculum conſummabo. Quod ſcilicet unus Deus ſis, ultra quem non eſt alter, ſicut per Prophetam dixiſti, ad quod oſtendendum non puto deficere rationes.* Et adducit quinque: 1. *unicus tantum numero eſt infinitus intellectus*. 2. *una numero tantum eſt infinita voluntas*. 3. *una numero tantum eſt infinita potentia*. 4. *unum numero tantum eſt neceſſe eſſe*. 5. *unica ſola eſt bonitas infinita*. Ecce concluſionem quoad utramque partem.

Idem

[1] *Ev. c. 15. 4. civ. c. 23.*
[2] *l. 1. de Chriſ.*
[3] *De 1. rerum princip. c. 4. concl. n. 8.*

Idem docet in Metaph. [1] *Dicendum, quòd ſummum bonum eſt unum, & hoc patet ex tribus 1. ex ſui ſimplicitate, &c.* Et in Theologia adducit 7. rationes. *Videtur*, inquit, *quòd iſta unitas poſſit ratione naturali oſtendi.*

Prob. quoad 1. p. 1. ex Scriptura: [2] *Dominus ipſe eſt Deus, & non eſt alius præter eum*; &, *Dominus Deus noſter, Dominus unus eſt*; &, *videte, quod ego ſim ſolus, & non eſt alius Deus præter me.* &, [3] *non eſt ſanctus, ut eſt Dominus, neque enim eſt alius extra te*; &, [4] *tu ſolus altiſſimus in omni terra*; &, [5] *tu es Deus ſolus*; &, [6] *non eſt alius Deus, quàm tu, & Deum abſque me neſcies.* Et ex novo Teſtamento, [7] *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum*; &, [8] *ſcimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quòd nullus eſt Deus, niſi unus*; &, [9] *Deus autem unus Deus eſt*; &, [10] *Regi ſæculorum immortali, & inviſibili, ſoli Deo*, &c.

Prob. 2. ex definitione Eccleſiæ: Ut in Concilio Nicæno in ſymbolo, *Credo in unum Deum*. Et in Symbolo Athanaſii: *Fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum*, &c. Et in Concilio Later. ſub Innoc. III. [11] *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus ſolus verus eſt Deus æternus.... tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura .... unum univerſorum principium, &c.*

Probant 3. SS. PP. & Theologi ex ipſis Philoſophis ethnicis, quorum Teſtimonium hìc plurimum valet, quippe ab inimicis; unde inquit S. Thom. [12] *Antiqui Philoſophi quaſi ab ipſa coacti veritate poſuerunt unum tantum principium.* Et ut ſcribit Oroſius: [13] *De uno Deo omnium pene una opinio eſt.*

Prob. 2. p. & hæc ſit prima ratio. Deus eſt ens infinitum, ſed ſi eſſet multiplex, non eſſet ſimpliciter infinitum; ergo nec Deus. Maj. ſupponitur ab omnibus, & probabitur infrà: prob. min. ens ſimpliciter

[1] *l.* 12. *q.* 29. *n.* 2. 1. *d.* 2. *q.* 3. *A. n.* 3.
[2] *Deut.* 4. & 6. & 32. [3] 1 *Reg.* 2.
[4] *Pſal.* 82. & 85. [5] *Sap.* 12.
[6] *Oſ.* 13. [7] *Jo.* 17.
[8] 1. *Cor.* 8. [9] *Gal.* 3.
[10] 1. *Timoth.* 6. [11] *c. firmiter de SS. Trin.*
[12] 1. *p. q.* 11. *a.* 3. [13] *l.* 6. *hiſtor.*

citer infinitum includit omnem perfectionem realem poſſibilem; ſed ſi eſſet multiplex, v.g. ſi eſſent duo, neuter contineret omnem perfectionem realem poſſibilem; ergo neuter eſſet infinitus. Maj. etiam patet, & ſupponitur, nam per ens ſimpliciter infinitum omnes intelligunt ens continens omnem perfectionem realem poſſibilem, & quo majus concipi nihil poteſt. Prob. min. unus illorum non contineret perfectionem alterius, alioqui non eſſent duo diſtincti nec ſpecie, nec numero.

Dices, quòd unus non haberet quidem perfectionem alterius in entitate, ſed ſimilem, quod ſufficit ad infinitatem perfectionis.

Contra. Niſi unus contineret perfectionem entitativam alterius, non eſſet entitativè infinitus, non haberet etiam entitatem illam infinitam alterius, & quoad hanc limitaretur, ſicut Petrus non continet perfectionem entitativam Pauli, quamvis habeat naturalem ſimilem illi; ergo ita eſſet de duobus Diis illis.

Confirm. Deus eſt infinitus ſimpliciter in entitate, ita ut non compatiatur entitatem aliam à ſe, quam non contineat formaliter, vel eminenter, aut virtualiter; ergo eſt etiam infinitæ ſimpliciter unitatis; ergo nullam patitur unitatem, quam non contineat formaliter, vel eminenter, aut virtualiter, ſed non ſic contineret neque entitatem, neque unitatem alterius Dei, ſi eſſet duplex; ergo non eſſet infinitus ſimpliciter nec in entitate, nec in unitate.

2. Ratio. Ens neceſſarium non eſt multiplicabile; ſed Deus eſt ens neceſſarium; ergo eſt immultiplicabilis; ergo eſt unicus. Prob. maj. ſi ens neceſſarium eſſet plurificabile, eſſent infiniti Dii; ſed conſequens eſt abſurdum, & impoſſibile, quomodo enim caperet eos mundus? quàm vilis eſſet illa multitudo? &c. ergo & quælibet pluralitas. Prob. maj. tum quia *in ente neceſſario, idem eſt eſſe, & poſſe eſſe, & ens neceſſarium, & à ſe tribuit ſibi quantum poteſt;* & certè qua ratione admitterentur duo, eadem & infiniti eſſent admittendi; non enim limitarentur nec ab intrinſeco, nec ab extrinſeco. Hanc rationem ſic expendebat Prudentius.

Sunt

Sunt duo? ſunt: igitur cur non ſunt multa Deorum
Millia? cur numero Deitas contenta gemello eſt?
An non in populos diverſa examina Divum
Fundere erat melius, mundumque implere capacem
Semideis paſſim nullo diſcrimine monſtris?

Dices. Omnes ſpecies non ſunt æquè multiplicabiles; ſpecies enim oculorum, & capillorum ſunt magis multiplicabiles, quàm homines; ergo non implicant entia multiplicabilia tantùm in tria, vel quatuor, non verò in infinitum: & id patet de perſonis, & relationibus divinis; nam eſſentia divina communicabilis eſt tribus tantùm perſonis; & in Deo plurificantur relationes perſonales ad quinque, & non plures; ergo non valet argumentum ad probandam infinitatem.

Contra 1. quia falsò ſupponitur, quòd homines non poſſint in infinitum multiplicari, ſi poſſint oculi, vel capilli. 2. quia ſpecies naturæ creatæ ſunt finitæ entitatis, & virtutis, Deus verò infinitæ. 3. relationes in Deo multiplicantur ratione productionum, quæ non ſunt niſi duæ, quæ occupant æternum, & exhauriunt totam fœcunditatem ad intra; & hæ non ſunt plures, quia ſunt abſque multiplicatione eſſentiæ, de quo aliàs.

3. Ratio. Si darentur duo Dii, neuter eſſet Deus; ſed hoc implicat; ergo non dantur duo. Prob. maj. neuter haberet perfectionem, v. g. intellectum, voluntatem, ſapientiam, & potentiam infinitam; ergo neuter eſſet Deus; quia Deus debet eſſe undecumque infinitus omni perfectione cogitabili, & quo non poſſit cogitari perfectius. Prob. ant. 1. intellectus infinitus debet intelligere omne intelligibile perfectiſſimo modo, quo poteſt intelligi; ſed neuter iſtorum intellectuum id faceret (idem eſt de voluntate quoad volibilia, & amabilia) ergo neuter eſſet infinitus. Prob. min. intellectus Dei Patris, v. gr. perfectiſſimè intelligeret Deum filium, intelligeret eum per eſſentiam, vel non; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec primum. Prob. min. 1. ſi non cognoſceret per eſſen-

eſſentiam, ſed per ſpeciem, non cognoſceret perfectiſſimè quo poſſet; nam poſſet etiam intelligi, & quidem perfectiùs, & immediatiùs per eſſentiam. 2. ſi cognoſceret per eſſentiam, cognitio illa Dei Patris eſſet poſterior natura, quàm eſſentia Dei filii; nam omnis cognitio eſt poſterior objecto ſuo motivo, & ab eo dependet; ſed hoc eſt impoſſibile; ſic enim pater ille non eſſet Deus, quia dependens ab alio, & poſterior natura in ſua cognitione, ergo, &c.

Confirm. quia ſi Deus pater intelligeret perfectiſſimè Deum filium, ſicut ſeipſum, haberet illa cognitio duo objecta adæquata ſimul; ſed hoc implicat; ergo & illa cognitio. Prob. maj. haberet enim duos Deos, quos infinitè perfectè cognoſceret, & quorum quilibet æquaret intellectivitatem. Prob. min. ex dictis in Phyſica, & de anima de duabus cauſis totalibus, & adæquatis ejuſdem effectus. Hoc idem argumentum facit pro voluntate reſpectu amoris, quo pater ille amaret ſe, & illum alium Deum filium.

4. Ratio eſt de voluntate, nam, ſi eſt infinitè recta, diliget omne diligibile, quantùm eſt diligibile, & per conſequens infinitè debet diligere Deum infinitè perfectum; ſed hoc non poſſent facere duæ illæ voluntates duorum illorum Deorum; ergo illæ non eſſent infinitè perfectæ. Prob. min. nam voluntas recta plus diligit ſuum eſſe, quàm eſſe alterius diſtincti, ſaltem appretiativè, & cum prælatione; ergo pater plus diligeret ſe, quàm filium Deum, & iſte plus ſe diligeret, quàm Patrem; ergo neuter diligeret alium infinitè, nec perfectiſſimè.

Dices, filium reſpectu patris non eſſe æquè diligibilem; ideo pater ordinatè deberet, & poſſet ſe plus diligere, & ſic filius diligeretur, quantum eſſet diligibilis.

Contra. Infinitè diligibile non admittit ullam majorem diligibilitatem, ergo ſi unus ſit ſub illo reſpectu diligibilior, & magis diligatur, alter non erit infinitè, nec ſummè, & ſuper omnia diligibilis.

Confirm. nam ambo illi Dii ſimul erunt magis diligibiles ſaltem extenſivè, quàm ſinguli ſeorſim; ergo ſinguli ſeorſim non poterunt infinitè diligi. Hæc eſt 3. ratio Scoti, unde colligit, quòd neuter Deorum

rum eſſet bonum infinitum.

5. Ratio petitur ex omnipotentia. Illi duo Dii eſſent duæ cauſæ totales primæ, & adæquatæ ſingulorum effectuum; & effectus à ſingulis, & ab ambobus dependerent adæquatè; ſed hoc implicat; ut mox dicebamus; ergo & duo Dii. Prob. maj. uterque haberet totam, & tantam efficientiam, quanta ſufficeret ad totum effectum, & quidem primam, ac prorſus independentem.

Dices, id non ſequi, nam cùm agerent liberè ad extra, poſſent velle agere ſeorſim, & ſine ſe invicem, aut attemperare ſuam virtutem ſic, ut partialiter tantum concurrerent, ſicut de facto Deus ſinit ſecum agere creaturam.

Contra. Nam licèt poſſent ſic velle, poſſent etiam velle ambo efficere totum, aut non poſſent id velle, ſi poſſent id velle; ergo tunc ambo, & ſinguli efficerent; & ſic totaliter, & adæquatè effectus penderent à ſingulis, ſi verò non poſſent velle, ergo non eſſent liberi ad extra, nec omnipotentes, nec Dii. Hinc oritur

6. Ratio ſcilicet ex omnipotentia. Neuter eſſet omnipotens; ergo nec Deus: nam Deus debet eſſe omnipotens. Prob. ant. neuter poſſet impedire actionem alterius, aut poſſet; ſi non poſſet, ergo non eſſet omnipotens; ſi poſſet, alter non eſſet omnipotens.

7. Ratio eſt. Optimum regimen Univerſi debet eſſe monarchicum; ſed ſi eſſent plures Dii, regimen non eſſet perfectè monarchicum, ergo non ſunt plures. Maj. ſupponitur ex conſenſu communi Philoſophorum tenentium, quod Monarchicum eſt perfectiſſimum. Min. etiam patet, nam omnes ſimul regerent, & nullus eſſet primus.

Dices, ſinguli haberent ſuum diſtrictum, aut ſuum mundum.

Contra 1. ergo ſinguli non haberent poteſtatem infinitam; quia unus non poſſet ingerere ſe in diſtrictum, & mundum alterius, nullius regimen eſſet univerſale. 2. quia poſſent ſaltem ex libertate eſſe diſcordes, aut ſi non poſſent diſcordare, non eſſent liberi; ſi poſſent eſſe diſcordes, ille, qui per diſcordiam impediretur, & ſuccumberet, eſſet impotens, & inferior; ergo non eſſet Deus. Denique in illo regimine

ne pluralitas eſſet vel ſuperflua, vel importuna, & contemptibilis. Superflua, quia unicus ſufficeret; importuna, quia ſe ſe impedirent, aut impedire poſſent.

Prob. denique communi axiomate: *Non ſunt multiplicanda entia, & maximè entia ſumma, & infinita ſine neceſſitate; ſed nulla eſt neceſſitas* Deos multiplicandi; ergo non ſunt plures. Min. patebit ſolutione objectionum, quibus Polytheiſtæ videntur niti.

Objic. 1. ex Script. [1] *Si quidem ſunt multi Domini, & Dii multi*. Et alibi: [2] *Ego dixi, Dii eſtis; &, non eſt ſimilis tui in Diis domine*, ergo dantur plures.

Reſp. neg. conſ. nam Scriptura in his, & ſimilibus locis loquitur de Diis metaphoricè, & impropriè, & in ſenſu hominum, qui Deos vocant Reges, & Dominos, & Magnates, non autem in rigoroſo, & proprio ſenſu. Sunt falſi Dii, non veri. *Omnes Dii gentium dæmonia*.

Inſt. illi Dii gentium habebant characteres Divinitatis, faciebant miracula, curabant morbos, prædicebant futura, &c. quæ ſunt ſigna Divinitatis: [3] *Annuntiate, quæ ventura ſunt in futurum, & ſciemus, quia Dii eſtis*; ergo erant veri Dii. **Prob.** ant. ex Scriptoribus hiſtoricis, qui plura talia narrant de Diis illis.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam ea omnia ope dæmonum, & arte magica fiebant, vel per illuſiones, ut patet de Magis Ægyptiorum, & aliis. De curationibus ſic loquitur Tertul. [4] *Lædunt primo, dehinc remedia præcipiunt ad miracula nova, ſive contraria, poſtque deſinunt lædere, & ſic curare creduntur*. Et Minut. felix. [5] *Morbos fingunt, terrent mentes, torquent membra, ut ad cultum Dei ſui cogant, ut nidore altarium, vel hoſtiis pecudum ſaginati, remiſſis, quæ conſtrinxerant, curaſſe videantur. In prædicationibus per æquivocationes fallebant. Æmulabantur divinitatem, dum furabantur divinationem. In oraculis autem quo ingenio ambiguitates temperarent in eventus, ſci-*

[1] 1. *Cor.* 8. [2] *Pſal.* 85.
[3] *Iſai.* 41. [4] *Apol. c.* 12.
[5] *In oct.*

ſciunt Cræſi , ſciunt Pyrrhi , &c. ait Tertullianus.

Objic. 2. Deus eſt, quo melius excogitari non poteſt, inquit Anſel. ſed melius eſt plures eſſe Deos, quàm unum ; quia ſunt plura , & majora bona, ſeu optima ; ergo ita eſt.

Reſp. diſt. maj. Quo melius excogitari non poteſt, ſine contradictione , conc. quoquo modo , neg. maj. nam ut patet ex fundamētis allatis, implicat illa duorum ſummorum bonorum , ac Deorum pluralitas.

Inſt. Si poteſt ullo modo illa pluralitas Deorum ab intellectu humano cogitari ; ergo à fortiori illa eſt poſſibilis, ergo & de facto exiſtit : nam in divinis idem eſt poſſe , & eſſe. Prob. 1. conſeq. Plus enim Deus poteſt facere, quàm intellectus hominis cogitare : ſed homo poteſt cogitare illam pluralitatem , ergo Deus poteſt illam habere , & quidem à fortiori. Prob. min. experientia tum de Idololatris , tum de nobis , dum ſic loquimur.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. maj. prob. Si cogitet rationabiliter, conc. maj. & neg. min. ſi cogitet falsò , & irrationabiliter, neg. maj. & conſ. cogitamus chimæras, & tamen Deus non poteſt illas facere.

Objic. 3. Fœcunditas eſt perfectio etiam in Deo, ſicut ſterilitas eſt imperfectio ; ſed in Deo non eſſet vera fœcunditas, niſi poſset producere alium Deum ſibi ſimilem ; ergo ita eſt.

Reſp. diſt. maj. Fęcunditas, quæ rationi Deitatis non repugnet , conc. maj. & min. fœcunditas , quæ repugnet , neg. maj. & conſ. in Deo eſt vera fęcunditas, qua generat filium ſibi non ſolùm ſimilem , ſed & unum in Deitate, & natura ; & hæc non repugnat Deo , ſed ſummè decet ; illa verò , qua produceret alium Deum diſtinctum in ſubſtantia , repugnat Deitati , quia genitus non eſſet Deus , ſed dependens à generante; & darentur infiniti Dii ; quia vel iſte genitus non eſset Deus, quia careret illa fœcunditate, vel generaret tertium, & tertius quartum , & ſic in infinitum .

Inſt. Ille Deus non eſſet beatus perfectè , ſi eſset ſolus : ſed conſeq. eſt falſum , & abſurdum , & implicans, ergo & ant. Prob. maj. Quia, *Deus, ſi unus eſt,*

quomodò beatus in ſolitudine eſse poſsit ? inquit Cicero, & Deus ipſe dicit, [1] *non eſt bonum eſſe ſolum*. Et, [2] *væ ſoli*. Et natura dictat, ſocietatem requiri ad felicitatem, & ſolitudinem eſse pœnalem.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. De ente rationali finito, & limitato, conc. de infinito in omni perfectione, neg. Homo, quia eſt in ſe, & in ſuis operationibus limitatus, & non habet in ſe omne bonum, nec ſui ſolius contemplatione, & amore poteſt beari, indiget aliena ſocietate. Non ita eſt de Deo, qui cùm ſit infinitè bonus, & omne bonum in ſe habeat, & omne verum, ſola ſui poſſeſſione, cognitione, & amore feliciſſimus eſt; imò & ſummè Beatus non eſset, nec per conſequens Deus, ſi ullo bono extra ſe indigeret. Taceo, quod non plenè ſolitarius, ſed Trinus; habet Filium, in quo, & per quem dicit ſe, & omnia; & Spiritum Sanctum, in quo, & per quem ſimiliter amat ſe, & omne bonum.

Objic. denique. Omne ens per eſsentiam eſt Deus; ſed omnes eſsentiæ rerum ſunt entia per eſſentiam; ergo & totidem Dii. Prob. min. Sola individua ſunt entia per exiſtentiam, quam habent à ſuis cauſis effectivis, eſſentiæ verò ſunt æternæ.

Reſp. neg. maj. Ens per eſſentiam, ſi abſolutè, & ſimpliciter eſt abſque dependentia, conc. maj, & neg. min. ſi ſit tantùm ens ſecundum quid, & dependens ad exiſtendum, neg. maj. & conſeq. Eſsentiæ, præciſa exiſtentia, & individualitate, per quas dependent à ſuis cauſis, ſunt entia diminuta, & *ſecundum quid*, ut diximus in Metaphyſica, & cum ſui diviſione, ac multiplicatione communicantur. Deus verò eſt ens abſolutè, & ſimpliciter, & realiſſimè ab æterno, & per eſsentiam.

QUÆSTIO V.

An poſsit ignorari, Deum eſſe.

Diximus Dei exiſtentiam nobis eſse notam 1. lumine naturali, & eam cognitionem nobis ingenitam. 2. ex fide, ac revelatione divina. 3. ex demonſtrationibus, & tandem hanc propoſitionem; *Deus*

[1] *Gen. 2.* [2] *Eccl. 4.*

Deus eſt, non eſſe per ſe notam nobis pro ſtatu viæ, ſeu vitæ hujus mortalis, ſed majoris inſtructionis gratia hìc examinamus, an ea veritas adeò per ſe nota ſit nobis, ut ignorari non poſſit, nec ſit, qui hoc ignoret invincibiliter; & licèt non ſoleat hæc quæſtio à multis proponi, tamen hoc tempore non erit inutilis, quia video ignorantiam Dei ab aliquibus prætenſam, ut ſuſtineant dari peccatum philoſophicum à theologico diſtinctum, quod non puniatur pœna æterna; quia non eſt offenſa Dei, qui ſupponitur ignoratus invincibiliter; quæ opinio damnata eſt nuper ab Alexandro Octavo, die 24. Auguſti 1690. Alii verò acriter hanc ignorantiam impugnant.

Ignorantia non eſt pura neſcientia, ſed cognitionis carentia, quam homo natus, & aptus eſt habere, talis eſt neſcientia exiſtentiæ Dei, & triplex eſt ignorantia: *Invincibilis*, quæ nullo ſtudio, nulla diligentia, ſaltem morali, vinci poteſt: *craſſa*, quæ venit ex negligentia cognoſcendi, & ſciendi, quæ ſcire debemus; & *affectata*, quæ venit ex depravati one voluntatis, quæ non vult edoceri veritatem, ut liberiùs peccet; de quibus diximus, ubi de voluntario. *Invincibilis* adhuc duplex eſt; ſcilicet *phyſicè*, quam homo nulla poſſibili diligentia depellere poteſt; & *moraliter*, quam non poteſt depellere per ſtudium, & diligentiam debitam juxta exigentiam, & qualitatem materiæ; & *hæc* rursùs *duplex*, ſc. *Inculpabilis*, in qua homo non advertit ad obligationem quærendi veritatem; & *Culpabilis*, in qua advertit ad eam obligationem, & tamen non ſufficienter quærit. Denique *Ignorantia* vel eſt *negativa*, quæ eſt pura negatio cogitationis, ſeu cognitionis de re ſcienda; vel *poſitiva*, quæ includit non ſolùm inſcitiam, ſeu neſcientiam veritatis, ſed etiam errorem, quo tenemus oppoſitum veritatis.

Quæſtio igitur non eſt de invincibilitate phyſica; nullus enim homo eſt pollens uſu rationis (de his enim loquimur, non de pueris, & amentibus) qui non poſſit habere, & acquirere aliqualem notitiam de exiſtentia Dei; ſcilicet, vel ex fide humana, aut divina; vel ex diſcurſu, & ratiocinatione, &c. Item procedit de Ignorantia poſitiva, & diuturna; nullus

F 2 enim

enim dubitat, ni fallor, quin dentur plures homines etiam cordati, qui aliquandiu non cogitant de Deo. Denique procedit de hominibus in communi, & generaliter loquendo; non autem de aliquibus in particulari, qui per accidens poſſent in decurſu vitæ, nihil cogitaſse, vel cognoviſſe de Deo, quales poſſent eſſe aliquot ruſtici admodum rudes, & in ſylvis enutriti, & terrenis actibus penitùs addicti.

Concl. *Probabilius eſt non poſſe dari ignorantiam poſitivam invincibilem, & inculpabilem de Dei exiſtentia per longum vitæ tempus, & in tota aliqua Provincia, vel Regno.* [1] Eſt contra P. Poncium, qui tenet *non ſolùm, quòd poteſt aliquis adultus particularis, & rationis compos ita ignorare Deum, ut nec ſemel cogitet de ipſo toto tempore vitæ*, quod eſt ignorantia negativa, ſed etiam *habere opinionem, quam putaret ipſe prudenter probabilem, quòd Deus non exiſtat: Imò & quòd agens moraliter poteſt invincibiliter ignorare Deum, & quòd illa ignorantia Dei poteſt reperiri in magna aliqua Communitate, & Regno, imò & cum omnimoda illius ignorantia.* Addit tamen, quòd [2] *de facto veriſimile eſt, quod non ſit.* Nobiſcum verò ſentit P. Fraſsen, & Cardinalis noſter de Lauræa.

Prob. autem ex Scoto. Quia reſpondens ad hoc D. Damaſceni teſtimonium: [3] *ejus, quod eſt, Deum eſse, cognitio omnibus eſt inſerta*: dicit, *quòd id poteſt exponi de potentia cognoſcitiva nobis naturaliter data, per quam ſtatim ex creaturis poſſumus cognoſcere Deum eſſe, ſaltem in rationibus generalibus*; ergo non eſt poſſibilis diuturna Dei ignorantia ſaltem poſitiva, & ordinariè, & in communi pro hominibus ratione utentibus. Nam potentia ſtatim cognoſcendi Deum, & impotentia etiam moralis, ſeu difficultas eum cognoſcendi repugnant, imò & potentia non cognoſcendi eidem repugnat.

Probatur 2. ex Scriptura. *Omnes homines vident Deum, unuſquiſque intuetur procul;* ſcilicet unusquiſque videt, & reſpicit Deum confusè, ſicut cùm videmus aliquem à longe, ſcimus eſse homi-

[1] *Diſp. 2. q. 3. a. n. 17.* [2] *Diſp. 1. n. 8. de fide 12 a. 4. n. 60.* [3] *2. d. 2. q. 1. F. n. 8.*

minem, ſed non an ſit Petrus, vel Paulus. Sic ex creaturis cernimus Deum velut quoddam ſupremum ens, & intelligentiam, ſed non diſtinctè quoad ſuas perfectiones quidditativas. Item ex D. Paulo ſupra cit. [1] *Quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis; Deus enim illis manifeſtavit. Inviſibilia enim ipſius, &c.* Et, *gentes, quæ legem non habent* (qua docentur Deum eſſe, & quomodo ſit colendus) *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*, &c. Ideò dixerat: *quicumque ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt*; ſcilicet inexcuſabilis eſt ignorantia Dei; ergo non eſt, nec poteſt eſſe invincibilis, cùm ejus cognitio ſit nobis inſita per naturam, juxta illud, [2] *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*; ergo nullus eſt uſu rationis præditus, qui Deum poſſit penitùs ignorare invincibiliter, alioqui tales nec peccarent in Deum, nec poſſent puniri; [3] *Nec enim tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras*, inquit Auguſtinus. Item ex Pſalmis cit. dicitur, quòd [4] *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Non ſunt loquelæ, neque ſermones, quorum non audiantur voces eorum*; ſcilicet voces cœlorum docentium Dei exiſtentiam ſunt notæ, & auditæ ab omnibus nationibus, quocumque utantur idiomate. [5] *Tacet cælum*, inquit Chryſoſtomus, *ſed ipſius aſpectus vocem tuba clariorem emittit Per oculos, non per aures nos docens; ſic enim ſenſus à natura eſt certior, & manifeſtior .... Scytha, & Barbarus, & Ægyptius, & Indus, & omnis homo ſuper terram incedens hanc vocem audiet...* &: *non eſt gens, neque lingua, quæ hanc vocem intelligere non poſſit*, &c. Quomodo hæc convenirent cum poſſibilitate ignorantiæ invincibilis de Deo?

Prob. 3. ex SS. Patribus. Nam communiter docent hanc cognitionem nobis ingenitam; ergo potiùs dicendũ, impoſſibilem eſſe ignorantiam Dei, quàm poſſibilem. Prob. ant. ex locis ſupracit. adde Tertull. [6] *Hæc eſt ſumma delicti noſtri, nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt .... ò Teſtimonium*

[1] *Rom.* 1. & 2. [2] *Pſal.* 4. [3] 3. *de lib. arbit. c.* 15. [4] *Pſal.* 18. [5] *Hom.* 9. [6] *Apol. c.* 17.

animæ naturaliter Chriſtianæ. Et alibi: [1] *Quis ejuſmodi eruptiones animæ non putavit doctrinam eſſe naturæ, & congenitæ conſcientiæ tacita commiſſa?* & Arnobius dicit, *hanc eſſe ſcientiam naturalem, ſine qua nemo naſcitur, adeò ut cuilibet ingenitum ſit, & affixum, ac in utero matris impreſſum, ac inſitum, eſſe Regem, ac dominum cunctorum*, &c. Et Damaſcenus: *notitia Dei omnibus à natura eſt inſita; neque id aliquis ratione utens ignorare poteſt*. Et S. Cyprianus: [2] *Deum ignorare non potes*. Et S. Auguſtinus id probat ex illis verbis Joannis: [3] *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*.[4] *Nam ſi illinc non recederet*, ſi homo non recederet à Deo, *non eſſet illuminandus, quia illinc receſſit, ubi homo ſemper poterat eſſe illuminatus*; ſed primum lumen, quo abſolutè indiget homo, ut ſalvetur, eſt pro cogitatione de inquirenda cognitione Dei; ergo nulli deeſſe poteſt; ergo ex SS. PP. non eſt poſſibilis ignorantia invincibilis Dei.

Prob. 4. ratione. Tum quia principia legis naturalis,& maximè duo præcepta primæ Tabulæ non poſſunt ignorari; ergo nec Dei exiſtentia. Patet conſeq. Nam duo illa præcepta ſunt de Deo uno, & colendo. Prob. ant. ex Scoto. [5] *Quia illud eſt verum de jure naturali, cujus veritas eſt nota ex terminis. Et aliquid eſt de lege naturæ, quod eſt verum practicum ſimpliciter notum lumine naturalis rationis*, &c. Sed talia ſunt duo præcepta primæ Tabulæ, quia illa immediatè reſpiciunt Deum pro objecto. [6] 1. *Non habebis Deos alienos*. 2. *Non aſſumes in vanum nomen Dei tui*, id eſt, non facies Deo tuo irreverentiam. Iſta ſunt ſtrictè de lege naturæ; ergo, ex Scoto, [7] & ſecundum veritatem, Deus non poteſt invincibiliter ignorari.

Prob. 5. Ignorantia invincibilis poſitiva Dei requirit aſſenſum poſitivum in contrarium: ſed nullus talis aſſenſus eſt poſſibilis, quo quis dicat, *non eſt Deus*, ergo nec ignorantia poſitiva Dei eſt poſſibilis in homine rationali. Maj. ſupponitur ex communi

[1] 1. *cont. Gent.* [2] *De vanit. Idol.* [3] *Joan.* 1.
[4] *Tr.* 2. *in Joan.* [5] *d.* 17. *A.n.*2.& 33.
[6] *Gen. n.*7. [7] 3. *d.*37. *C.n.*5.

muni acceptione talis ignorantiæ. Prob.min. 1. ex Scriptura. Nam, *qui dixit in corde ſuo, non eſt Deus*, non erat ratione utens, ſed *inſipiens*. 2. quia ut quis aſsentiatur,& credat rationabiliter, quòd non eſt Deus, debet habere aliquas rationes, ſaltem apparentes; ſed tales nullæ ſunt; imò, quæ probant Deum eſse, ſunt evidentes, & demonſtrativæ; ergo &c.

Prob. 6. concluſio, & quæſtio procedit de homine rationali, non de puero, nec de amente; ſed non poteſt haberi uſus rationis cum ignorantia invincibili Dei; ergo, &c. Prob. min. Habere uſum rationis eſt habere notitiam eorum, quæ conveniunt rationi, & quæ illi diſconveniunt, & operari propter ultimum finem, ſaltem implicitè, & virtualiter, & confusè; ſed hæc non poſsunt fieri cum ignorantia invincibili Dei, qui eſt bonum conveniens, & ultimus finis; ergo &c.

Prob. 7. Illa ignorantia veniret ex defectu excitationis ſpecierum, vel notitiæ terminorum; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt poſſibilis. Patet maj.Nō enim poteſt aſſignari alia cauſa,unde proveniret; ſupponitur enim ex parte hominis tota diſpoſitio naturalis requiſita, nempè expeditus uſus rationis. Prob. min. Nam moraliter impoſſibile eſt, quin identidem occurrant homini ſpecies, & cogitationes de illis, quæ pertinent ad ejus beatitudinem, & honeſtatem, & ſtatum; alioqui eſset brutis ſtupidior; ſed hæc venire non poſsunt in mentem hominis rationalis ſine aliqua confuſa ſpecie Dei ſub conceptu aliquo communi, ſub quo eſt objectum, & principium felicitatis, & boni honeſti; ergo hæc talis ignorantia venire non poteſt ex defectu excitationis ſpecierum, nec notitiæ terminorum talis propoſitionis, *Deus eſt*.

Objic. 1. Illa propoſitio non eſt per ſe nota nobis, & egemus diſcurſu ad illam amplectendam; ſed poſſibile eſt dari homines adeo rudes, ut non valeant diſcurrere, & hoc per totam vitam; ergo & poſſibile eſt, eos ignorare invincibiliter Deum etiam per totam vitam. Maj. patet ex noſtris principiis. Prob. min. Nam reperiri poſsunt innumeri ruſtici in ſylvis enutriti, & rudes, qui non poſ-

ſunt, nec diſcurrere, nec diſcurrentes capere.

Reſp. 1. diſt. maj. Non eſt nota per ſe, & nobis diſtinctè, & clarè, ſine diſcurſu aliquali, conc. maj. confusè, & ſine diſcurſu ſpeculativo, & difficili, neg. maj. & conſ. Aliud enim eſt, quòd ſit nobis cognita diſtinctè, adeò ut ſtatim illi aſſentiant rudiores, vel convicti; aliud, quòd illi utcumque aſſentiant, ſaltem poſt aliqualem applicationem.

Reſp. 2. neg. min. & rationem ejus. Nullus enim eſt homo tantillum rationis uſum, & lumen habens, qui non ſit capax rationum, quibus aſtruitur Dei exiſtentia; Perſa, Gothus, Ægyptius, Turca ipſum agnoſcunt. *Beſſorum ferias, & Pellitorum turba populorum ſtridorem ſuum in dulce nominis tui fregerunt melos, & totius mundi una vox: Deus eſt*, inquit S. Hieron. Et certè ſi reperiuntur homines adeò ſtupidi, ut nullo modo hac veritate penetrentur, credendum eſt, eos nihil habere hominis præter externam figuram.

Objic. 1. ex P. Pontio. Homo natus in ſylvis, aut ibi ab infantia enutritus ſemotus ab omni conſortio aliorum poſſet per omne id tempus Deum ignorare, quantum eſt ex ſe, & quod dicitur de illo, dici poſſet de multis ſimiliter ſylveſtribus; ſed illa ignorantia non poſſet depelli; ergo eſſet invincibilis. Maj. patet; nulla enim in hoc repugnantia. Prob. min. A quo enim depelleretur? non ab hominibus, quos non agnoſceret, & ſunt populi adeò feri, ut ſe ſe potiùs mutuò diſcerpant, & comedant, quàm frequentent; non ab Angelis, quia Deus ad hoc non tenetur; non per gratias internas, quas ſufficientes vocant; id enim eſt divinare; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam moraliter impoſſibile eſt, ut ſi rationis uſu homo ille, vel illi homines non careant, & feris ſtupidiores non ſint, & ſi aſpiciant cœlum, & rupes, & arbores, & ſylvas ſuas, & feras, cum quibus habitant, & hæc cum aliqua attentione conſiderent, non veniant in aliquam authoris eorum cogitationem, & inde inducantur ad ſeriùs inquirendum ſollicitante innato lumine, & præcipuè præveniente, excitante, & juvante gratia Dei, quæ nulli deeſt, maximè *facienti, quod in ſe eſt*.

Objic. 2. ex eodem. Si homini, qui eſt in ignorantia

tia negativa, & nihil de Deo audivit, proponantur rationes apparentes, & motiva contra Dei exiſtentiam, non ſolùm non credet Dei exiſtentiam, ſed etiam ex talibus motivis, quamvis ſophiſticis, & erroneis, credet non eſſe Deum, & ſe prudenter id credere, ergo poſſet ignorare poſitivè Deum, & quidem ſatis diu; ſaltem probabiliter; unde enim poſſet aliter ſentire? Prob. 2. ant. Ille non haberet motiva pro veritate, quibus poſſet errorem depellere, ergo, &c.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam ipſamet ſophiſmata, quibus ille error ſuſtineretur, aperirent viam ad veritatem, inducerentque animum ad maturiùs eam inveſtigandam; nec enim ratio ulla poteſt afferri apparens, vel probabilis contra evidentem adeo veritatē, quæ paulò attentius perpenſa non evaneſcat; poſſet homo ille per aliquod tempus hærere; ſed tandem emergeret ex illis tenebris, afflante gratia.

Objic. 3. ex eodem. [1] Ut probet non ſolùm in aliquos particulares poſſe cadere hanc ignorantiam, ſed etiam in magnam Communitatem, & Regnum: poteſt dari aliqua magna Communitas carens uſu litteraturæ, nec populi ſint aſſueti attendere inveſtigationi naturæ aliter quàm ſecundum præſentem uſum rerum, & ideò non agnoſcant ne veritates quidem faciliores, & inferiores iſta; ergo multò minus agnoſcent, vel poterunt cognoſcere iſtam de exiſtentia Dei. Patet ant. Nulla enim eſt in hoc repugnantia. Prob. conſ. Quia ſi inferiores cognitiones ſunt illis ſic impoſſibiles, à fortiori altiores.

Reſp. ex eodem [2] diſt. ant. Si nolint, ut poſſunt, ſic intendere, conc. ant. ſi velint, ut poſſunt, attendere, neg. ant. & conſeq. Pontius ipſe fatetur, *Cælos indicare Deum omnibus nationibus, quatenùs de illis in omni natione poſſet colligi exiſtentia Dei, ſi vellent ex illis diſcurrere benè, ut poſſet fieri; ſed hinc non ſequitur, quòd ſic fecerint*. Pace doctiſſimi viri, non video hinc ſequi ignorantiam invincibilem exiſtentiæ Dei; ſed potiùs vincibilitatem ejus: quia ut ipſe fatetur, illi populi *potuerunt diſcurrere benè, ſi vellent*. Nec probat de facto id contigiſſe, ſeu quòd id non fecerint; ſed

[1] *n.* 24. [2] *ibid.*

potius, quòd tanta ignorantia non acciderit in ulla magna Communitate, ut rectè dixerat in concluſione; quis enim crederet, quòd in toto uno grandi regno nullus ſit, qui velit diſcurrere circa ea, quæ cœli narrant de gloria Dei, cùm id poſſit?

Inſt. Ut quis ex creaturis eliciat exiſtentiam Dei, debet aliquo modo præcognoſcere illos terminos, & habere aliquas ſpecies illorum, quæ excitentur; ſed illi populi poſſunt non habere ullas ſpecies, nec præcognitiones illorum terminorum, ſaltem ſubjecti illius propoſitionis, *Deus eſt*, niſi per aliquos doceantur, & audiant; ergo non poſſunt ex creaturis agnoſcere Dei exiſtentiam.

Reſp. diſt. maj. Exiſtentiam Dei diſtinctè, ſub ratione quidditativa, & propria deitatis, conc. maj. & min. ſub ratione aliqua communi, & confuſa, neg. maj. & min. Non enim dicimus, quòd ex creaturis, aut ratiocinatione naturali, poſſet facilè haberi conceptus exiſtentiæ Dei ſub ratione propria, & diſtincta Deitatis; ſed tantùm ſub ratione aliqua confuſa, impropria ex communibus: v.g. primæ cauſæ, entis primi, & ſummi, & incauſati, & infiniti, quibus tandem majori conatu, & adjuvante gratia pervenitur ad diſtinctam, & perfectam cognitionem.

Objic. denique. De facto populi Americani, nuper inventi, & Regna integra carent ea notitia; nihil enim huc uſque audierant de Deo, nec cogitarant, quando ad eos non penetraverat Evangelium; ergo ignorabant invincibiliter Deum. A quo enim didiciſſent? Ant. patet ex hiſtoriis, quas habemus ab iis, qui ad illas partes penetrarunt nuper.

Reſp. cum Eminentiſſ. Cardinali noſtro de Laurea, diſt. ant. Carent ea notitia clara, & diſtincta, & culpabiliter, conc. confuſa, & interna, cum qua potuerunt inquirere, & inſtrui, neg. ant. & conſ. Non habuerunt notitiam ab extra per prædicationem, & inſtructionem humanam; ſed ex lumine naturali, & influxu gratiæ, ac luminis divini, quod nulli deeſt: atque ita potuerunt aliqualiter cognoſcere Deum, ut moverentur ad ſtudioſiùs inquirendam veritatem, ideò inexcuſabiles fuerunt juxta illud: [1] *Multi dicunt, quis oſten-*

[1] *Pſ.* 3.

oſtendit nobis bona? Sed illis reſpondetur: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*. Ignorantia igitur fuit vincibilis, & de iſta loquitur S. Auguſt. quando illam videtur aſserere, ut pœnam peccati.

Igitur concludimus cum D. Auguſtino, *Hæc eſt vis vitæ Divinitatis creaturæ rationali jam ratione utenti non omninò, ac pluribus poſſe abſcondi*, & ut dicebat Sanctus Paulinus, *Ad hoc mens nulla caligat; hoc etiam Infidelium fides recipit*; juxta illud: *Nox nocti indicat ſcientiam*.

Conſtat igitur, quòd exiſtentiæ divinæ ignorantia poſitiva, imò ne negativa quidem, non eſt poſſibilis in homine utente ratione, ſaltem pro longo tempore, & ad ſummum non niſi rariſſimè, & in pauciſſimis hominibus, & admodum rudibus.

Inſania iſta, inquit Aug. *paucorum eſt, ſicut enim magna pietas paucorũ eſt, ſic & magna impietas*, qualis eſt Atheiſmus, *nihilominus paucorum eſt*. Unde *ſolus inſipiens dixit*, & quidem, *in corde ſuo non eſt Deus*.

Dixi autem 1. probabilius id eſse. Nec enim rationes noſtræ concluſionis ſunt demonſtrativæ, & penitùs certæ.

Dixi 2. *Ignorantiam poſitivam*: Nam de negativa id minùs certum exiſtimo: licèt non exiſtimem, eam contingere poſse in toto vitæ hominis cordati, & rationabilis decurſu; & multò minùs in aliqua magna communitate; ut volebat Pontius. Incredibile enim mihi eſt tot, & tales homines tam diù vivere poſse ſine aliqua conſideratione, ex qua veniat illis in mentem aliqualis notitia Numinis.

Dixi 3. *inculpabilem*, & per conſequens, *invincibilem*; fateor enim, quòd ſi daretur ignorantia invincibilis Dei, eſset etiam inculpabilis, ut patet ex noſtra Morali; nam ut dicebamus ex Auguſtino: *non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: ſed quod negligis quærere, quod agnoſcas*? Aliquod ſemper affulget, & tranſlucet lumen, quod ſolicitat mentem ad inquirendum de Deo, quem ſubobſcurè ſaltem oſtendit. Unde concludo, quòd ignorantia Dei exiſtentiæ eſt ignorantia cordis, & pravæ diſpoſitionis, non intellectus. [1] *Co-*

[1] 1. q.2. a.1.

gnoſcere Deum eſse in aliquo communi ſub quadam confuſione, in nobis naturaliter inſertum eſt, inquit S. Thomas. Quia omnibus naturaliter inſertum eſt aliquid, unde poteſt perveniri ad cognoſcendum Deum eſse.

QUÆSTIO VI.

Quid ſit Deus, & an poſſit ab homine viatore haberi aliquis conceptus quidditativus de Deo.

QUærimus hìc, quæ ſit eſsentia, ſeu natura Deî, an poſſit de illa in hoc ſtatu viæ, & lumine naturali haberi aliquis conceptus proprius, & quidditativus poſitivus, aut ſaltem negativus? ſeu, an, & qualiter Deus ſit à nobis cognoſcibilis pro hoc ſtatu? ſub his enim, & aliis æquivalentibus terminis ſolet proponi hæc quæſtio: modeſtè autem, & ſubmiſſis ad terras oculis, & vultu, quia non humilis Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria. *Igitur humiliter, et pro viribus intueamur quid Deus ſit, & videamus, an ei aliquid poſſit comparari? Certe, hoc eſt Deus, quod cùm dicitur, non poteſt dici; cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari; cùm comparatur, non poteſt comparari, cùm definitur, ipſa ſua definitione decreſcit*, ait Ambroſius. [1]

Porro ſuppono cognitionem, ſeu conceptum quidditativum dici eum, in quo rem concipimus ſecundum prædicata eſsentialia, per quæ aptè reſpondetur quærenti de illa, *quid eſt*: & tales conceptus ſunt vel *proprii*, vel *communes*, vel ſaltem *proprii ex communibus*; primi ſunt, qui propriè conveniunt Deo; ſecundum ejus eſſentiam præcisè, & ut talem, ab omni alio ente diſtinctam, ut Deitas; ſecundi ſunt illi communes cum creaturis, ſive univocè, ſive ſaltem analogicè; ut prædicata *entis*, & *ſubſtantiæ*. Tertii ſunt quidem proprii Deo, ſed illos colligimus ex præcedentibus, qui ſunt illi communes cum creaturis, ut *ens ſummum*, aut *ens à ſe*, aut *ens infinitum*, *ſubſtantia increata*, &c. Per hæc enim partim Deus convenit, partim diſconvenit à crea-

[1] *Defid. con. Arri. c.6.*

à creaturis. Proprium autem purè, & conſtitutivum Dei certum eſt non poſſe à nobis pro hoc ſtatu cognoſci; quia, cùm ſit conceptus ſimpliciſſimus; non poteſt cognoſci, niſi in ſe videatur; quod homini viatori non conceditur. *Non videbit me homo, & vivet.*

Suppono etiam aliquid cognoſci per proprias ſpecies, quando ipſummet, ut præſens mittit ſpecies ſui in oculum, vel intellectum; ut ſol, albedo, lux, &c. Vel per alienas; ut cùm objectum abſens, vel inſenſibile in ſe concipimus per ſpecies ex aliis objectis emendicatas; ut cùm tenebras concipimus per modum nigredinis, vel Angelos per modum puerorum alatorum, & pulcherrimorum. Per illas enim ſpecies, & imagines concipimus innocentiam, levitatem, & venuſtatem, ſeu ſplendorem. Item conceptus, alii ſunt *poſitivi*, quibus rem intelligimus ſub aliquibus prædicatis, & perfectionibus poſitivis, quas ex creaturis colligimus; ſic Deum hìc videmus; *Si quis enim Deum vidit, & cognovit, quod vidit, non Deum vidit, ſed quid extra Deum*, ait Dionyſ. [1] v. g. Deum, ut omnipotentem, ſapientem, æternum, &c. Alii *Negativi*, quibus concipimus Deum removendo ab eo imperfectiones, quas in creaturis deprehendimus; ut cùm illum dicimus *immortalem*, *invíſibilem*, *immutabilem*, &c.

Quantum ad definitionem Dei, non loquimur de illa in rigore Logico; nam, cùm Deus ſit in ſe ſimpliciſſimus, & pariter infinitus, atque incomprehenſibilis, certum eſt, Deum non poſſe tam brevi, imò nec quacumque finita oratione explicari, vel comprehendi. Loquimur ergo de definitione largiſſima, ſcilicet pro quacumque oratione explicante naturam Dei, ſub aliquo conceptu, in quo conveniat cum aliis; & alio, per quem diſtinguatur ab aliis; ſive ille ſit propriè genus, & iſte differentia, ſive non.

Concl. 1. *Poſſumus naturaliter habere aliquos conceptus proprios de Deo etiam affirmativos, ſeu poſitivos.* Ita Scotiſtæ, & alii contra Thomiſtas, qui non putant poſſe haberi niſi conceptus negativos.

Prob.

[1] *Ep. 1. ad Cajum.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *In prima quæſtione,* (quę eſt de cognoſcibilitate Dei) *non eſt diſtinguendum, quòd Deus poſſit cognoſci negativè, non affirmativè; quia negatio non cognoſcitur niſi per affirmationem; & patet, quòd nullas negationes cognoſcimus de Deo, niſi per affirmationes, per quas removemus incompoſſibilia aliqua ab illis affirmationibus: ſicut non removemus compoſitionem, niſi quia attribuimus ſimplicitatem, vel aliquid aliud.* Et alibi. [2] *Deus non eſt à viatore cognoſcibilis ſecundum aliquem conceptum ſibi proprium, ut Deitas eſt, ſed ſecundum aliquem conceptum communem à creaturis abſtractum,* quod ſic explicat; *v. g. à creatura poſſumus abſtrahere conceptum bonitatis, vel boni; ſimiliter conceptum ſummi; cùm non ſit proceſſus in infinitum: & ita componendo, apprehendimus conceptum ſummi boni, quod eſt proprium Dei, & convenit tantùm Deo:* Tales autem conceptus vocamus *proprios ex communibus.*

Prob. 2. ex eodem, quia 1. diligimus Deum, non tantùm ut non malum, ſed etiam poſitivè ut bonum; ergo concipimus eum ut poſitivè bonum ſummum. ant. patet experientia noſtra: prob. conſeq. non enim voluntas fertur in incognitum; quia nihil volumus, quod non ſit cognitum; ergo ſi amamus Deum ut poſitivè bonum ſummum, ita & cognoſcimus. 2. Concipimus in Deo negationes *materialitatis, mortalitatis,* & aliarum imperfectionum, quas videmus in creaturis; ergo & *ſpiritualitatem,* & *vitam,* & alias perfectiones oppoſitas; alioquin non plus cogitaremus de Deo, quàm de nihilo. Confir. nam cùm dicimus, *Deus eſt immortalis, inviſibilis,* concipimus, ſeu ſupponimus aliquod poſitivum, de quo affirmamus illas negationes, aut negamus illas imperfectiones; alioquin idem eſſet, ac ſi diceremus de nihilo, quod non eſt materiale, nec mortale, &c. ergo in Deo concipimus aliqua poſitiva, & quidditativa. 3. quia omnis negatio inſeparabilis à ſubjecto, de quo enuntiatur, ſupponit aliquid poſitivum, in quo fundetur; v. g. *immaterialitas* fundatur in ſpiritualitate, *immortalitas* in *vita* perfectiſſima, & ſtabili, &c.

[1] 1. *d.* 3. *q.*2. *n.*2.
[2] *Repor.* 1. *d.* 3. *q.*1. *n.*8.

&c. Sed illæ negationes conveniunt inſeparabiliter Deo; ergo ſupponunt perfectiones poſitivas conceptibiles in Deo, prob. maj. quia tales perfectiones ſunt propriæ talibus ſubjectis; ſed non poſſunt eſſe propriæ talibus ſubjectis, v. g. immortalitas non eſt propria ſoli Deo, niſi quia naſcitur ex ratione vitæ illius; alioquin diceretur æquè de Angelo, & de anima rationali; imò de lapide, & de nihilo, ergo &c.

Prob. 3. nam de facto concipimus Deum, ut *ens*, ut *ſubſtantiam*, ut intelligentem, & volentem; ſed hæ perfectiones, & prædicata ſunt quidditativa, & poſitiva; negationes verò puræ non poſſunt eſſe de eſſentia, & quidditate entis; quia ſunt non entia; ergo de Deo poſſunt haberi conceptus proprii ex communibus.

Dices, hos conceptus includere quidem aliquod poſitivum, in quo fundantur illæ negationes; nec id negatur ab ullis Theologis; ſed non poſſunt intelligi, nec explicari ſine ordine ad negationes, v. g. ſpiritualitas non concipitur à nobis pro hoc ſtatu, niſi ſub negatione materialitatis; quia non cadit aliter ſub ſenſus noſtros. Sed contra, & prob. 4. nam conceptus entis intelligentis omne intelligibile eſt poſitivus, & non explicatur per ullam negationem; ſed poſſum naturaliter ſic concipere Deum; ergo poteſt haberi conceptus proprius, & poſitivus de Deo, prob. maj. quia ſufficienter explicatur ille conceptus, dicendo, quòd Deus tam perfectè intelligat omne intelligibile, quantùm poteſt intelligi, vel quantùm illud eſt intelligibile; ſed ibi nulla fit relatio expreſſa ullius negationis; ergo ille conceptus poſitivus, & proprius Dei non explicatur neceſſariò per ullam negationem.

Objic. 1. ex SS. Patribus. [1] Nam Dionyſ. [2] docet *nos de Deo priùs dicere, quid non ſit, quam quid ſit:* & quod à nobis *non cognoſcitur ex ipſius natura, eſt enim incognita, omnemque rationem, & mentem ſuperat... ad illud, quod eſt ſupra omne, aſcendimus in omnium ablatione;* ſcilicet per negationes imperfectionum, quas videmus in creaturis. D. Damaſc. [3] *Quæcumquè de Deo prædicantur, hæc non id quod*

[1] *Div. nom, c.* 13. [2] *Ibid. c.* 7. [3] 1. *fid. c* 4.

quod eſt, ſignificant, ſed quod non eſt; & S. Maximus; *Veritatem maximè aſſequitur, qui dicit non eſſe Deum quidquam eorum, quæ ſunt*; ergo ex SS. Patribus Deus à nobis non concipitur ſub ullo conceptu poſitivo.

Reſp. neg. conſ. nam id SS. Patres non intendunt abſolutè, & ſimpliciter, quaſi Deus non poſſit concipi ſub ullo conceptu affirmativo; ſed quod facilius eſt, & familiarius: facilius quippe eſt ſcire de Deo, quid non ſit, quàm quid ſit poſitivè propter ſublimitatem, & infinitatem naturæ ejus; ſed non negant abſolutè, quin poſſit concipi ſub aliquibus prædicatis poſitivis. Imò, *Oportet, poſtquam dictum erit, quid non eſt, dicatur etiam quod eſt*, inquit Nazianzenus, *Ut ex negatione eorum, quæ non eſt, & ex affirmatione ejus, quod eſt, pleniùs intelligatur*. Ipſe Dionyſ. [1] utroque modo illum concipit: *In ipſo ſolo & ſubſtantiæ expers eſt ſubſtantiæ exceſſus, & vita carens excellens quædam vita, mentis expers quædam ſapientia, &c.* Vides ſapientiam, ſubſtantiam, & vitam in Deo conjunctas cum negationibus earumdem perfectionum, quales ſunt in nobis, unde concludit S. Maximus; *Privationes in Deo eſſe efficaces poſitiones affirmantium.*

Objic. 2. omnis perfectio Dei eſt actus puriſſimus, & ſimpliciſſimus; ſed nihil tale poteſt hic à nobis concipi ſub conceptu poſitivo; ergo nulla Dei perfectio poteſt concipi poſitivè. maj. eſt veriſſima, & ab omnibus admiſſa; prob. min. 1. experientia, qua conſtat, nos non poſſe formare ullum conceptum poſitivum de ente de ſubſtantia ſpiritali, etiam creata. 2. quia intellectus noſter eſt improportionatus illis objectis ſimpliciſſimis propter immerſionem ſuam in materialitate, & dependentiam à ſenſibus; ergo naturaliter non poteſt formare conceptus poſitivos de illis.

Reſp. neg. min. & diſt. utramque prob. non poteſt formare conceptum poſitivum de ſubſtantia ſpirituali, per proprias illorum objectorum ſpecies, conc. per alienas, neg. ant. & conſ. Similiter intellectus eſt improportionatus Deo, & illis objectis puriſſimis in eſſen-

[1] *Theol. myſt. cap. 5.*

ſendo, ſeu in ratione entis, conc. in cognoſcendo, ſeu in ratione potentiæ ad objectum, neg. ant. & conſ. Certè, ſi quid probaret hoc argumentum, probaret potiùs talia objecta penitùs non cognoſci, vel potiùs ſub conceptu poſitivo, quàm ſub negativo; quia negativus eſt magis compoſitus, & potentialis; quia minus eſt ens, & minus perfectus.

Inſt. Conceptus ille proprius, & poſitivus de Deo eſſet vel eſſentialis, & quidditativus, vel attributalis, & qualificativus; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec aſſeri conceptus poſitivus, prob. min. 1. de quidditativo; quia, ex Scoto, omnis conceptus, quem hic habemus de Deo, abſtrahitur à creaturis; ſed creaturæ non conſtituunt nec formaliter, nec virtualiter, nec eminenter continent conceptum quidditativum Dei; ergo ex illis non poteſt abſtrahi conceptus quidditativus. 2. prob. de attributali; nam eadem eſt ratio ac de priori; omne enim attributum Dei eſt de ejus eſſentia: alioquin non eſſet actus puriſſimus, & non haberetur ſpecies de attributis ex creaturis; ergo ille conceptus non eſſet nec quidditativus, nec attributalis.

Reſp. diſt. min. conceptus diſtinctus, & per proprias ſpecies, conc. uterque enim eſt nobis impoſſibilis in via; conceptus confuſus, & per alienas ſpecies, neg. min. poteſt enim haberi conceptus tum quidditativus, tum attributalis, ſed confuſus, & per ſpecies alienas, ſcilicet ex creaturis, quatenus participant aliquas perfectiones ejus, licèt cum imperfectionibus admixtas.

Inſt. 2. Deus in tali conceptu apparet ſub ratione creata, vel increata; ſi ſub increata; ergo ſub negatione, & habetur intentum, vel illa cognitio eſſet intuitiva; quia eſſet de Deo, qualis eſt in ſe: Si ſub ratione creata; ergo non conciperetur ut Deus, ſed ut creatura, ergo repugnat talis quicumque conceptus.

Reſp. neg. ant. ille enim conceptus formaliter, & implicitè repræſentans Deum ſub ratione aliqua poſitiva, v. g. intelligentis comprehenſivi, non dicit increationem niſi implicitè, & identicè, nec proinde talis cognitio in nobis eſſet intuitiva; quia non eſt de Deo præſente, ut præſente, ſed per ſpecies alienas, & abſtractas.

Inſt.

Inſt. 3. Deus in hac vita non concipitur à nobis, niſi ut ens neceſſarium, & actus purus, aut ut ens increatum, vel immenſum, vel æternum, omnipotens, omniſciens, immortale, ſummum bonum, &c. quæ ſunt perfectiones intrinſecæ; vel ut cauſa prima, primum principium, primus Dominus, ultimus finis, &c. quæ ſunt perfectiones quaſi extrinſecæ, & relativæ ad creaturas: ſed hi omnes conceptus important negationes; ergo non ſunt poſitivi; nec Deus poteſt hic à nobis concipi, niſi ſub negationibus. Prob. min. nam important negationes creationis, & dependentiæ, vel menſuræ, vel limitationis in duratione, ſcientia, vel potentia, vel prioritatis, aut ſuperioritatis, ergo &c.

Reſp. diſt. min. hi conceptus ſic expreſſi important negationes cum poſitivis, in quibus illæ fundantur, aut à quibus manant, con. puras negationes, neg. min. & conſ. nam illa omnia, & ſimilia prædicata important primò, & principaliter perfectiones poſitivas, quæ excludunt tales imperfectiones, ſcilicet limitationes in entitate, ſcientia, potentia, &c. Et ideò annexas habent negationes illas dependentiæ, & limitationis, aut ſuperioritatis.

Concl. 2. *Deus poteſt à nobis in hac vita concipi ſub rationibus non ſolum attributalibus, ſed etiam eſſentialibus, & quidditativis.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd ad multos conceptus proprios de Deo poſſumus pervenire, qui non conveniunt creaturis; cujuſmodi ſunt conceptus omnium perfectionum ſimpliciter in ſummo, &c.* Et dixerat ſuprà, quòd *non tantùm haberi poteſt conceptus naturaliter, in quo quaſi per accidens concipitur Deus, puta, in aliquo attributo, ſed etiam aliquis conceptus, in quo per ſe, & quidditativè concipiatur Deus*; ergo ex Scoto [2] poteſt à nobis hìc concipi Deus ſub ratione aliqua quidditativa.

Prob. 2. quoad. 1. par. concipimus Deum ut ſummè bonum, ſapientem, omnipotentem, &c. Sed hi conceptus ſunt attributales in Deo; ergo &c. maj. patet præſenti experientia, qua de illis loquimur.

Prob. 2. par. nam, ut mox dicebamus cum Doctore, con-

[1] *1.d.3.q.2.E.n.17.*
[2] *Ibid. A. n.5.*

concipimus Deum, ut infinitum, ut ſubſtantiam purum, & increatam, &c. Sed hæc prædicata ſunt de eſſentia Dei, & ſic illi conveniunt, ut nulli alteri convenire poſſint; ergò de Deo habere poſſumus conceptus quidditativos.

Confirm. Nam eſſentia in Deo diſtinguitur ab attributis, vel formaliter à parte rei, vel virtualiter, aut ratione ratiocinata, ut patebit infra; ergo rationes eſſentiales de Deo poſſunt concipi à nobis præcisè ab attributis.

Objic. Deus, ex Scoto, [1] non poteſt concipi naturaliter à viatore in particulari, & propriè ſub ratione talis eſſentiæ; ergo nec ſub conceptu quidditativo. Prob. conſ. Non poteſt concipi ſub ratione quidditativa, quin concipiatur ſub ratione talis eſſentiæ, & diſtinctè. Docet etiam, quòd [2] hæc vox, *Deus*, non poteſt à nobis pro hoc ſtatu cognoſci diſtinctè, & clarè; & ideò hæc propoſitio, *Deus eſt*, non eſt per ſe nota nobis; ergo ex Scoto, non poteſt Deus à nobis hìc concipi ſub conceptu ullo quidditativo.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus. Nam Scotus negat tantùm haberi hìc poſſe conceptum quidditativum diſtinctum per cognitionem intuitivam, vel in propria ſpecie; non autem conceptum confuſum, & abſtractum ex ſpeciebus alienis, emendicatis ex creaturis, qualem ſuſtinemus hìc poſſibilem.

Igitur poſsumus hìc concipere Deum, ut *ens ſummum*, *ens à ſe*, *ens neceſſarium*, *purum*, &c. Et hi conceptus, & ſimiles ſunt de quidditate Dei, & exprimunt naturam ejus per prædicata, quæ ſunt de intrinſeca ratione illius, & per illa diſtinguitur ab omni alio ente, quod non eſt Deus, ſed tamen ſunt prædicata propria ex communibus, quæ colligimus ex creaturis per oppoſitionem ad imperfectiones limitationis, inferioritatis, & dependentiæ, contingentiæ, &c. quas in eis deprehendimus: & ſic in Deo concipitur infinitas, ſummitas, aſseitas, neceſſitas, & ſimiles perfectiones, quas identificamus illi ſubſtantiæ, quæ eſt Deus.

Concl. 3. *Perfectiſsimus conceptus, quem hìc habemus de Deo, eſt ens infinitum; & per illum poteſt aliqualiter definiri.*

Prob.

[1] *ibid. D. n.16.* [2] *d.2.q.2.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Iſte enim conceptus eſt ſimplicior, quàm conceptus entis, boni, aut veri, vel aliquorum ſimilium; quia infinitas non eſt quaſi attributum, vel paſſio entis ... ſed dicit modum intrinſecum illius entitatis; ita quòd cùm dico, ens infinitum, non habeo conceptum, quaſi per accidens ex ſubjecto, & paſſione; ſed conceptum per ſe ſubjecti in gradu certo, ſcilicet infinitatis;* ergo ex Scoto, non poteſt haberi hìc perfectior conceptus de Deo.

Prob. 2. ex eodem; quia conceptus ille plura continet, quàm ullus alius conceptus, qui de Deo formari poſſit in hac vita; ergo &c. Prob. ant. hoc ipſo quòd concipio Deum ut ens infinitum, idem eſt ac ſi dicerem illum eſſe bonum, verum, ſapientem, omnipotentem; uno verbo, infinitas dicit omnes perfectiones poſſibiles, ſine mixtione imperfectionis, ergo plura, imò omnia dicit poſſibilia dici de Deo.

Confirm. nam per infinitatem magis Deus elevatur ſuper omne aliud ens poſſibile, & eſt ultima perfectio, & gradus, qui colligi poſſit ex demonſtratione à poſteriori de exiſtentia Dei.

Ideo dixi, quòd *Deus per illum conceptum poteſt aliqualiter definiri*, Scilicet dicendo, *Deus eſt ens ſimpliciter infinitum*. Nam *ens* habet locum generis; quia per illud convenit cum creaturis etiam univocè; ut patet ex Metaphyſica: & *infinitum ſimpliciter* locum habet differentiæ. Quo ſenſu autem hoc dici poſſit, patebit infra, ubi de ſimplicitate Dei. Dixi, *aliqualiter*; ut abſtineam ab inutili quæſtione nominali: An ſcilicet Deus poſſit definiri propria definitione, ſufficit enim ſcire, quòd poſſit *aliquali* oratione explicari natura ejus.

Objic. 1. Ens ſummum æquè perfectè exprimit, & definit naturam Dei; ergo ens infinitum non eſt perfectiſſimus conceptus Dei, vel definitio ejus. prob. ant. quod eſt ſimpliciter ſummum, includit omnes perfectiones poſſibiles, æquè, ac infinitum; ergo ens ſummum æquè perfectè definit naturam Dei, prob. ant. nam ſi eſſet aliqua, quã non importaret, non eſſet ens

[1] *Ibid. num.* 17.

ens ſummum, ſed ſuperaretur ab habente illam.

Reſp. neg. ant. 1. 2. & 3. argum. Nam ad rationem *ſummi* ſufficit, quòd omnia excedat, & non excedatur ab ullo; & ſic conceptus *ſummi* non eſt ita abſolutus, ſed intelligitur comparativè ad alia. *Infinitum* verò dicitur abſolutè, & complectitur ſimpliciter omnem perfectionem poſſibilem ſine ulla imperfectione, & limitatione, quod non facit *ſummum*.

Objic. 2. Conceptus erit perfectior, ſi dicatur, *ſubſtantia ſpiritualis, vivens, infinita*, quàm ſi dicatur nudè, *ens infinitum*; ergo iſte non eſt perfectiſſimus. Prob. antec. Ens prius dividitur in ſubſtantiale, & accidentale; ergo qui dicit ens, non ſtatim dicit *ſubſtantiam*, nec *ſpiritum*, nec *vivens*, nec *intellectivum* potius, quàm *accidens*, & *corpus*, & *lapidem*, & *animal*; ergo ille conceptus eſſet perfectior iſto.

Reſp. diſt. ant. Eſſet perfectior extenſivè, & explicitè, conc. intenſivè, & implicitè, & ſimpliciter, neg. ant. & conſeq. Nam cùm dico, *ens infinitum ſimpliciter*, dico ens includens omnes perfectiones poſſibiles, quales ſunt ſubſtantialitas, vitalitas, ſpiritualitas, & intellectivitas; definitio autem quò eſt ſimplicior, eò eſt perfectior, & abſolutior ab omni reſpectu ad extra.

Concl. IV. *Deus eſt eſſentialiter ens, ſubſtantia ſpiritualis, & vivens vita intellectuali*. Eſt de fide quoad omnes partes.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Ad multos conceptus proprios de Deo poſſumus pervenire, qui non conveniunt creaturis; ut ſunt conceptus omnium perfectionum ſimpliciter in ſummo*. Et prius dixerat, quòd *non tantùm in conceptu analogo conceptui Creaturæ concipitur Deus, qui ſcilicet ſit omninò alius ab illo, qui dicitur de creatura, ſed in conceptu aliquo univoco ſibi, et creaturæ*; ſed rationes entis, ſubſtantiæ ſpiritualis, viventis, & intellectivi ſunt perfectiones ſimpliciter; ergo rectè dicuntur de Deo.

Prob. 2. ex Script. & 1. de ente. Deus ſibi novum nomen ſumit ab *eſſe*, ſeu ab *ente*; nam cùm Moy-

[1] *ibid. E. et B. n.* 17. *&* 6.

Moyſes quæreret ab eo nomen ejus, quo illum appellaret coram Iſraelitis: [1] *Si dixerint mihi, quod eſt nomen ejus, quid dicam eis?* Reſpondet Deus: *Ego ſum, qui ſum; ſic dices eis: Qui eſt, miſit me ad vos.* Unde S. Bernardus: *Quid eſt Deus? ſine quo nihil eſt; tam nihil eſt ſine ipſo, quàm ipſe ſine ſe eſſe non poteſt; ipſe ſibi, ipſe omnibus eſt.*

Prob. rationibus allatis pro ejus exiſtentia, à qua habet eſſe ens realiſſimũ, & actualiſſimũ: quippe illud maximè eſt ens, quod non ſolùm de ſe, & per ſe exiſtit, ſed etiam à quo, in quo, & per quem ſunt omnia: ſed talis eſt Deus; ergo maximè, & propriiſſimè eſt ens. Prob. min. ex Script. ubi dicitur: [2] *Qui ſolus eſt.* Quia ſcilicet de ſe, & à ſe exiſtit permanenter; cetera verò ſunt ferè nihil. [3] *Subſtantia mea tanquam nihilum ante te.* Et [4] *omnes in conſpectu ejus quaſi non ſint, ita ſunt coram Deo, & quaſi nihilum, & inane reputatæ ſunt. Quia*, inquit S. Iſidorus, [5] *in ejus comparatione qui verè eſt, & incomparabiliter eſt, quaſi non ſunt, quæ mutabilia ſunt;* ergo ſolus Deus verè eſt, cujus eſſentiæ comparatum noſtrum eſſe non eſt. *Et re vera*, inquit S. Bonav. [6] *noſtrum eſſe, quaſi nihil eſt; non omnino nihil in ſe, ſed comparativè.*

Prob. denique ex dictis in Metaph. de univocatione entis ad Deum, & creaturas. Hinc enim ſequitur, eas de Deo verè prædicari quidditativè.

Dixi, *eſſentialiter ens.* Nam, ut docet S. Auguſt. [7] *Quod eſt ſapientiæ ſapere; potentiæ poſſe; æternitati æternum eſſe; & juſtitiæ juſtum eſſe, hoc eſt illi eſſentiæ ipſum eſſe.* Et ratio eſt, quia Deus non dicitur ens purè vocaliter, quaſi verò eſſentia ejus non includeret verè, & formaliter gradum entis; nec etiam dicitur *ens*, quaſi *exiſtens*; ſed ita dicitur, ut ſit illi prorſus eſſentiale.

Prob. 2. p. de ſubſtantia, & 1. ex Scoto, [8] dicente ex Damaſceno: *Subſtantia, quæ continet ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem, cognoſcibiliter autem, et contentivè omnem creaturam, generaliſſimum eſt genus. Non igitur dicit, ſubſtantiam, quæ eſt*

[1] *Exo.* 3. [2] *Job* 23. *et* 24. [3] *Pſ.* 38. [4] *Iſa.* 40. [5] *Ethym. c.* 1. [6] 1. *d.* 8. *dub.* 67. [7] 7. *Trin. c.* 1. [8] 1. *d.* 8. *q.* 3. *V. n.* 24.

eſt generaliſſimum genus, continere contentivè Deitatem, ſicut continet creaturam; ſed ſuperſubſtantialiter; hoc eſt, accipiendo illud, quod eſt perfectionis in ſubſtantia, quæ eſt genus; ſeu in ſubſtantia prædicamentali, *& relinquendo illud, quod eſt imperfectionis, v.g. ſubſtare accidentibus velut ſubjectum adhæſionis eorum*. Scotus ergo agnoſcit in Deo rationem ſubſtantiæ, quoad perfectionem ſimpliciter ſimplicem, quam dicit, & præciſis imperfectionibus, quas habet in creaturis.

Prob. 2. Id verè dicitur, & eſt ſubſtantia, quod exiſtit per ſe, ex ſe, & ad ſe perfectiſſimè; ſed Deus ſic exiſtit; ergo eſt maximè ſubſtantia. Maj. patet ex Scoto citato, & alibi; docet enim, [1] quòd *ſubſtantia*, prout dicitur de Deo, *ſumitur pro ente in ſe, et non ente in alio*, &c. Prob. min. Deus enim eſt perfectiſſimè ens per ſe, & in ſe, & non in alio, nec per inhærentiam, ut accidentia, nec per informationem, ut formæ ſubſtantiales; nec ſub alio, velut pars ſubjectiva, ut materia eſt ſub forma. Deus enim eſt ſubſtantia infinitè completa; eſt *ſuperſubſtantia*, inquit Damaſc. ideſt, perfectiſſima ſubſtantia ſine ullo piorſus defectu.

Prob. 3. p. de ſpiritualitate 1. ex Scoto. [2] *Quia enim Deus non eſt materialis, nec quantus, eſt tantùm capax illorum, quæ conveniunt ſpiritualibus puta intellectionis, et volititionis, quæ non poſſunt eſſe accidentalia illi naturæ; quia intelligere, & velle ſunt de ſubſtantia ejus*, ergo ex Scoto, Deus eſt ſpiritualis, & immaterialis, & expers cujuſcumque molis ſenſibilis.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus. [3] *Spiritus eſt Deus*, inquit Chriſtus Dominus; & dicitur [4] *Immortalis, & Inviſibilis*. Et [5] *Dominus autem Spiritus eſt*. Et id definitur in Concilio Niceno contra Arrium: [6] *Homo ex materia, eaque patibili creatus eſt, Deus contrà, immateriatus, & incorporeus exiſtit*. Et Cyrill. Alexand. *Deus eſt corporis expers*; quod & Salvator ipſe dicit, inquiens, *Deus ſpiritus eſt; Non itaque corporeus, ſi Spiritus eſt*, &c. Et S. Eucherius.

[1] *ibid. X. n.25.* [2] *ibid. q.1.F.n.4.* [3] *Jo. 4.* [4] *2. Ti.* [5] *1. Cor.3.* [6] *In decretis Ep. ad Caloſir. de ſpirituali for.*

rius: *Solus Deus eſt incircumſcriptus, immutabilis, incorporeus, et immortalis.*

Prob. 3. ex Scoto. Deus eſt omninò expers molis, & quantitatis corporeæ, ergo eſt ſubſtantia purè ſpiritualis. Patet ant. Alioqui enim non eſſet ſimplex, nec incorruptibilis, nec inviſibilis, nec infinitus, quia repugnat moles corporea infinita. Prob. conſ. Omnis ſubſtantia capax molis quantitativæ eſt materialis; quantitas enim aliud ſubjectum habere non poteſt; ergo ſubſtantia expers talis molis eſt ſpiritualis, & incorporea.

Confirm. Quia ſubſtantia ſpiritualis eſt perfectior materiali, & Deus eſt infinitæ intellectivitatis, & perfectionis; ergo & ſpiritualitatis.

Prob. 4. p. de vita intellectiva, & 1. ex Scoto poſt S. Auguſtinum. [1] *Quoniam rebus creatis Creatorem ſine dubitatione præponimus, oportet eum et ſummè vivere, et cuncta intelligere.* Quod colligit ex illis verbis Joannis: *Quod factum eſt, in ipſo vita erat.* Nam *res cognita eſt in verbo vita creatrix; quia cognitio ejus eſt realiter vita creatrix.* Et alibi docet, [2] quòd *Intellectualitas non habet rationem attributi quaſi ſecundò advenientis ipſi, ſed rationem perfectionis omninò intimæ, ſeu eſſentialis*, &c. Quia, inquit Auguſtinus, [3] *quę vita dicitur de Deo, ipſa eſt eſsentia ejus, atque natura*, &c. ergo, ex Scoto, & Patribus, Deus eſt ſubſtantia ſpiritalis, vivens vita intellectuali, & perfectiſſima; cui non eſt aliud vivere, & aliud eſſe.

Prob. 2. ex Script. & Patribus. Nam de ſe ipſo dicit Chriſtus: [4] *Ego ſum via, veritas, et vita.* Et, *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit et Filio vitam habere.* Et David: *Apud te eſt fons vitæ.* Et D. Paulus: *In ipſo vivimus*, &c. *Movemur quaſi in via*, inquit Auguſtinus, [5] *ſumus quaſi in veritate, et vivimus quaſi in vita æterna.* Et ratio eſt, quia vivere, & intelligere eſt perfectio in creaturis; ergo à fortiori eſt in Deo ſublatis imperfectionibus. Prob. conſeq. Nos vivere, & intelligere ha-

[1] 1. *d.*13. *M. n.*14. [2] 4. *d.*1. *q.*1. *Q. n.*16. [3] 15. *Trin. c.*5. *l.*6. *c. ult.* [4] *Jo.* 14. *et* 15. [5] 15. *Trin. c.*5.

habemus à Deo; ergo à fortiori Deus vivit, & intelligit.

Objic. con. 1. p. ens definitur id, *cui non repugnat actualis exiſtentia*, ſeu *eſſe extra ſuas cauſas*, ſeu *quod licèt non exiſtat, habet tamen potentiam ad exiſtendum*. Sed hæc non poſſunt dici de Deo, nam arguunt potentialitatem; ergo nec quod ſit ens.

Reſp. diſt. maj. ens in abſtracto, & ſecundum gradum univocationis prædicamentalis, in quo per præciſionem Logicam, vel Metaphyſicam concipitur, con. maj. & neg. min. ens actualiſſimum, & neceſſarium, neg. maj. & conſ. Ens, quod prædicamus de Deo, eſt actualiſſimum, & neceſſarium, excludens omnem potentialitatem; in 1. ſenſu dicitur quaſi univocum ad Deum, & creaturam, eſt ens in abſtracto; ſed in ſecundo ſenſu eſt ens concretum, & ſoli Deo convenit.

Objic. con. 2. p. de ratione ſubſtantiæ eſt, ut ſubſit accidentibus, cùm dicatur à ſubſtando, vel ſuſtentando; ſed hoc Deo repugnat; ergo & ratio ſubſtantiæ. Prob. min. quia ſic ſubſtare, vel ſuſtentare dicit potentialitatem, & componibilitatem, ſed utraque repugnat Deo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. de ratione ſubſtantiæ creatæ, ac prædicamentalis, & juxta etymologiam vocis, con. maj. & min. de ratione eſſentiali ſubſtantiæ, quatenus eſt communis creatæ, & increatæ, neg. maj. & min. nam patet ex Philoſophia, quòd ratio eſſentialis ſubſtantiæ eſt perſeitas; & ſub hoc conceptu convenit Deo, & non dicit ullam potentialitatem, vel imperfectionem.

Inſt. ex SS. Patribus, Deus non eſt ſubſtantia, *ſed ſuperſubſtantia*, inquit Damaſcenus, ideſt ſuper omnem ſubſtantiam: *Deus non eſt verè ſubſtantia*, ait Boetius. *Manifeſtum eſt Deum abuſivè vocari ſubſtantiam*, ait S. Auguſtinus; [1] ergo ratio ſubſtantiæ non eſt in Deo.

Reſp. neg. conſ. nam Patres loquuntur de ſubſtantia finita, & prædicamentali, nam apud Antiquiores ſubſtantia ſignificabat ſubſiſtentiam, ſuppoſitum, perſonam; ſed apud Theologos Scholaſticos ſignificat communiter ens per ſe exiſtens, &c. Patres Græci nolebant Deum dicere *ſubſtantiam*, ſed *eſſen-*

[1] *de Trinit.*

tiam; ideo admittebant unicam eſſentiam, & tres ſubſtantias; ſed uſus aliter invaluit apud Latinos.

Objic. con. 3. p. ex Scriptura, dicitur *Magnus Dominus*: & Deus formans corpus hominis, ſeu hominem, dixit *faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Et illi tribuuntur membra corporea, oculi, manus, & pedes, &c. ſicut & homini. Sed magnitudo molis comitatur materiam, & homo eſt corporeus, & membra illa ſunt corporea; ergo & Deus eſt corporeus.

Reſp. diſt. maj. Deus dicitur magnus quantitate virtutis, poteſtatis, ſapientiæ; & homo ad imaginem ejus quoad animam, & potentias animæ, conc. maj. quantitate molis, & homo ſimilis ei quoad corpus, aut membra corporea, neg maj. nec enim is eſt ſenſus Scripturæ. ſed loquitur ibi metaphoricè, ſicut quando in ea dicitur *Agnus*, *Leo*, *lapis*, &c. ut ſcilicet more noſtro concipiendi, & loquendi dependenter à ſenſibus explicet nobis in Deo eſſe virtutes omnes, quas poſuit in diverſis membris, & facultatibus corporeis. Quidam fingunt, ut ſalvent primum illum textum Geneſeos, quòd Deus formans hominem ſibi ſumpſerat corpus humanum; ſed gratis id dicunt.

Objic. con. 4. p. Deus dicitur vivens vita intellectuali, quia habet in ſe principia intelligendi, & volendi, ſeu intellectum, & voluntatem; ſed intellectus, & voluntas ſunt prædicata attributalia, non verò quidditativa; ergo conceptus viventis intellectivi non eſt quidditativus, ſeu Deus non rectè dicitur eſſentialiter vivens vita intellectiva, ſicut non dicitur eſſentialiter omnipotens, ſapiens, &c.

Reſp. diſt. maj. quia habet principia illa in actu primo, & exigitivè, conc. in actu 2. & formaliter, neg. maj. & diſt. pariter min. intellectus, & voluntas ſunt attributa, quatenus in actu 2. quaſi adveniunt eſſentiæ, conc. in actu 1. & exigitivè, quatenus eſſentia Dei eſt principium, & radix, ex qua velut manant illæ perfectiones volendi, & intelligendi, neg. min. & conſ. An autem intellectus, & voluntas ſint attributa, videbimus infrà.

Habes igitur hìc plura prædicata quidditativa, & eſſentialia Dei, quibus explicatur, & quaſi definitur na-

natura ejus; unde quærenti quid ſit Deus, rectè reſpondebis per illa, aut ſingula eorum, addendo tamen ſemper infinitatem, vel aſſeitatem, aut ſimiles modos, quibus illa velut contrahuntur ad Deum: Reſpondebis, inquam, quòd Deus eſt *ens infinitum*, vel *ens à ſe*, vel *ſubſtantia ſpiritualis infinita*, vel *increata*, vel *vivens intellectuale infinitum*, vel *à ſe*, vel *increatum*, &c.

QUÆSTIO VII.

An exiſtentia, & ſingularitas ſint de eſſentia Dei?

HAbes ex præcedenti, quòd Deus eſt ens infinitum, & à ſe, & quod ſic dicitur ab exiſtendo, & quòd exiſtat neceſſariò. Habes, quòd ſit ſolus, & unus numero, & ſingulariſſimus in natura, ita ut penitùs repugnet pluralitas Deitatis, quæ eſt abſolutè implurificabilis, ſeu immultiplicabilis, eo modo, quo humanitas multiplicatur in plures homines; & hoc punctum fidei deberet ſufficere Theologo; ſed tamen, quia exiſtentia cenſetur extra eſſentiam reliquorum entium, ſicut & ſingularitas, ideo diſputatur, an ita ſint in Deo, ut ſint de illius eſſentia, vel extra illam? ſeu, an Deus per ſuam eſſentiam ſit exiſtens, & ſingularis, an verò per formalitatem ſuperadditam?

Exiſtentia in Deo non poteſt dici, ut in creaturis, *Id, à quo res habet eſſe extra ſuas cauſas*; quia Deus non habet cauſas ſui eſſe, ſicut habent creaturæ; eſt ergo purè id, quo res eſt in actu, ſeu in eſſe, ſeu per quod diſtinguitur à præteritis, & futuris, & poſſibilibus.

Singularitatem, ſeu individuationem diximus in Metaph. [1] eſſe formalitatem rei, à qua habet eſſe, *indiviſam in ſe, & diſtinctam à quolibet alio*; & ſic importat duplicem negationem; 1. negationem diviſionis, ſeu multitudinis in ſe, & 2. communicabilitatis ad plura numero diſtincta. Diximus 2. eam diſtingui formaliter ex natura rei in creatis, ita ut nulla res creata ſit per ſe ipſam formaliter ſingula-

[1] *d.* 5 *q.* 6.

laris, ſed per aliquid ſuperadditum. *Subſtantia materialis ex natura ſua non eſt de ſe hæc*, ait Doctor. [1] Et denique 3. diſtinguitur etiam ab exiſtentia, ita ut res non fiat ſingularis præcisè per exiſtentiam. Sed hæc tria non eodem modo ſe habent in Deo, ut mox patebit.

Concl. 1. *Exiſtentia eſt de eſſentia Dei, ac prædicatum ejus quidditativum, & idem eſt de ſingularitate.*

Prob. 1. ex Scoto [2] dicente, quòd *Quando aliquid eſt de ſe eſſe, & non tantum capax illius eſſe, tunc etiam eſt de ſe habens quamlibet conditionem neceſſariò requiſitam ad eſſe. Ens autem, ut convenit Deo, ſcilicet ens per eſſentiam, eſt ipſum eſſe infinitum, & non aliquid, cui tantùm convenit ipſum eſſe, & ideo ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum.* Quem locum ſic commentatur Lichetus. [3] *Quando aliquid eſt de ſua eſſentia, & exiſtentia, eſt etiam de ſe hoc* (id eſt ſingulare) *& de ſe tota ſua perfectio*, &c. Vides exiſtentiam, & ſingularitatem pertinere ad eſſentiam Dei. Et id docet alibi, [4] dicens, quòd propoſitio, *Deus eſt*, in qua exiſtentia prædicatur de Deo, eſt *per ſe nota*; & in 1. modo dicendi per ſe, *& immediata, & immediatiſſima, ad quam reſolvuntur omnes propoſitiones enuntiantes aliquid de Deo qualitercumque concepto.*

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. nam Deus ſe nominat, & definit per exiſtentiam: [5] *Ego ſum, qui ſum: ſic dices filiis Iſrael, qui eſt, miſit me ad vos .... hoc memoriale meum*, &c. ergo eſſe eſt de eſſentia Dei. *Cùm Deus ſumma eſſentia ſit, hoc eſt, ſummè ſit*, ait Auguſt. [6]

Prob. 2. eadem pars. Illud eſt prædicatum immediatum, & eſſentiale, quod nihil præſupponit in re, à quo fluat; ſed talis eſt exiſtentia in Deo, ergo eſt de illius eſſentia. Prob. min. quia illud præſuppoſitum, à quo flueret exiſtentia, in illo priori præſuppoſitionis eſſet, & non eſſet; ſed hoc implicat; ergo & illud præſuppoſitum. Prob. maj. non eſſet exiſtens, quia præcederet exiſtentiam, & nondum illam emitteret, eſſet verò, quia emittere ſupponit eſſe, quod

[1] *2.d.3.q.1.E.n.7.* [2] *1.d.8.9.BB.n.29.*
[3] *Ibid.n.8.* [4] *di2.q.2.B.n.3.*
[5] *Exo.3.* [6] *12. de civit.c.2.*

uod enim non eſt, non poteſt principiare. Præterea, non poteſt dici quid ſit illud præſuppoſitum; ergo non eſt aſſerendum.

Prob.3. Deus eſt eſſentialiter actus purus; ergo in ſua eſſentia includit exiſtentiam. Ant. admittitur ab omnibus. Prob. conſ. Actus purus dicit eſſentialiter omnem actualitatem, & excludit omnem potentialitatem; ſed hoc non faceret Deus, niſi in ſua eſſentia includeret exiſtentiam; ergo includit eam. Maj. continet definitionem actus puri. Prob. min. exiſtentia eſt ipſa formalis actualitas omnis entis, & ſine illa res eſt in potentia ad eſſe; ergo, niſi eſſentia Dei includat exiſtentiam, non includit omnem actum, nec excludit omnem potentialitatem.

Prob.2. p. de ſingularitate, 1. ex Scoto [1] citato, & alibi. *Natura divina unica eſt omninò impluriſicabilis, & innumerabilis; ergo ei correſpondet adæquatè unum ſingulare, quod exprimitur nomine Dei; quod naturali intelligentia intelligitur ante quamcumque proprietatem perſonalem*, &c. ergo ex Scoto ſingularitas ſe tenet ex parte eſſentiæ Dei ante omnes proprietates tam abſolutas, quàm relativas, & perſonales; ergo eſt illi eſſentialis. Ideo dicit, [2] quòd *eſſentia Divina, quæ eſt communis tribus perſonis, eſt de ſe hæc, ſeu ſingularis*, &c. Et in hoc differt à naturis creatis, quas dicit ex ſe indifferentes, & communicabiles pluribus cum ſui multiplicatione ideo hæcceitas eſt formaliter illis ſuperaddita.

Prob.2. Deus, ut Deus, eſt ita ſingularis, & immultiplicabilis numero, ut non eſſet Deus, ſi poſſet plurificari; ergo individualitas eſt de illius eſſentia, & hæc eſt eſſentialiter individua. Ant. patet ex dictis de unitate Dei. Prob. conſ. Ideo hæcceitas non eſt eſſentialis humanitati, quia Petrus non minùs eſt homo inter innumeros homines, quàm ſi unicus eſſet; ergo tota eſſentia humanitatis ſtat ſine Petreitate. Sed non ita eſt de Deo: ceſſaret enim eſſe Deus, ſi ceſſaret eſſe ſolus; ergo, &c.

Objic. 1. con.1. p. Quæ ſunt communia Deo, & creaturæ, ſunt ejuſdem rationis in utriſque; ſed exiſtentia eſt communis Deo, & creaturæ; ergo eſt ejuſdem rationis in illis. Sed in creatis exiſtētia non eſt de

G 3 eſſen-

[1] 1.d.4.q.2.E.n.4. [2] d.1.q.2.E.n.5.

eſſentia eorum; ergo nec in Deo. Prob. ſubſumptum ex Philoſophia.

Reſp. diſt. min. eſt communis ſub aliquo conceptu inadæquato, & confuſo, conc. ſub conceptu adæquato, & diſtincto, neg. min. & conſ. nam exiſtentia Dei non convenit cum creatis, niſi ſub aliquo conceptu imperfecto, & confuſo, non autem in aliqua realitate; nam exiſtentia Dei eſt independens, & creatæ ſunt dependentes.

Inſt. eſſentia, & exiſtentia in ſuis conceptibus abſtractis, & formalibus non ſe includunt; ergo nec in rebus ullis; ergo nec in Deo.

Reſp. neg. conſ. nam animalitas, & rationalitas in ſuis conceptibus formalibus, & abſtractis non ſe includunt, benè verò in eſſentia hominis: ſic eſt de eſſentia, & exiſtentia Dei, & quidem à fortiori, nam eſſentia, & exiſtentia minùs abſtrahunt à ſe invicem, quàm animalitas, & rationalitas, quæ abſtrahunt adæquatè.

Inſt. 2. conceptus perfectus exiſtentiæ eſt, quòd ſit actus eſſentiæ; ſed ſub illo conceptu tam convenit Deo, quàm creaturæ; ergo tam eſt diſtinctus ab eſſentia Dei, quam ab eſſentia creaturæ.

Reſp. diſt. maj. conceptus exiſtentiæ creatæ, conc. increatæ, neg. maj. & conſ. nam in Deo non eſt actus, nec potentia; ergo exiſtentia ejus non eſt propriè actus eſſentiæ illius. Deus enim eſt totus actus puriſſimus.

Objic. 2. ex SS. Patribus, Deus dicitur ſui ipſius cauſa, *Origo ſui ipſius, & cauſa ſubſtantiæ ſuæ*, inquit Hieron. [1] *& cauſa ſuæ ſapientiæ*, ait Auguſtinus, [2] ergo Deus eſt aliquo modo cauſa ſuæ exiſtentiæ; ergo hæc non eſt illi eſſentialis.

Reſp. diſt. ant. eſt cauſa ſui, aut ſuæ exiſtentiæ negativè, & quatenus nullam cauſam ſui habet, conc. poſitivè, neg. ant. & conſ. nam Patres loquuntur de cauſalitate negativa, non de poſitiva, quæ implicat, & patet ex Phyſica, nihil enim poteſt cauſare ſe ipſum quoad eſſe.

Objic. 3. eſſentia Dei, & creaturæ ſunt primò diverſæ, ita ut in nullo prorſus conveniant, alioqui divina non eſſet actus puriſſimus, & ſummè ſimplex; ſed

[1] *cap. 3. Ephe.* [2] *qq. 4.*

ſed id non eſſet verum, ſi exiſtentia eſſet de eſſentia Dei; ergo non eſt. Prob. min. nam convenirent in formalitate exiſtentiæ.

Reſp. 1. neg. maj. nam Deus, & creatura conveniunt aliquo modo in ratione inadæquata entis, & ſubſtantiæ. 2. falſa etiam eſt minor; nam per ipſammet exiſtentiam ſuam Deus differt à creatura; illi enim exiſtentia eſt eſſentialis, non verò iſti, in qua exiſtentia diſtinguitur formaliter ab ejus eſſentia, imò & realiter, ſecundum Thomiſtas.

Objic. 4. exiſtentia convenit eſſentiæ Dei ob infinitatem, ergo non eſt illi immediata, nec de primario ejus conceptu. Ant. patet, nam exiſtentia à ſe probatur ex infinitate tanquam à priori; & ſic infinitas præſupponitur exiſtentiæ à ſe. Prob. conſ. quod enim manat ab aliquo, non conſtituit illud, ſed ſupponit conſtitutum eſſentialiter; ergo ſi exiſtentia independens, & à ſe manat ab eſſentia, ut infinita, ſupponit illam conſtitutam per infinitatem.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus; ut enim infinitas, & Deitas intelligatur principiare aliquid, debet intelligi, & præſupponi exiſtens; ergo infinitas potiùs præſupponit exiſtentiam, quàm hæc illam.

Objic. 5. Tot eſſent exiſtentiæ in Deo, quot attributa, & perſonalitates; ſed conſ. eſt falſum; ergo & falſum, quòd exiſtentia ſit eſſentialis Deo. Min. patet; non enim ſunt plures exiſtentiæ in Deo. Prob. maj. tam exiſtentia eſſet de eſſentia ſingulorum attributorum, & perſonarum, quam de eſſentia Deitatis, quia ſingula habent ſuum conceptum formalem, & eſſentiam, quandoquidem diſtinguuntur 1. per nos, ex natura rei, ab eſſentia, & ſunt neceſſe eſſe.

Reſp. 1. neg. maj. nam licèt in Deo ſint plura attributa, & perſonæ, non habent exiſtentiam diſtinctam ab eſſentia, quia non diſtinguuntur ab ea realiter, ſed in illa, & per illam ſunt. 2. etiam in ſententia, quæ ponit exiſtentiam extra conceptum eſſentiæ, ſingula attributa exiſterent eodem modo, quo dicunt de eſſentia; ergo haberent etiam ſingula propriam exiſtentiam. 3. neg. min. quid enim abſurdi, quòd ſingula attributa eodem modo habeant proprias exiſtentias, quo dicuntur habere proprias eſſentias?

4. & brevius, neg. maj. nam ſicut attributa, & perſonalitates non habent eſsentiam propriè diſtinctam à Deitate, ita nec exiſtentiam.

Objic. 6. Deus poteſt concipi ſine exiſtentia; ergo hæc non eſt de eſsentia ejus. Prob. ant. Athei concipiunt eſsentiam Dei, & negant ejus exiſtentiam.

Reſp. neg. ant. vel diſt. poteſt concipi confusè, & imperfectè, & non verè, con. diſtinctè, verè, & perfectè, neg. ant. & conſ. Athei enim non verè concipiunt Dei eſsentiam hoc ipſo, quod negant ejus exiſtentiam, vel ſi concipiunt illam, pravè negant iſtam.

Objic. 1. con. 2. p. poteſt concipi eſsentia Dei conceptu proprio, non concepta ejus ſingularitate; ergo in conceptu ſuo formali non includit ſingularitatem; nihil enim poteſt concipi ſine prædicatis eſsentialibus. Prob. ant. Deus poteſt concipi ut ens à ſe, vel ens infinitum; ſed iſte conceptus eſt ſic proprius Deo, ut nulli alii conveniat, & ibi nihil auditur de ſingularitate; ergo, &c.

Reſp. 1. neg. ant. & min. prob. nam impoſſibile eſt bene concipere *ens à ſe*, vel *ens infinitum*, aut quidvis aliud proprium Deo, quin concipiatur ut *ens, individuum*, *ſingulare*, & *incommunicabile* pluribus Diis. 2. diſt. idem ant. non concepta ſingularitate explicitè, & diſtinctè, con. implicitè, & confusè, neg. ant. nam implicitè, & à parte rei formaliter, eadem formalitate, à qua Deus habet eſſe à ſe, habet eſſe ſingularis.

Objic. 2. licèt Petrus de ſe ſit ſingularis, non tamen eſt eſſentialiter talis; ergo ita eſt de Deo. Prob. conſ. non datur ratio diſparitatis; ergo idem eſt de utroque.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. nam ſingularitas in Petro cadit ſuper petreitatem, non verò ſupra humanitatem; at in Deo cadit ſupra Deitatem, quam de fide certum eſt eſſe de ſe ſingularem, & incommunicabilem cum ſui multiplicatione. Et ſic eſt illi eſſentialis.

QUÆ-

QUÆSTIO VIII.

De aliis prædicatis eſſentialibus, & univerſaliſſimis Dei. An, & quomodo ſit ens per eſsentiam, ens à ſe, actus purus, primum eſſe, ens infinitum, ens fontale, & radicale.

HÆc etiam omnia dicuntur de Deo, & per illa reſpondetur quærentibus, *quid ſit Deus*, & ideo dicuntur etiam prædicata quidditativa ejus. Quæ breviter explicanda ſunt ſine diſputatione, quia de his conveniunt omnes.

Concl. 1. *Deus eſt ens per eſsentiam, & à ſe, non poſitivè, ſed negativè; eſt ens infinitum, & totum eſse.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hæc omnia paſſim enuntiat de Deo, & præcipuè in textu adducto ſupra. *Ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum*, &c. *Deus eſt per ſe ens Deitate. Eſt ens per eſſentiam*; &, *de ſe eſſe*; &, *poteſt eſſe à ſe, & ita eſt à ſe*, &, *principalius omnium, quæ dicuntur de Deo nominum eſſe, qui eſt*. Quod probat ex Scriptura; & concludit, quòd eſt *totum in ſe comprehendens, habet eſſe velut quoddam pelagus ſubſtantiæ infinitum, & interminatum*, &c.

Prob. 2. quoad 1. p. ex SS. Patribus, qui vocant Deum, *ipſam eſsentiam*, ut Athanaſ. &, *Deum ſolum ſtare in eſsentia*, ut Philo; &, *pelagus eſſentiæ interminatum*, ut Damaſc. &, quòd *eſsentia eſt ipſum ejus eſse*, ut Nazianz. &, quòd *eſse non eſt accidens Deo, ſed ſubſiſtens veritas*, ut Hilarius.

Prob. 3. illud dicitur ens per eſſentiam, de cujus conceptu formali eſt *eſse*, ſeu *exiſtere*; ſed exiſtere, ſeu eſſe eſt de conceptu formali Dei; ergo eſt ens per eſſentiam. Min. patet ex præcedenti quæſt. & patebit adhuc ex ſequenti; nam ſi non eſſet ens per eſſentiam, non eſſet à ſe totum id, quod eſt, ſed hoc haberet ab alio.

Prob. 2. p. ex SS. Patribus, qui Deum vocant

[1] 1. d. 8. q. 3. BB. n. 29.

ens incauſatum, ut Cyrillus: *fontem fluminis ſui*, ut Paſcaſius: *ipſum eſſe abſque origine*, ut Numenius: *Ens, quod quidquid eſt, ſibi debet*, ut Phebadius, &c.

Prob.2. ſi non eſſet à ſe, eſſet ab alio, & dependens, & ſic non eſſet Deus, nec infinitus, nec actus puriſſimus; ſed ille, à quo eſſet, dicendus eſſet Deus. Et id patet ex demonſtrationibus exiſtentiæ ejus, ubi probatum eſt, eum eſſe incauſatum, & primam omnium cauſam.

Dixi, *à ſe, non poſitivè, ſed negativè*; quia, ut jam monui, ſi eſſet à ſe poſitivè, ſeipſum efficeret per efficientiam poſitivam, quod implicat. Eſt igitur *à ſe negativè*, quatenus non habet ullam cauſam efficientem ſui eſſe.

Prob. 3. p.1.ex Script.& Patribus. Nam dicitur [1] *magnus, & magnitudinis ejus non eſt finis*; Et, [2] *magnus eſt, & non habet finem*, id eſt, *magnus ſuper omnem magnitudinem*, inquit Dionyſ. [3] & *omnem tranſiliens infinitatem*; & hoc tam extenſivè, quàm intenſivè. *Infinitè divinus, & incomprehenſibilis; hoc ſolum ejus comprehenſibile, infinitas, & incomprehenſibilitas*, inquit Damaſcenus. *Infinitas Dei, ſupra quam infinita, infinitus fons divinitatis*, inquit S. Maximus.

Prob. 2. ex Scoto. [4] Qui 4. viis oſtendit infinitatem Dei. 1. per viam *efficientiæ*, quia Deus in virtute ſua continet omnes effectus poſſibiles per motum; ſed illi ſunt infiniti; ergo, &c. 2. quia *intelligit omnia intelligibilia*, quæ ſunt etiam infinita; ergo & intellectivitas illa. 3. ex *parte finis*, quia voluntas noſtra omni finito poteſt aliquid majus appetere, ſicut intellectus intelligere, nec in alio quietatur, niſi in Deo. 4. ex *parte eminentiæ*, quia omni finito poteſt dari majus; ſed repugnat dari majus Deo; ergo ille eſt infinitus. Hinc

Prob. 4. p. 1. ex Script. & PP. à quibus dicitur Deus, [5] *Omne bonum*; unde Auguſt. [6] *Vide bonum ſi potes, non alio bono bonum, ſed bonum omnis boni*, &c. [7] Et, *omnia per ipſum facta ſunt*, &c.

[1] *Pſal.*144. [2] *Baruch.*3. [3] *de Div. nom. c.*9.
[4] 1. *d.*4.*q.*2.*n.*25.*BB.*
[5] *Exo.*33. [6] *Ibid.* [7] *Jo.*1.

&c. *Quia*, inquit Ambroſ. *omnia in ipſo conſtant*; & [1] *in ipſo, & ex ipſo, & per ipſum ſunt omnia*. Eo ſenſu dixit Dionyſ. [2] *univerſa ſimpliciter, & incircumſcripte in ſe ipſo anticipavit*; & addit, [3] *Deum eſse omnia, quæ ſunt, & nihil eſſe eorum, quæ ſunt*; Et, quod *Deus eſt omnia unicè ſecundum excellentiam unius unitatis, in quo omnia ſunt conjuncta, & ſuperunita, & præexiſtentia eſsentialiter*; ergo ex Patribus, & Scriptura Deus eſt totum eſſe.

Prob.2. illud, quod eſt radix, & prima cauſa totius entis extra ſe, continet in ſe illud totum eminenter, & virtualiter, & omnem entitatem, & perfectionem poſſibilem; ſed Deus eſt prima cauſa totius entis extra ſe poſſibilis; ergo eſt totum ens eminenter, & virtualiter.

Objic.1.con.1. p. Exiſtere eſt de conceptu formali creaturæ; ergo non eſt prædicatum proprium Dei, ſed commune. Prob. ant. exiſtentia, & eſſentia creata identificantur æquè ac divina; ergo exiſtentia tam eſt eſſentialis creaturæ, quàm Deo.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam licèt exiſtentia non diſtinguatur realiter ab eſſentia creata, eſt tamen extra conceptum ejus formalem; quia diſtinguitur formaliter ex natura rei; ſicut riſibilitas, licèt realiter identificetur humanitati, non tamen eſt de conceptu ejus formali.

Inſt. tam eſſentia Dei poteſt concipi ſine exiſtentia, quàm eſſentia creaturæ; ergo tam eſt extra eſſentiam ejus.

Reſp. neg. ant. tota enim eſſentia hominis, verbi gratia, eſt animal rationale, nihil cogitando de exiſtentia ejus, non ita eſt de eſſentia Dei diſtinctè cognita, licèt utcumque, ſcilicet confusè, & imperfectè concipi poſſit ſine actuali exiſtentia.

Objic. con.2. p. Verbum eſt Deus; ſed Verbum non eſt à ſe, ſed à Patre; ergo aſſeitas non eſt eſsentialis Deo.

Reſp. diſt. min. non eſt à ſe, quoad perſonalitatem, ſeu filiationem, & eſse relativum, quod recipit ſine cauſalitate vera, & ſine dependentia: conc. min. quoad

[1] *Rom.11.* [2] *de Div. nom.c.1.*
[3] *Ibid. c.3.*

eſſe abſolutum Deitatis, & quaſi recipiat eſſe relativum cum dependentia, & per veram cauſalitatem, neg. min. nam Verbum quoad eſſentiam abſolutam Deitatis eſt verè à ſe. De hoc aliàs.

Objic. 2. Aſſeitas dicit puram negationem exiſtentiæ ab alio; ſed nulla negatio eſt de quidditate Dei; ergo neque aſſeitas.

Reſp. diſt. maj. eſt negatio ſecundariò, & ex modo noſtro loquendi, & concipiendi, conc. primariò, & purè, & in re, neg. maj. & conſ. nam aſſeitas primariò importat illam Dei entitatem poſitivam, qua Deus eſt de ſe, licèt à nobis non poſſit concipi, niſi per negationem dependentiæ ab alio.

Inſt. Attributa Dei non ſunt à ſe; ergo totum eſſe Dei non eſt à ſe. Prob. ant. ſunt ab eſſentia, à qua manant, & à qua diſtinguuntur formaliter; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. non ſunt à ſe per aſſeitatem excludentem emanationem ſimpliciſſimam cum diſtinctione formali, conc. per aſſeitatem excludentem cauſalitatem phyſicam cum dependentia, & diſtinctione reali, neg. ant. & conſ. attributa enim manant ab eſſentia per ſimpliciſſimam emanationem metaphyſicam, & cum ea realiter identificantur.

Objic. con. 3. & 4. p. Si Deus eſſet ens infinitum, & totum, nihil eſſet extra Deum: ſed conſ. eſt falſum; falſum enim eſt Deum eſſe hominem, leonem, lapidem, &c. ergo, &c. Prob. maj. nihil eſt extra infinitum, & totum, ergo ſi Deus eſſet eſſe infinitum, & totum, nihil eſſet extra Deum.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. extra infinitum, & totum integrale, aut eſſentiale formale, quod eſt aggregatio omnium, & ſingulorum entium, conc. extra totum eminentiale virtuale, neg. ant. Deus non dicitur totum eſſe integrale, vel eſſentiale, quaſi verò ſit collectio omnium, & ſingulorum entium; ſed totum eſſe eminentiale virtuale, quatenus eminenter continet omnes ſingulorum perfectiones, & ſingula poteſt producere.

Inſt. 1. omne totum dicit correlationem ad partes, & continentis ad contenta; ſed hæc correlatio repugnat Deo; ergo & quòd ſit totum eſſe. Prob. min. omne totum cum illa correlatione dicit compoſitionem ex partibus, & contentis; ſed omnis compo-

ſitio

ſitio repugnat Deo, quia eſt ſimpliciſſimus; ergo & omnis totalitas.

Reſp. ex Scoto. [1] Totum phyſicum, aut metaphyſicum in rigore philoſophico, con. maj. & min. totum improprium, aut logicum, & eminentiale, neg. maj. & min. *Totum ſtrictè continet partes, & eſt correlativum partis*, ait Scotus, *ſed quia totum includens rationem perfecti, non dicit de ſe imperfectionem, ſicut pars: ideo generaliùs accipiendo totum, partem non habet pro correlativo... Non ſic autem concedendum eſt rationem totius eſſe in divinis; ſed totum, quod non dicit continentiam partium, ſed aliquorum, quorum quodlibet eſt ipſum, ut Pelagus infinitum, ſic conceditur eſſe in divinis. Quia Deus non eſt ſimplex ſimplicitate punctuali, ſed immenſa; & quia Deus ſimplex eſt; ideo quidquid eſt in ipſo, eſt ipſum*, &c. Doctè, & ſubtiliter lege textum illum in fonte, & non pigebit.

Objicies 2. Deus diceretur totum, & infinitum eſſe, vel quia continet infinita, & omnia entia, vel quia poteſt producere infinita, & omnia; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec quòd ſit totum, & infinitum eſſe. Prob. min. quia poſſibilia non ſunt infinita categorematicè; & in Deo non eſt ulla multitudo entium propter ſimplicitatem ejus; ergo, &c.

Reſp. neg. min. nam Deus dicitur infinitum, & totum eſſe, quia continet non formaliter, ſed eminenter virtualiter omnia, & perfectiones omnium entium extra numerum, & menſuram, & comprehenſibilitatem. Sed de hoc infra; ubi de infinitate Dei, & magis patebit ex ſequenti aſſertione.

Concl. 2. *Deus eſt actus puriſsimus, ſimpliciſſimus, & fons, & radix, ſeu principium totius eſſe.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui Deum aſſerit cauſam finalem, & efficientem, & primam rerum omnium. *Deus eſt finis immediatus omnium, ſicut eſt prima cauſa finalis omnium; nam cauſa finalis non eſt, niſi per quam amatam producens producit effectum. Deus autem univerſa propter ſe creavit...* eſſen-

[1] *Repor. 1. d. 19. q. 5. n. 3.*
[2] *Repor. 4. d. 49. q. 1. n. 10.*

eſſentia divina eſt centrum, quod eſt ubique, & circumferentia nuſquam. Et quoad ſimplicitatem, *Deus ſimplex eſt, ideo quidquid eſt in ipſo, eſt ipſum* ... & eſt quoddam Pelagus, ſicut Pelagus infinitum omnia capiens, &c.

Prob. 2. ex SS. PP. nam inquit S. Auguſt. [1] *Deus eſt ſimplex, quia totum eſt, quod habet*; Imò *nihil habet, ſed omnia eſt*, ait S. Paſcaſius. [2] *Nihil in ſe habet*, inquit S. Bernar. [3] *Virtus principaliter Deus eſt, cui non eſt aliud habere virtutem, quàm eſſe virtutem*, ait S. Proſper.

Prob. 3. Actus purus eſt illud, quod importat eſſe, & omnem perfectionem abſque ulla imperfectione, & potentialitate: ſed de fide eſt Deum eſſe talem; ergo eſt actus purus.

Confir. ex dictis de aſſeitate, & neceſſitate eſſendi, & de totalitate, & infinitate entis; nam ſi hæc omnia ſunt prædicata Dei eſſentialia, ita eſt de actualitate puriſſima, & ſimplicitate, ſine qua alii conceptus eſſe non poſſunt. Nam *Actus* hìc ſumitur, prout opponitur potentiæ objectivæ, & paſſivæ, quæ importat defectum exiſtentiæ, & perfectionis; & prout ſignificat formam, & perfectionem.

Prob. 2. p. ex Script. [4] cit. *ex ipſo, & per ipſum ſunt omnia*; & ex SS. Patribus, qui Deum vocant *Raſim, radicem, & ſemen entium*. Ut Syneſius, *eſſentiam, quæ nec ſuum eſſe, nec quidquam eorum, quod eſt, ab alio habet; verum ipſa potius iis, quæ vitam habent, vitæ: iis, quæ ſunt, eſſentiæ: iis, quæ ratione utuntur, rationis ſcaturigo ſit*, inquit Damaſc. & id patet ex illis aliis prædicatis, quæ aſſeruimus, & quæ ſine iſto ſalvari non poſſunt. Quomodo enim erit ipſum eſſe; eſſe totum; eſſe infinitum; niſi ſit radix, & principium totius eſſe?

Objic. con. 1. p. In Deo ſunt actus intellectionis, & volitionis, & quidem quotidie novi, & contingentes, & recipiuntur in ipſis potentiis, & in ipſo Deo; ergo non eſt actus purus, & ſimplex. Prob. conſ. nam ſi recepit illos actus, eſt in potentia paſſiva, & activa illorum: ſed actus purus excludit omnem potentialitem, & receptionem; ergo &c.

Reſp.

[1] 11. *de civit. c.* 10. [2] *l. de ſpir. S. l.* 5. [3] *conſi.* 7.
[4] *in hymnis l.* 1. *c.* 8.

Reſp.neg.ant. quoad 2.p. illi enim actus in Deo non ſunt novi, nec contingentes entitativè, ſed terminativè ratione objectorum contingentium. In Deo enim ſunt realiter idem cum eſſentia ſine ulla compoſitione, ut patebit infrà.

Objic.con.2.p. Deus non eſt radix poſſibilium; ergo nec omnis eſſe. Prob. ant. nam poſſibilitas ſe tenet ex parte entium, quæ non repugnant, potiùs quàm ex parte ſapientiæ, vel potentiæ Dei; ergo Deus non eſt radix poſſibilium.

Reſp.neg.ant.utrumque.Eſt enim radix omnis eſſe poſitivi, quod in eis concipitur, non autem negationum; v.g. non repugnantiæ, quæ non ſunt *eſſe*, ſed negationes entis, de quo aliàs.

QUÆSTIO IX.

An, & quæ ſit ratio conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentiæ Dei.

QUærendum reſtat, an, & quodnam talium conceptuum, ſeu prædicatorum habeat rationem differentiæ conſtitutivæ Dei? Illud autem dicitur primò conſtitutivum, & diſtinctivum rei, per quod illa conſtituitur in illo eſſe, & per quod primò differt ab omni alia re; ſicut rationalitas dicitur primò conſtitutiva, & diſtinctiva hominis; quia concipitur primò advenire animalitati; & tunc primùm concipitur homo; & per eamdem diſtinguitur ab omni alia natura; nec quidquam in eo prius eſt, per quod ſic differat, aut conſtituatur. Dicitur quidem differre per riſibilitatem, ſed non primò, ſed tantùm ſecundariò, quia fluit ab humanitate jam conſtituta, & diſtincta per rationalitatem.

Igitur de ratione differentiæ eſſentialis, & conſtitutivæ eſt 1. ut ſit *propria* illi ſoli rei, quam conſtituit. 2. ut ſit *prima*, ita ut nihil præſupponat in re, à quo fluat, ut dicebam de riſibilitate, quæ fluit à rationabilitate: ideò non eſt conſtitutiva hominis. 3. ut ſit *adæquata rei*, ita ut contineat formaliter, aut virtualiter omnia, quæ ſunt, & dicuntur quidditativè de re illa. Si ergo concipitur in Deo aliqua

for-

formalitas, quæ contineat aliquo modo omnes alias; hæc dicetur prima differentia conſtitutiva, & diſtinctiva eſſentiæ ipſius.

Porrò certum eſt nullam talem formalitatem in rigore philoſophico eſſe in Deo; quia voces *conſtitutivi*, & *differentiæ*, ſeu *diſtinctivi* ſapiunt aliquam compoſitionem, ſaltem metaphyſicam ex genere, & differentia, ſeu ex formalitate potentiali, & indeterminata, & ex alia actuali, & determinativa in re, per quam illa prior contrahatur, & cui det eſſe perfectum, & ſpecificum; & ſic in illa non includebatur, nec eam includebat. Hoc autem videtur repugnare ſimplicitati Dei, & actualitati, & aſſeitati; de quo tamen videbimus ex profeſſo, ubi de Simplicitate. Id ſufficiat prænotaſſe pro 1. p. Quæſtionis. *An ſit in Deo aliqua ratio verè conſtitutiva eſſentiæ ejus, & in rigore philoſophico, ſecundum quem reperitur in creatis.*

Quantum ad nos non loquimur hìc de differentia in eo rigore, ſed de conſtitutione ſimpliciſſima & puriſſima, quæ excludit omnem compoſitionem in re conſtituta; ſed ſit per gradum aliquem, ſeu formalitatem, & rationem ſecundum modum noſtrum concipiendi; habet tamen aliquo modo conditiones aſſignatas differentiæ.

Concl. 1. *Deus non conſtituitur eſſentialiter nec per aggregatum ex omnibus perfectionibus, & attributis, nec per vim intellectivam, aut intellectionem ipſam, nec per infinitatem*. Eſt communior contra plures Theologos, qui Dei eſſentiam conſtituunt aliquo ex illis modis.

Prob. 1. ex Scoto, qui, ut videbimus, docet diſtinctionem formalem illorum attributorum ab eſſentia, & ex textibus adducendis pro concluſione ſequenti.

Prob. 2. ex Patribus, qui apertè docent varia prædicata, quibus ſignificantur variæ perfectiones Dei, non definire illius eſſentiam, ſed eſſe nomina eorum, quæ circa illam ſunt. [1] *Igitur aliquid aliud eſſentia* (ait Nyſſenus) *cujus nondum ratio index cogitata, neque inventa eſt; alia verò nomina, quæ circa eam proferuntur*. Et alibi. *Ex hoc demonſtratur, quòd*

[1] *de Trin. ad Euſta ch. fin. ad Ablamium* 11.

quòd non ipſa natura per aliquid eorum nominum denotatur. Et S. Cyrillus. [1] *Multa de Deo nomina feruntur, quorum ſingula, non quid Deus ſubſtantialiter ſit, ſignificant, ſed aut quid non ſit, aut relationem .... hæc omnia non ſubſtantiam, ut diximus, ſed aliquid eorum, quæ in ſubſtantia inſpiciuntur, ſignificant*. Et Damaſc. [2] *Quæcumque per Theologiam affirmativam de Deo dicimus, non naturam ejus, ſed, quæ ſunt circa naturam, inſinuant. Nam & ſi bonum, ſi juſtum, ſi ſapientem, ſi quidquam tandem aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed quæ circa naturam*. Item S. Baſil. *Quo pacto non irridendus ſit, ſi creandi virtutem ſubſtantiam eſſe dicat; ſi providentiam rurſus ſubſtantiam, eodem modo præſcientiam, & omnem item operationem ſubſtantiam putet?* (Notent verba, qui ponunt differentiam Dei conſtitutivam in intellectivitate, vel intellectione) ergo ex SS. Patribus ratio conſtitutiva Dei non eſt in attributis tam collectivè, quàm ſigillatim: ſed ſunt quaſi proprietates eſſentiæ ejus.

Prob. 3. p. de aggregato perfectionum. 1. Quia perſonalitates divinæ, & relationes, in ſententia adverſariorum, ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, & tamen certum eſt, eas non eſſe de conceptu formali eſſentiæ. 2. certum eſt alia attributa eſſe velut proprietates ejuſdem eſſentiæ; alioquin non dicerentur attributa, & *circa eſſentiam*, ut loquuntur Patres [3] citati. *Non ſapientia ſubſtantiæ eſt, ſed ex ſubſtantia ſapientia eſt*, ut ait Chryſoſt. ergo eſſentia Divina non conſtituitur ex aggregato omnium perfectionum.

Prob. 2. p. de intellectivitate radicali, & intellectione actuali. 1. quia hæc pertinent ad ſapientiam; ſed hæc eſt attributum, non ratio conſtitutiva eſſentiæ, ex Patribus cit. ergo non conſtituitur formaliter per intellectivitatem, vel per intellectionem actualem. 2. quia vis intellectiva diſtinguitur formaliter ab eſſentia, ut videbimus; ergo non eſt ratio conſtitutiva eſſentiæ. 3. quia libertas, & vir-

tus

[1] *Theſaur. 1.*
[2] *1. de fide c. 4. & 12.*
[3] *hom. 1. nat.*

tus volitiva non eſt minor perfectio in Deo, quàm intellectus, ſeu intellectivitas; nec volitio, quàm intellectio: ergo ſi eſſentia eſſet formaliter intellectio, vel intellectus, eſſet etiam volitio, vel voluntas.

Prob. 3. eadem pars: quod eſt conſtitutivum rei, eſt primum conceptibile in ea; ſed intellectivitas, vel intellectio non eſt primum conceptibile in Deo; ergo nec conſtitutivum eſſentiæ ejus, maj. patet; eſſentia enim cujuſque rei eſt primum conceptibile in ea. Prob. min. intellectivitas fundatur in immaterialitate, ſeu Spiritualitate; ergo prius eſt eſſentiam Dei eſse Spiritualem, quàm intellectualem.

Confir. quia intellectus divinus ſupponit objectum ſuum, quod eſt eſsentia; ergo non eſt prior eſsentia, nec ejus conſtitutivus.

Prob. 4. quia intellectivitas non eſt radix omnium attributorum Dei; non eſt radix Aſseitatis, & independentiæ, ſed potiùs eam ſupponit; idem eſt de omnipotentia, & æternitate; poſset enim eſse intelligens, quamvis per impoſſibile non eſset à ſe, nec æternus, nec omnipotens, præcisè loquendo; ergo &c.

Prob. 5. p. de infinitate contra aliquos Scotiſtas. 1. Ex Doctore, [1] qui dicit *infinitatem formalem, & fundamentalem eſse in eſsentia Divina, ut infinita eſt; ergo ſupponit eſsentiam conſtitutam; ut licet negare videatur infinitatem eſse attributum proprium, quia dicit modum intrinſecum in Deo cujuslibet tam ſubſtantiæ, quàm attributi;* ita intellectualitas dicit modum intrinſecum hujus eſsentiæ; *propriè autem attributa ſunt ſapientia, &c.* ergo ſicut intellectivitas non dicitur ratio conſtitutiva eſsentiæ. juxta Doctrinam Scoti, & Scotiſtarum, ita nec infinitas, quæ eſt propria cuilibet perfectioni Dei. Nam, ut docet alibi. [2] *Ens; ut convenit Deo, eſt ipſum eſse infinitum; ut quaſi per priùs intelligatur aliquo modo infinitas eſse modus entitatis per eſsentiam, quàm ipſum intelligatur eſse hoc;* ergo eſse convenit Deo per eſſentiam, & *infinitas eſt quaſi modus illius entis,* ſeu *eſse*, non autem conſtitutivum eſsentiale. Et ubique docet

[1] 4. *d.* 13. *q.* 1. *AA. n.* 31. 1. *d.* 26. *DD. n.* 56.

[2] *d.* 8. *q.* 3. *BB. n.* 29.

docet infinitatem eſſe gradum intrinſecum eſſentiæ Dei, non autem differentiam conſtitutivam. *Infinitas intenſiva dicit modum intrinſecum illius entitatis, cujus eſt ſic intrinſecum, quòd circumſcribendo quodlibet, quod eſt proprietas, vel quaſi proprietas ejus, adhuc infinitas ejus non excluditur, ſed includitur in ipſa entitate*... & explicans illum modum addit: *intrinſecus; ergo modus cujuslibet infiniti intenſivè eſt ipſa infinitas, quæ intrinſecè dicit ipſam eſſe, cui nihil deeſt, & quod excedit omne finitum ultra omnem proportionem determinabilem*. Et alibi [1] etiam clarè: *Infinitum dicit modum intrinſecum illius entitatis; ita quod cum dico ens infinitum, non habeo conceptum quaſi per accidens ex ſubjecto, & paſſione, ſed conceptum quaſi per ſe ſubjecti in certo gradu perfectionis, ſcilicet infinitatis*; [2] ergo infinitas non eſt conceptus primò conſtitutivus eſſentiæ Dei, nec proprietas ejus accidentalis, ſed modus intrinſecus, qui *non conſtituit rem, ſed modificat*, &c. Sicut non dicitur, quòd intenſio ſit ratio conſtitutiva caloris, &c. Vide Vulpem, & alios Scotiſtas inſignes.

Prob. 2. ex allatis principiis; Infinitas ſupponit eſſe Dei, ſeu eſſentiam ejus conſtitutam; ergo eam non conſtituit. Prob. ant. id, quod non eſt forma, qua res ſimpliciter eſt, ſed modus perfectionis, ſupponit eam conſtitutam eſſentialiter; ſed infinitas eſt tantùm modus perfectionis intenſivæ, qua Dei eſſentia eſt; ergo &c. Prob. min. ſicut ſe habet finitas, vel infinitas quantitatis, aut qualitatis, v. g. ſapientiæ, potentiæ, &c. ad quantitatem, aut qualitatem, ita ſe habet ad entitatem, ſeu eſſentiam; ſed finitas, aut infinitas ad quantitatem, aut qualitatem ſupponit eam conſtitutam, non verò conſtituit in eſſe eſſentiali; ergo ita ſe habet infinitas in eſſentia Dei. Prob. min. infinitas in ſapientia Dei eſt tantùm modus perfectionis ejus, quo ſignificatur, *eam eſſe ita perfectam, ut nihil ei deſit, & quod excedat omne finitum ultra determinatam, & determinabilem perfectionem*, ut loquitur Doctor; ergo ita eſt de aliis infinitis.

Con-

[1] *quodl. 5. c. n. 4.*
[2] *l. d. 3. q. 2. E. n. 17.*

Confir. omne modificatum eſt prius ſuo modo, & modificante; nam prius eſt eſſe ſimpliciter, quàm eſſe tale: ergo prius eſt Deum eſſe in ſe abſolutè, quàm eſſe finitum, vel infinitum.

Dices, hæc vera eſſe de infinitate formali; non verò de radicali, ſeu fundamentali, & hæc dicitur ratio conſtitutiva Dei.

Contra; nam *eſſentia* non ſolùm Dei, ſed etiam rerum omnium eſt fundamentum, & radix omnium modorum, & proprietatum, & attributorum ejus; ſed hæc omnia fluunt ab eſſentia in ſuo eſſe conſtituta; ergo non dici debet de infinitate radicali potiùs, quàm de ullo alio attributo, vel modo intrinſeco, quòd ſit ratio conſtitutiva eſſentiæ Dei. Præterea *radix* illa eſt potiùs ipſum eſſe Dei abſolutum, & independens, ſeu *aſſeitas*, quàm alia ulla formalitas.

Objic.con.1. p. ex SS. Patribus; Deus ideo dicitur, *qui eſt*, & *ens à ſe*, quia eſt plenitudo omnis eſſe, & perfectionis; ſed non eſt ſic ens à ſe cum illa plenitudine, niſi quia attributa, & perfectiones omnes ſimul pertinent ad eſſentiam ejus; ergo eſſentia Dei conſtituitur per collectionem omnium attributorum.

Reſp.neg.maj. nec enim id volunt Patres; ſed tantùm, quòd ſic Deus habet plenitudinem omnis eſſe, quòd omnis perfectio eſt realiter identificata ejus eſſentiæ per modum attributi, aut modi intrinſeci, aut prædicati eſſentialis, de quo non curant; alioqui dicendum eſſet, quòd eſſentia conſtituitur etiam per relationes perſonales paternitatis, filiationis, & Spirationis, quod falſum eſt.

Inſt. eſſentia Dei eſt eſſentialiter illimitata, & actus purus in omni genere entis; ergo eſſentialiter includit omnia attributa; & per illa conſtituitur.

Reſp. diſt. conſ. includit realiter, & radicaliter, conc. quia omnia fluunt ab illa, & illi realiter identificantur; includit formaliter, & eſſentialiter, neg. conſ. alioqui includeret etiam relationes perſonales, quas volunt adverſarii eſſe perfectiones ſimpliciter ſimplices. Sufficit ergo, quòd eſſentia Dei ſit per identitatem realem omnis perfectio, & radix omnium perfectionum.

Objic. 2. Ex actu primo eſſentiæ, & omnibus attri-

butis

butis ſit unum per ſe; ergo Deus ex omnibus attributis ſimul ſumptis conſtituitur.

Reſp. diſt. ant. ſit unum per ſe realiter, con. formaliter ex natura rei, neg. ant. alioqui conſtitueretur etiam ex perſonalitatibus, ut dicebam. Attributa autem diſtinguuntur formaliter ab eſſentia, ut videbimus.

Objic. 1. con. 2. p. Quod eſt præcipuum, & primum in aliquo, debet eſſe ejus prima ratio conſtitutiva; ſed intellectivitas eſt præcipua perfectio in Deo; ergo eſt ratio ejus primò conſtitutiva. Prob. min. nihil perfectius concipitur in Deo, quàm vis intellectiva; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ſi ſit prima radix aliarum perfectionum, & perfectiſſimus gradus in genere entis, con. maj. ſi non ſit radix omnium aliarum perfectionum, nec perfectiſſimus gradus in genere entis, neg. maj. & conſ. intellectus eſt quidem maxima perfectio, ſed non prima, nec radix omnium aliarum, nec eſt perfectio maxima tàm in genere entis, quàm operationis. Et denique voluntas non eſt minor intellectu.

Inſt. SS. Patres dicunt ſcientiam Dei eſſe ſuam eſſentiam; ſed ſcientia eſt in, & ab intellectu; ergo intellectus eſt conſtitutivus Dei.

Reſp. diſt. maj. ſcientiam eſſe eſſentiam realiter, con. formaliter, neg. maj. & idem dicunt de volitione, & aliis attributis.

Objic. 2. Deus eſt eſsentialiter vivens vitæ gradu perfectiſſimo, & debet conſtitui per gradum perfectiſſimum ſui eſse; ſed ille gradus eſt in intellectivitate; ergo hæc eſt ratio conſtitutiva eſsentiæ Dei.

Reſp. diſt. maj. quoad 2. p. ſi ille gradus ſit prima perfectio, & prima radix aliarum, con. ſin minus; neg. maj. & min. Nam, ut diximus, primus gradus in eſsendo, & radix aliorum eſt eſse independens, & abſolutum, ſeu *aſseitas*. Per gradum enim vitæ intellectivæ præcisè convenit Deus cum Angelis; ergo hæc non eſt præcisè ratio conſtitutiva, & diſtinctiva Dei; ſed intellectivitas Dei differt ab Angelica per infinitatem; & hæc in aſseitate fundatur.

Objic. con. 3. p. Ex Scoto, [1] *ens per eſsentiam eſt ipſum*

[1] *1. d. 8. q. 3. BB. n. 29.*

ipſum eſse infinitum, & non aliquid, cui tantùm conveniat ipſum eſse; & ideo ex ſe eſt hoc, & ex ſe infinitum, ut quaſi per priùs intelligatur aliquo modo infinitas eſse modus entitatis per eſsentiam, quàm ipſum intelligatur eſse hoc. Et nos fatemur ipſum velle, quod *ens infinitum* eſt perfectiſſimus conceptus, quem poſſimus hìc habere de Deo; ergo in Deo infinitas eſt prior, quàm *eſse*, ſeu exiſtentia, vel ſingularitas; ergo ſi infinitas non ſit de eſsentia, multò minus id dicendum de exiſtentia, & ſingularitate.

Reſp. 1. neg. conſ. nam aliud eſt, quòd infinitas aliquo modo intelligatur, ut modus eſſendi *quaſi prior* ſingularitate, quod dicit Scotus; aliud, quòd ſit abſolutè prior exiſtentia; quod non dixit, ſed contrarium, ut patet ex locis citatis, in quibus docet, quòd *eſse* dicitur per ſe de Deo in 1. modo, & immediatè, & quod ad illud *eſse* reſolvuntur omnes propoſitiones, quæ de Deo aliquid enuntiant, ut mox videbimus.

Reſp. 2. Scotum [1] non loqui abſolutè de Deo in ſe, ſed ſecundum noſtrum modum concipiendi, quatenus infinitas nobis familiarius ſignificat eſſentiam Dei, quàm *aſeitas*, quam non ita facilè concipimus. Ideo dicit, *aliquo modo*, & *quaſi per prius*; non autem loquitur abſolutè. Et conceptus infiniti dicitur perfectiſſimus, non ſecundum ſe, ſed ſecundum nos.

Inſt. Ex 1. particula illius textus patet, quòd ipſa exiſtentia, & ſingularitas conveniunt Deo ratione infinitatis, & quia eſt infinitus; ergo & quòd infinitas eſt abſolutè prior; ergo & quòd prius conſtituit Deitatem.

Reſp. neg. ant. nec enim id ſomniavit Scotus, nec colligitur ex illo textu, *ſed tantùm, quòd quando aliquid eſt de ſe eſse, ideſt, quando eſt ſua eſsentia, & exiſtentia, eſt etiam de ſe hoc*, ſeu ſingulare, inquit Lichetus; [2] & quòd *quodammodo de ſe priùs eſt ſuum eſse, & infinitum ens, quàm intelligatur de ſe hoc*; ergo licèt præmittat infinitatem ſingularitati; tamen abſolutè eſſe per eſſentiam præcedit infinitatem, & verè Deus ideo eſt infinitus, quia exiſtit

[1] *d.2.q.2.B.n.3.*
[2] *Lichet. Ibid.*

ſtit à ſe; & per eſſentiam; ergo ex Scoto, priùs conſtituitur per *eſse*, quàm per infinitatem.

Objic. 2. Damaſcenus definit Deum per infinitatem, dicens eum eſse *immenſum, & infinitum Pelagum eſsentiæ*; & alii SS. Patres dicunt Deum diſtingui à creaturis per rationem *entis infiniti*; ergo ex SS. Patribus infinitas, ſaltem radicalis, eſt ratio conſtitutiva Deitatis.

Reſp. neg. conſ. nec enim SS. Patres id dicunt ad propoſitam difficultatem, quam non examinant; ſed tantùm eſsentiam Dei ſuſtinent infinitam per intrinſecam perfectionem; & quod inde magis innoteſcit ejus differentia à creaturis; non quòd ſit prima, ſed notior differentia.

Objic. 3. illud eſt formale conſtitutivum, & diſtinctivum Deitatis, quod primò, & per ſe conſtituit ejus eſse, & diſtinguit; ſed talis eſt infinitas; ergo eſt primum conſtitutivum, & diſtinctivum Deitatis. Prob. min. ratio *entis*, & *eſse*, eſt indifferens ad Deum, & creaturam, & determinatur ad Deum per infinitatem; ergo &c. Prob. ant. ex Scoto [1] docente, quòd ens, *ut ſic* immediatè contrahitur per infinitatem, & finitatem.

Reſp.neg.min.& diſt.ant.prob. determinatur per infinitatem ſecundum nos, conc.ſimpliciter, & ſecundum ſe, immediatè, neg. ant. & de mente Scoti patet, quòd loquitur de ente, non ſecundum ſe præciſè, ſed de ente prædicamentali, quod primò per infinitum, & finitum deſcendit ad prædicamenta; infinitum verò non eſt prædicamentale, inquit Lichetus. [2] At univerſaliſſimè loquendo, ens, ſeu res *primò dividitur in increatam, & creatam; ſive in rem à ſe, & rem ab alio*. Et alibi dicit, quòd primò dividitur in ens *quantum*, ſeu perfectum, & *non quantum*, quod abſtrahit à perfecto, & imperfecto. Diviſio autem in infinitum, & finitum eſt diviſio entis *quanti*.

Objic.4.infinitas eſt ratio fundamentalis modorum, & attributorum, quæ manant ab eſſentia, & dicuntur de Deo; ergo eſt prima ratio Deitatis conſtitutiva. Prob. ant. ideo Deus eſt immenſus, æternus, omnipotens,

[1] *d.8.cit.n.17.*
[2] *præfat.ad quodl. quæſ.4.& 5.n.26.*

potens, &c. Quia eſt infinitus; ergo &c.

Reſp. 1. neg. ant. & diſt. 2. ideo immediatè, & ſecundariò, con. primariò, & ut prima radice, neg. ant. plura enim attributa ſequuntur quidem immediatè infinitatem; ſed non ut à prima radice: hoc enim ſoli aſseitati convenit; ut mox patebit.

Concl. 2. *Non datur propriè in Deo differentia conſtitutiva, ſed impropriè, & id convenit aſseitati, ſeu eſse Dei abſoluto, & independenti, ſeu à ſe.*

Prob. 1. ex Scoto. *Quia cum ſimplicitate Dei ſtat, quod aliquis conceptus ſit communis ſibi, & creaturæ, non tamen communis*, ut generis; ergo neque conceptus differentiæ propriæ, per quam determinet illud genus. *Et quando aliquid eſt de ſe eſse*, ut Deus, *& non tantùm capax illius eſse, tunc etiam eſt de ſe habens quamlibet conditionem neceſsariò requiſitam ad eſse. Ens autem ut convenit Deo, ſcilicet ens per eſsentiam, eſt ipſum eſse infinitum, et non aliquid, cui conveniat ipſum eſse.... Quia genus ſumitur ab aliqua realitate, quæ ſecundum ſe eſt potentialis ad realitatem, à qua ſumitur differentia*; [1] ergo excludit à Deo tam rationem differentiæ, quàm generis.

Prob. 2. nam in rigore logico, & metaphyſico vox *differentiæ conſtitutivæ* arguit in Deo plures entitates, quarum una habeat rationem generis, ſeu potentiæ, & perfectibilis; alia rationem actus, ſeu perfectivi, ut differentia; ſed hoc repugnat Deo, qui eſt actus puriſſimus, & ſimpliciſſimus; ergo & repugnat in eo aliquid, quod habeat rationem propriæ differentiæ conſtitutivæ. Prob. maj. nam genus, & differentia ſunt correlativa; ergo ubi admittitur ratio differentiæ, debet admitti ratio generis, ſeu entitatis potentialis. Hoc patebit ex dicendis ubi de Simplicitate.

Prob. 2. p. ex eodem, [2] qui licèt hanc quæſtionem non tradat directè, tamen paſſim indicat mentem ſuam, ut cùm dicit, quòd hæc propoſitio, *Deus eſt, eſt de per ſe, in primo modo, et immediata ad quam reſolvuntur omnes propoſitiones, enuntian-*

[1] *Ibid. BB. n. 29.*
[2] *d. 2. q. 2. B. n. 3.*

tiantes aliquid de Deo, qualitercumque concepto, ergo *eſſe abſolutum*, & per eſſentiam, & *à ſe*, ſeu *aſ-ſeitas* eſt propriiſſimus conceptus Deitatis, per quem eſſentialiter diſtinguitur ab omni alia eſſentia, prob. conſ. nam ſi eſset in Deitate aliquid prius, per quod illa conſtitueretur, & diſtingueretur, *eſse* non prędicaretur de illa immediatè, nec in primo modo per ſe, nec illud eſset radix, & fundamentum, in quod reſolvuntur omnia alia prædicata Deitatis; ut docet Scotus.

Prob. 2. ex Patribus. *Principalis omnium, quæ dicuntur de Deo, eſt nomen, quod eſt*, inquit Damaſc. [1] *Et: quantùm nobis conceſsum eſt, ens, & Deus, magis quodammodo eſsentiæ nomina ſunt*: Inquit Nazianzenus. [2] *Ex iiſque etiam entis vox ad illum aptior eſt*. Et S. Bernardus: *Nihil competentius æternitati, quæ Deus eſt, quàm hoc nomen, qui eſt. Si bonum, ſi magnum, ſi beatum, ſi ſapientem, vel quidquid aliud tale de Deo dixeris; in hoc verbo inſtauratur, qui eſt*; ergo in hoc reſolvuntur omnes alii conceptus Deitatis, & ab ipſo fluunt. [3] *Ex ipſo eſse tamquam antiquiori aliis Dei bonis ipſe Deus celebratur* (ſcilicet tamquam fonte aliorum) *primum igitur ipſius eſse munus cæteris præponens ſuprema illa bonitas, ipſo eſse, ut antiquiſsimo, & primo omnium, ejuſque participationum celebratur*, ergo ex Patribus *aſseitas*, ſeu *eſse abſolutum*, & *à ſe*, eſt primus, & propriiſſimus Dei conceptus conſtituens, & diſtinguens eſsentiam ejus. Quod etiam agnoſcit D. Thomas, [4] dicens, quòd cùm eſse Dei ſit ipſa ejus eſsentia, & hoc nulli alii conveniat, manifeſtum eſt, quòd inter alia nomina, hoc, qui eſt, maxime propriè Deum nominat.

Prob. 3. illud eſt propriiſſimus Dei conceptus, & ratio conſtitutiva, & diſtinctiva Deitatis, quod per nomen ſibi ab eo ſumptum ſignificatur; ſed talis eſt conceptus entis à ſe, ſeu aſseitatis, ergo &c. maj. patet: nam qui nomina imponunt rebus, intendunt per illa ſignificare, quantùm poſsunt, earum na-

[1] 1. *de fid. c.12.*
[2] *orat.36. 5. conſid. c.6.*
[3] *Dionyſ. de div. nom. c.5.*
[4] 1. *p. q.13. a.11.*

naturam ſecundum propriiſſimos conceptus, prob. min. ex Scriptura, qua conſtat, Deum ſibi tale nomen ſumpſiſſe; *Ego ſum, qui ſum*: ſic dices eis. *Qui eſt, miſit me ad vos*; ergo Deus non aliunde ſibi nomen ſumpſit, quam *ab eſſendo*; non ab infinitate, vel æternitate, vel omnipotentia, &c. ergo eſſe à ſe, ſeu aſſeitas eſt conceptus, à quo Deus nominatur propriiſſimè, & ex ipſius electione.

Prob. 4. quia *aſſeitas*, ſeu eſſe abſolutum, & à ſe eſt prima radix omnium aliorum conceptuum, & prędicatorum Deitatis; ergo eſt propriiſſima differentia ejus conſtitutiva, & diſtinctiva, prob. ant. nam hoc ipſo, quod concipitur Dei eſſe à ſe, rectè inferimus, ergo eſt eſſe infinitum (à quo enim limitaretur?) *actum puriſsimum*, intellectivum, volitivum, omnipotentem, &c. Qui enim ſibi eſt à ſe, eſt ſuum eſſe, & ſibi ſumit omnem omnino perfectionem excogitabilem.

Confir. omne abſolutum, & ſimplex eſt in omni re abſoluta prius complexo, & relativo; ſed aſſeitas, ſeu eſſe purum eſt conceptus ſimpliciſſimus, & abſolutiſſimus; nam eſſe infinitum complectitur omnia; eſſe intellectivum reſpicit objecta; & ſic de cęteris: ergo ille conceptus eſt prior omni alio in Deitate; ergo priùs eam conſtituit, & diſtinguit.

Prob. 5. nam ex omnium conſenſu Deus eſt ens per eſſentiam; ergo eſſentia Dei conſiſtit in ipſo eſſe à ſe, ſeu ab eſſentia ſua, prob. conſ. nam non alio ſenſu dici poteſt ens per eſſentiam; non enim id ſignificat, quod ens ſit de eſſentia Dei, nec quod eſſentia ſit ens, utrumque enim verificatur de qualibet creatura; ergo ideo tantùm ſic dicitur, quia eſſentia Dei conſiſtit in ipſo eſſe abſolutè, &c.

Prob. denique, quia nihil aptius poteſt aſſignari ex iis, quæ de Deo dicuntur, ut primò conſtitutivum, & diſtinctivum Deitatis; ergo ita dicendum, prob. ant. ex fundamentis datis, & ſolutione objectionum, quibus ſuſtinentur alii modi, & impugnatur iſte.

Objic. 1. ratio conſtitutiva Deitatis non poteſt eſſe negatio; ſed aſſeitas eſt pura negatio; ergo &c. prob. min. Aſſeitas dicit ſolam negationem exiſtentiæ, ſeu dependentiæ ab alio; ergo &c.

Reſp.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam licèt aſſeitas explicetur per illam negationem, tamen in ſe, & à parte rei importat poſitivam plenitudinem omnis eſſe, ad quam ſequitur negatio dependentiæ ab alio in exiſtendo.

Objic. 2. Ratio conſtitutiva Dei non debet eſſe modus habendi eſſe; ſed aſſeitas eſt tantùm modus habendi eſſe; ſcilicet independenter ab alio; ergo non eſt vera ratio conſtitutiva Deitatis. Prob. maj. nam pater, & filius non diſtinguuntur penes talē modum; v. g. pater non diſtinguitur à filio per hoc, quod iſte non exiſtit à ſe, ſicut pater, &c.

Reſp. 1. majorem illam facere contra Scotiſtas, qui ſtant pro infinitate, & volunt eam eſſe propriiſſimam, & primam differentiam Deitatis; nam infinitas eſt modus eſſendi, ex Scoto.

Reſp. 2. neg. min. nam, ut dicebamus, aſſeitas dicit primò abſolutiſſimum eſſe, & ſimpliciſſimum, quod importat exiſtentiam per ſe, & independentem, quæ à nobis explicatur per modum habendi eſſe.

Objic. 3. illud *eſſe abſolutum*, ſeu *à ſe*, eſt conceptus quaſi genericus in Deo; nam ſe tenet ex parte entis, quod habet locum generis, & eſt communis aliis omnibus attributis; ergo non hābet rationem differentiæ ultimò conſtitutivæ. Patet ant. nam veritas eſt *à ſe*, bonitas eſt *à ſe*, & ſic de aliis; prob. conſ. nam ratio ultimò conſtitutiva eſt velut ultimum complementum eſſentiæ in ſuo eſſe ſpecifi co; ergo ſi aſſeitas convenit aliis ab eſſentia, non habet rationem differentiæ.

Reſp. neg. ant. & diſt. rationem ejus; veritas eſt à ſe, & ſingula attributa ſunt à ſe realiter, & ab eſſentia, cui identificantur; con. formaliter, & de ſe neg. ant. nam formaliter veritas eſt tantùm veritas; ita eſt de bonitate, &c. & ſingula habent aſſeitatem, ſicut & ſingularitatem ab eſſentia, à qua fluunt, & cui realiter identificantur.

Inſt. ratio conſtitutiva debet eſſe formalitas perfectiſſima Dei; ſed aſſeitas non eſt talis; ergo nec differentia conſtitutiva Dei, prob. min. formalitas, quę complectitur omnes alias perfectiones rei, eſt perfectior ſingulis: ſed infinitas potius complectitur omnes perfectiones Dei, & ipſam aſſeitatem; non

verò aſſeitas infinitatem; ergo infinitas eſt major perfectio aſſeitate.

Reſp. diſt. maj. perfectiſſima radicaliter, & quaſi virtualiter, & implicitè, con. formaliter & explicitè; neg. maj. & ſimiliter. diſt. min. aſſeitas non eſt perfectiſſima formaliter & explicitè, con. virtualiter, radicaliter, & implicitè, neg. min. nam, ut dicebam ex Patribus, & Scoto, aliæ omnes perfectiones Dei manant ab iſta tamquam à radice, & in eam reſolvuntur.

DISPUTATIO III.

De Attributis, modis, & perfectionibus Divinis in communi.

HUc uſque pro imbecillitate noſtra diſſeruimus de eſſentia, & exiſtentia Dei, ac prædicatis, ejus eſſentiam ingredientibus; jam progredimur ad attributa, & modos, & perfectiones, quæ ſunt velut circa illam quaſi proprietates, & perfectiones, quaſi ſecundariæ. Dico, *quaſi ſecundariæ*; nam in rigore, cùm ſit ens ſimpliciſſimum, & actus puriſſimus, omnia ſunt illi eſſentialia; ita ut nulla perfectio ſimplex poſſit ei denegari, quin tollatur Deitas. Loquimur in ſenſu laxiori, *ſi juſtum*, *ſi ſapientem*, *ſi bonum*, &c. Diximus, non naturam, ſed, quæ circa naturam ſunt, dicimus. [1] Inquit Damaſcenus.

QUÆSTIO I.

An, & quæ ſint perfectiones Dei Attributales, & modi ejus intrinſeci?

ATtributi nomen ſumitur 1. *latiſſimè* juxta nominis etymologiam pro omni prædicato, ſive eſſentiali, ſive accidentali, quod de re aliqua enuntiatur; ut rationale, riſibile & ſapiens de homine. 2. *magis propriè* pro omni perfectione, ſeu qualitate ſecundaria, quæ non pertinet ad eſſentiam rei, ſed circa illam eſt; ut riſibile, & admirativum in homine.

[1] *l. 1. c. 4. de fide.*

ne. 3. *propriiſsimè*, pro aliquibus perfectionibus, & virtutibus, quas ex creaturis in Deo concipimus, & illi tribuimus, ſublatis imperfectionibus, quibus admiſcentur in creatis; ut juſtitia, ſapientia, bonitas, &c. In 1. ſenſu, quæcumque prædicamus de Deo, eſſentialiter, & propriè, aut metaphoricè, dici poſſent attributa. In 2. modi omnes intrinſeci, ut infinitas, immenſitas, æternitas, &c. ſunt etiam attributa. Sed in 3. ea ſolùm dicuntur attributa, quæ ſupponunt eſsentiam Dei plenè conſtitutam, & circa illam ex creaturis concipimus, eique tribuimus, ſed eminenter, & ſublatis omnibus imperfectionibus, quibus immixta ſunt in illis; ut intellectus, voluntas, libertas, ſapientia, juſtitia, miſericordia, &c.

Quædam ſunt *abſoluta*; ut intellectus, & voluntas, libertas, ſapientia, &c. Alia *Relativa*, vel *ad intra*, quibus Perſonæ Divinæ mutuò ſe ſe reſpiciunt, ut paternitas, & filiatio; vel *ad extra*, ut potentia, providentia, &c. Quibus creaturæ terminant actus divinos, ac virtutes ejus. Alia *poſitiva*, quibus affirmantur perfectiones in Deo; ut ſapientia, juſtitia, &c. Alia *negativa*, quibus removentur ab eo imperfectiones, ut immenſitas, &c. quibus removetur ab eo limitatio præſentiæ, & potentiæ, &c.

Rurſus Relativa vel ſunt neceſſaria, & *intrinſeca*, quæ Deo conveniunt ab æterno, & neceſsariò, & ſecundum ſe; ut Providentia; Præſcientia, Omnipotentia, &c. Et hæc important in illo aliquid verè abſolutum; vel *contingentia*, & quaſi *extrinſeca*, & denominativè dicuntur ab his, quæ extra illum ſunt; ut Creator, Rector, Dominus, &c. Hæc enim, & ſimilia non conveniunt Deo, niſi ſuppoſita creatione, & exiſtentia creaturarum, quæ creatio eſt ipſi libera, & contingens, & nihil novum intrinſecum ponit in Deo.

Solent etiam alia multa enuntiari de Deo, ſed metaphoricè, & impropriè, ut cùm in Scripturis legimus illi tribui paſſiones, & affectiones quaſi humanas; v. g. pœnitentiam, dolorem, iram, furorem, &c. Sed hæc non ſunt verè attributa, nec de illis hic agimus.

De modis diximus plura in Metaphyſica, quæ non vacat repetere. *Modus deſcribitur id, quod additum rei in ſe conſtitutæ illam modificat, ſeu determinat vel in ſe, vel in alio, vel ad aliud, ad eſſe, vel ad operari*; ut ſeſſio eſt determinatio hominis ad talem ſitum, vel operationem; *unio* eſt determinatio materiæ ad formam, & formæ ad materiam.

Modus ſic deſcriptus dividitur in *intrinſecum*, qui realiter identificatur cum re modificata, licèt non mutet eſſentiam ejus; & *extrinſecum*, qui realiter diſtinguitur à re modificata, quatenùs hæc poteſt exiſtere ſine illo, non ille ſine ipſa; ut *ſeſſio* mea, ſine qua poſſum eſse, non illa ſine me. Quæſtio præſens eſt de modis *intrinſecis*, nam extrinſeci non benè conveniunt Deo.

Diximus autem ibi, quod modus intrinſecus eſt *entitas realis*; *& realiter indiſtincta à re modificata, quam ſic contrahit, & determinat, ut cum ea non faciat veram compoſitionem phyſicam, nec metaphyſicam*; & ideo ens prout dicitur de Deo, & creatura non contrahitur ad Deum per veras differentias, ſed per modos intrinſecos; v. g. per finitatem, & infinitatem, &c. Solet etiam deſcribi: *Quod additum rei non variat rationem ejus eſſentialem.*

Diſtinguitur ergo modus à differentia. 1. *quia differentia* facit differre eſsentialiter id, cujus eſt differentia, ut rationalitas in homine, quem diſtinguit eſsentialiter à bruto; infinitas verò non; nam linea infinita non differt eſsentialiter per infinitatem ab homine, ut eſt ens, ſed quia eſt talis naturæ, cui identificatur infinitas. 2. *Differentia* eſt entitas formaliter adæquatè diſtincta à genere, quod contrahit; ſic diſtinguuntur animalitas, & rationalitas in homine; & poſsunt concipi ſine ſe invicem; non ita eſt de modo intrinſeco; & re modificata; non enim poſſunt diſtinctè concipi ſine ſe invicem; ut Deitas ſine infinitate, vel aſseitate. 3. *Differentia* adveniens generi facit cum eo unam ſpeciem novam; ut rationalitas adveniens animali facit hominem; non ita eſt de modo intrinſeco, præcisè ut tali; v. g. infinitas adveniens enti explicat quidem novum gra-

dum

dum ejus, ſed non facit novam ſpeciem entis. 4. *diſtinctio rei à ſuo modo intrinſeco* dicitur purè *formalis*, aut *formalis modalis*; at inter genus, & differentiam dicitur *formalis ex natura rei*, & *adæquata*; ſeu *mutua*.

Denique, ſicut *perfectum* dicitur *id*, *cui nihil deeſt de requiſitis ad ſuum eſſe*; ſic *perfectio* eſt ratio ſic completiva rei; & *Duplex eſt*. [1] 1. *Simpliciter ſimplex*, quæ ex Anſelmo, [2] & Scoto; *in unaquaque re eſt melior ipſa, quam non ipſa. Seu quæ eſt melior quocumque incompoſſibili* (ſeu contrario) *in quolibet ſuppoſito abſolutè conſiderato, ſecundum rationem genericam ejus, & præſcindendo à natura ejus ſpecifica*, Sic rationalitas in animali eſt perfectio *ſimpliciter ſimplex*, quia eſt melior in animalitate, quàm irrationalitas, quæ eſt oppoſitum ejus. Dico, *ſecundum rationem genericam*. Nam ſi ſpectetur natura ſpecifica bruti, irrationalitas eſt illi melior, quàm rationalitas. 2. *dicitur perfectio ſecundum quid*; ſeu, *non ſimpliciter*, *quæ non eſt melior in ſuppoſito, quàm alia ipſi contraria*; ut albedo in pariete, in quo non eſt melior, quàm nigredo, vel alter color. *Dicitur etiam ſimplex illa, quæ excludit compoſitionem*, & *ea eſt*, *quæ non eſt reſolubilis in plures conceptus adæquatos*. Talis eſt ratio entis in Deo. *Secundum quid* verò, ſeu, *non ſimplex ea*, *quæ eſt reſolubilis in plures conceptus objectivos adæquatos*. Ut homo, qui eſt reſolubilis in conceptus entis, ſubſtantiæ, viventis corporei, ſenſitivi, & rationalis.

Modos igitur Dei vocamus attributa, & perfectiones negativas; v.g. Infinitatem, Simplicitatem, Immutabilitatem, Æternitatem, Immenſitatem, Inviſibilitatem, Incomprehenſibilitatem, & Ineffabilitatem, quia non conſtituunt eſsentiam Dei, nec fluunt ab illa, ut proprietates, ſed quaſi modificant; omnis quippe proprietas eſt perfectio explicabilis in ordine ad aliquod munus poſitivum; ut riſibilitas in homine, & hinnibilitas in equo, &c. Nomen autem *Attributi* reſtringimus ad perfectiones poſitivas; quamvis etiam illa rationem attributorum

H 4 par-

[1] *Menol. cap.* 14.
[2] 1. *d.* 2. *q.* 7. *n.* 39. & *diſt.* 8. *q.* 1. *n.* 7.

participent, & dici ſoleant *attributa negativa*.

Quæritur, an illæ perfectiones in Deo formaliter, & actu, an verò tantùm eminenter, aut virtualiter contineantur, & an ſint infinitæ intenſivè, vel extenſivè?

Concl. 1. *Attributum Dei eſt perfectio ſimpliciter ſimplex, & actualis formaliter exiſtens in Deo, & eſſentiæ quaſi adveniens, ut proprietas.*

Prob. 1. ex Scoto [1] docente attributa omnia diſtingui formaliter ex natura rei, & actu ab eſsentia, & inter ſe; ſed realiter identificari. *Et quod attributum eſt quaſi actus ſecundus adveniens eſsentiæ divinæ; in quo attributa diſtinguit ab eſsentialibus perfectionibus, ut Intellectualitas*: [2] *Quæ non habet rationem attributi, quaſi actus ſecundi advenientis ipſi, ſed rationem perfectionis omninò intimæ, quemadmodum etiam vita in Deo eſt actus, non attributus, ſive adveniens, ſed omninò intimus, & idem eſsentiæ.* Item adducit probationes ex Patribus, v.g. ex Anſelmo [3] dicente, quod *ſicut nefas eſt putare, ut ſubſtantia ſummæ naturæ ſit aliquid, quo melius ſit aliquo modo non ipſum, quàm ipſum: ſic neceſse eſt, ut ſit omninò quidquid melius eſt ipſum, quàm non ipſum*, quales ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; *non eſt ergo corpus, nec aliquid eorum, quæ corporis ſenſus diſcernunt .... Quare neceſse eſt ipſum eſse viventem, ſapientem, omnipotentem, verum, juſtum, æternum, & quidquid abſolutè eſt melius ipſum, quàm non ipſum.* Item ex Auguſtino. [4] *Quoniam rebus creatis Creatorem ſine dubitatione præponimus: oportet, ut eum ſummè vivere, & cuncta intelligere, juſtumque, & benigniſsimum, & beatiſsimum fateamur.* Ex Scoto ſunt in Deo perfectiones, quæ ſunt ſimpliciter ſimplices, ſeu *melius ipſę, quàm non ipſæ*; ſed tales ſunt perfectiones attributales, ergo attributa ſunt formaliter in Deo (ex Scoto, & SS. Patribus) & ſunt velut proprietates ejus, non autem prædicata eſsentialia. Confirmatur ex eodem S. Auguſtino [5] ſi dicam *æternus, immortalis, incorruptibilis, immutabilis*,

[1] *1. d. 8. q. 4. Q. n. 17.*
[2] *quodl. 1. n. 11.*
[3] *Ibid. n. 8. monol. 15.*
[4] *15. Trin. 4.* [5] *Ibid. c. 5.*

lis, vivus, ſapiens, prudens, beatus, ſpiritus, horum omnium noviſsimum, quod poſui, videtur tantum ſignificare ſubſtantiam, extra verò hujus ſubſtantiæ qualitates. Et ex Damaſc. [1] *Si bonum, ſi juſtum, ſi ſapiens, ſi quodcumque aliud dixeris, non naturam dicis Dei, ſed ea, quæ naturam ejus circumſtant.*

Prob. 2. quoad 1. p. Nam 1. quoad deſcriptionem attributi de illa conveniunt omnes, nec poteſt meliùs explicari. Dicitur *perfectio*, quod locum ſupplet generis; per id enim convenit cum aliis prædicatis divinis, etiam quidditativis; & per idem excluduntur proprietates relativæ perſonales, quæ non dicunt perfectionem poſitivam, & ideò propriè non ſunt attributa. 2. *actualis*, & per id attributum incipit diſtingui ab illis, quæ dicuntur virtualiter, aut metaphoricè de Deo: quia attributales perfectiones, ut ſapientia, juſtitia, &c. verè, & actu exiſtunt in Deo; & id magis explicatur per 3. *particulam: exiſtens formaliter in Deo.* 4. *adveniens eſſentiæ quaſi proprietas.* Et per hoc diſtinguitur à prædicatis, & perfectionibus eſſentialibus, & quidditativis, quæ non adveniunt eſsentiæ, ſed illam conſtituunt. Quia ſicut proprietates fluunt ab eſſentia in ſe conſtituta, & ſunt idem realiter cum illa, ita iſtæ proprietates, & modi fluunt ab eſſentia.

Prob. 2. p. *de exiſtentia formali*: nam ex Scoto, & Patribus, & Theologis, omnis perfectio ſimpliciter ſimplex eſt formaliter in Deo; id eſt; per ſuā realem entitatem, ſeu formalitatem; ſicut rationalitas eſt in homine, aut albedo in pariete: ſed ſapientia, juſtitia, miſericordia, &c. & alia attributa poſitiva ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices, ergo ſunt actu, & formaliter in Deo. Prob. min. Quia talia attributa ſunt meliora in Deo ipſa, quàm non ipſa, ſeu quàm aliud quodcumque oppoſitum; & id meliùs patebit, cùm de ſingulis agemus; ergo ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices.

Prob. 2. Quia aliter Deus dicitur ſapiens, juſtus, omnipotens, quàm albus, calidus, ſolidus, &c. Sed iſta ſunt eminenter in Deo, propter illimitatam perfectionem, per quam continet perfectiſſimo, & nobi-

[1] 1. *de fid.* 4.

nobiliſſimo modo quidquid eſt perfectionis, & entis in creaturis; aut virtualiter, quatenus ea poteſt producere, vel efficere; ergo Sapientia, Juſtitia, & alia attributa ſunt formaliter, & actu in Deo. Idem eſt de modis intrinſecis.

Prob. 3. Quia Deus dicitur infinitus, immenſus, ſapiens, juſtus, &c. Sicut ens, ſubſtantia, vivens, intellectualis, & Pater, & Filius: ſed formalitates entis, ſubſtantiæ, vitæ, & intellectualitatis, & paternitatis, & filiationis ſunt verè, & formaliter in Deo; ergo & ſapientia, infinitas, &c. Maj. patet. Nam eodem modo, & tam poſitivè Deus dicitur ſapiens, & infinitus, & ens, & vivens, &c. Prob. min. Nam ſi gradus illi entis, & vitæ, &c. non eſſent formaliter in Deo, ille non eſſet formaliter ens, nec pater, nec filius, &c. ſed tantùm eminenter, aut virtualiter; ſed hoc eſt hæreticum, & contra Scripturam, Patres, & Theologos omnes; ergo &c.

Objic. 1. Attributa ſunt vel intra, vel extra eſſentiam divinam: ſed neutrum dici poteſt, ergo non rectè ſic aſſeruntur. Prob. min. 1. Si intra, ergo ſunt prædicata quidditativa: 2. ſi extra, ergo eſſentia Dei non includit omnem perfectionem, nec eſt in ſe infinitè perfecta formaliter.

Reſp. neg. min. & diſt. conſ. prob. Non includit omnem perfectionem in ſuo conceptu formali, & quidditativo, conc. identicè, neg. conſeq. igitur attributa, & modi ſunt extra conceptum quidditativum eſſentiæ divinæ, ſed illa omnia ſibi identificat realiter, & continet per identitatem realiter; quod ſufficit ad perfectionem infinitam.

Objic. 2. Deus continet ſuas perfectiones nobiliori modo poſſibili: ſed continentia eminentialis, aut virtualis eſt nobilior formali; ergo ſic Deus continet ſua attributa, non verò formaliter. Prob. min. Nam Deus continere dicitur omnia entia, non formaliter, ſed eminenter; ſicut Sol calorem; & naturæ ſuperiores inferiorum qualitates, v. g. anima rationalis animarum ſenſitivæ, & vegetantis; & Angeli perfectiones hominum; ergo ita eſt de attributalibus, v. g. de Juſtitia, Sapientia, &c. quas ex creaturis in Deo concipimus.

Reſp.

Reſp. diſt. min. ſi perfectiones ſint ſimplices tantùm ſecundum quid, & non puræ, ſed admiſtæ imperfectionibus, conc. ſi ſint ſimpliciter ſimplices, neg. min. & ita dicendum ad probationem ejus. Entia ergo creata, & qualitates eorum non ſunt perfectiones puræ, nec ſimpliciter ſimplices, ideò non poſſunt eſse in Deo niſi eminenter; non ita eſt de perfectionibus attributalibus, quæ ſunt meliores ipſæ, quàm non ipſæ in Deo. Idem eſt de calore elementari in Sole, & de aliis.

Concl. II. *Attributa ſunt formaliter infinita quaſi intenſivè, et in genere qualitatis; non autem extenſivè.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſic diſcurrit; reſpondens ad quæſitum, an intellectus ſit omninò infinitus formaliter ex ſe? *Conſiderando aliqua, quæ non ſunt formaliter eadem* (ut eſsentia, & attributa) *poteſt aliquid accipi tanquam infinitum in ſe, & omninò à ſe; ſicut eſsentia divina, quæ eſt radix, & fundamentum* (attributorum) *quæ infinitatem à nullo habet;* unde Ioan. Damaſc. [2] *eſse Dei eſt velut Pelagus ſubſtantiæ infinitum, et indeterminatum, aliquid autem eſt infinitum per ſe, & in ſe, ſed non omninò à ſe, tanquàm prima radix, & fundamentum infinitatis, ſicut attributa divina, quæ ſecundum eumdem Damaſcenum dicunt* aliquid quaſi circa eſsentiam; *et benè poſsunt eſse talia formaliter infinita in ſe, et per ſe, ſed radicaliter in eſsentia ſicut in fundamento, cui ſunt eadem.*

Prob. 2. Quæ emanant naturaliter, & neceſsariò à principio formaliter infinito, ſunt etiam infinita: ſed attributa divina emanant naturaliter, & neceſsariò à principio formaliter infinito, ſc. ab eſsentia; ergo ſunt in ſe formaliter infinita, & nihil obſtat. Prob. maj. Quia principium ipſum ſic influens emittit, & influit ſecundum totam ſuam vim: ſed vis influens eſsentiæ eſt infinita; ergo &c.

Prob. 2. p. ex eodem [3] *In divinis poſſet intelligi quaſi infinitas extenſiva, ſi intelligeretur quaſi infinita multitudo perfectionum. Alio modo infinitas extenſiva alicujus perfectionis ſimpliciter; ita* H 6 *quod*

[1] 1. *d.* 13. *N. n.* 16. [2] 1. *fid. c.* 12.
[3] 4. *d.* 13. *q.* 1. *AA. n.* 32.

quòd illa perfectio ſecundum propriam rationem ſuam ſit ſine limite , & termino ; et hoc ſecundo modo adhuc aliquid poteſt habere infinitatem non tantùm formalem , ſed etiam fundamentalem , aliquid autem formalem intenſivam , licèt non fundamentalem . . . . . perfectiones ſimpliciter ſunt finitæ numero , ſeu ſua multitudine . . . formalis autem, non fundamentalis eſt in qualibet alia perfectione ſimpliciter .

Prob. 2. ratione. Non poſſunt in Deo fingi infinitæ Sapientiæ, nec infinitæ Juſtitiæ , &c. ergo attributa ſunt finita extenſivè . Prob. ant. tum quia nullibi ex Scriptura, vel SS. PP. vel ratione ulla id reperitur; una enim Sapientia , una Juſtitia infinitè perfecta : tum quia una , & ſimplex, & indiviſibilis ſufficit , & æquivalet infinitis numero ; ergo &c.

Prob. 3. Attributa divina ſunt perfectiones ſpecie diverſæ : ſed illæ non poſsunt eſse numero infinitæ , ergo nec attributa . Patet maj. Sunt enim velut radii Divinitatis,qui nobis explicant illum Deitatis Solem ſecundum perfectiones oppoſitas defectibus creaturarum . Prob.min. Attributa divina vel ponunt in Deo perfectiones aliquas cum analogia ad eas , quas in creaturis concipimus , ut ſunt *poſitiva* ; vel ab eo removent imperfectiones ibidem repertas , ut ſunt *negativa* . Sed perfectiones,aut imperfectiones ex creaturis conceptæ non ſunt infinitæ , ergo nec illa attributa . Min. prob. Nam perfectiones creaturarum non poſſunt eſſe infinitæ extenſivæ , ſicut nec intenſivæ, & imperfectiones earum præcipuè , quas in eis concipimus, ſunt pariter limitatæ per illarum perfectiones, quantulæcumque ſint .

Imperfectiones ergo creaturarum præcipuæ ſunt. 1. *dependentia* ; 2. *limitatio* ; 3. *compoſitio ſubſtantialis , et accidentalis* ; 4. *limitatio quoad locum , & præſentiam* ; 5. *mutabilitas in operari , & in qualitatibus , & quantitate* ; 6. *finitas , et ſucceſſio durationis* ; 7. *corporeitas , ſeu materialitas* ; 8. *ſenſibilitas , ſeu perceptibilitas per ſenſus corporeos* ; 9. *comprehenſibilitas per intellectum* ; & 10. *contingentia* ; & hos defectus ſupplemus in Deo per oppoſitas perfectiones ; 1. per *aſſeitatem* ; 2. per *infinitatem* ; 3. per *ſimplicitatem* ; 4. per *immenſitatem* ;

5. per

5. per *immutabilitatem*; 6. per *æternitatem*; 7. per *ſpiritualitatem*; 8. per *inviſibilitatem*; 9. per *ineffabilitatem*, ſeu *incomprehenſibilitatem*; & 10. per *neceſſitatem*; nec plurium hujuſmodi attributorum mentionem habemus in Scriptura, & SS. Patribus; & quæcumque alia poterunt excogitari, facilè ad iſta revocabuntur.

Objic. contra 1. p. Sufficit in Attributis infinitas, quam habent ab eſſentia; ergo immeritò, & ſine ratione tribuitur illis propria, & formalis. Prob. ant. Per vos relationes perſonales non habent propriam perfectionem formalem, niſi per identitatem, & fundamentalem in eſſentia; ergo ita debet eſſe de aliis perfectionibus, & attributis.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. & diſparitas eſt, quia relationibus paternitatis, filiationis, & ſpirationis repugnat infinitas ex ratione ſua formali, & ut tales ſunt; non autem perfectionibus, quæ ſe tenent ex parte eſſentiæ, ut attributa; unde, licèt illæ fluant ab eſſentia ſicut iſta, non ſequitur, quòd illæ habeant propriam perfectionem, & infinitatem; ut videbimus tr. de Trinitate.

Inſt. Non poteſt dari ratio, cur illis potiùs repugnet infinitas, & perfectio, quàm iſtis, ergo gratis aſſeritur.

Reſp. neg. ant. Nam ratio illa eſt, quia attributa ſunt communicabilia in Deo ex natura ſua, relationes verò illæ ſunt ex ſua natura incommunicabiles; cùm per eas diſtinguantur, & conſtituantur perſonæ Trinitatis divinæ.

Objic. 2. ex Scoto. Quod eſt formaliter infinitum, non poteſt multiplicari. Inquit enim: [1] *Non poſſunt eſſe plura realiter diſtincta, & formaliter infinita*: ſed eſſentia divina eſt formaliter infinita, ergo attributa non habent aliam infinitatem. Prob. ant. Quia de ratione infiniti formaliter eſt identificare ſibi omnia, omnes entitates, & qualitates, ſeu perfectiones, ergo repugnat pluralitas infinitorum.

Reſp. diſt. ant. Non poteſt multiplicari ad realiter diſtincta, & in eodem genere, conc. ad formaliter diſtincta, & in diverſo genere, neg. ant. & ſimiliter diſt. ant. prob. Infinitum igitur in entitate complecti-tur

[1] *quodl. 5. F. n. 7.*

tur omnem entitatem ſibi poſſibilem, nec patitur aliud ſimile; & talis eſt eſſentia, quæ identificat ſibi omnes entitates attributorum, & relationum: ſed non identificat ſibi formaliter alias infinitates in qualitatibus; quales ſunt infinitates formales attributorum, quæ nonniſi fundamentaliter, & radicaliter, ac realiter identificantur in illa.

Objic. 1. c. 2. p. ex Patribus. [1] *Totum in ſe comprehendens Deus habet eſſe velut quoddam Pelagus ſubſtantiæ omninò infinitum*. Sed non eſſet tale Pelagus, niſi haberet infinita attributa, & perfectiones extenſivè; ergo habet. Prob. min. Nam limitaretur quoad hoc; ſcilicet quoad numerum qualitatum.

Reſp. neg. min. Nam infinitas illa Pelagi petitur, non ex multitudine extēſiva, ſed ex intenſiva tam eſſentiæ, quàm perfectionum, quæ ſunt in Deo; & quia virtualiter continet entia, & creaturas, quas poteſt producere in infinitum, quæ etiam in infinitum participabunt eſſe ejus, nec exhaurient.

Quæres: An attributa ſint inter ſe æqualia; vel inæqualia?

Reſp. eſſe æqualia. 1. Quia non datur infinitum infinito majus; ut diximus in Phyſica. 2. Quia in Deo omnia attributa ſunt realiter idem eſſentiæ. Et inter ſe (loquor autem de illis in Deo, & abſolutè) nam ſecundum modum noſtrum loquendi de Deo, ſcilicet ex nobis, & per comparationem ad nos ſicut alias qualitates, & virtutes aliis præponimus; ſic & in Dei qualitatibus, & virtutibus ratiocinari poſſumus. Hoc ſenſu legimus, quòd *ſuperexaltat miſericordia judicium*. Et quòd, *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*. Et, *magnificaſti ſuper omne nomen ſanctum tuum*; ſcilicet quoad opera, quæ facit ad extra, in quibus modò juſtitia, modò miſericordia, modò potentia, modò ſapientia magis elucent; ſed ordinariè prælucet miſericordia.

Habes igitur modos intrinſecos eſſentiæ divinæ, qualia ſunt diverſa prædicata tum quidditativa, tum qualitativa, & attributalia ejus: & quidem, *negativa*, quæ mox enumeravimus; *poſitiva* autem com-

[1] *Damaſc. cit.*

communiter cenſentur: *Unitas*, *Bonitas*, et *Veritas*; quæ tranſcendentia dicuntur, & aliquo modo communicantur creaturis cum ente . . . 2. *Magnitudo*, *Pulchritudo*, & *Bonitas*: ſed 1. reducitur ad Infinitatem; 2. & 3. ad Bonitatem, ſeu perfectionem. Item *Sapientia*, *Prudentia*, *Scientia*, & *Benignitas*, quæ pertinent ad voluntatem. Et *Omnipotentia*, *Dominium*, *Beatitudo*, & *Providentia*, quæ pertinent ad utrumque, & dicunt aliquam relationem, ſaltem rationis, & tendentiæ ad extra; de ſingulis agemus infra.

QUÆSTIO II.

De identitate, et diſtinctione attributorum in eſsentia, et inter ſe.

CEleberrima eſt præſens quæſtio, in qua Schola Scotiſtica univerſam Thomiſticam, & totam ferè Neuteriſticam habet adverſas: quia ſuſtinemus diſtinctionem *formalem actualem*, *et ex natura rei*, cum identitate reali eſſentiæ cum attributis, & attributorum inter ſe. Quidam enim diſtinctionem realem inter eſsentiam, & attributa docuiſſe traduntur; ut Gilbertus Porrectanus Epiſcopus Pictavienſis; & quidam Gualterus. Alii è diametro, nullam prorsùs inter hæc cenſent diſtinctionem, niſi voce tenus, & quoad diverſa connotata; ut Nominales cum Okamo. Alii putas diſtinctiones *rationis ratiocinantis*; ut ipſi Nominales, & Neuterici plures. Alii *rationis ratiocinatæ*, & cum fundamento in re; ut Thomiſtæ. Alii *virtualem*, ut Jeſuitæ, & ſinguli ferè diverſis modis explicant ſuas illas diſtinctiones.

Porrò ad intelligentiam, & deciſionem hujus controverſiæ videnda ſunt, quæ dixi in Meaphyſica de diſtinctionibus, & identitatibus rerum. Niſi enim conveniat de nomine, & eſſentia, ſeu ſenſu vero horum terminorum, *identitas eſſentialis*, *realis*, *rationis*, *virtualis*, *formalis*, *et ex natura rei*; & ſimiliter *diſtinctionis item eſſentialis*, *realis*, *rationis*; tam *ratiocinantis*, quàm *ratiocinatæ*, ſeu, *cum fundamento in re*; & *virtualis*, & *actualis*, & for-

formalis ſimpliciter ; & formalis ex natura rei; quæ dicitur media inter *realem*,& *rationis* puræ, ſeu etiam & *formalis*, quæ dicitur *per intellectum*; non poterit intelligi mens Theologorum ullius Scholæ ; nec de illorum ſententia judicari, quæ verior ſit, hæc autem non placet hic repetere. Sit igitur

Concl. 1. *Inter Eſſentiam, & Attributa ſive abſoluta, ſive relativa, & perſonalia, eſt ſumma identitas realis; ſeu non datur ibi diſtinctio realis*. Eſt de fide contra prædictum Gilbertum, in cujus errorem temerè, aut ignoranter omnino conantur aliqui trahere Scotum.

Probatur 1. ex ipſo Scoto; [1] qui admittit quidem aliquam diſtinctionem à parte rei inter Eſſentiam divinam, & Perſonalitates; ſed negat eam eſse realem, his verbis. *Ratio, qua formaliter ſuppoſitum eſt incommunicabile; et ratio eſſentiæ, ut eſſentia, habent aliquam diſtinctionem præcedentem omnem actum intellectus creati, & increati .... ſed numquid hæc diſtinctio dicetur realis?* *Reſpondeo*, inquit, *non propriè realis actualis; intelligendo, ſicut communiter dicitur, realis actualis illa, quæ dicitur differentia rerum, et in actu; quia in una perſona non eſt aliqua differentia rerum* (multo minus in attributis) *propter ſimplicitatem divinam; & ſicut non eſt realis actualis, ita non eſt realis potentialis, quia nihil eſt ibi in potentia, quod non ſit in actu. Poteſt autem vocari differentia rationis*, ſicut dicit Doctor quidam; *non quòd ratio accipiatur pro differentia formata ab intellectu: ſed ut ratio accipitur pro quidditate rei, ſecundum quod quidditas eſt ſubiectum intellectus; vel alio modo poteſt appellari differentia virtualis, quia illud, quod habet talem diſtinctionem, in ſe non habet rem, & rem, ſed eſt una res habens virtualiter, ſive eminenter quaſi duas realitates: quia utrique realitati, ut eſt in illa re, competit illud proprium, quod ineſt tali realitati, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta*, &c. Ecce totam mentem Scoti ſuper hac quæſtione; ex qua patet ipſum negare inter Eſſentiam Divinam, & Perſonas, & At-

[1] *1.d.2.q.7. FF. n.41.*

Attributa diſtinctionem realem propriè, & actualem.

Prob. 2. ex SS. Conciliis; & quidem Lateranenſi ſub Innoc. III. [1] *In Deo Trinitas eſt ſolummodo, non quaternitas, quia quælibet perſonarum eſt illa res, videlicet ſubſtantia eſſentiæ, ſive naturæ divinæ. Si verò Eſsentia realiter diſtingueretur à perſonis, eſſet quaternitas*; ſcilicet tres perſonæ, & Deitas: & ſi diſtingueretur realiter ab Attributis, eſſet centeneitas, aut millenitas. Et ex Rhemenſi ſub Eugenio III. pro Attributis: [2] *Credimus, & confitemur ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum.... ubi vero dicit divina Sapientia dominum ſapientia ſapientem, magnitudine magnum, divinitate Deum, & alia hujuſmodi, credimus nonniſi ea ſapientia, quæ eſt ipſe Deus, ſapientem; non niſi ea magnitudine, quæ eſt ipſe Deus, magnum eſſe*, &c. ergo ex Conciliis, Eſsentia eſt idem realiter cum Attributis, & Perſonis, non autem diſtincta realiter. Maj. patet ex dictis in Philoſophia. Min. etiam ſupponitur ex omnium conſenſu.

Prob. 3. ex Patribus, ex Auguſtino: [3] *Deus Spiritus eſt..... totam vitam, totam ſapientiam, æternitatem ſimul eſsentialiter poſſidens. Idem ipſa vita, ipſa ſapientia, ipſa veritas, ipſa juſtitia, ipſa æternitas, exiſtens inſtar puncti, omnem creaturam in ſe continens*. D. Iſidor. [4] *Pulchritudo, & magnitudo Dei ipſe Deus eſt*. D. Gregor. [5] *Deus hoc eſt, quod habet æternitatem; quippe habet, ſed ipſe eſt æternitas; lucem habet, ſed lux ſua ipſe eſt*, &c. Et D. Bernar. qui hos citat. [6] *Multa dicuntur eſſe in Deo, ſed multa unum; alioqui, ſi diverſa putemus, non quaternitatem, ſed centineitatem habueris*, &c.

Prob. 4. Ex omnium Patrum, & Theologorum, imò & totius Eccleſiæ ſenſu. Nam quidquid eſt in Deo, Deus eſt: ſed perſonalitates, & attributa non eſsent Deus, ſi diſtinguerentur ab eo realiter, ergo non diſtinguuntur realiter. Prob. min. Unum diſtingui realiter ab alio nihil magis eſt, quàm alietas unius ab

[1] *c. Damnamus*. [2] *ibid.* [3] *cognit. veræ vit. c.7.* [4] *ſum. bon. ſent. 5.* [5] *16. mor. 21.* [6] *5. conſid. 6.*

ab alio; quamvis unum ſit in alio, ergo ſi Deitas diſtingueretur ab attributis, & hęc ab illa; hæc eſſent aliud à Deitate; ergo non eſſent Deus; ſicut corpus non eſt homo, nec anima eſt homo, licèt utrumque ſit in homine.

Prob. 5. Quia proprietates rei non diſtinguuntur realiter ab eſſentia, cujus ſunt: ſed attributa ſunt velut proprietates eſsentiæ Dei, ergo ab ea non diſtinguuntur realiter. Maj. ſupponitur ex Metaphyſica. Min. prob. ex tota quæſtione præcedenti.

Prob. 6. Deus habet ſuas omnes perfectiones modo perfectiſſimo; ergo habet eas ſibi realiter identificatas. Patet ant. Quia alioqui non eſset ens perfectiſſimum quoad ſubſtantiam, & modum. Prob. conſ. Melius eſt habere ſuas perfectiones ſibi identificatas, quàm diſtinctas, ergo ſi Deus eſt ens perfectiſſimum, & infinitum in entitate, debet habere ſuas perfectiones omnes ſibi identificatas. Prob. ant. 1. Meliùs eſt habere per ſe ſuas perfectiones, quàm per aliud: ſed quod habet perfectiones diſtinctas realiter, dicitur perfectum, non tam per ſe, quàm per aliud, quod non eſt ipſum; ergo &c.

Probabitur etiam infra ex ſimplicitate Dei; & alia multa in idem argumenta occurrunt apud Theologos, ut 1. quòd infinitum in perfectione identificet ſibi realiter omnem perfectionem poſſibilem; alioqui eas haberet per quandam unionem, & compoſitionem, quæ repugnat ſimplicitati. 2. quòd attributa de Eſſentia prædicentur in abſtracto; nam ex PP. conſtat, quòd Deus non eſt ſapiens ſapientia, *ſed ipſe eſt ſapientia*, inquit Aug. [1] 3. quòd Eſsentiæ accreſceret nova perfectio per unionem Attributorum, &c.

Objic. 1. ex PP. & Theologis. Attributa continentur in Deo; ergo diſtinguuntur à Deo. Prob. conſeq. Idem non continet, nec continetur in ſeipſo; contineri enim, & continere, continens, & contentum diſtinguuntur realiter; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. Continentur per identitatem, conc. ant. per aliam compoſitionem, vel unionem, aut continentiam, neg. ant. & conſeq. Attributa igitur continentur in Deitate per identitatem realem, ac metaphyſicam, non per unionem phyſicam; ſicut corpus, & ani-

[1] 15. *Trin. c.* 5

& anima in homine ; ergo non tam contineri dicenda ſunt, quàm eſſe in Deo.

Inſt. Attributa verè, & propriè dicuntur perfectiones eſſentiæ ; ergo verè, & realiter diſtinguuntur. Prob. conſ. Perficiens, & perfectum non ſunt idem realiter, nihil enim eſt perfectivum ſui ipſius ; ergo ſi Attributa perficiunt Eſſentiam, ab ea diſtinguuntur.

Reſp. diſt.ant. Sunt perfectiones intrinſecæ, ac metaphyſicæ, & velut proprietates, conc. ant. phyſicæ, & velut formæ accidentales, aut ſubſtantiales, neg. ant.& conſeq. Attributa ſunt perfectiones intrinſecæ, & metaphyſicæ, & per ſummam identitatem, non per unionem phyſicam.

Objic. 2. Quæ pertinent ad diverſa prædicamenta, diſtinguuntur realiter ; ſed Eſſentia, & Attributa pertinent ad diverſa prædicamenta; ergo diſtinguuntur realiter. Maj.patet ex Logica noſtra. Prob.min. Nam nos ipſi dicimus, Attributa eſſe velut qualitates, Eſſentia verò eſt ſubſtantia ; ergo Eſſentia, & Attributa pertinent ad diverſa prædicamenta. Prob. ant. ex D. Auguſtino: [1] *Si dicam æternus, immortalis, vivus, ſapiens .... Spiritus, totum noviſſimum, quod poſui*, nempe Spiritus, *videtur ſignificare ſubſtantiam, cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates.*

Reſp. neg. min. Nam, ex dictis in Philoſophia, omne ens prædicamentale eſt finitum ; Deitas verò, & omnia Attributa ejus ſunt infinita ; & ideò nihil eorum eſt prædicamentale. Auguſtinus verò loquitur de ſubſtantia, & qualitatibus metaphyſicè, non phyſicè ; & per ſubſtantiam intelligit Eſſentiam ; & per qualitates intelligit proprietates ; & ſic non officiunt realiſſimæ identitati eorum inter ſe, nec ſummæ ſimplicitati. *Quidquid enim illic ſecundum qualitates dici videtur*, inquit, *ſecundum ſubſtantiam, vel eſſentiam eſt intelligendum. Abſit enim, ut Spiritus ſecundum ſubſtantiam dicatur Deus, et bonus ſecundum qualitatem, ſed utrumque ſecundum ſubſtantiam*, ſc. per identitatem realem cum eſſentia.

Objic.3. de eadem re non dicuntur contradictoria ; ſed de eſſentia, & de relationibus, ſeu perſonis di-

[1] *ibid.*

dicuntur contradictoria; ergo ſunt plures res diſtinctæ realiter. Prob.min. De eſſentia dicitur, quòd communicatur, & quod eſt radix Attributorum; de Paternitate verò, & Filiatione dicitur, quòd non communicatur; & de Attributis, quòd non ſunt radix eſſentiæ nec ad invicem; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. De eadem re formaliter, conc. maj. de eadem re realiter, neg. maj. & conſ. nam ad verificanda contradictoria ſufficit diſtinctio formalis à parte rei, qualis eſt inter eſſentiam, & perſonalitates, & attributa divina, ut dicemus.

Concl. II. *Attributa divina diſtinguuntur ab eſſentia, & inter ſe plus, quàm nomine, aut ratione, ſeu per intellectum.* Eſt contra Nominales quoad 1. p. & alios quoad 2.

Prob. 1. tota concl. ex Scoto citato in præcedenti, ubi aſſerit diſtinctionem ante omnem actum intellectus, & citando in ſequenti, in qua aſſerimus diſtinctionem formalem ex natura rei. Et expreſsè dicit ſolam diſtinctionem rationis non ſufficere; ergo multò minùs ſufficiet ſola nominum diverſitas, quàm aſſerunt Nominales: [1] *Dico*, inquit, *quòd inter perfectiones eſſentiales* (nempe attributa, quæ ſe tenent ex parte eſſentiæ, & ſunt communia tribus Perſonis divinis) *non eſt tantùm differentia rationis, hoc eſt diverſorum modorum concipiendi idem objectum formale; qualis eſt, inter ſapiens, & ſapientiam, & utique major eſt inter ſapientiam, & veritatem*, &c.

Prob. 2. ex dictis de continentia formali attributorum in Deo. Nam inde ſatis apertè ſequitur pluralitatem Attributorum, & eorum diſtinctionem, & differentiam non eſſe puras voces, nec opera rationis. Item ex dicendis in concl. ſequenti: nam diſtinctio formalis ex natura rei eſt major, quàm nominalis, vel rationis ratiocinantis.

Probatur 3. ex Scriptura, & Conciliis, quæ Dei perfectionem, Attributa, & perſonalitates appellant pluraliter. Nam ſola diverſitas nominum, & præcipuè ſi ſint Synonima, & eandem prorſus rem objectivam ſignificent, non ſolent explicari pluraliter; verbi gratia, Deus, & Dominus, non dicitur

[1] *1. d. 8. q. 4. Q. n. 17.*

reſpe-

reſpectu Dei pluraliter: ſed Scriptura Dei perfectiones exprimit pluraliter, ergo in eis eſt aliqua pluralitas pluſquam nominalis, aut rationis. Prob. min. Nam D. Paulus eas vocat: [1] *inviſibilia Dei, quæ à creatura mundi, et per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Et Chriſtus Dominus eas ſimiliter in plurali enunciat, quatenus eas dicit ſibi communicatas à Patre: [2] *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. Dum dicit omnia*, inquit S. Auguſtinus, [3] *nihil hic reliquit quod minus haberet à Patre, Omnia, id eſt, unius Deitatis, potentiam, ſubſtantiam, majeſtatem. Quis eum minorem dicere non contremiſcat, qui ſe Patri generaliter, & per omnia.... æqualem pronuntiat?* Et D. Hilarius idem ſentit de his, quæ pertinent ad naturam divinam: [4] *Omnia quæcunque habet Pater, mea ſunt, propterea dixi, quòd de meo accipiet*; ſcilicet Spiritus Sanctus, cui per ſpirationem communicat Deitatem, & attributa. Et Concilium Florentinum explicans illa verba Chriſti: [5] *Omnia quæcumque habet Pater, mea ſunt*, ait: *omnia, quæ Patris ſunt, ipſe Pater unigenito filio ſuo dedit gignendo præter eſſe Patrem*. Et idem Hilarius: [6] *Deus in his oſtendit, intelligendum eſſe, quæ ſua ſunt in virtute, in Providentia, in Poteſtate, &c.* ergo Scriptura, Concilia, & Patres agnoſcunt aliqualem pluralitatem perfectionum in Deo, & majorem, quàm nominum.

Confirm. Quia niſi in una Perſona Divina eſſet aliqua formalitas à parte rei, quæ non eſt in aliis, non eſſet ulla ratio, cur à parte rei Filius eſſet incarnatus potiùs, quàm Pater, aut Spiritus Sanctus, & tamen S. Synodus definit *Patrem, et Filium, et Spiritum Sanctum nihil in Incarnatione habere commune, præter benigniſſimam miſericordiam, et voluntatem*, ergo Filiatio à parte rei, & non tantùm ratione, aut nomine diſtinguitur ab Eſſentia, & à Miſericordia, & à Voluntate, & ab aliis attributis, quæ ſunt communia tribus perſonis.

Objic. 1. ex SS. Patribus. Deus non tàm dicitur habere, quàm eſſe ſuas perfectiones, & illas eſſe unum, & idem,

[1] *Rom.* 1. [2] *Matth.* 11. [3] *Hom. 2. nativ.* [4] *Can.* 11. *Math.* [5] *Jo.* 16. [6] 5. *Trin.*

& idem; ergo nulla ibi eſt diſtinctio à parte rei, niſi quoad voces. Prob. ant. ex Aug. [1] *Deus multipliciter dicitur quidem magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur; ſed eadem magnitudo ejus, quæ ſapientia, & eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo.* Et S. Anſelm. [2] *Summa natura non propriè dicitur juſta, quia habet juſtitiam, ſed quia exiſtit juſtitia*; ergo in Deo Sapientia, & Magnitudo ſunt purè idem ſub diverſis nominibus, & idem eſt de juſtitia, & aliis Attributis inter ſe, quàm cum Eſſentia.

Reſp. diſt. utrumque ant. quàm illas eſſe per identitatem realem, conc. per identitatem formalem, neg. ant. & conſeq. Magnitudo, & Sapientia realiter ſunt idem; & Deus eſt realiter ſua juſtitia, quam non dicitur habere velut quid realiter diſtinctum, & extraneum ab eſsentia ſua; ſed tantùm ſunt formalitates diſtinctæ plùs, quàm nomine, aut ratione. Eodem ſenſu loquitur idem Auguſt. cùm dicit bonitatem, & juſtitiam non eſſe diverſas qualitates; [3] *Sed quæ juſtitia ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa beatitudo.* Et D. Bernardus dicens: [4] *Hoc Deo eſſe, quod hæc omnia eſſe; et ſi centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe*; ſcilicet, non differunt ab eſſentia, niſi nomine tenus. Item Gregorius Nyſsenus: *Omnem circa eſſentiam diverſitatem rejicit divina ſimplex, & variationis inſcia natura*: per hæc, & ſimilia rejiciunt diſtinctionem realem, qualem illa habent in creaturis; non formalem, quæ non impedit, ne una ſit realiter alia, & una omnes in eſſentia.

Inſtabis. Sancti illi Patres docent, per illas voces diverſas unam rem ſignificari; inquit enim Bernardus: [5] *Voces diverſæ, ſemitæ multę, ſed unum per eas ſignificatur.* Et S. Cyrillus illam diverſitatem vocum, aut conceptuum tribuit intellectus noſtri limitationi, & imperfectioni, cùm ait: *Subſtantiam Dei ſeipſa perfectam eſſe, ſed nos cogi nonnunquam accidentium modo concipere*, &c. ergo tota diſtinctio venit ab intellectu, & eſt puræ rationis.

Reſp.

[1] 6. *Trin.* 7. [2] *Monol. c.* 25. [3] 15. *Trin.* 6.
[4] 5. *conſid.* 6. [5] *ibid.*

Reſp. neg. conſeq. Loquuntur enim de diverſitate reali, quam prorſus excludunt ab eſſentia Dei, & divinis qualitatibus, & quoad hoc diverſa nomina unum ſemper Deum ſignificant, ſed unitate naturæ, & eſſe realis.

Objic. 2. Ubi non eſt unum, & aliud à parte rei, ibi non eſt ulla diſtinctio, niſi rationis, aut vocis; ſed in Deo non eſt unum, & aliud, niſi per intellectum; ergo nec diſtinctio. Prob. min. quia Deus alioqui non eſſet ſimplex.

Reſp. 1. neg. maj. abſolutè. Nam inter Perſonas Divinas non eſt propriè unum, & aliud, & tamen eſt diſtinctio realis, & una eſt realiter producens, ut Pater; & alia producta, ut Filius. 2. neg. min. Non eſt quidem in Deo alietas realis, ſed formalis, ut patet de perſonis, & de relationibus, quæ licèt non ſint unum, & aliud; nihilominus diſtinguuntur realiter.

Concl. III. *Attributa divina tum relativa, tum abſoluta, diſtinguuntur formaliter à parte rei, ſeu objectivè, tum ab eſſentia, tum inter ſe.* Ita Scotiſtæ omnes contra Thomiſtas, & turbam Neutericorum, aliquot tamen exceptis, ut notat Baro.

Probatur 1. ex Scoto jam citato, & multis aliis in locis, ubi clarè adeò mentem ſuam hanc aperit, ut mirum ſit, quomodo de illa potuerint aliqui dubitare. Id enim ex profeſſo aſſerit: nam cùm quæreret, *Utrùm in divinis poſſit eſſe major diſtinctio, et diverſitas, quàm conceptuum:* reſpondet: *Dicitur, quòd ſic, ut Perſonarum, quæ eſt realis, et Attributorum, quæ differunt præter operationem intellectus;* quod validè probat per totam collationem, & reſolvit argumenta contraria; & tandem ſic argumentatur. *Illa diſtinctio, quæ eſt ex natura rei, major eſt illa, quæ eſt tantùm conceptuum,* ſive per intellectum. *Sed diſtinctio Attributorum in Deo,* & *perſonarum eſt ex natura rei;* ergo &c. Et alibi hoc probat multis rationibus; v. g. *Diſtinctio perfectionum attributalium* (ex adverſariis) *eſt fundamentum reſpectu diſtinctionis Emanationum: ſed diſtinctio Emanationum eſt realis, nulla autem diſtinctio realis præexigit neceſſariò diſtinctionem, quæ eſt tantùm rationis; ſicut nec aliud,*

quod

[illegible] *quod eſt me-* [illegible] *Attributorum non eſt* [illegible] *ex natura rei*. Et [illegible] *ſcriptis* id aſſerit, aut [illegible].

[illegible] ex Scriptura, quæ diſtinguit in Deo [illegible] eſſe rebus; & finis, *ad* [illegible] dicente: [1] *Ego ſum α, &* [illegible] *principium, et finis*. Et D. [illegible] in Deo benignitatem, qua nos [illegible], & iram, quam in eo pro- [illegible]. [2] *Benignitas Dei ad* [illegible] *autem ſecundum du-* [illegible] *theſaurizas tibi* [illegible], ergo ira, & benignitas in Deo non ſunt à [illegible] formalitas. Eodem tendit pluralitas [illegible], notantur in Deo. [3] *Inviſibi-* [illegible] non ſufficit diſtinctio *rationis*, [illegible] à nobis, & in nobis eſt; non verò in [illegible], quæ in Deo non eſt, niſi in poten- [illegible], ſed actu tota eſt in nobis, & à nobis.

[illegible] ex Conciliis. Nam ex Florentino: [4] *Pater omnia communicavit Filio præter eſſe Patrem*; ergo Paternitas eſt formalitas, quam prima perſona non communicavit cum Eſſentia, & aliis Attributis abſolutis, ergo eſt quid diſtinctum & ab Eſſentia, & ab illis attributis. Idem patet ex Concil. Toletano II. docente, quod in relatione perſonarum numerus [illegible] & in Concil [illegible] anenſi, ſub [illegible] *San* [illegible] *ſe-* [illegible] *ſecun-* [illegible] *ſentiam* [illegible] *ri, ſed* [illegible] ante, At- [illegible] idem cum [illegible] ſolutis; quan- [illegible] ta ſunt unum, [illegible], perſonalia verò [illegible] ut talia cognoſcun- [illegible] cato per lumen fidei, [illegible] aut

[illegible] *Rom.* 2. [3] *ibid.* [4] *Litt.*

aut Gloriæ; ſed etiam ab ipſo Deo, qui non præſcindit, nec fingit diſtinctionem, ubi non eſt à parte rei.

Prob. 3. ex SS. Patribus. 1. quorum alii diſtinguunt poteſtatem à voluntate, ut S. Hilar. [1] Dicens *quòd non efficit creaturam Voluntas, ſed poteſtas:* alii diſtinguunt actus memoriæ ab actibus amoris; ut Anſelmus [2] dicens: *Planum eſt rationem habenti ſummum Spiritum non idcircò ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat, ſed ideo ſe amare, quia ſic meminit, & ſe intelligit.* Alii attributa diſtinguunt ab eſſentia, & illa dicunt plura, Ut Damaſcenus: [3] *Si bonum, ſi juſtum, ſi quid tale dixeris, non naturam Dei, ſed quæ circa naturam, dixeris, & ea differre,* dicit, *ab invicem ſicut univerſale differt à ſingulari.* Alii diverſitatem quamdam eſſentiæ, & multiplicitatem quaſi adventitiam attributorum, ut Cyrillus Alex. [4] *Quamvis Deus ſimplicem habeat eſſentiam, diverſitate tamen eſſentiæ multiplex eſſe videtur.* (Scilicet diverſitate prædicatorum eſſentialium) *neque verò aliquid in eo externum eſt, & adventitium: tametſi divinis Attributis quodammodo haud ſimplex intelligatur.* Alii diverſam cognoſcibilitatem eſſentiæ ab Attributis, ut Theophylactus: *De Deo aliquid quidem cognoſci non poteſt, ut ipſa eſſentia, aliud verò cognoſci poteſt, ut omnia, quæ ſunt circa Eſſentiam, ut Bonitas, Sapientia, &c.* Alii diverſa nomina ex diverſis attributis dicunt, ut Irenæus: *Secundum dilectionem quidem pater eſt; ſecundum virtutem Dominus, ſecundum Sapientiam factor, & plaſmator noſter.* [illegible] ſi hæc omnia à parte rei ſint prorſus idem, *D*[illegible] *secundum Sapientiam pater, quàm ſecun*[illegible]*tem.* Ad quod facit, quod dicit Tertull. [5[illegible] *bonus, quàm juſtus. Bonitas opera*[illegible]*ndum; Juſtitia* [illegible] *eſt* [illegible]*ſt, quod inter lucem & tene*[illegible] [illegible]*iem pronuntiat* [illegible], Alii [illegible]i, aut generandi [illegible] [illegible]

ſtinguunt, ut S. Baſil. apud Petavium. *Qui enim ridiculum non ſit, ſi procreandi vim dicat ipſam Eſſentiam? quomodo manifeſtæ inſaniæ non ſit, proprium unicuique nomini ſignificatum negare ſubjici? ei quod eſt pater, deeſſe quod eſt creator; tum illis deeſſe, & oportere addi bonitatem?*

Confir. quia dixerunt alii ibidem, *Patrem, quà pater eſt, non eſſe Deum, nec facere miracula, &c.* Sic de filio, & aliis prædicatis; quæ tamen dici poſſent, ſi à parte rei paternitas cum poteſtate, & Deitate confunderetur; ergo licèt à Patribus videatur aſſeri identitas, ſaltem intelligendi ſunt de identitate *reali*, non *de formali*.

Prob. 4. ratione: de eadem, & una ſimpliciſſima à parte rei formalitate non verificantur prædicata contradictoria, ſed de paternitate, & eſſentia, ac de attributis abſolutis, v. g. de ſapientia, Juſtitia, &c. verificantur prædicata contradictoria, & quidem à parte rei illis convenientia; ergo hæc non ſunt una ſimpliciſſima, & eadem à parte rei formalitas. Patet maj. nam alioqui falſum eſſet illud receptiſſimum, & primum principium totius Philoſophiæ, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*, ſeu, *quodlibet eſt, vel non eſt*, &c. Prob. min. ex citatis Conciliis, & ex veritate receptiſſima, & de fide, *Eſsentia, & Bonitas, & Sapientia communicatur*; Et, *Paternitas non communicatur*. Pater generat, & Eſſentia non generat. (Idem eſt de filiatione, & ſpiratione; & de Filio, & Spiritu Sancto reſpectivè; Filius generatur, & Eſſentia non generatur; Filius generatur per viam intellectus, & non per voluntatem; Spiritus Sanctus ſpiratur per voluntatem, & non per intellectum, &c.) Sed generare, & non generare; communicari, & non communicari, &c. de eodem, & ſimul ſunt purè contradictoria, & quidem à parte rei; ergo de attributis relativis ex una parte, & de eſſentia, & de attributis abſolutis ex alia, verificantur ſimul, & à parte rei contradictoria prædicata.

Dices, ad ſalvandas contradictiones iſtas ſufficere diſtinctionem virtualem eminentialem, *aut rationis ratiocinatæ*, in una, eademque formalitate actuali, & à parte rei indiſtinctiſſima, quatenus ſcilicet illa

ſe

ſe habet in ordine ad cognitionem noſtram, & ad diverſas emanationes, & prædicata, ſicut ſe habent in creaturis diſtinctæ realiter entitates.

Contra 1. quia attributa omnia tum relativa, tum abſoluta ſunt in Deo formaliter, ut probatum eſt ſuprà, non autem ſolùm virtualiter eminenter; ergo diſtinctio virtualis eminentialis non ſufficit.

Contra 2. *quando dico*, *eſsentia eſt communis*, *&* *paternitas non eſt communis*, aliquid ſignificatur à parte rei per eſſentiam, quod non ſignificatur per paternitatem, ſecundum quod illæ propoſitiones ſunt veræ, ita ut contradictoriæ de eiſdem non eſſent veræ: v. g. non eſſet vera hæc, *eſsentia non eſt communis*, nec iſta, *paternitas eſt communis*. Sed ſi paternitas, & eſſentia eſſent à parte rei formalitas eadem, tam iſtæ poſteriores eſſent veræ, quàm illæ priores; ergo à parte rei eſſentia, & paternitas in Deo non ſunt eadem formalitas. Prob. maj. de ſecunda perſona in Deo, tam vera eſt iſta, *verbum generatur*, quàm iſta, *Filius generatur*; quia ſub duobus nominibus Verbi, & Filii, ſignificatur eadem perſona divina; ergo ſi nominibus paternitatis, & eſſentiæ ſignificaretur eadem formalitas, tam vera eſſet hæc, *paternitas communicatur*, quàm iſta, *eſsentia communicatur*; & id à parte rei, & independenter ab illa præciſione intellectus. Idem eſſet de iſtis, *pater generat per intellectum*, *&* *generat per voluntatem; quia voluntas*, *&* *intellectus eſsent* eadem formalitas à parte rei, & in cognitione divina, quæ non præſcindit, nec diſtinguit indiſtinguibilia, ſed concipit omnia adæquatè, & clariſſimè.

Confir. hæc propoſitio, *eſsentia eſt paternitas*, plus dicit ex parte rei, quàm iſta, *eſsentia eſt eſsentia*; vel *natura*, vel *Deitas*; ergo in Deo, & à parte rei paternitas eſt quid ſuperadditum, & diſtinctum ab eſſentia. Prob. ant. nam prima non eſt identica, benè verò ſecunda, & 3. & 4. quia eſſentia, & natura, & Deitas ſunt Synonyma in Deo, & ſumuntur pro eadem entitate.

Dices 2. ad primam majorem argumenti, quòd illa eſt vera in creaturis propter finitatem; non verò in Deo, in quo eſſentia per infinitatem omnia in-

cludit per ſummam identitatem. Sed

Contra 1. quia apud Adverſarios, paternitas, & intellectus ſunt pariter infinita; ergo quidquid diceretur de uno, poſſet dici de alio, & eſſet æquè verum, aut falſum à parte rei; *perinde eſſet dicere eſſentia generat per voluntatem*, ac *pater generat per intellectum, licèt quoad nos id non eſſet verum*; ſed nihil abſurdius admitti poteſt; ergo infinitas eſſentiæ non ſalvat difficultatem. Prob. min. nam ſic confunderentur à parte rei myſteria omnia, quæ fides docet de myſterio Trinitatis, & à parte rei falſa eſſent omnia, quæ concipimus, & credimus de illo; falſæ eſſent iſtæ, & ſimiles propoſitiones, paternitas *non communicatur; pater non generat per viam voluntatis*, &c. Nam idem eſſet à parte rei, ac ſic diceremus, pater non generat per intellectum; eſſentia non communicatur; quandoquidem à parte rei eſſentia eſſet ipſiſſima paternitas, & voluntas eſſet ipſe intellectus, & tota diſtinctio, & differentia ſe teneret ex connotatis, & ex modo noſtro concipiendi, qui nihil ponit in re. Quid enim refert ad veritatem, aut falſitatem propoſitionis cum objecto in ſe, quod concipiam illud adæquatè, vel inadæquatè, confusè, aut diſtinctè, & per ordinem ad creaturas, vel ad ſe, & in ſe? veritas propoſitionis attenditur penes conformitatem ejus cum objecto, non autem cum intellectu loquentis. Quando fides affenit, quòd Verbum procedit à Patre per generationem, & per intellectum, & quod Spiritus S. procedit à Patre, & Filio per Spirationem, quæ non eſt generatio, & non per intellectum, ſed per voluntatem, non diceret hæc ita eſſe à parte rei, & coram Deo, ſed tantùm ita eſſe à nobis credendum, & loquendum de illis proceſſionibus, & perſonis; quæ quàm abſurda, & falſa, & periculoſa ſint, nemo non videt, ſi non claudit oculos ad lucem.

Præterea; cur dicitur id provenire ex parte noſtra imperfectè, & inadæquatè concipiente Dei eſſentiam, & attributa? Nam 1. quomodo concipi poteſt inadæquatè punctum prorſus indiviſibile? nam vel totum concipitur, vel totum ignoratur. 2. Deus non ſe videt, nec videre poteſt inadæquatè; ergo non videt in ſe differentiam illam proceſſionis Spi-

ritus

ritus Sancti à productione Verbi, quia non videt differentiam ullam, aut diſtinctionem illorum actuum, nec principiorum illorum, ſcilicet intellectus, & voluntatis, nec ab eſſentia, nec à ſe invicem; ergo videt utramque procedere ab eodem indiviſibili principio, quod æquè dici poteſt à parte rei eſſentia, aut paternitas, aut voluntas, aut intellectus.

Prob. 5. illa formaliter ex natura rei diſtinguuntur formaliter, quæ entitatem habent ſeorſim conceptibilem, & definibilem; ſed tales ſunt perfectiones attributales Dei, tam relativæ, quàm abſolutę; ergo &c. Maj. patet, nam definitio explicat naturam rei. Et ſic quæ diverſas habent definitiones, ita & diverſas naturas, & conceptibilitates: prob. min. 1. ex Patribus citatis, maximè ex Auguſtino. [1[*Omnis res, quæ relativè dicitur, eſt aliquid excepto relativo*: ſed pater dicitur relativè, *& Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relativè ad eum, cujus eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem*; [2] ergo filius, & pater includunt aliquid præter eſſentiam; nam *aliud eſt eſſe Deum, aliud eſse Patrem*, inquit; ergo Deitas eſt ſeorſim conceptibilis, & definibilis à paternitate, & filiatione; & iſtæ non ſunt de conceptu formali eſſentiæ; nec iſta illarum. Relationes ſupponunt eſſentiam, cui adveniunt, & inter ſe ſic opponuntur, ut conſtituant diſtinctas realiter perſonas. Item quoad alia attributa patet ex iiſdem, & ex aliis SS. Patribus, qui dicunt, illa circumſtare eſſentiam, & eſſe ejus qualitates, &c. Item probabitur eadem minor, dum de ſingulis attributis ſpeciales definitiones aſſignabimus, in quibus nec eſſentia, nec illa invicem continentur.

Confir. Sapientia, & bonitas, miſericordia, & juſtitia, ut ſic, & in ſuo genere non ſunt idem formaliter; ſed ut ſic, & in ſuo genere habent diverſos conceptus formales, & definitiones; ergo neque in Deo ſunt idem formaliter. Patet conſeq. nam ſunt in Deo perfectiſſimè ſecundum totam ſuam eſſentiam; ergo cum toto ſuo conceptu formali; ut patet ex dictis ſupra, ubi probavimus attributa, & perfectiones ſimpliciter ſimplices eſſe in Deo formaliter. Hoc enim eſt eſſe ſecundum ſuum conceptum quidditativum,

[1] *7. tri. 1. Ibid. c. 2.* [2] *Ibid. c. 4.*

& entitatem ſuam formalem. Prob. ant. Nam nihil habent ampliùs in Deo, quàm in ſuo Genere præter infinitatem, ſeu unitatem in eſſentia Dei, ſed per infinitatem, & unitatem in eſſentia Dei non deſtruitur, nec mutatur, ſed potiùs perficitur natura illorum; Ergo in Deo non ſunt idem formaliter inter ſe. Prob. min. ſi enim per infinitatem mutaretur natura rei, quam afficit infinitas, non eſſet amplius modus ejus, ſed eſſentia: & ſic ſapientia, cui adveniret infinitas, ceſſaret eſſe ſapientia, quod falſiſſimum eſt.

Prob. 6. Intellectus, & voluntas diſtinguuntur à parte rei tum inter ſe, tum ab eſſentia; ergo in divinis datur talis diſtinctio. Prob. ant. 1. quia ſunt principia diverſarum operationum, quales ſunt volitiones, & intellectiones; 2. diverſarum productionum, quarum una eſt formaliter generatio, & alia non, ſed ſpiratio. Filius procedit ut Verbum, ſeu conceptus mentis, Spiritus verò ut donum, & amor; *Exit enim à Patre, & Filio; non quomodo natus, ſed quomodo datus*, inquit Aug. [1] ideò dicitur non generari, ſed procedere; unde ſic argui poteſt: Ubi ſunt diverſæ formaliter, & à parte rei emanationes, ibi ſunt diverſa pariter principia; ſed in Deo ſunt diverſæ emanationes; ſcilicet productio Verbi, quæ eſt generatio, & nativitas, & productio Spiritus S. quæ eſt non generatio. ſed proceſſio, & termini producti ſunt etiam non modo diſtincti, ſed & diverſi, nam terminus generationis eſt Verbum, & terminus ſpirationis eſt Amor; ergo & principia formalia, *Quibus*, ſcilicet intellectus, & voluntas ſunt à parte rei diverſa. Maj. prob. nam *idem formaliter manens idem ſemper natum eſt facere idem*. Ergo idem formaliter principium haberet eandem productionem, & eundem terminum ſuæ productionis. Certè niſi hoc eſſet, nunquam ex diverſitate, vel unitate effectuum poſſet cognoſci diverſitas, vel unitas cauſarum; & productio caloris, & ignis poſſet tribui aquæ, & viciſſim.

Dices. Eadem voluntas Dei eſt principium ſpirationis, & creationis, quæ ſunt operationes diverſiſſimæ; & idem ſol indurat lutum, & emollit ceram;

[1] 5. tri. 9.

ram; ergo falſum eſt illud axioma.

Contra: in creatione, & ſpiratione voluntas reſpicit diverſa objecta, & materias, ſicut & ſol; ergo non mirum, quòd operationes, & producta ſint diverſa; ſed in generatione, & ſpiratione omnia ſunt à parte rei eadem præter intellectum, & voluntatem; ergo ſoli diſtinctioni harum potentiarum tribui debet illarum productionum diverſitas; Prob. ſubſumptum; eſt eadem eſſentia, ut objectum fœcundans intellectum, & voluntatem in utraque productione; quod fortè non poteſt dici de creatione in Deo; nec de virtute indurativa luti, & mollitiva ceræ in ſole: nam forte potentia Dei ad extra diſtinguitur formaliter à virtute ſpirativa, & ſimiliter illæ virtutes in Sole.

Prob. denique, quia ſine iſta diſtinctione formali inter eſſentiam, & relationes, & attributa non poſſunt explicari commodè veritates, quas fides, & Theologia docent de myſterio Trinitatis, & de Deo ipſo; & nulla eſt repugnantia, vel inconveniens eam admittere, & illa uti; ergo admittenda eſt. Patet conſequens: nam debemus admittere in Deo, quæcumque magis decent, & conducunt ad dignitatem ejus, & ad fidem tuendam, & fovendam. 2. pars antecedentis patebit ſolutione objectionum. Prob. quoad 1. ex dictis huc uſque de contradictionibus, & proceſſionibus, de communitate naturæ, & prædicatorum, & attributorum eſſentialium, & abſolutorum, & de incommunicabilitate relativorum, & perſonalium, ſeu notionalium, & de diverſis conceptibus formalibus, & objectivis, ac definitionibus illorum omnium; & de differentia emanationum, ac principiorum eorumdem. 2. ex dicendis circa diverſas propoſitiones, & veritates receptiſſimas, quæ ſine tali diſtinctione ſalvari facilè non poſſunt. Et quidem hæ propoſitiones ab omnibus Patribus, & Theologis juxta principia fidei admittuntur. *Deus eſt Deus ſua Deitate, ſua natura, ſua eſſentia*; & ſunt formales, & conſequenter iſtæ ſunt etiam veriſſimæ; *Deus eſt ſua Deitas*, ſua natura, & ſua eſſentia. Iſtæ verò non eodem ſenſu, & modo admittuntur, *Deus eſt Deus per ſuam ſcientiam, vel miſericordiam, aut juſtitiam*; & omnes fatentur, quòd priora illa

& idem; ergo nulla ibi eſt diſtinctio à parte rei, niſi quoad voces. Prob. ant. ex Aug. [1] *Deus multipliciter dicitur quidem magnus, bonus, ſapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur; ſed eadem magnitudo ejus, quæ ſapientia, & eadem bonitas, quæ ſapientia, & magnitudo*. Et S. Anſelm. [2] *Summa natura non propriè dicitur juſta, quia habet juſtitiam, ſed quia exiſtit juſtitia*; ergo in Deo Sapientia, & Magnitudo ſunt purè idem ſub diverſis nominibus, & idem eſt de juſtitia, & aliis Attributis inter ſe, quàm cum Eſſentia.

Reſp. diſt. utrumque ant. quàm illas eſſe per identitatem realem, conc. per identitatem formalem, neg. ant. & conſeq. Magnitudo, & Sapientia realiter ſunt idem; & Deus eſt realiter ſua juſtitia, quam non dicitur habere velut quid realiter diſtinctum, & extraneum ab eſſentia ſua; ſed tantùm ſunt formalitates diſtinctæ plùs, quàm nomine, aut ratione. Eodem ſenſu loquitur idem Auguſt. cùm dicit bonitatem, & juſtitiam non eſſe diverſas qualitates; [3] *Sed quæ juſtitia ipſa bonitas, & quæ bonitas ipſa beatitudo*. Et D. Bernardus dicens: [4] *Hoc Deo eſſe, quod hæc omnia eſſe; et ſi centum talia addas, non receſſiſti ab eſſe*; ſcilicet, non differunt ab eſſentia, niſi nomine tenus. Item Gregorius Nyſsenus: *Omnem circa eſſentiam diverſitatem rejicit divina ſimplex, & variationis inſcia natura*: per hæc, & ſimilia rejiciunt diſtinctionem realem, qualem illa habent in creaturis; non formalem, quæ non impedit, ne una ſit realiter alia, & una omnes in eſſentia.

Inſtabis. Sancti illi Patres docent, per illas voces diverſas unam rem ſignificari; inquit enim Bernardus: [5] *Voces diverſæ, ſemitæ multę, ſed unum per eas ſignificatur*. Et S. Cyrillus illam diverſitatem vocum, aut conceptuum tribuit intellectus noſtri limitationi, & imperfectioni, cùm ait: *Subſtantiam Dei ſeipſa perfectam eſſe, ſed nos cogi nonnunquam accidentium modo concipere*, &c. ergo tota diſtinctio venit ab intellectu, & eſt puræ rationis.

Reſp.

[1] 6. *Trin.* 7. [2] *Monol. c.* 25. [3] 15. *Trin.* 6. [4] 5. *conſid.* 6. [5] *ibid.*

Reſp. neg. conſeq. Loquuntur enim de diverſitate reali, quam prorſus excludunt ab eſſentia Dei, & divinis qualitatibus, & quoad hoc diverſa nomina unum ſemper Deum ſignificant, ſed unitate naturæ, & eſſe realis.

Objic. 2. Ubi non eſt unum, & aliud à parte rei, ibi non eſt ulla diſtinctio, niſi rationis, aut vocis; ſed in Deo non eſt unum, & aliud, niſi per intellectum; ergo nec diſtinctio. Prob. min. quia Deus alioqui non eſſet ſimplex.

Reſp. 1. neg. maj. abſolutè. Nam inter Perſonas Divinas non eſt propriè unum, & aliud, & tamen eſt diſtinctio realis, & una eſt realiter producens, ut Pater; & alia producta, ut Filius. 2. neg. min. Non eſt quidem in Deo alietas realis, ſed formalis, ut patet de perſonis, & de relationibus, quæ licèt non ſint unum, & aliud; nihilominus diſtinguuntur realiter.

Concl. III. *Attributa divina tum relativa, tum abſoluta, diſtinguuntur formaliter à parte rei, ſeu objectivè, tum ab eſſentia, tum inter ſe.* Ita Scotiſtæ omnes contra Thomiſtas, & turbam Neutericorum, aliquot tamen exceptis, ut notat Baro.

Probatur 1. ex Scoto jam citato, & multis aliis in locis, ubi clarè adeò mentem ſuam hanc aperit, ut mirum ſit, quomodo de illa potuerint aliqui dubitare. Id enim ex profeſſo aſſerit: nam cùm quæreret, *Utrùm in divinis poſſit eſſe major diſtinctio, et diverſitas, quàm conceptuum:* reſpondet: *Dicitur, quòd ſic, ut Perſonarum, quæ eſt realis, et Attributorum, quæ differunt præter operationem intellectus*; quod validè probat per totam collationem, & reſolvit argumenta contraria; & tandem ſic argumentatur. *Illa diſtinctio, quæ eſt ex natura rei, major eſt illa, quæ eſt tantùm conceptuum*, ſive per intellectum. *Sed diſtinctio Attributorum in Deo*, & *perſonarum eſt ex natura rei*; ergo &c. Et alibi hoc probat multis rationibus; v. g. *Diſtinctio perfectionum attributalium* (ex adverſariis) *eſt fundamentum reſpectu diſtinctionis Emanationum: ſed diſtinctio Emanationum eſt realis, nulla autem diſtinctio realis præexigit neceſſariò diſtinctionem, quæ eſt tantùm rationis; ſicut nec aliud,*

quod

quod eſt purè reale, præexigit aliud, quod eſt merè ens rationis, ergo diſtinctio Attributorum non eſt tantùm rationis, ſed aliquo modo, ex natura rei. Et alibi ſæpè in omnibus ſuis ſcriptis id aſserit, aut ſupponit.

Probatur 2. ex Scriptura, quæ diſtinguit in Deo rationem principii, *quo* dat eſse rebus; & finis, *ad quem res ordinantur.* Ipſo dicente: [1] *Ego ſum α, & ω; primus, et noviſſimus; principium, et finis.* Et D. Paulus diſtinguit in Deo benignitatem, qua nos invitat ad pœnitentiam, & iram, quam in eo provocamus per impœnitentiam. [2] *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit; tu autem ſecundum duritiam tuam, et impœnitens cor theſaurizas tibi iram*, ergo ira, & benignitas in Deo non ſunt à parte rei eadem formalitas. Eodem tendit pluralitas eorum, quæ,ut dixi, notantur in Deo. [3] *Inviſibilia Dei, etc.* Certè ibi non ſufficit diſtinctio *rationis*, quę tota pendet à nobis, & in nobis eſt; non verò in Deo; nec *virtualis*, quæ in Deo non eſt, niſi in potentia, & fundamentaliter, ſed actu tota eſt in nobis, & à nobis.

Confirm. ex Conciliis. Nam ex Florentino: [4] *Pater omnia communicavit Filio præter eſse Patrem*; ergo Paternitas eſt formalitas, quam prima perſona non communicavit cum Eſsentia, & aliis Attributis abſolutis, ergo eſt quid diſtinctum & ab Eſsentia, & ab illis attributis. Idem patet ex Concil. Toletano II. docente, quod in relatione perſonarum numerus cernitur; & in Concil. Lateranenſi, ſub Innocentio III. [5] *Hęc Sancta Trinitas ſecundum communem Eſsentiam individua, et ſecundum perſonales proprietates diſcreta: et eſsentiam non generare, ſed Patrem; neque generari, ſed Filium;* ergo à parte rei, & nullo cogitante, Attributa perſonalia non ſunt formaliter idem cum eſsentia, nec cum aliis attributis abſolutis; quandoquidem Eſsentia, & hęc attributa ſunt unum, & communia totis tribus perſonis, perſonalia verò ſunt plura, & non communia, & ut talia cognoſcuntur à quocumque intellectu creato per lumen fidei, aut

[1] *Apoc.* 1. *et* 22. [2] *Rom.* 2. [3] *ibid.* [4] *Litt. unio.* [5] *C. firmit.*

aut Gloriæ; ſed etiam ab ipſo Deo, qui non præſcindit, nec fingit diſtinctionem, ubi non eſt à parte rei.

Prob. 3. ex SS. Patribus. 1. quorum alii diſtinguunt poteſtatem à voluntate, ut S. Hilar. [1] Dicens *quòd non efficit creaturam Voluntas, ſed poteſtas:* alii diſtinguunt actus memoriæ ab actibus amoris; ut Anſelmus [2] dicens: *Planum eſt rationem habenti ſummum Spiritum non idcircò ſui memorem eſſe, aut ſe intelligere, quia ſe amat, ſed ideo ſe amare, quia ſic meminit, & ſe intelligit.* Alii attributa diſtinguunt ab eſſentia, & illa dicunt plura, Ut Damaſcenus: [3] *Si bonum, ſi juſtum, ſi quid tale dixeris, non naturam Dei, ſed quæ circa naturam, dixeris, & ea differre,* dicit, *ab invicem ſicut univerſale differt à ſingulari.* Alii diverſitatem quandam eſſentiæ, & multiplicitatem quaſi adventitiam attributorum, ut Cyrillus Alex. [4] *Quamvis Deus ſimplicem habeat eſſentiam, diverſitate tamen eſſentiæ multiplex eſſe videtur.* (Scilicet diverſitate prædicatorum eſſentialium) *neque verò aliquid in eo externum eſt, & adventitium: tametſi divinis Attributis quodammodo haud ſimplex intelligatur.* Alii diverſam cognoſcibilitatem eſſentiæ ab Attributis, ut Theophylactus: *De Deo aliquid quidem cognoſci non poteſt, ut ipſa eſſentia, aliud verò cognoſci poteſt, ut omnia, quæ ſunt circa Eſſentiam, ut Bonitas, Sapientia, &c.* Alii diverſa nomina ex diverſis attributis dicunt, ut Irenæus: *Secundum dilectionem quidem pater eſt; ſecundum virtutem Dominus; ſecundum Sapientiam factor, & plaſmator noſter.* Certè ſi hæc omnia à parte rei ſint prorſus idem, *Deus eſt tam ſecundum Sapientiam pater, quàm ſecundum virtutem.* Ad quod facit, quod dicit Tertull. [5] *Creator tam bonus, quàm juſtus. Bonitas ejus operata eſt mundum; Juſtitia modulata eſt eum. Juſtitiæ opus eſt, quod inter lucem, & tenebras, noctem, & diem pronuntiata ſit ſeparatio,* &c. Alii vim creandi, aut generandi ab eſſentia diſtin-

[1] 8. *Trin.*
[2] *Monol.* 3.
[3] 1. *de fid.* 4.
[4] 9. *de Adorat.* 5. *adv. heret.*
[5] 2. *con. Mar.*

ſtinguunt, ut S. Baſil. apud Petavium. *Qui enim ridiculum non ſit, ſi procreandi vim dicat ipſam Eſſentiam? quomodo manifeſtæ inſaniæ non ſit, proprium unicuique nomini ſignificatum negare ſubjici? ei quod eſt pater, deeſſe quod eſt creator; tum illis deeſſe, & oportere addi bonitatem?*

Confir. quia dixerunt alii ibidem, *Patrem, quà pater eſt, non eſſe Deum, nec facere miracula, &c.* Sic de filio, & aliis prædicatis; quæ tamen dici poſſent, ſi à parte rei paternitas cum poteſtate, & Deitate confunderetur; ergo licèt à Patribus videatur afferi identitas, ſaltem intelligendi ſunt de identitate *reali*, non *de formali.*

Prob. 4. ratione: de eadem, & una ſimpliciſſima à parte rei formalitate non verificantur prædicata contradictoria, ſed de paternitate, & eſſentia, ac de attributis abſolutis, v.g. de ſapientia, Juſtitia, &c. verificantur prædicata contradictoria, & quidem à parte rei illis convenientia; ergo hæc non ſunt una ſimpliciſſima, & eadem à parte rei formalitas. Patet maj. nam alioqui falſum eſſet illud receptiſſimum, & primum principium totius Philoſophiæ, *impoſſibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſse, ſeu, quodlibet eſt, vel non eſt*, &c. Prob. min. ex citatis Conciliis, & ex veritate receptiſſima, & de fide, *Eſsentia, & Bonitas, & Sapientia communicatur;* Et, *Paternitas non communicatur.* Pater generat, & Eſſentia non generat. (Idem eſt de filiatione, & ſpiratione; & de Filio, & Spiritu Sancto reſpectivè; Filius generatur, & Eſſentia non generatur; Filius generatur per viam intellectus, & non per voluntatem; Spiritus Sanctus ſpiratur per voluntatem, & non per intellectum, &c.) Sed generare, & non generare; communicari, & non communicari, &c. de eodem, & ſimul ſunt purè contradictoria, & quidem à parte rei; ergo de attributis relativis ex una parte, & de eſſentia, & de attributis abſolutis ex alia, verificantur ſimul, & à parte rei contradictoria prædicata.

Dices, ad ſalvandas contradictiones iſtas ſufficere diſtinctionem virtualem eminentialem, *aut rationis ratiocinatæ*, in una, eademque formalitate actuali, & à parte rei indiſtinctiſſima, quatenus ſcilicet illa

ſe

ſe habet in ordine ad cognitionem noſtram, & ad diverſas emanationes, & prædicata, ſicut ſe habent in creaturis diſtinctæ realiter entitates.

Contra 1. quia attributa omnia tum relativa, tum abſoluta ſunt in Deo formaliter, ut probatum eſt ſuprà, non autem ſolùm virtualiter eminenter; ergo diſtinctio virtualis eminentialis non ſufficit.

Contra 2. *quando dico, eſsentia eſt communis, & paternitas non eſt communis*, aliquid ſignificatur à parte rei per eſſentiam, quod non ſignificatur per paternitatem, ſecundum quod illæ propoſitiones ſunt veræ, ita ut contradictoriæ de eiſdem non eſſent veræ: v. g. non eſſet vera hæc, *eſsentia non eſt communis*, nec iſta, *paternitas eſt communis*. Sed ſi paternitas, & eſſentia eſſent à parte rei formalitas eadem, tam iſtæ poſteriores eſſent veræ, quàm illæ priores; ergo à parte rei eſſentia, & paternitas in Deo non ſunt eadem formalitas. Prob. maj. de ſecunda perſona in Deo, tam vera eſt iſta, *verbum generatur*, quàm iſta, *Filius generatur*; quia ſub duobus nominibus Verbi, & Filii, ſignificatur eadem perſona divina; ergo ſi nominibus paternitatis, & eſſentiæ ſignificaretur eadem formalitas, tam vera eſſet hæc, *paternitas communicatur*, quàm iſta, *eſsentia communicatur*; & id à parte rei, & independenter ab illa præciſione intellectus. Idem eſſet de iſtis, *pater generat per intellectum, & generat per voluntatem; quia voluntas, & intellectus eſsent* eadem formalitas à parte rei, & in cognitione divina, quæ non præſcindit, nec diſtinguit indiſtinguibilia, ſed concipit omnia adæquatè, & clariſſimè.

Confir. hæc propoſitio, *eſsentia eſt paternitas*, plus dicit ex parte rei, quàm iſta, *eſsentia eſt eſsentia*; vel *natura*, vel *Deitas*; ergo in Deo, & à parte rei paternitas eſt quid ſuperadditum, & diſtinctum ab eſſentia. Prob. ant. nam prima non eſt identica, benè verò ſecunda, & 3. & 4. quia eſſentia, & natura, & Deitas ſunt Synonyma in Deo, & ſumuntur pro eadem entitate.

Dices 2. ad primam majorem argumenti, quòd illa eſt vera in creaturis propter finitatem; non verò in Deo, in quo eſſentia per infinitatem omnia in-

cludit per ſummam identitatem. Sed

Contra 1. quia apud Adverſarios, paternitas, & intellectus ſunt pariter infinita; ergo quidquid diceretur de uno, poſſet dici de alio, & eſſet æquè verum, aut falſum à parte rei; *perinde eſſet dicere eſſentia generat per voluntatem*, ac *pater generat per intellectum*, *licèt quoad nos id non eſſet verum*; ſed nihil abſurdius admitti poteſt; ergo infinitas eſſentiæ non ſalvat difficultatem. Prob. min. nam ſic confunderentur à parte rei myſteria omnia, quæ fides docet de myſterio Trinitatis, & à parte rei falſa eſſent omnia, quæ concipimus, & credimus de illo; falſæ eſſent iſtæ, & ſimiles propoſitiones, paternitas *non communicatur*; *pater non generat per viam voluntatis*, &c. Nam idem eſſet à parte rei, ac ſic diceremus, pater non generat per intellectum; eſſentia non communicatur; quandoquidem à parte rei eſſentia eſſet ipſiſſima paternitas, & voluntas eſſet ipſe intellectus, & tota diſtinctio, & differentia ſe teneret ex connotatis, & ex modo noſtro concipiendi, qui nihil ponit in re. Quid enim refert ad veritatem, aut falſitatem propoſitionis cum objecto in ſe, quod concipiam illud adæquatè, vel inadæquatè, confusè, aut diſtinctè, & per ordinem ad creaturas, vel ad ſe, & in ſe? veritas propoſitionis attenditur penes conformitatem ejus cum objecto, non autem cum intellectu loquentis. Quando fides aſſerit, quòd Verbum procedit à Patre per generationem, & per intellectum, & quod Spiritus S. procedit à Patre, & Filio per Spirationem, quæ non eſt generatio, & non per intellectum, ſed per voluntatem, non diceret hæc ita eſſe à parte rei, & coram Deo, ſed tantùm ita eſſe à nobis credendum, & loquendum de illis proceſſionibus, & perſonis; quæ quàm abſurda, & falſa, & periculoſa ſint, nemo non videt, ſi non claudit oculos ad lucem.

Præterea; cur dicitur id provenire ex parte noſtra imperfectè, & inadæquatè concipiente Dei eſſentiam, & attributa? Nam 1. quomodo concipi poteſt inadæquatè punctum prorſus indiviſibile? nam vel totum concipitur, vel totum ignoratur. 2. Deus non ſe videt, nec videre poteſt inadæquatè; ergo non videt in ſe differentiam illam proceſſionis Spi-

ritus

ritus Sancti à productione Verbi, quia non videt differentiam ullam, aut diſtinctionem illorum actuum, nec principiorum illorum, ſcilicet intellectus, & voluntatis, nec ab eſſentia, nec à ſe invicem; ergo videt utramque procedere ab eodem indiviſibili principio, quod æquè dici poteſt à parte rei eſſentia, aut paternitas, aut voluntas, aut intellectus.

Prob. 5. illa formaliter ex natura rei diſtinguuntur formaliter, quæ entitatem habent ſeorſim conceptibilem, & definibilem; ſed tales ſunt perfectiones attributales Dei, tam relativæ, quàm abſolutę; ergo &c. Maj. patet, nam definitio explicat naturam rei. Et ſic quæ diverſas habent definitiones, ita & diverſas naturas, & conceptibilitates: prob. min. 1. ex Patribus citatis, maximè ex Auguſtino. [1[*Omnis res, quæ relativè dicitur, eſt aliquid excepto relativo*: ſed pater dicitur relativè, *& Verbum non ad ſe dicitur, ſed tantum relativè ad eum, cujus eſt Verbum, ſicut Filius ad Patrem*; [2] ergo filius, & pater includunt aliquid præter eſſentiam; nam *aliud eſt eſſe Deum, aliud eſse Patrem*, inquit; ergo Deitas eſt ſeorſim conceptibilis, & definibilis à paternitate, & filiatione; & iſtæ non ſunt de conceptu formali eſſentiæ; nec iſta illarum. Relationes ſupponunt eſſentiam, cui adveniunt, & inter ſe ſic opponuntur, ut conſtituant diſtinctas realiter perſonas. Item quoad alia attributa patet ex iiſdem, & ex aliis SS. Patribus, qui dicunt, illa circumſtare eſſentiam, & eſſe ejus qualitates, &c. Item probabitur eadem minor, dum de ſingulis attributis ſpeciales definitiones aſſignabimus, in quibus nec eſſentia, nec illa invicem continentur.

Confir. Sapientia, & bonitas, miſericordia, & juſtitia, ut ſic, & in ſuo genere non ſunt idem formaliter; ſed ut ſic, & in ſuo genere habent diverſos conceptus formales, & definitiones; ergo neque in Deo ſunt idem formaliter. Patet conſeq. nam ſunt in Deo perfectiſſimè ſecundum totam ſuam eſſentiam; ergo cum toto ſuo conceptu formali; ut patet ex dictis ſupra, ubi probavimus attributa, & perfectiones ſimpliciter ſimplices eſſe in Deo formaliter. Hoc enim eſt eſſe ſecundum ſuum conceptum quidditativum,

[1] *7. tri. 1. Ibid. c. 2.* [2] *Ibid. c. 4.* I 3 &

& entitatem ſuam formalem. Prob. ant. Nam nihil habent ampliùs in Deo, quàm in ſuo Genere præter infinitatem, ſeu unitatem in eſſentia Dei, ſed per infinitatem, & unitatem in eſſentia Dei non deſtruitur, nec mutatur, ſed potiùs perficitur natura illorum; Ergo in Deo non ſunt idem formaliter inter ſe. Prob. min. ſi enim per infinitatem mutaretur natura rei, quam afficit infinitas, non eſſet amplius modus ejus, ſed eſſentia: & ſic ſapientia, cui adveniret infinitas, ceſſaret eſſe ſapientia, quod falſiſſimum eſt.

Prob. 6. Intellectus, & voluntas diſtinguuntur à parte rei tum inter ſe, tum ab eſſentia; ergo in divinis datur talis diſtinctio. Prob. ant. 1. quia ſunt principia diverſarum operationum, quales ſunt volitiones, & intellectiones; 2. diverſarum productionum, quarum una eſt formaliter generatio, & alia non, ſed ſpiratio. Filius procedit ut Verbum, ſeu conceptus mentis, Spiritus verò ut donum, & amor; *Exit enim à Patre, & Filio; non quomodo natus, ſed quomodo datus*, inquit Aug. [1] ideo dicitur non generari, ſed procedere; unde ſic argui poteſt: Ubi ſunt diverſæ formaliter, & à parte rei emanationes, ibi ſunt diverſa pariter principia; ſed in Deo ſunt diverſæ emanationes; ſcilicet productio Verbi, quæ eſt generatio, & nativitas, & productio Spiritus S. quæ eſt non generatio, ſed proceſſio, & termini producti ſunt etiam non modo diſtincti, ſed & diverſi, nam terminus generationis eſt Verbum, & terminus ſpirationis eſt Amor; ergo & principia formalia, *Quibus*, ſcilicet intellectus, & voluntas ſunt à parte rei diverſa. Maj. prob. nam *idem formaliter manens idem ſemper natum eſt facere idem*. Ergo idem formaliter principium haberet eandem productionem, & eundem terminum ſuæ productionis. Certè niſi hoc eſſet, numquam ex diverſitate, vel unitate effectuum poſſet cognoſci diverſitas, vel unitas cauſarum; & productio caloris, & ignis poſſet tribui aquæ, & viciſſim.

Dices. Eadem voluntas Dei eſt principium ſpirationis, & creationis, quæ ſunt operationes diverſiſſimæ; & idem ſol indurat lutum, & emollit ceram;

[1] *5. tri. 9.*

ram; ergo falſum eſt illud axioma.

Contra: in creatione, & ſpiratione voluntas reſpicit diverſa objecta, & materias, ſicut & ſol; ergo non mirum, quòd operationes, & producta ſint diverſa; ſed in generatione, & ſpiratione omnia ſunt à parte rei eadem præter intellectum, & voluntatem; ergo ſoli diſtinctioni harum potentiarum tribui debet illarum productionum diverſitas; Prob. ſubſumptum; eſt eadem eſſentia, ut objectum fœcundans intellectum, & voluntatem in utraque productione; quod fortè non poteſt dici de creatione in Deo; nec de virtute indurativa luti, & mollitiva ceræ in ſole: nam forte potentia Dei ad extra diſtinguitur formaliter à virtute ſpirativa, & ſimiliter illæ virtutes in Sole.

Prob. denique, quia ſine iſta diſtinctione formali inter eſſentiam, & relationes, & attributa non poſſunt explicari commodè veritates, quas fides, & Theologia docent de myſterio Trinitatis, & de Deo ipſo; & nulla eſt repugnantia, vel inconveniens eam admittere, & illa uti; ergo admittenda eſt. Patet conſequens: nam debemus admittere in Deo, quæcumque magis decent, & conducunt ad dignitatem ejus, & ad fidem tuendam, & fovendam. 2. pars antecedentis patebit ſolutione objectionum. Prob. quoad 1. ex dictis huc uſque de contradictionibus, & proceſſionibus, de communitate naturæ, & prædicatorum, & attributorum eſſentialium, & abſolutorum, & de incommunicabilitate relativorum, & perſonalium, ſeu notionalium, & de diverſis conceptibus formalibus, & objectivis, ac definitionibus illorum omnium; & de differentia emanationum, ac principiorum eorumdem. 2. ex dicendis circa diverſas propoſitiones, & veritates receptiſſimas, quæ ſine tali diſtinctione ſalvari facilè non poſſunt. Et quidem hæ propoſitiones ab omnibus Patribus, & Theologis juxta principia fidei admittuntur. *Deus eſt Deus ſua Deitate, ſua natura, ſua eſſentia*; & ſunt formales, & conſequenter iſtæ ſunt etiam veriſſimæ; *Deus eſt ſua Deitas*, ſua natura, & ſua eſſentia. Iſtæ verò non eodem ſenſu, & modo admittuntur, *Deus eſt Deus per ſuam ſcientiam, vel miſericordiam, aut juſtitiam*; & omnes fatentur, quòd priora illa

prædicata, *Deitas, natura*, *& eſſentia*, ſunt quidditativa, ſeu dicuntur *in quid* de Deo; iſta verò, *ſcientia*, *miſericordia, juſtitia*, &c. ſunt qualitativa, & dicuntur *in quale*; ideo querenti quid ſit Deus? Rectè reſpondemus, *ſua Deitas, ſua natura*, *ſua eſſentia*, &c. Non ita bene diceretur, *eſt ſua ſapientia, ſua æternitas, ſua juſtitia*. Aut, *eſt ſapiens*, *æternus*, &c. Bene verò, ſi quæratur, qualis ſit Deus? mens eſt Auguſtini. [1] *Si dicam æternus, immortalis, juſtus, bonus, Spiritus, horum omnium noviſſimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam; cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates*; ergo Spiritus eſt prædicatum eſſentiale, & quidditativum Dei; *Juſtus verò, bonus*, & ſimilia ſunt prædicata non eſſentialia, ſive quidditativa, ſed qualitativa, ſed hoc eſſet falſum, niſi daretur ex parte Dei aliqua diſtinctio inter ſignificata hujuſmodi nominum; ergo ſine diſtinctione aliqua à parte rei, qualis eſt noſtra, non poſſunt rectè intelligi, quæ de Deo dicuntur à Theologis, & Patribus.

Prob. Minor; nam ſi à parte rei *Juſtitia, bonitas*, & *Spiritus* & Deitas, eſſent eadem prorſus formalitas, & tam eſſentialiter diceretur *Sapiens*, & *juſtus*, quàm *Deus*, aut *Spiritus*.

2. Docemur ex fide, quòd productio Verbi eſt Generatio, & per intellectum, non per voluntatem, & quòd proceſſio Spiritus S. non eſt generatio, nec per intellectum, ſed per voluntatem, & hæc vera ſunt à parte rei, & Deus ipſe id ita eſſe videt; ergo intellectus, & voluntas in Deo non ſunt eadem à parte rei formalitas, nec idem principium, quod patet ex dictis huc uſque.

3. Docemur; quòd eſſentia eſt una indiviſibiliſſimè in tribus perſonis, nec eſt ratio illarum diſtinctiva; & contrarium aſſeritur de proprietatibus relativis; v. g. de paternitate, & filiatione, & ſpiratione paſſiva, quæ non ſunt communes, ſed diſtinctivæ realiter perſonarum; ergo eſſentia, & paternitas non ſunt à parte rei eadem formalitas, nec poſſunt illæ veritates concipi ſine aliqua tali diſtinctione inter eſſentiam, & illas proprietates, & diſtinctio virtualis, aut rationis non ſufficit, ut probatum eſt.

4. Auguſtinus docet de Patre (ita de aliis) quòd *non*

[1] 15. *Trin.* 6.

non eo pater, quo Deus, nec eo Deus, quo pater eſt eſt; ſed hoc non eſſet verum, ſi Deitas, & paternitas à parte rei eſſent eadem formalitas; ergo neceſſaria eſt talis diſtinctio, ut illa veritas intelligatur.

5. Docemur ex fide, quòd pater, & filius ſunt duæ realiter perſonæ inter ſe diſtinctæ, & unum indiviſibile principium ſpirationis propter unitatem eſſentiæ; & quòd ſunt tres perſonæ realiter in una realiter eſſentia; ergo à parte rei perſonalitates, & eſſentia non ſunt eadem formalitas; alioqui eadem formalitas indiviſibiliſſima, & indiſtinctiſſima eſſet una, & non una; plures, & non plures, quo nihil implicantius dici poteſt de eodem formaliter, & ſimul. Et ſi diſtinctio non eſſet, niſi per intellectum, aut virtualis, illæ propoſitiones non eſſent à parte rei veræ, nec actualiter, ſed tantum virtualiter, & æquivalenter, quod nemo dixerit, quia propoſitio, ut ſit vera, debet enuntiare de objecto, non qualiter concipitur ab intellectu, ſed qualiter eſt in ſe.

6. Aliqua prædicata conveniunt uni perſonæ, quæ non conveniunt alteri; v. g. de Patre dicitur, quòd eſt innaſcibilis, ingenitus, &c. De filio, quod ſit natus, & genitus; de Spiritu Sancto, quòd ſit procedens, ſed non genitus, & hæc ſic dicuntur, non ratione eſſentiæ, quæ eſt uniſſima in tribus, ſed ratione paternitatis, & filiationis, & ſpirationis, & quidem à parte rei; ergo paternitas, & filiatio, & ſpiratio non ſunt eadem formalitas cum eſſentia, de qua, aut ratione cujus illa prædicata non poſſunt dici de illis. Idem eſt de Aſſeitate, quæ convenit Patri, de eſſe à Patre, quod dicitur de Filio, & de eſſe à Filio, & Patre quod convenit Spiritui Sancto. Idem eſt de prioritatibus originis, quæ conveniunt eiſdem reſpectivè; ergo à primo ad ultimum, per diſtinctionem ex natura rei formalem meliùs explicantur illæ veritates, quas fides, & Theologia docet de Deo, & Trinitate. Reſtat videre 2. p. principalis antecedentis; ſcilicet, quod nullum ſit inconveniens eas explicare per talem diſtinctionem.

QUÆSTIO III.

An diſtinctio formalis ex natura rei repugnet Deo, ejuſque Unitati, ac Simplicitati: ubi ſolvuntur objectiones contra illam.

JAm vidimus in Metaphyſica, quòd diſtinctio formalis noſtra non officiat ſimplicitati, nec inducat per ſe compoſitionem ullam phyſicam, vel metaphyſicam; ſed tamen, quia hinc ſumunt Adverſarii principale argumentum contra nos, oportet illud examinare paulò attentiùs inter cæteras objectiones, quibus nos impetunt; & incipimus ab argumentis ex Scoto, ſeu armis domeſticis; tum ex Conciliis, & Patribus; tum ex ratione.

Objic. 1. Scotus non admittit in Deo diſtinctionem actualem realem: ſed hæc diſtinctio noſtra eſt actualis, & realis; nam opponimus eam virtuali, & rationis; ergo ex Scoto non datur in Deo hæc diſtinctio. Prob. maj. nam quærit Scotus; [1] *Numquid hæc diſtinctio dicatur realis?* Et reſpondet: *Non eſt propriè realis actualis; nec realis potentialis... poteſt autem vocari differentia rationis.... vel alio modo, poteſt vocari differentia virtualis; quia illud, quod habet talem diſtinctionem,* (nempe Deus) *non habet in ſe rem, et rem, ſed eſt una res habens virtualiter, ſive eminenter quaſi duas realitates;* ergo vel Scotus ſibi contradicit, vel non admittit in Deo, niſi diſtinctionem rationis, aut virtualem, & ſic convenit cum Thomiſtis, aut Neotericis. Ideo Suarez dicit, ſenſum Scoti eſſe incertum, & verba ejus trahenda in meliorem.

Reſp. diſt. maj. non admittit diſtinctionem *realem actualem* propriè, qualis eſt *inter rem, et rem*, con. *realem actualem*, minùs propriè, ſcilicet inter realitates, ſeu formalitates, ſeu entitatem, & qualem hîc aſſerimus, neg. maj. Scotus negat in Deo diſtinctionem realem actualem in rigore, qualis ſuo tempore dicebatur inter rem habentem propriam exiſtentiam; & reſpectivè ad iſtam diſtinctio noſtra formalis dici poteſt rationis: *non quod ratio accipia-*

[1] 1.*d*.2.*q*.7.*GG*.*n*.43.1. *d*.2.43.

piatur pro differentia formata ab ipſo intellectu, inquit, *ſed ut ratio accipitur pro quidditate*. Et ſic illa diſtinctio eſt inter diverſas rationes, ſeu quidditates, ſeu entitates habentes diverſas definitiones. *Similiter non eſt inter rem, et rem, actualiter* exiſtentes ſeorſim; Deus enim eſt *res una habens virtualiter, ſive eminenter quaſi duas realitates*; (nota Verba ſequentia.) *Quia utrique realitati* (ergo ſunt duæ) *ut eſt in illa re* (v. g. in Deo) *competit illud proprium, quod ineſt tali realitati, ac ſi ipſa eſſet res diſtincta; iſta enim realitas* (v.g. paternitas) *diſtinguit* (Patrem à filio) *et illa*, (ſcilicet eſſentia) *non diſtinguit; ſicut ſi ita eſſet una res, et illa eſſet alia res*; ergo non legunt, aut non intelligunt Scotum, qui vel non ſibi conſtantem dicunt, vel cum Gilberto errare putant, qui docebat, teſte Concilio Rhemenſi, quòd *tres perſonæ tribus unitatibus ſunt tria*, &c.

Objic. 2. ex Conciliis 1. ex Concilio Rhemenſi ſub Eugenio III. determinatur, *quòd in Deo non ſit aliqua ratio, quæ inter eſſentiam, et perſonas dividat*. Et clariùs Florentinum ſub Eugenio IV. *Divina ſubſtantia, et hypoſtaſis re quidem ſunt idem; ſecundum autem modum noſtri intellectus differre videntur*; ergo ex illis Conciliis non eſt ulla ratio, ſeu formalitas à parte rei in perſonis divinis, quæ illas diſtinguat ab eſſentia; ſed pura diſtinctio rationis, & ſecundum modum noſtrum concipiendi; ergo diſtinctio formalis inter eſſentiam, & attributa eſt contra definitionem Eccleſiæ in illis Conciliis.

Reſp. neg. utramque conſeq. nam Scotus, & Scotiſtæ per diſtinctionem formalem non invehunt diſtinctionem numericam, quæ eſt realis, & inter res, & res; ſed potiùs ſummam identitatem; Concilium enim Rhemenſe loquitur contra Gilbertum, [1] dicentem, quòd *relationes in divinis ſunt aſſiſtentes, ſive extrinſecus affixæ*, inquit S. Tho. Verba autem ex Florentino data non ſunt ipſius Concilii, ſed Joannis cujuſdam ibidem, non definientis, ſed conſultantis, & perorantis, & maximè qui cùm Dominicanus eſſet, Thomiſtam agebat, & quidem cum Græcis diſputabat, qui diſtinctionem Scotiſticam for-

[1] 1.p.q.28.a.2.

malem non noverant. Præterea fatemur attributa, & relationes eſſe rationes formales diverſas, ſed objectivas, & independentes ab operatione intellectus; & Concilium illud hìc loquitur, ut excludat diſtinctionem realem, non formalem. Imò ille, qui pro Græcis diſputabat, majorem agnoſcebat diſtinctionem, quàm ſit formalis; nam ſimilem illi dicebat, quam admittimus inter naturam ſingularem, & ſubſtantiam ſuam; *quæ diſtinctio eſt realis modalis*. Conſtat differre ſimpliciter, ut commune differt à proprio (*hanc dicimus formalem*) *& quemadmodum humana ſubſtantia à perſona ſua differre videtur, ut vos quoque differre cenſeo*, inquiebat ille Græcus, Marcus nomine, & Epiſcopus Epheſinus.

Inſt. Andreas Epiſcopus Coloſſenſis dicit, [1] quod *plurimum refert, ſimpliciter proferre divinam ſubſtantiam, ac Patris, filiique ſubſtantiam; haudquaquam tamen differre creduntur*; Latini verò profitentur; [2] *ne identitatem, conjunctionemque divinæ ſubſtantiæ diſtribuere, non autem ſola ratione ab hypoſtaſibus, & perſonis differre credere videamur*; ergo tam Græci, quàm Latini ſolam diſtinctionem rationis admittunt inter eſſentiam, & hypoſtaſes, ſeu perſonas.

Reſpondeo diſt. conſ. ſolam diſtinctionem rationis, prout opponitur reali, qualis eſt inter ipſas perſonas, con. conſ. prout opponitur diſtinctioni à parte rei inter rationes, ſeu formalitates præſcindentes, & ſeorſim conceptibiles, ac definibiles, neg. conſ. & hoc patet ex terminis, quibus Concilia illa utuntur; nam dicunt ſe indiviſibilitatem eorum (*ſcilicet Patris, & Filii*) *ſubſtantiæ ab hypoſtaſibus profiteri. Qui vero proferunt Spiritum Sanctum ex ſola Patris perſona procedere, hi procul dubio ſubſtantiam ab hypoſtaſi ſeparant, & partitionem imaginantur divinæ ſubſtantiæ; quod à ratione, fideque valdè alienum piè creditur eſſe*. Quis ergo non videat, quòd diſtinctio noſtra formalis nullam prorſus *ſeparationem*, vel *partitionem* inducit: & quòd hæ voces ſapiunt diſtinctionem realiſſimam? Porrò omnibus legentibus eam litem inter Latinos, &

[1] *SS. 19.*
[2] *SS. ult.*

& Græcos patebit luce clarius, per diſtinctionem rationis hypoſtaſis ab eſſentia non poſſe intelligi puram præciſionem formalem, ut vocant, ſeu per intellectum, & abſque ullo fundamento ex natura rei.

Id confirmatur ex verbis Marci Epheſini, quibus non contradixit Joannes Theologus diſputans pro Latinis.

Conſtat, inquit, *ſubſtantiam, & perſonam differre ſimpliciter, ut commune differt à proprio, ut magnus Baſilius ad ſuum fratrem Gregorium ſcribit, & quemadmodum* (ut utar exemplo vulgari) *humana ſubſtantia à ſua perſona differre videtur, at vos quoque* (Latinos) *ſentire cenſeo*, &c. Nos certè tantam diſtinctionem admittere non auderemus inter eſſentiam, & perſonas divinas; quippe in creatis perſonalitas à natura eſt ſeparabilis, non in Deo; ergo ex Conciliis nihil habetur contra nos, ſed potiùs pro nobis.

Objic.3. ex SS. Patribus, quidquid eſt in Deo, eſt Deus; ſed Deus eſt totum, quidquid eſt, & hoc formaliter, & à parte rei; ergo nulla eſt diſtinctio à parte rei in Deo. Prob. maj. 1. ex D. Anſelmo. [1] *Sicut unum eſt, quidquid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur, ita ipſo uno modo, una conſideratione eſt, quidquid eſt eſſentialiter .... nihil de ejus eſſentia dicitur in eo, quod qualis, vel quanta; ſed in eo quidquid eſt*. Vides omnia prædicari *in quid*. Aug. [2] docet *hoc illi eſſe, quod magnum, quod bonum eſſe*. Et alibi, [3] *Deus eo ipſo, quo eſt, vivit, & eo, quo vivit, intelligit, & eo, quo intelligit, poteſt, & eo, quo poteſt, eſt, quia ſimplex Deitatis natura unum habet eſſe*, &c. ergo omnia illa prædicata ſunt de quidditate, & conceptu formali eſſentiæ, & illa de ſe invicem dicuntur ſimiliter. Quod confirmat dicens, *non aliud eſt Sapientia, alind eſſentia, cui hoc eſt eſſe, quod ſapientem eſſe*; & alibi, [4] *non alio magnus, alio Deus, ſed eo magnus, quo Deus*, &c. ergo nulla alietas inter Deitatem, & attributa. Id etiam dicit Richar-

[1] *Monol.*16. [2] *7. de Trin.*6.qq.
[3] *de Trin.*
[4] 15. *de Trin.*5.

chardus, *ipſa primordialis ſubſtantia idem omninò, quod ſumma Sapientia eſt*; & Nyſſenus, *eſt ille ipſe, qui prorſus eſt Sapientia, & juſtitia, & ipſa veritas, & ſigillatim omnia*. Imò & ſolam diſtinctionem nominalem agnoſcunt, denique licèt admitteretur aliqualis diſtinctio inter eſſentiam, & relationes, qualis eſt Paternitas, non tamen inter attributa, qualis eſt Sapientia. *Pater non ex eo pater, quo Deus; eo tamen Deus, quo ſapiens*, inquit Auguſtinus. [1]

Reſp. neg. ant. & conſeq. prob. nam per illas omnes, & ſimiles locutiones Patrum excluditur ſola diſtinctio realis, quæ ſimplicitati divinæ officit; alioqui & ipſa *virtualis*, atque *rationis ratiocinatæ* deberent excludi, quod non admittent Thomiſtæ, nec alii plurimi ex Adverſariis. Hanc eſſe SS. Patrum mentem colligimus ex aliis eorumdem ſententiis adductis pro noſtra ſententia. Addo Richardum dicentem, *quid mirum, ſi ibi concordes, & in unum concernat identitas cum multiplicitatis infinitate?* Quid clarius ad conciliandam diſtinctionem noſtram ex natura rei formalem cum identitate reali? quod confirmat Aug. *Deum* dicens *ſimplicem multiplicitatem, & multiplicem ſimplicitatem, eſt enim multiplex*, inquit, *quoniam multa ſunt, quæ habet*; ſimplex autem, *quoniam non aliud, quàm quod habet*. Aug. [2] præcipuè ideo dicit, quod *non eodem Deus, quo pater, ſed quod eo magnus, quo Deus*; quia non eodem modo paternitas prædicatur de Deo, quo magnitudo. Iſta eſt communis, & ſe tenet ex parte eſſentiæ, non illa.

Inſt. quando Patres non ſtrictè adeo loquerentur de Dei unitate cum ſua ſapientia, & bonitate, ſi ſolam realem diſtinctionem excluderent, ergo excludunt quamlibet aliam, quàm rationis.

Reſp. neg. conſ. nam ſic loquebantur, ut per quandam exaggerationem, & quaſi per exceſſum meliùs aſſererent ejus ſimplicitatem; ſicut in moralibus ſolent aliqualiter excedere ultra medium, ut faciliùs, & fortiùs commendent medium virtutis: Sic agentes contra Hæreticos invehentes multiplicitatem realem rerum, aut ſubſtantiarum; ut cùm Bernardus diſputat contra Gilbertum, & cùm Auguſtinus dicit, quòd non

[1] 7. *de Trin.* 2. [2] 2. *de Trin.* 21.

non eo pater, quo Deus, eo tamen Deus, quo ſapiens; ſic loquitur, ut aſſerat majorem diſtinctionem inter eſſentiam, & relationes, ſeu perſonalitates, quàm inter eandem, & attributa; illa formalitas, qua eſt pater, non eſt eſſentialis, ſed notionalis, ſapientia verò eſt attributum eſſentiale, id eſt ſe tenens ex parte eſſentiæ, & ideo communis eſt tribus perſonis, ſicut & ipſa eſſentia.

Objic. 4. omnis diſtinctio realis in Deo repugnat ſimplicitati ejus; ſed hæc diſtinctio eſt realis; ergò repugnat Dei ſimplicitati. Prob. maj. ubi eſt multitudo realis, ibi eſt compoſitio vel per ſe, vel per accidens; ſed utraque repugnat ſummæ ſimplicitati; ergo, &c. Prob. maj. illa multa uniuntur vel tanquam partes totius eſſentialis, ut genus, & differentia, ut materia, & forma; vel totius integralis, ut unitates numeri; vel tanquam aggregatum ex pluribus entibus in ſe completis, ut lapides in acervo; vel tanquam ſubjectum, & accidens, ut paries, & albedo: Sed hæc omnia inducunt compoſitionem repugnantem ſimplicitati; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. omnis diſtinctio realis inter rem, & rem, conc. formalis, quæ eſt ſolùm inter entitates, realitates, & formalitates, neg. maj. & conſ. nam iſta ſtat cum perfectiſſima identitate reali, & cum ſumma ſimplicitate.

Inſt. 1. vera compoſitio nihil eſt aliud, quàm diſtinctorum unio; ergo qualis eſt diſtinctio, talis eſt compoſitio, ſed iſta diſtinctio eſt realis, ſeu à parte rei; ergo & compoſitio.

Reſp. diſt. maj. ſeu 1. ant. unio diſtinctorum verè componibilium, conc. ant. diſtinctorum quorumcumque, & quomodocumque, neg. ant. & ſic diſt. ſubſumptum. Eſt diſtinctio realis, ideſt à parte rei inter entitates realiter identificatas, & ſummè actuales, & infinitas, quarum nullæ ſe habent, ut actus, & potentia, con. inter res componibiles, quæ ſe habent invicem, ut actus, & potentia, ſive ut perfectibiles, & perfectivæ, aut ſunt in ſe limitatæ, neg. ſubſumptum, & conſ. nam eſſentia, & attributa omnia ſunt ſic diſtincta, ut ſint etiam realiter idem eſſe, & ſunt de ſe actualiſſima, nec ſe habent ad invicem ut perfectibile, & perfectivum, ne relatio-

nes

nes, quidem licèt ex ſe non ſint infinitæ poſitivè. Ideo non faciunt cum eſſentia unum unitate compoſitionis, vel unionis, ſed identitatis, & ſimplicitatis.

Inſt. 2. ſaltem faciunt unum per accidens, & unitate aggregationis: ſed hæc non minùs repugnant Deo; ergo nulla ſolutio. Prob. maj. quò magis unita, ſeu extrema diſtinctionis ſunt actualia, & in ſe perfecta, eò minor erit unitas, & major aggregatio; ſed illæ formalitates ex conceſſis, ſunt actualiſſimæ; ergo minimè faciunt unum per ſe, ſed per accidens, & unitate aggregationis.

Reſp. n. 1. maj. & diſt. 2. ſi ſint unita per unionem, & per modum partium alicujus totius, conc. maj. & neg. min. ſi ſint unita per identitatem realem, nec ſe habeant ad invicem per modum partium in ordine ad aliquod totum, neg. maj. & conſ. nam relationes, & attributa divina tam inter ſe, quàm cum eſſentia ſunt unum per ſummam identitatem realem, nec ſe habent ad invicem, ut partes phyſicæ, nec metaphyſicæ.

Inſt. 3. identitas realis inter genus, & differentiam non impedit compoſitionem metaphyſicam, & ſufficit diſtinctio formalis inter illa; ergo ita eſſet in Deo, ſi eſſentia, & attributa diſtinguerentur à parte rei formaliter.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia cùm genus, & differentia in creatis ſint in ſe limitata, & ſe habeant ad invicem ut actus, ſeu perfectivum, & ut potentia, ſeu perfectibile, ideò non perfectè identificantur, utrumque eſt finitum, & ſic neutrum ſibi ex ſe identificat aliud. Contrarium eſt in Deo, nam eſsentia per infinitatem exigit ſibi identificare relationes, & attributa; & attributa abſoluta per ſuam pariter infinitatem inter ſe identificantur.

Inſt. 4. ideo animalitas eſt in potentia ad rationalitatem, & facit compoſitionem metaphyſicam, quia inter ſe diſtinguuntur: ſed ſimiliter diſtinguerentur attributa inter ſe, & ab eſſentia Dei; ergo ſimiliter eſſent potentia, & actus, & ſimilem compoſitionem facerent.

Reſp. neg. maj. nec enim vera eſt abſolutè cauſalis; non exprimit totam, & præciſam cauſam potentialitatis, & compoſitionis; præcipua enim cauſa ejus

eſt

eſt limitatio generis, & differentiæ, ex qua fit, ut non perfectè identificentur realiter. Non ita eſt in divinis, ubi eſt perfecta identitas realis, propter infinitatem eſſentiæ, & attributorum abſolutorum.

Inſt. 5. qualis eſt diſtinctio entitatum, talis eſt potentialitas, & compoſitio; ſed in Deo eſſet diſtinctio ſaltem formalis à parte rei; ergo & compoſitio formalis. Prob. maj. nam compoſitio proportionatur diſtinctioni entitatum unitarum.

Reſp. neg. maj. ſola enim diſtinctio realis arguit potentialitatem, & componibilitatem, & opponitur ſimplicitati, formalis verò minimè, nam excludit tantum identitatem oppoſitam, non verò identitatem realem, nec per conſequens ſimplicitatem.

Inſt. 6. ſaltem eſſet compoſitio metaphyſica accidentalis, qualem facit riſibilitas cum humanitate; ſed hoc arguit potentialitatem in natura; ergo & in Deo. Prob. maj. quod intelligitur advenire eſſentiæ in ſuo eſſe completæ, advenit illi, ut accidens metaphyſicum, & eam perficit accidentaliter; ſed attributa ſic advenirent eſſentiæ divinæ, ſi ab ea excluderentur formaliter, nam illam ſupponerent in ſuo eſſe eſſentiali conſtitutam, ſicut riſibilitas in humanitate; ergo eam perficerent accidentaliter.

Reſp. 1. eos, qui diſtinctionem rationis, aut virtualem admittunt, admittere parem cum proportione compoſitionem, & potentialitatem, & ſi hæc repugnat Deo, ita etiam illa diſtinctio rationis, aut virtualis; nam Deus debet eſſe actus ſimpliciſſimus virtualiter ſecundum rationem.

Reſp. 2. diſt. maj. ſi accidens ſumatur pro eo omni, quod eſt formaliter extra quidditatem rei, con. maj. & neg. min. ſi pro eo, quod ab extrinſeco advenit rei in ſuo eſſe completæ, neg. maj. & conſ. alioqui relationes paternitatis, & filiationis, & ſpirationis paſſivę, & activę, quæ apud Adverſarios, & omnes Theologos ſunt extra rationem eſſentiæ, dicerentur accidentia, quod ipſi non admittent. Relationes igitur ob id ſolum, & eo ſenſu dici poſſunt quaſi accidentia, quia non ſunt de conceptu formali eſſentiæ, nec in eo includuntur; ſed quaſi fluunt ab illa, & ſunt circa illam, ut loquuntur SS. Patres: nec ſub illa ratione, & ſenſu opponuntur

tur

tur ſummæ ſimplicitati Dei; quia eſſentia non ſe habet ad ea velut quid potentiale, & perfectibile, ſed ut quid actualiſſimum, & perfectiſſimum, quod eſt radix per ſuam infinitatem illarum relationum, & perfectionum per ineffabilem emanationem.

Inſt. denique ſaltem in eo priori, in quo concipitur eſſentia, ut non includens attributa, eſſet in potentia ad illa; ergo & imperfecta, & perfectibilis ſaltem accidentaliter.

Reſp. 1. idem objici poſſe in aliis diſtinctionibus, ut patet. Reſp. 2. neg. conſ. quia in illo priori continet ea radicaliter unitate, & identitate reali, quod ſufficit ad excludendam veram potentialitatem.

Objic. 5. debet agnoſci in Deo ſumma ſimplicitas, & unitas; ſed diſtinctio formalis ex natura rei impedit, ne ſimplicitas, & unitas ſit ſumma; ergo non eſt admittenda in Deo. Prob. min. eò major eſt ſimplicitas, & unitas, quò minor eſt unio, & multitudo, & ſimplicitas, & unitas ſumma excludit vel minimam diſtinctionem, & pluralitatem; ſed poteſt dari minor diſtinctio, & multitudo, quàm formalis ex natura rei; ergo cum illa diſtinctione non ſtat ſumma unitas, & ſimplicitas.

Reſp. diſt. maj. ſumma unitas poſſibilis in Deo, conc. maj. & neg. min. ſumma abſolutè, & imaginabilis, neg. maj. & conſ. non eſt poſſibilis in Deo major ſimplicitas, & unitas, quàm quæ excludit omnem multitudinem, & diſtinctionem realem inter eſſentiam, & relationes, & ipſa attributa. Imò retorqueri poſſet argumentum in adverſarios; nam ſi minima excogitabilis identitas, & unitas eſſet in Deo, non eſſet ibi Trinitas perſonarum realiter diſtinctarum: magis diſtinguuntur perſonæ inter ſe, quàm formaliter, & tamen illa diſtinctio non negatur in Deo; non debet igitur in Deo negari omnis diſtinctio imaginabilis, ſed poſſibilis cum ejus perfectione. Multitudo autem, & diſtinctio formalis perfectionum, ſicut & realis perſonarum non eſt incompoſſibilis cum ejus perfectione, & ſimplicitate, & unitate ſumma.

Imò etiam hoc argumentum retorqueri poſſet in Thomiſtas, & Jeſuitas; nam certum eſt, quòd diſtinctio virtualis, & rationis fundatæ, ſeu ratiocina-

tæ

tæ excludit majorem unitatem, & identitatem, quàm purè nominalis, aut purè formalis, ſeu rationis: & tamen illas aſſerunt, & non putant iſtas ſufficere ad ſalvandas veritates, quas Fides docet de hoc myſterio. Igitur poſſet excogitari ſtrictior unitas, ſed non nobilior, nec dignior Deo.

Objic.6. perfectiones diſtinctæ, & diſperſæ in entibus inferioribus colliguntur in ſuperioribus, & perfectioribus; ſed ſapientia, bonitas, miſericordia, & aliæ perfectiones attributales ſunt diſtinctæ in creaturis; ergo debent eſſe collectæ, & unum quid in Deo. Prob. maj. ſenſationes colorum, ſonorum, & ſaporum, &c. quæ diſtinctæ ſunt, & diviſæ ſingulis ſenſibus, colliguntut in unum in ſenſu communi, & adhuc perfectiùs in anima, vegetativum plantarum, & ſenſitivum brutorum uniuntur in homine: virtus calefactiva, exſiccativa, & liquefactiva, quæ diſperſæ ſunt in aere, aqua, & igne, uniuntur in Sole, in quo non diſtinguuntur formaliter; ergo à fortiori virtutes illæ in Deo.

Reſp. diſt. maj. colliguntur eo modo, quo uniri poſſunt ad majorem perfectionem entis ſuperioris, con. purè, & aliter, quàm patiatur perfectio naturalis illius entis ſuperioris, neg. maj. & conſ. utriuſque argumenti. Nam quia ad perfectionem Dei facit, quòd attributa, & perfectiones diſperſæ in creaturis ſint in eo formaliter eminenter, non verò tantùm per intellectum, & per imaginationem, aut virtualiter, ſicut ſenſitivitates ſenſuum particularium uniuntur in ſenſu communi, & in anima, & virtutes calefactiva, & exſiccativa in Sole, ſic ſufficit, quòd in Deo illæ perfectiones uniantur realiter, non verò formaliter, alioqui amitterent in illo propriam rationem, & perfectionem, quam habent in proprio genere, quod repugnat infinitæ ejus perfectioni, ac naturæ, quod maximè patet de intellectu, per quem generatur Verbum, & voluntate, per quam procedit Spiritus Sanctus.

Inſt. ipſa infinitas perfectionis eſſentiæ petit illam incluſionem, & unionem omnium perfectionum ſimpliciter ſimplicium per ſummam identitatem; ſed ſic non includeret illas, ſi eſſent diſtinctæ formaliter; ergo illa diſtinctio repugnat infinitæ eſſentiæ.

tiæ. Probatur maj. alioqui non eſſet pelagus omnium perfectionum poſſibilium, nec majus, quod excogitari poteſt, ut loquuntur SS. Patres, quia eas non includeret in ſuo eſſe eſſentiali, ſeu formali, & primario; non eſſet infinita, ſed limitata in ſuo eſse eſſentiæ, quod non contineret illas perfectiones; ergo infinitas eſſentiæ divinæ petit omnimodam identitatem cum perfectionibus attributalibus.

Reſp. 1. retorquendo argumentum. Quando dicis, & concipis eſſentiam divinam, ut ratione, aut virtualiter diſtinctam ab attributis, vel illa in ea præciſione eſt infinita, vel finita; ſi eſt finita; ergo tua illa diſtinctio tam eſt injurioſa Deo, quàm noſtra; ſi eſt infinita; ergo infinitas eſſentiæ non dependet ab identitate rationis, vel virtuali cum attributis, & ſufficit realis identitas, quam etiam nos aſſerimus ſtare cum formali diſtinctione.

Reſp. 2. diſt. maj. per ſummam identitatem realem, quæ decet eſsentiam ejus, & perfectionem eſsentialem, conc. per ſummam formalem identitatem, & quæ non deceat perfectionem ejus ſummam, neg. maj. & diſt. min. non ſic includeret formaliter, nec modo dedecenti perfectionem ejus ſummam, conc. min. realiter, & modo decenti, neg. min. Ad infinitatem eſsentiæ jam diximus, & dicemus ſuo tempore, ſufficit, quòd in ſua entitate eſsentia ſit infinita, & identificet ſibi realiter omnem perfectionem poſſibilem. Dico *realiter*, non autem *formaliter*, quia ad illam perfectionem requiritur, ut includat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem ſecundum eſse ſuum formale, & eas omnes emittat, velut earum radix fœcunda. Hoc ſenſu dicitur Pelagus, in quod & fluunt omnia, & ex quo illa fluunt. Perfectiones verò ſecundum quid, & non ſimpliciter ſimplices continet virtualiter eminenter tantùm, & non formaliter.

Objic. 7. Eſsentia, prout præſcindit ab attributis, v. g. à ſapientia, vel eſt ſapiens, vel inſipiens, vel non ſapiens: item vel ſuperior, vel inferior, vel æqualis illi. Sed nullum horum dici poteſt; ergo nullo modo præſcindit. Probatur min. hæc enim omnia repugnant in Deo, ut patet ex terminis.

Reſp. neg. maj. nam, ut ſæpè in ſimilibus argumen-

tis

tis diximus in Philoſophia, eſſentia Dei in illo ſtatu præciſionis formaliter, & explicitè eſt eſſentia divina; ſicut in ſimili ſuppoſitione humanitas eſt humanitas, equinitas eſt equinitas. Idem dicant neceſſe eſt ipſi adverſarii quacumque utantur diſtinctione in divinis, ſive virtuali, ſive rationis.

Inſt.1. ſapientia Dei in ſuo conceptu formali, & præcisè vel eſt Deus, vel non eſt, ſi eſt; ergo includit formaliter eſſentiam; ſi non eſt; ergo eſt creatura; quia non datur medium inter Deum, & creaturam.

Reſp.1. quærendo ab adverſariis, quid dicerent de ſapientia, ut præciſa per intellectum in ſua diſtinctione formali rationis?

Reſp.2. Sapientiam, ut ſic præciſam, vel diſtinctam eſſe ſapientiam, ut dicebamus mox de eſſentia; importat ſua prædicata formalia, & quidditativa, & nihil aliud: Deitas enim non intrat prædicata ejus eſſentialia.

Inſt. 2. ſi unum attributum non includeret aliud formaliter, & in ſuo conceptu quidditativo, non prædicarentur de ſe invicem, nec de eſſentia in abſtracto; ſed ſic prædicantur: Nam hæc propoſitio eſt vera, & formalis, *Sapientia eſt juſtitia*; ergo ſe ſe includunt formaliter. Prob. maj. prædicatio in abſtracto non eſt vera, niſi ſit in primo modo dicendi per ſe, nam abſtractum, ut tale, præſcindit ab omni eo, quod non eſt de ejus quidditate, ſcilicet ut definitio, vel pars definitionis; ergo niſi ſe includerent, non prædicarentur de ſe invicem in abſtracto.

Reſp. diſt. maj. non prædicarentur de ſe invicem formaliter, conc. identicè, neg. maj. & diſt. min. ſic prædicantur, ſcilicet identicè, con. formaliter, neg. min. id enim falſum eſt. Prædicantur identicè, quia identificantur in eſſentia, & ratione ſuæ infinitatis.

Inſt.3. propter infinitatem debent ſe ſe includere, ergo prædicantur formaliter. Prob. ant. infinitum debet includere omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem; ergo, &c.

Reſp.diſt.ant.utrumque.Includere realiter,& identicè, con. formaliter, neg. ant. ſufficit, ut infinitum iden-

identicè contineat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem.

Inſt. 4. quodlibet attributum includit formaliter infinitatem; ſed infinitum eſt attributum; ergo unum attributum includit formaliter aliud.

Reſp. diſt. maj. infinitatem propriam, quæ eſt modus intrinſecus ſingulorum, con. maj. & neg. min. infinitatem alterius attributi, neg. maj. & conſ.quodlibet attributum habet propriam infinitatem in ſuo genere, velut modum ſibi intrinſecum, v. g. Sapientia ſuam habet infinitatem, intellectus ſuam, non verò infinitatem potentiæ, niſi identicè.

Inſt.5. niſi una perfectio includeret aliam formaliter in ſua infinitate, eſſet in ſe limitata, non infinita; ſed conſ. eſt falſum, & contradictorium, ergo &c. Prob. maj. ſapientia eſſet limitata per potentiam, & viciſſim potentia per ſapientiam, quam non haberet; nam omnis diſtinctio limitat unum extremum per aliud; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. & diſt. rationem ejus. Omnis diſtinctio realis, con. formalis, neg. quia realis importat excluſionem unius per aliud: formalis verò importat ſolam alietatem rationis formalis unius ab alia, & hæc alietas ſtat cum perfectiſſima identitate reali. Igitur bonitas infinita identificat ſibi realiter, non formaliter ſapientiam infinitam.

Objic.8. Paternitas non diſtinguitur ab eſsentia; ergo nec alia attributa. Prob. ant. Deitas eſt de eſſentia Patris: ergo & paternitatis. Prob. conſ. Concretum in Deo nihil dicit, quod abſtractum non habeat, & hoc propter ſuam ſimplicitatem.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. & diſt. rationem ejus, quod abſtractum non habeat identicè, & realiter, con. formaliter, neg. alioqui non eſſet abſtractum. Paternitas importat relationem, per quam eſſentia determinatur, & ſubſiſtit in prima perſona, & filiatio in ſecunda, & per illas diſtinguuntur inter ſe, non per eſſentiam; ergo important aliquid formaliter præter eſſentiam.

Objic. 9. Deus perfectiſſimè cognoſcit eſſentiam ſuam: ſed non poteſt cognoſcere illam, niſi ut includentem eſſentialiter ſapientiam, bonitatem, & alia attributa; ergo ſic includit. Prob. min. quæ diſtin-

guun-

guuntur, ſunt ſeorſim adæquatè conceptibilia: ſed Deus non poteſt adæquatè cognoſcere ſuam eſſentiam ſine attributis; ergo, &c Prob. min. ſic enim illa cognitio eſſet abſtractiva, & inadæquata; ſed hoc repugnat Deo, ergo,&c.

Reſp. diſt. min. 1. & 2. argum. cognoſcere comprehenſivè, con. quidditativè, neg. min. & conſ. & diſt. maj. 3. eſſet inadæquata extenſivè, con. intenſivè, & quoad quidditatem, neg. maj. Dei cognitio, ut comprehenſiva, eſt ampliſſima, & extenditur ad omnia prædicata eſſentialia, & attributalia ſua; ſed illa cognitio, quia eſt infinita, & diſtinctiſſima, cognoſcit illa omnia prædicata, qualia ſunt in ſe formaliter ſecundum propriam ſingulorum quidditatem, ſecundum quam non ſe includunt, & ſecundum realem connexionem, per quam ſunt unus actus perfectiſſimus.

Objic. denique, rationes entis, ſubſtantiæ, ſpiritus, & vitæ non diſtinguuntur formaliter à parte rei in Deo; ergo nec relationes, nec attributa. Prob. ant. tam benè poteſt dici: *Deus non eo Deus, quo eſt ens, vel ſubſtantia*, &c. quàm dicitur, *non eo Deus, quo eſt pater, vel ſapiens*, &c. Sed ideo dicimus eſſentiam diſtingui à relationibus, & attributis, quia poteſt dici, quòd *non eo eſt Deus, quo eſt pater*, vel *quo eſt ſapiens*; ergo ſi relationes, & attributa diſtinguuntur formaliter, ita & ratio entis, ſubſtantiæ, ſpiritus, &c. Confir. quia tam de ratione entis, & Deitatis verificantur contradictoria, quàm de eſſentia, & paternitate ens communicatur Deo, & creaturæ, & Deitas non communicatur; ergo ſi iſta propter communicari, & non communicari diſtinguimus formaliter, ita & illa.

Reſp. neg. conſ. & diſt. min. prob. non eodem eſt Deus, quo eſt ens per intellectum, & adæquatè, conc. à parte rei, & inadæquatè, neg. min. Deus adæquatè, & à parte rei eſt formaliter ipſum *ens*, *ſubſtantia*, *ſpiritus*, &c. Sed quoad modum noſtrum concipiendi non eodem planè, & adæquatè eſt Deus, quo eſt ens, &c. Ratio diſparitatis eſt clara, nam ratio entis, ſubſtantiæ, &c. ingrediuntur quidditatem Dei, illamque quaſi conſtituunt; attributa verò illam quidditativè conſtitutam ſupponunt, & ſic conſti-

ſtitutam circumſtant. Dico, *quaſi conſtituunt*, nam in Deo non conſtituunt propriè, ſicut in creatis, propter ejus ſummam ſimplicitatem, infinitatem, & neceſſitatem eſſendi; & licèt prædicata entis, ſubſtantiæ, &c. ſint illi aliquo modo communia cum creaturis, in illo tamen nullam habent veram potentialitatem, nec perfectè præſcindunt à ſe invicem, ſicut in creatis, in quibus non uniuntur per infinitatem, nec aſſeitatem, &c. Ad confir. neg. ant. & rationem ejus; longè enim aliter, & veriùs dicitur in Deo, *eſſentia communicatur*; & *paternitas non communicatur*, quàm *Deitas non communicatur*, & *ens communicatur Deo*, & *creaturis*, nam commutas eſſentiæ inter perſonas eſt realis, ſicut & diſtinctio perſonarum, non ita eſt de unitate entis in Deo, & creaturis, quæ non eſt realis, ut ſuppono ex Philoſophia.

Vel ſi mavis, reſpondebis ad objectionem cum Pontio, illa etiam prædicata entis, ſubſtantiæ, viventis, &c. præſcindere, & diſtingui formaliter inadæquatè à ratione conſtitutiva Deitatis, ſublatis imperfectionibus, quas ratio generis, & differentiæ importat in creatis.

QUÆSTIO IV.

Quomodo eſſentia, & Attributa ſe ſe includant, & de ſe invicem prædicentur?

HÆc quæſtio connectitur cum præcedenti, nam ſi eſſentia, & attributa diſtinguuntur inter ſe formaliter à parte rei, ſatis patet, quòd non ſe includunt, nec ſunt formaliter de ſe invicem prædicabilia, ſaltem in abſtracto; nam inde ſequitur, quòd ſunt ſeorſim conceptibilia, & definibilia, ſed claritatis gratia placet hanc difficultatem ex profeſſo, & in terminis examinare.

Suppono autem 1. eſſentiam, & attributa poſſe conſiderari in *abſtracto*, id eſt per modum entitatum ſubſtantivarum, & quaſi per ſe ſtantium, & quaſi ab omni ſubjecto avulſarum; ut *Deitas*, *paternitas*, *unitas*, *bonitas*, &c. Vel in *concreto*, ſeu quaſi in

in ſubjecto, in quo ſubſiſtant, quod perficiunt, & quaſi ei adjacentia, ut *Deus, pater, unus, bonus*, &c. Quæritur an æquè dici poſſit, *Deus eſt ſapientia*, vel *ſapientia eſt Deus*, vel *ſapientia eſt bonitas*, vel *bonitas eſt Deitas*, vel *paternitas eſt Deitas*, & *Deitas eſt paternitas*; vel *pater eſt Deus*, aut *Deus eſt pater*, &c.

Suppono 2. ex Logica, & Metaph. *prædicationem* eſſe actum intellectus, quo unum de alio enuntiat. Et dividitur 1. in *veram*, in qua judicatur de re, ut eſt; & *falſam*, in qua judicatur de re aliter quàm eſt in ſe. 2. in *affirmantem*, qua unum tribuitur alteri, & *negantem*, qua unum removetur ab alio. 3. in *formalem*, qua unum tribuitur alteri per modum formæ; & *materialem*, ſeu *identicam*, qua vel aliquid enuntiatur de ſe ipſo, ut *Deitas eſt Deitas*; vel de alio, cui unitur ratione alicujus materiæ, aut ſubjecti, ut in lacte albedo, & dulcedo, ſeu album, & dulce; quia illæ duæ qualitates, licèt formaliter differentes; uniuntur tamen in ſubſtantia lactis; & *cauſalem*; ut cùm effectus enuntiatur, vel definitur per cauſam ſuam: ut, *ira eſt accenſio ſanguinis circa cor*. 4. in *indirectam*, in qua prædicatur id, quod aptius eſt ſubjici; v. g. *animal eſt homo*, vel *homo eſt Petrus*; & *directam*, in qua prædicatur quod aptius eſt prædicari, quale eſt omne univerſalius de ſuo inferiori; ut *Petrus eſt homo*, vel *homo eſt animal*, &c.

Suppono 3. unum includi in alio, vel *formaliter*, tanquam pars eſſentiæ, vel ipſa eſſentia per modum formæ totius, ut humanitas; vel 2. *cauſaliter*, ſeu virtualiter, ut effectus in cauſa; vel 3. *identicè* propter indiſtinctionem realem, quatenus aliqua ſic connectuntur, ut ſint prorſus inſeparabilia.

Sup. denique, quædam dici de aliquo, vel 1. *per ſe*, quando prædicatum de ſe, & ratione ſui, & neceſſariò convenit ſubjecto; & hoc vel quia eſt de eſſentia ſubjecti, ut pars ejus eſſentialis; vel definitio ipſa ejuſdem; & tunc dicitur in *primo modo per ſe*: vel quia eſt proprietas ſubjecti, ut riſibile in homine, & tunc dicitur *per ſe in 2. modo*, &c.

His ſuppoſitis, quærimus, quomodo attributa divina poſſint de ſe invicem, vel de eſſentia enuntiari.

Concl. *Attributa, & eſſentia divina nec ſeſe includunt formaliter; nec de ſe prædicantur in abſtracto, niſi identicè; benè verò in concreto; ſcilicet tunc prædicantur formaliter.* Eſt communis quoad 1.par. etiam apud eos, qui non admittunt ibi diſtinctionem noſtram formalem.

Prob.1. ex Scoto, [1] qui reſpondens ad auctoritatem Auguſtini dicentis, quod *Juſtitia eſt bonitas: Docet, quod in creatis nulla prædicatio eſt vera in abſtracto per identitatem, quæ non ſit formaliter. In Divinis autem eſt vera prædicatio per identitatem in abſtracto, & tamen non eſt formalis. Ratio hujus differentiæ eſt iſta, ut puto; quia concipiendo abſtractum ultima abſtractione, concipitur quidditas abſque habitudine ad quodcumque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis ejus. Sic igitur concipiendo extrema* (propoſitionis, qua unum abſtractum prædicatur de alio, ut ſi dicas, juſtitia eſt bonitas) *nulla erit veritas uniendo ea, niſi præcisè quidditas unius extremi ſit eadem quidditati alterius extremi.* [2] *Hoc autem non contingit in creatis... Oppoſitum eſt in Deo, quia abſtrahendo ſapientiam à quocumque, quod eſt extra rationem ſapientiæ, & bonitatem ſimiliter... remanet utraq; quidditas præcisè ſumpta formaliter infinita; & quia infinitas eſt ratio identitatis eorum, facta tali abſtractione præciſiſſima, remanet ratio identitatis eorum; & ſic prædicantur identicè, non formaliter. Idem docet S. Thomas* [3] *dicens quod Paternitas habet aliquid, in quo non unitur cum eſſentia, ſcilicet rationem paternitatis, quæ eſt alia à ratione eſſentiæ.* Per rationes illas intelligit deffinitiones.

Prob.2. ex Script. in qua videmus hæc prædicari de Deo tum in concreto, tum in abracto. Ut cùm Chriſtus dicit; [4] *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et D. Paulus de Chriſto; *quod factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Juſtitia*, &c. Et alibi ſimilia leguntur in utroque Teſtamento, ſed in diverſo ſenſu juxta concluſionem.

Prob. 3. ex Patribus. *Deus amat, ut charitas* (in-

[1] 1. *d.8.q.4. Z. n.25.*
[2] 4.*d. 12.q.2. O.*
[3] 1.*d.33.q.1. a.1. ad 1. & 2.*
[4] *Joan.14.*

(Inquit Bernard.) [1] *novit, ut veritas; ſedet ut æquitas, dominatur ut majeſtas*; &c. Et Sanctus Auguſtinus cit. attributa vocat qualitates, quas diſtinguit à ſubſtantia; & illa prædicat de Deo in concreto quidem, ſed declarat illa eſſe quaſi extra eſſentiam; nomen verò Spiritus eſſe prædicatum illi eſſentiale. *Si dicam æternus, immortalis, juſtus, bonus, beatus, Spiritus, horum omnium noviſsimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam; cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates*. Et S. Dionyſ. [2] *Deum*, dicit, *non tam bonum, pulchrum, ſapientem, quàm bonitatem, pulchritudinem, & ſapientiam*; Scilicet identicè, non formaliter.

Prob.4. quoad 1. par. ſapientia, bonitas, juſtitia, &c. ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ergo in Deo ſunt formaliter ſecundum proprias ſuas rationes formales actuales: ſed ſecundum propriam cujuſque rationem non ſe ſe includunt; ergo nec in abſtracto de ſe invicem prædicantur formaliter, prob. ſubſ. ſapientia non includitur formaliter in conceptu bonitatis, neque ut definitio, neque ut pars ejus; ſed ſunt ſeorſim definibiles, ut patebit ex definitionibus ſingulorum; ergo &c.

Prob. 5. De relationibus, & eſſentia; nam prædicata omnia eſſentialia ſunt communia tribus perſonis; perſonalia verò, ſeu relativa unius perſonæ non ſunt de eſſentia aliarum, nec de illis prædicantur, ut docent SS. PP. & Theologi. Sed hoc eſſet falſum, ſi ſe ſe mutuò includerent; ergo eſſentia, & relationes divinæ non ſe ſe includunt formaliter, prob. min. ſi ſe includerent, tam verè dicerem, *eſsentia eſt paternitas*, & *paternitas eſt filiatio*, & viciſſim; quàm verè dico, *pater eſt Deus*, aut *Deus eſt pater*, quia, tam verè filiatio ineſſet patern tati, quàm verè Deus & habens paternitatem, aut paternitas eſt in Deo. Sed conſ. eſt falſum; ergo tam verè dicerem paternitas eſt filiatio, &c.

Confir. ex Concil. Lateran. [3] docente, quod pater communicat filio totam ſuam eſſentiam, & ſubſtan-

K 2 tiam,

[1] 5. *conſid. c.5.*
[2] *de Div. nom. c.4. & 5.*
[3] *c. Damnamus de SS. Trin.*

tiam, *præter eſſe Patrem*; ergo vel paternitas, quæ non communicatur filio, eſt extra conceptum formalem eſſentiæ; vel pater non communicat totam eſſentiam filio, ut docet Concilium illud. 2. quia ſic quælibet perſona eſſet tota Trinitas, quia includeret alias duas. 3. quia generatio activa tam eſſet in Filio, & Spiritu S. quàm in Patre; &. 4. tam paternitas eſſet de quidditate 2. & 3. perſonæ, quàm primæ. Et ita eſt de filiatione, &c. 5. tam eſſentia diceretur relativè. quàm ad ſe, ſeu abſolutè: quia tam formaliter relationes, v.g. paternitatem, & filiationem contineret, quàm ullam qualitatem abſolutam; quod eſt contra definitionem Concilii Toletani XI. & denique cum tota Deitas ſit in Patre, ita & filiatio, & ſpiratio paſſiva ineſſet eidem propter eſſentiam, in qua includerentur formaliter. Sed hæc omnia falſa ſunt in Fide, & confundunt omnia in Trinitate; ergo eſſentia Divina, & relationes non ſe ſe includunt formaliter, nec de ſe prædicantur in abſtracto.

Prob. 6. de attributis abſolutis; 1. quia ſi ſe ſe invicem includerent, tam nomen ſapientiæ ſignificaret eſſentiam, quàm nomen Deitatis. 2. unum attributum non poſſet cognoſci ſine alio magis, quàm rationale ſine homine, & viciſſim. 3. Tam verè dicerem *Deus vult per intellectum*, quàm dico, *vult per voluntatem*; & è contra, *intelligit per voluntatem*: quia intellectus eſſet formaliter voluntas, & voluntas intellectus. 4. Bonitas v.g. eſt conceptibilis, & definibilis ſecundum totam ſuam quidditatem ſine immenſitate, & iſta ſine illa; ergo non ſe includunt formaliter. 5. quia ſapientia in genere, & prout abſtrahit à divina, & humana, non includit bonitatem, aut juſtitiam; ergo neque in ſpecie, & ut exiſtens in Deo, quia hìc non amittit ſuam quidditatem; licèt ibi ſit cum nobiliori differentia, & cum infinitate. Ita eſt de aliis.

Prob. 2. p. de prædicatione in abſtracto. 1. prædicatio nequit eſſe vera niſi vel propter identitatem realem extremorum; vel propter incluſionem unius in alio; vel propter adhæſionem, ſeu exiſtentiam unius in alio; Sed eſſentia, & attributa in abſtracto non ſe ſe includunt, ut probatum eſt: nec conſide-

rantur;

rantur, ut adhærentia, vel inexiſtentia; ſed potiùs ut abſtracta, & quaſi ſeparata, & per ſe quaſi ſeorſim exiſtentia; ergo non poſſunt prædicari de ſe invicem niſi identicè, maj. patet ex Logica. Prob. min. quia *abſtractum* ut tale conſideratur in ſe abſolutè, & ut in ſeſubſiſtens extra quodcumque ſubjectum, vel ſuppoſitum: concretum verò conſideratur, ut adiacens, aut in exiſtens alteri: ergo &c.

Prob. 3. p. de prædicatione in concreto. Quia iſtæ propoſitiones ſunt veræ, & formales: *Deus eſt ſapiens*, *juſtus*, *bonus*, &c. *Pater eſt Deus*, *eſt ſapiens*, *immenſus*, *&c.* Sicut iſta, *rationale eſt homo*, vel *homo eſt riſibilis*, &c. ergo attributa, & eſſentia in concreto prædicantur formaliter de ſe invicem. Prob. ant. Ut prædicatio ſit vera formaliter, non requiritur aliud, niſi quod prædicatum ſignificetur contineri in ſubjecto, aut illud reſpicere; ſed attributa enuntiata concretivè de eſſentia, aut de ſe invicem, important talem relationem, aut inexiſtentiam; ergo &c.

Imò aliqua prædicantur adjectivè, & in concreto, de aliis in abſtracto; nam rectè dicis, *omnipotens eſt æternus*; quia ſic *omnipotens* ſupponit pro ſuppoſito divino, cui omnipotentia ineſt, & in quo conjungitur cum æternitate; ſed etiam rectè dicis, *omnipotentia eſt æterna*; & *ſapientia eſt bona*; & *juſtitia eſt infinita*, &c. Quia tales qualitates, & modi uniuntur, & afficiunt alia attributa, de quibus prædicantur quaſi adjectivè; ſuntque velut tranſcendentia reſpectu aliorum, ut *æternitas*, *infinitas*, *unitas*, *bonitas*, ideo quaſi per alia divagantur.

Objic. 1. Attributa omnia retinent eamdem habitudinem ad eſſentiam, & inter ſe, in abſtracto, & in concreto: ſed in concreto ſic ſe includunt, ut poſſint de ſe invicem prædicari formaliter; ergo etiam in abſtracto ſe includunt, & de ſe prædicantur formaliter. Prob. maj. In concreto non aliam dicunt habitudinem ad eſſentiam, vel inter ſe, niſi identitatis; non enim dicunt habitudinem formæ ad ſubjectum informationis, vel inhæſionis; quia id repugnaret infinitati, & ſimplicitati; ſed in abſtracto retinent habitudinem identitatis; ergo & eandem, quam in concreto.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. arg. & diſt. rationem ejus. Non dicunt habitudinem formæ, ſeu partis compoſiti, & inhærentis, & componentis, conc. formæ communicantis, & qualificantis eſſentiam, neg. ant. Hanc enim habitudinem dicunt, cum enuntiantur concretivè, & eam amittunt in abſtracto; tunc enim important ſolùm ſuam quidditatem in ſe abſolutè ſpectatam, inquit Doctor. [1]

Inſt. 1. Hæc habitudo formæ communicantis in concreto conſiſtit in ſimplici identitate reali, & ſolùm differt ab abſtracto in modo loquendi, ergo à parte rei retinent eandem habitudinem in abſtracto, & in concreto, ergo eodem modo prædicantur utrobique.

Reſp. neg. ant. Nam in abſtracto ſapientia nullam habitudinem importat ad eſsentiam, vel bonitatem: ſed in concreto, cùm dicis: *Deus eſt ſapiens*, ſignificas ſapientiam communicare ſuum eſse Deitati, & illam qualificare. Nam, inquit Doctor, tria ſunt munera formæ ſignificatæ in concreto. 1.° eſt informare ſubjectum; 2. conſtituere cum illo compoſitum, ut pars; & 3. facere illud tale per ſui communicationem. Duo prima repugnant divinæ ſimplicitati, & actualitati; 3. verò non, ſed illud habent, & habere ſignificantur, cùm prædicantur de eſsentia, vel de ſe invicem concretivè.

Inſt. 2. Iſta communicatio attributorum ſignificata in concreto venit ab identitate reali; ergo nihil ampliùs denotat præter illam identitatem, ergo eadem importatur in abſtracto.

Reſp. neg. ant. Nam abſtractum, ut tale, & reduplicativè potiùs excludit illam habitudinem communicationis; & ideò non poteſt unum attributum ſic expreſsum prædicari de alio, niſi identicè. *Abſtractum enim ultima abſtractione concipitur, ut quidditas, abſque habitudine ad quodcumque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis*, inquit Doctor cit. [2] ideò in creatis, ubi abſtracta non identificantur per infinitatem, nulla talis prædicatio eſt vera, quia nulla eſt identitas.

Objic. 2. con. 3. p. In Deo hæc prædicatio eſt falſa formaliter: *Intellectus eſt voluntas*: ſed ibi hæc attri-

buta

[1] *ibid.* X. n. 22. [2] *ibid.* Z.

buta prædicantur in concreto, ergo attributa non prædicantur de ſe in concreto.

Reſp. neg. min. Nam intellectus, & voluntas ſunt verè abſtracta à concretis *volens*, *& intelligens*; ideò non prædicantur de ſe, nec de eſſentia, niſi identicè, Ex Scoto. [1]

Objic. 3. ex Script. & Patribus. Attributa prædicantur de Deo in abſtracto, ergo &c. Prob. ant. ex loco cit. Pauli de Chriſto, *qui factus eſt nobis ſapientia*, &c. Et S. Anſelm. [2] *Summa natura non propriè dicitur juſta, quia habet juſtitiam, ſed quia exiſtit juſtitia*. Et S. Auguſtinus: [3] *quæ juſtitia eſt ipſa bonitas.... ſua ipſe eſt ſapientia; quia non eſt aliud ſapientia ejus, aliud eſſentia*, &c. ergo ex Scriptura, & PP. attributa de ſe, & de eſſentia dicuntur in abſtracto.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. In abſtracto identicè, conc. formaliter, neg. conſ. Locus Apoſtoli intelligitur, quòd Chriſtus nobis factus eſt ſapientia cauſaliter, & juſtitia meritoriè. Anſelmus, Auguſtinus, & alii ſimiliter loquentes intelliguntur in ſenſu identico, non formali.

Objic. 4. Perſona in Divinis includit formaliter Deitatem: ſed proprietas perſonalis eſt perſona, ergo perſonalitas includit formaliter Deitatem.

Reſp. 1. retorquendo argum. Perſona includit perſonalitatem formaliter: ſed per te Deitas eſt perſona, ergo Deitas includit formaliter perſonalitatem, quod tu negas.

Reſp. 2. diſt. min. Perſonalitas eſt perſona identicè, conc. formaliter, neg. min. Nam perſona, præter perſonalitatem importat eſſentiam, extra cujus conceptum formalem eſt perſonalitas; plus ergo dicit perſona, quàm perſonalitas.

Inſt. Concretum in Deo non plus dicit, quàm abſtractum, ergo eodem modo attributa Dei prædicantur in abſtracto, & in concreto. Prob. ant. ex Patribus, qui dicunt, quòd in Deo idem eſt eſſe aliquid, & habere illud; ergo idem ſignificatur per abſtractum, & per concretum; nam abſtractum eſt eſſe, & concretum eſt habere.

[1] *quodl.* 5. *E. n.* 6. [2] *Monol. c.* 25.
[3] 15. *Trin.* 5. *et* 6.

Reſp. neg. ant. nam etiam in Deo concretum importat quaſi formam cum habitudine ad quaſi ſubjectum, v. g. ſapiens importat ſapientiam cum habitudine ad ſuppoſitum habens illam. Abſtractum verò importat ſolam ſapientiam abſolutè, & in ſe velut ſubſiſtentem, ſalva identitate reali in Deo.

Aliæ objectiones coincidunt cum his, quæ attulimus in præcedenti contra diſtinctionem formalem.

Adverte autem, quòd præſcindentes tam formaliter, quàm objectivè ferè omnes cenſent nobiſcum, quòd eſſentia, & attributa in abſtracto non ſe includunt, ſed excludunt ſaltem formaliter per intellectum, ſeu ratione ratiocinante, & ita non poſſunt de ſe invicem prædicari, niſi per identitatem realem, & eodem modo probant hanc excluſionem, quo nos diſtinctionem noſtram formalem.

Concl. 2. *Attributa in concreto, & formaliter non prædicantur de eſſentia, niſi in ſecundo modo per ſe.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quia attributa reſpectu eſſentiæ habent quaſi rationem paſſionum, & per identitatem tranſeunt in eſſentiam; & quantùm ad ſcibilitatem, ſciuntur per eſſentiæ rationem, ac ſi eſſent realiter diſtincta ab eſſentia;* Sed quaſi paſſiones, ſeu proprietates non prædicantur de natura niſi in 2. modo per ſe; ergo nec attributa de Deitate.

Prob. 2. ex SS. Patribus citatis pro diſtinctione formali; quia dicunt, ea non eſſe eſſentiam, ſed *de eſſentia*; non naturam, ſed *circa naturam*, & Damaſcenus, & Theophilactus. Et quod nomen *Spiritus ſignificare videtur ſubſtantiam* (Dei, ſeu eſſe prædicatum quidditativum, & dici in primo modo per ſe) *cætera verò*, ut *æternus*, *immortalis*, *juſtus*, *bonus*, &c. *hujus ſubſtantiæ qualitates*; ergo ex Patribus attributa non prædicantur de Deo *in quid*, & velut prædicata eſſentialia; ſed *in quale*, & velut proprietates, ſcilicet in 2. modo per ſe.

Prob. 3. Nihil prædicatur in 1. modo *per ſe*, niſi vel eſſentia, ut definitio de definito; vel pars eſſentiæ, ut rationale de homine; ſed attributa abſoluta,

[1] *q.3 prol. R. n.19.*

luta, & relativa non ſunt formaliter, nec dicuntur de Deo, neque ut eſsentia, neque ut partes eſsentiæ ejus; ergo non prædicantur per ſe in 1. modo, ſed in 2. ſcilicet ut quaſi proprietates realiter identificatæ.

Objic. ex Patribus, attributa prædicantur concretè *in quid*, & ut ipſa eſsentia; ergo in 1. modo *per ſe*. Prob. ant. ex Anſel. [1] *Cùm juſtus Deus dicitur, non qualis, ſed quid ſit, oſtenditur*: & infra, *Quemadmodum unum eſt quid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur, ita ipſa uno modo, una conſideratione eſt quidquid eſsentialiter*, & Aug. [2] *Deus ipſe ſua ſapientia eſt; quia non eſt aliud ſapientia ejus, aliud eſsentia, cui hoc eſt eſse, quod ſapientem eſse*; ergo attributa prædicantur in quid de Deo; & in 1. modo *per ſe*.

Reſp. n. ant. & conſ. prob. quia iſti, & alii Patres ſic loquuntur præcisè, ut ſalvent ſummam ſimplicitatem Dei, quæ conſiſtit in ſumma identitate omnium, quæ de illo dicuntur. Anſelmus negat juſtitiam dici *in quale* accidentaliter, ut fit in homine; ſed *in quid*, ſcilicet in comparatione creaturarum, quibus illæ virtutes ſunt contingentes: nam in Deo omnia ſunt perfectè unum, tam inter ſe, quàm in eſſentia. Eodem ſenſu Auguſtinus dicit, quod *Deus eſt ſua ſapientia*, ſcilicet per identitatem; quia in eo *non eſt aliud* ab eſſentia. Nam vox *aliud* non admittitur ne inter perſonas quidem divinas, licèt realiter diſtinctas. Debent igitur hæc loca Patrum conciliari cum illis, quibus aſserunt, attributa prædicari *in quale*.

QUÆSTIO V.

De ordine, & æqualitate Attributorum; An, & qualis ſit ordo prioratis, & dignitatis in Divinis.

SOlet quæri à Theologis, an attributa tam abſoluta, quàm relativa ſint inter ſe æqualia, & an æquè immediatè ſint in Deo; & qualis prioritas ibi admitti poſſit; quod valde neceſsarium eſt ſci-

K 5

[1] *Monol.* 15. *&* 16.
[2] 13. *Trin.* 6.

ſciri ob plures difficultates, quæ occurrunt in hoc tractatu, & de Trinitate.

Ordo eſt *plurium diſpoſitio ſecundum prius, et poſterius;* ſive, ut ex Auguſtino definit Scotus: [1] *Rerum parium, diſpariumque unicuique ſua loca tribuens diſpoſitio congrua*. Et dicitur *ſecundum ſeriem*, vel *ſecundum proportionem*. 1. eſt eorum, quæ in aliqua ſerie tractum aliquem graduum habente poſita ſunt: nam *Series* importat aliquam prioritatem, & poſterioritatem in ſuis gradibus, ut *ſeries durationis, originis, connexionis, & dignitatis;* in his enim alia aliis ſunt priora, & poſteriora. 2. eſt eorum, quæ cum aliqua proportione partium ſuarum diſpoſita ſunt; nam ex his conſtat *harmonia, pulchritudo, conſonantia, temperamentum, analogia*, &c.

Prioritatis, & poſterioritatis ſpecies deſcripſimus in Logica; hìc autem præcipua difficultas eſt de prioritate, & poſterioritate *naturæ, originis*, & *perfectionis*; nam certum eſt 1. quòd in Divinis non datur prioritas, nec poſterioritas *durationis*, quia ibi omnia ſunt æterna. Nec 2. *generationis*, quia non eſt ibi proceſsus ab imperfecto ad perfectum, juxta illud: *Quæ generatione ſunt poſteriora, illa ſpecie, et ſubſtantia ſunt priora*. Nec 3. *cauſalitatis*, quia ibi non eſt umbra dependentiæ, qualis eſt inter cauſam, & cauſatum; & deſcribitur à Scoto [2] *coexigentia unius ad aliud in alteritate naturæ*. Nec ibi eſt *alteritas* naturæ. 4. nec *eſſentialis eminentiæ*. Quia ibi nec eſt *excedens*, quale eſt omne prius prioritate eminentiæ, nec *exceſſum*, quale eſt tale poſterius: in Deo enim omnia ſunt infinita, ut eſſentia, & attributa; vel ſaltem non finita, ut relationes. Reſtat ergo difficultas de prioritate naturæ, & originis, & perfectionis; pro quo

Suppono, quòd *prioritas naturæ* dicitur multipliciter. [3] 1. quando unum pendet ab alio ſecundum menſuram perfectionalem, qua poſterius menſuratur ſecundum perfectionem ab eo, quod eſt prius, & iſtud eſt ſemper perfectius, 2. quàndo aliqua duo ſe habent ut producens, & productum per veram cauſalitatem inter duas naturas numero diſtinctas,

& ideò

[1] *4. d. 24. A. n. 3.* [2] *de 1. princip. c. 1.*

[3] *Lichet. quodl. c. 3. n. 5.*

& ideò per veram dependentiam producti à producente. 3. quando poſterius natura in nullo genere pendet à priori, ſcilicet, nec ut cauſatum à cauſato, nec ut menſuratum à menſurante, ſed purè dicitur poſterius natura, quia neceſſariò ſupponit prius: & ideò dicitur etiam prioritas *præſuppoſitionis*: ſic voluntas ſupponit intellectum in anima, & eſt poſterior illo; & prioritas intellectus nullam in eo dicit præcellentiam: imò ſæpe poſterius præcellit prius, ut voluntas intellectum. 4. quando unum eſt quaſi producens, & originans, & aliud ut quaſi productum, & originatum, ſeu emanans: ſed vel ambo ſunt infinita, ut eſſentia, & attributa abſoluta; vel ſaltem unum eſt infinitum, & aliud eſt huic identificatum, ut relationes in eſſentia Dei, & hic ordo nullam dicit imperfectionem in poſteriori, nec inter ſic ordinata. 5. denique quando unum producitur realiter ab alio, ſic tamen, ut productum non recipiat diſtinctam realiter naturam, ſed ſolam perſonalitatem, ideòque ſit prorsùs idem in natura; & cæteris perfectionibus abſolutis cum producente, & hæc etiam prioritas, & poſterioritas nullam dicit inæqualitatem inter prius, & poſterius; & dicitur prioritas puræ *originis*, quia nihil aliud importat, quàm proceſſionem poſterioris à priori, ſine dependentia, vel diſtinctione naturæ, vel perfectionum.

Ea tamen eſt differentia inter ordinem *naturæ*, & *originis*, quòd iſte ſit inter entitates realiter diſtinctas, ut ſunt Perſonæ divinæ; ille verò poteſt eſſe inter realiter identificatas, ut ſunt intellectus, & voluntas in anima; & ordo *originis* eſt tantùm, inter quorum priùs eſt realiter producens, & poſterius eſt realiter productum; ordo verò *naturæ* eſt inter ea, quæ non ſic ſe habent, ſed ita ut unum præſupponatur alteri, aut ab eo fluat per ſimplicem emanationem, ſicut proprietates emanant ab eſſentia. Conveniunt autem in hoc, quod uterque poſſit eſſe ſine ulla diſtinctione durationis, aut ſucceſſionis quoad exiſtentiam; ſed partes utriuſque ordinis poſſunt in eodem indiviſibili inſtanti exiſtere, ut Pater, & Filius in Deo, & ut humanitas, & riſibilitas in homine. Ordo naturæ aliquando im-

Concl. *Attributa, & eſſentia divina nec ſeſe includunt formaliter; nec de ſe prædicantur in abſtracto, niſi identicè; benè verò in concreto; ſcilicet tunc prædicantur formaliter.* Eſt communis quoad 1. par. etiam apud eos, qui non admittunt ibi diſtinctionem noſtram formalem.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui reſpondens ad auctoritatem Auguſtini dicentis, quod *Juſtitia eſt bonitas: Docet, quod in creatis nulla prædicatio eſt vera in abſtracto per identitatem, quæ non ſit formaliter. In Divinis autem eſt vera prædicatio per identitatem in abſtracto, & tamen non eſt formalis. Ratio hujus differentiæ eſt iſta, ut puto; quia concipiendo abſtractum ultima abſtractione, concipitur quidditas abſque habitudine ad quodcumque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis ejus. Sic igitur concipiendo extrema* (propoſitionis, qua unum abſtractum prædicatur de alio, ut ſi dicas, juſtitia eſt bonitas) *nulla erit veritas uniendo ea, niſi præcisè quidditas unius extremi ſit eadem quidditati alterius extremi.* [2] *Hoc autem non contingit in creatis... Oppoſitum eſt in Deo, quia abſtrahendo ſapientiam à quocumque, quod eſt extra rationem ſapientiæ, & bonitatem ſimiliter... remanet utraq; quidditas præcisè ſumpta formaliter infinita; & quia infinitas eſt ratio identitatis eorum, facta tali abſtractione præciſiſſima, remanet ratio identitatis eorum; & ſic prædicantur identicè, non formaliter. Idem docet S. Thomas* [3] *dicens quod Paternitas habet aliquid, in quo non unitur cum eſſentia, ſcilicet rationem paternitatis, quæ eſt alia à ratione eſsentiæ.* Per rationes illas intelligit deffnitiones.

Prob. 2. ex Script. in qua videmus hæc prædicari de Deo tum in concreto, tum in abracto. Ut cùm Chriſtus dicit; [4] *Ego ſum via, veritas, & vita.* Et D. Paulus de Chriſto; *quod factus eſt nobis ſapientia à Deo, & Juſtitia*, &c. Et alibi ſimilia leguntur in utroque Teſtamento, ſed in diverſo ſenſu juxta concluſionem.

Prob. 3. ex Patribus. *Deus amat, ut charitas* (in-

[1] *1. d. 8. q. 4. Z. n. 25.*
[2] *4. d. 12. q. 2. O.*
[3] *1. d. 33. q. 1. a. 1. ad 1. & 2.*
[4] *Joan. 14.*

(Inquit Bernard.) [1] *novit, ut veritas; ſedet ut æquitas, dominatur ut majeſtas*; &c. Et Sanctus Auguſtinus cit. attributa vocat qualitates, quas diſtinguit à ſubſtantia; & illa prædicat de Deo in concreto quidem, ſed declarat illa eſſe quaſi extra eſſentiam; nomen verò Spiritus eſſe prædicatum illi eſſentiale. *Si dicam æternus, immortalis, juſtus, bonus, beatus, Spiritus, horum omnium noviſsimum, quod poſui, videtur ſignificare ſubſtantiam; cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates*. Et S. Dionyſ. [2] *Deum*, dicit, *non tam bonum, pulchrum, ſapientem, quàm bonitatem, pulchritudinem, & ſapientiam*; Scilicet identicè, non formaliter.

Prob.4. quoad 1. par. ſapientia, bonitas, juſtitia, &c. ſunt perfectiones ſimpliciter ſimplices; ergo in Deo ſunt formaliter ſecundum proprias ſuas rationes formales actuales: ſed ſecundum propriam cujuſque rationem non ſeſe includunt; ergo nec in abſtracto de ſe invicem prædicantur formaliter, prob. ſubſ. ſapientia non includitur formaliter in conceptu bonitatis, neque ut definitio, neque ut pars ejus; ſed ſunt ſeorſim definibiles, ut patebit ex definitionibus ſingulorum; ergo &c.

Prob. 5. De relationibus, & eſſentia; nam prædicata omnia eſſentialia ſunt communia tribus perſonis; perſonalia verò, ſeu relativa unius perſonæ non ſunt de eſſentia aliarum, nec de illis prædicantur, ut docent SS. PP. & Theologi. Sed hoc eſſet falſum, ſi ſe ſe mutuò includerent; ergo eſſentia, & relationes divinæ non ſe ſe includunt formaliter, prob. min. ſi ſe includerent, tam verè dicerem, *eſsentia eſt paternitas*, & *paternitas eſt filiatio*, & viciſſim; quàm verè dico, *pater eſt Deus*, aut *Deus eſt pater*, quia, tam verè filiatio ineſſet paternitati, quàm verè Deus & habens paternitatem, aut paternitas eſt in Deo. Sed conſ. eſt falſum; ergo tam verè dicerem paternitas eſt filiatio, &c.

Confir. ex Concil. Lateran. [3] docente, quod pater communicat filio totam ſuam eſſentiam, & ſubſtan-

K 2 tiam,

[1] 5. *conſid. c.5.*
[2] *de Div. nom. c.4. & 5.*
[3] *c. Damnamus de SS. Trin.*

tiam, *præter eſſe Patrem*; ergo vel paternitas, quæ non communicatur filio, eſt extra conceptum formalem eſſentiæ; vel pater non communicat totam eſſentiam filio, ut docet Concilium illud. 2. quia ſic quælibet perſona eſſet tota Trinitas, quia includeret alias duas. 3. quia generatio activa tam eſſet in Filio, & Spiritu S. quàm in Patre; &. 4. tam paternitas eſſet de quidditate 2. & 3. perſonæ, quàm primæ. Et ita eſt de filiatione, &c. 5. tam eſſentia diceretur relativè, quàm ad ſe, ſeu abſolutè: quia tam formaliter relationes, v. g. paternitatem, & filiationem contineret, quàm ullam qualitatem abſolutam; quod eſt contra definitionem Concilii Toletani XI. & denique cum tota Deitas ſit in Patre, ita & filiatio, & ſpiratio paſſiva ineſſet eidem propter eſſentiam, in qua includerentur formaliter. Sed hæc omnia falſa ſunt in Fide, & confundunt omnia in Trinitate; ergo eſſentia Divina, & relationes non ſe ſe includunt formaliter, nec de ſe prædicantur in abſtracto.

Prob. 6. de attributis abſolutis; 1. quia ſi ſe ſe invicem includerent, tam nomen ſapientiæ ſignificaret eſſentiam, quàm nomen Deitatis. 2. unum attributum non poſſet cognoſci ſine alio magis, quàm rationale ſine homine, & viciſſim. 3. Tam verè dicerem *Deus vult per intellectum*, quàm dico, *vult per voluntatem*; & è contra, *intelligit per voluntatem*: quia intellectus eſſet formaliter voluntas, & voluntas intellectus. 4. Bonitas v. g. eſt conceptibilis, & definibilis ſecundum totam ſuam quidditatem ſine immenſitate, & iſta ſine illa; ergo non ſe includunt formaliter. 5. quia ſapientia in genere, & prout abſtrahit à divina, & humana, non includit bonitatem, aut juſtitiam; ergo neque in ſpecie, & ut exiſtens in Deo, quia hìc non amittit ſuam quidditatem; licèt ibi ſit cum nobiliori differentia, & cum infinitate. Ita eſt de aliis.

Prob. 2. p. de prædicatione in abſtracto. 1. prædicatio nequit eſſe vera niſi vel propter identitatem realem extremorum; vel propter incluſionem unius in alio; vel propter adhæſionem, ſeu exiſtentiam unius in alio; Sed eſſentia, & attributa in abſtracto non ſe ſe includunt, ut probatum eſt: nec conſiderantur,

rantur, ut adhærentia, vel inexiſtentia; ſed potiùs ut abſtracta, & quaſi ſeparata, & per ſe quaſi ſeorſim exiſtentia; ergo non poſſunt prædicari de ſe invicem niſi identicè, maj. patet ex Logica. Prob. min. quia *abſtractum* ut tale conſideratur in ſe abſolutè, & ut in ſeſubſiſtens extra quodcumque ſubjectum, vel ſuppoſitum: concretum verò conſideratur, ut adiacens, aut in exiſtens alteri: ergo &c.

Prob. 3. p. de prædicatione in concreto. Quia iſtæ propoſitiones ſunt veræ, & formales: *Deus eſt ſapiens*, *juſtus*, *bonus*, &c. *Pater eſt Deus*, *eſt ſapiens*, *immenſus*, *&c.* Sicut iſta, *rationale eſt homo*, vel *homo eſt riſibilis*, &c. ergo attributa, & eſſentia in concreto prædicantur formaliter de ſe invicem. Prob. ant. Ut prædicatio ſit vera formaliter, non requiritur aliud, niſi quod prædicatum ſignificetur contineri in ſubjecto, aut illud reſpicere; ſed attributa enuntiata concretivè de eſſentia, aut de ſe invicem, important talem relationem, aut inexiſtentiam; ergo &c.

Imò aliqua prædicantur adjectivè, & in concreto, de aliis in abſtracto; nam rectè dicis, *omnipotens eſt æternus*; quia ſic *omnipotens* ſupponit pro ſuppoſito divino, cui omnipotentia ineſt, & in quo conjungitur cum æternitate; ſed etiam rectè dicis, *omnipotentia eſt æterna*; & *ſapientia eſt bona*; & *juſtitia eſt infinita*, &c. Quia tales qualitates, & modi uniuntur, & afficiunt alia attributa, de quibus prædicantur quaſi adjectivè; ſuntque velut tranſcendentia reſpectu aliorum, ut *æternitas*, *infinitas*, *unitas*, *bonitas*, ideo quaſi per alia divagantur.

Objic. 1. Attributa omnia retinent eamdem habitudinem ad eſſentiam, & inter ſe, in abſtracto, & in concreto; ſed in concreto ſic ſe includunt, ut poſſint de ſe invicem prædicari formaliter; ergo etiam in abſtracto ſe includunt, & de ſe prædicantur formaliter. Prob. maj. In concreto non aliam dicunt habitudinem ad eſſentiam, vel inter ſe, niſi identitatis; non enim dicunt habitudinem formæ ad ſubjectum informationis, vel inhæſionis; quia id repugnaret infinitati, & ſimplicitati; ſed in abſtracto retinent habitudinem identitatis; ergo & eamdem, quam in concreto.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. arg. & diſt. rationem ejus. Non dicunt habitudinem formæ, ſeu partis compoſiti, & inhærentis, & componentis, conc. formæ communicantis, & qualificantis eſſentiam, neg. ant. Hanc enim habitudinem dicunt, cum enuntiantur concretivè, & eam amittunt in abſtracto; tunc enim important ſolùm ſuam quidditatem in ſe abſolutè ſpectatam, inquit Doctor. [1]

Inſt. 1. Hæc habitudo formæ communicantis in concreto conſiſtit in ſimplici identitate reali, & ſolùm differt ab abſtracto in modo loquendi, ergo à parte rei retinent eandem habitudinem in abſtracto, & in concreto, ergo eodem modo prædicantur utrobique.

Reſp. neg. ant. Nam in abſtracto ſapientia nullam habitudinem importat ad eſsentiam, vel bonitatem: ſed in concreto, cùm dicis: *Deus eſt ſapiens*, ſignificas ſapientiam communicare ſuum eſse Deitati, & illam qualificare. Nam, inquit Doctor, tria ſunt munera formæ ſignificatæ in concreto. 1. eſt informare ſubjectum; 2. conſtituere cum illo compoſitum, ut pars; & 3. facere illud tale per ſui communicationem. Duo prima repugnant divinæ ſimplicitati, & actualitati; 3. verò non, ſed illud habent, & habere ſignificantur, cùm prædicantur de eſsentia, vel de ſe invicem concretivè.

Inſt. 2. Iſta communicatio attributorum ſignificata in concreto venit ab identitate reali; ergo nihil ampliùs denotat præter illam identitatem, ergo eadem importatur in abſtracto.

Reſp. neg. ant. Nam abſtractum, ut tale, & reduplicativè potiùs excludit illam habitudinem communicationis; & ideò non poteſt unum attributum ſic expreſsum prædicari de alio, niſi identicè. *Abſtractum enim ultima abſtractione concipitur, ut quidditas, abſque habitudine ad quodcumque, quod eſt extra propriam rationem quidditatis*, inquit Doctor cit. [2] ideò in creatis, ubi abſtracta non identificantur per infinitatem, nulla talis prædicatio eſt vera, quia nulla eſt identitas.

Objic. 2. con. 3. p. In Deo hæc prædicatio eſt falſa formaliter: *Intellectus eſt voluntas*: ſed ibi hæc attributa

[1] *ibid.* X. *n.* 22. [2] *ibid.* Z.

buta prædicantur in concreto, ergo attributa non prædicantur de ſe in concreto.

Reſp. neg. min. Nam intellectus, & voluntas ſunt verè abſtracta à concretis *volens*, *& intelligens*; ideò non prædicantur de ſe, nec de eſsentia, niſi identicè, Ex Scoto. [1]

Objic. 3. ex Script. & Patribus. Attributa prædicantur de Deo in abſtracto, ergo &c. Prob. ant. ex loco cit. Pauli de Chriſto, *qui factus eſt nobis ſapientia*, &c. Et S. Anſelm. [2] *Summa natura non propriè dicitur juſta, quia habet juſtitiam, ſed quia exiſtit juſtitia*. Et S. Auguſtinus: [3] *quæ juſtitia eſt ipſa bonitas.... ſua ipſe eſt ſapientia; quia non eſt aliud ſapientia ejus, aliud eſsentia*, &c. ergo ex Scriptura, & PP. attributa de ſe, & de eſsentia dicuntur in abſtracto.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. In abſtracto identicè, conc. formaliter, neg. conſ. Locus Apoſtoli intelligitur, quòd Chriſtus nobis factus eſt ſapientia cauſaliter, & juſtitia meritoriè. Anſelmus, Auguſtinus, & alii ſimiliter loquentes intelliguntur in ſenſu identico, non formali.

Objic. 4. Perſona in Divinis includit formaliter Deitatem: ſed proprietas perſonalis eſt perſona, ergo perſonalitas includit formaliter Deitatem.

Reſp. 1. retorquendo argum. Perſona includit perſonalitatem formaliter: ſed per te Deitas eſt perſona, ergo Deitas includit formaliter perſonalitatem, quod tu negas.

Reſp. 2. diſt. min. Perſonalitas eſt perſona identicè, conc. formaliter, neg. min. Nam perſona, præter perſonalitatem importat eſsentiam, extra cujus conceptum formalem eſt perſonalitas; plus ergo dicit perſona, quàm perſonalitas.

Inſt. Concretum in Deo non plus dicit, quàm abſtractum, ergo eodem modo attributa Dei prædicantur in abſtracto, & in concreto. Prob. ant. ex Patribus, qui dicunt, quòd in Deo idem eſt eſse aliquid, & habere illud; ergo idem ſignificatur per abſtractum, & per concretum; nam abſtractum eſt eſſe, & concretum eſt habere.

[1] *quodl.* 5. *E. n.* 6. [2] *Monol. c.* 25.
[3] 15. *Trin.* 5. *et* 6.

Reſp. neg. ant. nam etiam in Deo concretum importat quaſi formam cum habitudine ad quaſi ſubjectum, v. g. ſapiens importat ſapientiam cum habitudine ad ſuppoſitum habens illam. Abſtractum verò importat ſolam ſapientiam abſolutè, & in ſe velut ſubſiſtentem, ſalva identitate reali in Deo.

Aliæ objectiones coincidunt cum his, quæ attulimus in præcedenti contra diſtinctionem formalem.

Adverte autem, quòd præſcindentes tam formaliter, quàm objectivè ferè omnes cenſent nobiſcum, quòd eſſentia, & attributa in abſtracto non ſe includunt, ſed excludunt ſaltem formaliter per intellectum, ſeu ratione ratiocinante, & ita non poſſunt de ſe invicem prædicari, niſi per identitatem realem, & eodem modo probant hanc excluſionem, quo nos diſtinctionem noſtram formalem.

Concl. 2. *Attributa in concreto, & formaliter non prædicantur de eſſentia, niſi in ſecundo modo per ſe.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Quia attributa reſpectu eſſentiæ habent quaſi rationem paſſionum, & per identitatem tranſeunt in eſſentiam; & quantùm ad ſcibilitatem, ſciuntur per eſſentiæ rationem, ac ſi eſſent realiter diſtincta ab eſſentia;* Sed quaſi paſſiones, ſeu proprietates non prædicantur de natura niſi in 2. modo per ſe; ergo nec attributa de Deitate.

Prob. 2. ex SS. Patribus citatis pro diſtinctione formali; quia dicunt, ea non eſſe eſſentiam, ſed *de eſſentia;* non naturam, ſed *circa naturam*, & Damaſcenus, & Theophilactus. Et quod nomen *Spiritus ſignificare videtur ſubſtantiam* (Dei, ſeu eſſe prædicatum quidditativum, & dici in primo modo per ſe) *cætera verò*, ut *æternus*, *immortalis*, *juſtus*, *bonus*, &c. *hujus ſubſtantiæ qualitates;* ergo ex Patribus attributa non prædicantur de Deo *in quid*, & velut prædicata eſſentialia; ſed *in quale*, & velut proprietates, ſcilicet in 2. modo per ſe.

Prob. 3. Nihil prædicatur in 1. modo *per ſe*, niſi vel eſſentia, ut definitio de definito; vel pars eſſentiæ, ut rationale de homine; ſed attributa abſoluta,

[1] *q. 3. prol. R. n. 19.*

luta, & relativa non ſunt formaliter, nec dicuntur de Deo, neque ut eſsentia, neque ut partes eſsentiæ ejus; ergo non prædicantur per ſe in 1. modo, ſed in 2. ſcilicet ut quaſi proprietates realiter identificatæ.

Objic. ex Patribus, attributa prædicantur concretè *in quid*, & ut ipſa eſsentia; ergo in 1. modo *per ſe*. Prob. ant. ex Anſel. [1] *Cùm juſtus Deus dicitur, non qualis, ſed quid ſit, oſtenditur*: & infra, *Quemadmodum unum eſt quid eſſentialiter de ſumma ſubſtantia dicitur, ita ipſa uno modo, una conſideratione eſt quidquid eſsentialiter*, & Aug. [2] *Deus ipſe ſua ſapientia eſt; quia non eſt aliud ſapientia ejus, aliud eſsentia, cui hoc eſt eſse, quod ſapientem eſse*; ergo attributa prædicantur in quid de Deo; & in 1. modo *per ſe*.

Reſp. n. ant. & conſ. prob. quia iſti, & alii Patres ſic loquuntur præcisè, ut ſalvent ſummam ſimplicitatem Dei, quæ conſiſtit in ſumma identitate omnium, quæ de illo dicuntur. Anſelmus negat juſtitiam dici *in quale* accidentaliter, ut ſit in homine; ſed *in quid*, ſcilicet in comparatione creaturarum, quibus illæ virtutes ſunt contingentes: nam in Deo omnia ſunt perfectè unum, tam inter ſe, quàm in eſſentia. Eodem ſenſu Auguſtinus dicit, quod *Deus eſt ſua ſapientia*, ſcilicet per identitatem; quia in eo *non eſt aliud* ab eſſentia. Nam vox *aliud* non admittitur ne inter perſonas quidem divinas, licèt realiter diſtinctas. Debent igitur hæc loca Patrum conciliari cum illis, quibus aſserunt, attributa prædicari *in quale*.

QUÆSTIO V.

De ordine, & æqualitate Attributorum; An, & qualis ſit ordo prioratis, & dignitatis in Divinis.

SOlet quæri à Theologis, an attributa tam abſoluta, quàm relativa ſint inter ſe æqualia, & an æquè immediatè ſint in Deo; & qualis prioritas ibi admitti poſſit; quod valde neceſsarium eſt ſci-

[1] *Monol.* 15. *&* 16.
[2] 13. *Trin.* 6.

ſciri ob plures difficultates, quæ occurrunt in hoc tractatu, & de Trinitate.

Ordo eſt *plurium diſpoſitio ſecundum prius, et poſterius;* ſive, ut ex Auguſtino definit Scotus: [1] *Rerum parium, diſpariumque unicuique ſua loca tribuens diſpoſitio congrua.* Et dicitur *ſecundum ſeriem*, vel *ſecundum proportionem.* 1. eſt eorum, quæ in aliqua ſerie tractum aliquem graduum habente poſita ſunt: nam *Series* importat aliquam prioritatem, & poſterioritatem in ſuis gradibus, ut *ſeries durationis, originis, connexionis, & dignitatis;* in his enim alia aliis ſunt priora, & poſteriora. 2. eſt eorum, quæ cum aliqua proportione partium ſuarum diſpoſita ſunt; nam ex his conſtat *harmonia, pulchritudo, conſonantia, temperamentum, analogia,* &c.

Prioritatis, & poſterioritatis ſpecies deſcripſimus in Logica; hic autem præcipua difficultas eſt de prioritate, & poſterioritate *naturæ, originis,* & *perfectionis;* nam certum eſt 1. quòd in Divinis non datur prioritas, nec poſterioritas *durationis*, quia ibi omnia ſunt æterna. Nec 2. *generationis*, quia non eſt ibi proceſsus ab imperfecto ad perfectum, juxta illud: *Quæ generatione ſunt poſteriora, illa ſpecie, et ſubſtantia ſunt priora.* Nec 3. *cauſalitatis*, quia ibi non eſt umbra dependentiæ, qualis eſt inter cauſam, & cauſatum; & deſcribitur à Scoto [2] *coexigentia unius ad aliud in alteritate naturæ.* Nec ibi eſt *alteritas* naturæ. 4. nec *eſſentialis eminentiæ*. Quia ibi nec eſt *excedens,* quale eſt omne prius prioritate eminentiæ, nec *exceſsum*, quale eſt tale poſterius: in Deo enim omnia ſunt infinita, ut eſſentia, & attributa; vel ſaltem non finita, ut relationes. Reſtat ergo difficultas de prioritate naturæ, & originis, & perfectionis; pro quo

Suppono, quòd *prioritas naturæ* dicitur multipliciter. [3] 1. quando unum pendet ab alio ſecundum menſuram perfectionalem, qua poſterius menſuratur ſecundum perfectionem ab eo, quod eſt prius, & iſtud eſt ſemper perfectius, 2. quando aliqua duo ſe habent ut producens, & productum per veram cauſalitatem inter duas naturas numero diſtinctas, & ideò

[1] 4. *d.* 24. *A. n.* 3. [2] *de* 1. *princip. c.* 1.
[3] *Lichet. quodl. c.* 3. *n.* 5.

& ideò per veram dependentiam producti à producente. 3. quando poſterius natura in nullo genere pendet à priori, ſcilicet, nec ut cauſatum à cauſato, nec ut menſuratum à menſurante, ſed purè dicitur poſterius natura, quia neceſſariò ſupponit prius: & ideò dicitur etiam prioritas *præſuppoſitionis*: ſic voluntas ſupponit intellectum in anima, & eſt poſterior illo: & prioritas intellectus nullam in eo dicit præcellentiam: imò ſæpe poſterius præcellit prius, ut voluntas intellectum. 4. quando unum eſt quaſi producens, & originans, & aliud ut quaſi productum, & originatum, ſeu emanans: ſed vel ambo ſunt infinita, ut eſſentia, & attributa abſoluta; vel ſaltem unum eſt infinitum, & aliud eſt huic identificatum, ut relationes in eſſentia Dei, & hic ordo nullam dicit imperfectionem in poſteriori, nec inter ſic ordinata. 5. denique quando unum producitur realiter ab alio, ſic tamen, ut productum non recipiat diſtinctam realiter naturam, ſed ſolam perſonalitatem, ideòque ſit prorsùs idem in natura; & cæteris perfectionibus abſolutis cum producente, & hæc etiam prioritas, & poſterioritas nullam dicit inæqualitatem inter prius, & poſterius; & dicitur prioritas puræ *originis*, quia nihil aliud importat, quàm proceſſionem poſterioris à priori, ſine dependentia, vel diſtinctione naturæ, vel perfectionum.

Ea tamen eſt differentia inter ordinem *naturæ*, & *originis*, quòd iſte ſit inter entitates realiter diſtinctas, ut ſunt Perſonæ divinæ; ille verò poteſt eſse inter realiter identificatas, ut ſunt intellectus, & voluntas in anima; & ordo *originis* eſt tantùm, inter quorum priùs eſt realiter producens, & poſterius eſt realiter productum; ordo verò *naturæ* eſt inter ea, quæ non ſic ſe habent, ſed ita ut unum præſupponatur alteri, aut ab eo fluat per ſimplicem emanationem, ſicut proprietates emanant ab eſſentia. Conveniunt autem in hoc, quod uterque poſſit eſse ſine ulla diſtinctione durationis, aut ſucceſsionis quoad exiſtentiam; ſed partes utriuſque ordinis poſſunt in eodem indiviſibili inſtanti exiſtere, ut Pater, & Filius in Deo, & ut humanitas, & riſibilitas in homine. Ordo naturæ aliquando im-

portat prioritatem *in quo*; quia aliquando datur, aut concipitur aliquod inſtans temporis, aut naturæ, *in quo* unum exiſtit, vel concipitur exiſtere ſine alio; ſed ordo originis importat ſolam prioritatem *à quo*, quatenus purè unum procedit ab alio. Quod ſi in ordine *naturæ* prius exiſtit revera ſine poſteriori, dicitur *prioritas in quo eſsendi*, ſeu *exiſtendi*. Si verò non exiſtit verè, ſed tantùm concipitur ante aliud, dicitur prioritas *in quo intelligentiæ*; & iſta prioritas non eſt realis, ſed formalis, & præciſionis per intellectum. His prænotatis ſit

Concl. 1. *in Deo non datur ordo naturæ in* 1. *&* 2. *&* 3. *ſenſu; ſeu non datur prioritas perfectionis, ſeu menſuræ, nec præeminentiæ, nec dependentiæ, ſeu propriæ cauſalitatis, nec eſsendi. Eſt de Fide quoad omnes partes.*

Prob. 1. ex Scoto [1] *dicente, quod in creatis ordo generationis, & ordo perfectionis ſunt contrarii. Et ratio eſt, quia creaturæ procedunt de potentia ad actum, & ideo de imperfecto ad perfectum .... in divinis autem ſimul debent concurrere ordo generationis, & perfectionis*; ergo ex Scoto licèt in Deo ſit ordo originis, non tamen ordo generationis, neque ullus alius, qui arguat inæqualitatem, vel dependentiam, aut cauſalitatem; ut ſunt tales ordines.

Prob. 2. ex Symbolo Athan. quo jubemur credere quod *in Deo eſt æqualis gloria, & coæterna majeſtas*; & quod ibi *non eſt nec prius, nec poſterius; ſed totæ tres Perſonæ coæternæ ſibi ſunt, & coæquales*. Omnia ſcilicet ibi menſurantur ſola infinitate, & æternitate, quæ ſunt ſine menſura.

Prob. 3. quia infinitum non eſt menſurabile, nec dependens, nec exceſſum, nec cauſatum. Sed omnia Dei attributa, ſicut & natura, ſunt infinita; ergo in eis non eſt ullus talis ordo naturæ, qui inducat prioritatem perfectionis, vel menſuræ, vel præeminentiæ, vel cauſalitatis, aut dependentiæ; quales ſunt illæ prioritates naturæ.

Prob. 4. ſpecialiter quoad prioritatem eſſendi: Ille ordo eſt inter illa, quorum unum poteſt eſſe ſine

[1] 1. *D*. 5. *q*. 2. *O*. *n*. 16.

ſine alio; non è contra, iſtud ſine illo. Sed nec eſſentia poteſt eſſe ſine attributis, nec attributa ſine eſſentia, aut ſine ſe invicem; & ita eſt de perſonis; ergo in Deo non eſt ulla prioritas eſsendi naturæ, maj. patet ex Phil. [1] qui ſic ordinata deſcribit *quorum prius poteſt eſſe ſine poſteriori, non verò poſterius ſine priori;* & talis ordo arguit diſtinctionem realem modalem, & ſeparabilitatem, quæ repugnat Deo, prob. min. ex dictis, quia attributa non diſtinguuntur nec inter ſe, nec ab eſſentia realiter; ergo non poſſunt eſſe ſine ſe invicem; nec etiam perſonæ, licèt inter ſe diſtinguantur realiter. Omnia quippe in Deo ſunt ſimpliciter neceſſaria.

Objic. 1. inter eſſentiam Dei, & attributa datur ordo inconvertibilitatis, & quoad ſubſiſtendi conſequentiam. Sed hic ordo eſt naturæ, & *in quo eſſendi*; ergo talis ordo eſt in Deo, prob. maj. in Deo valet hæc conſequentia. *Hæc perſona eſt pater; ergo eſt Deus*. Non verò iſta; *hæc perſona eſt Deus; ergo eſt pater*; ergo in divinis admittitur prioritas naturæ, *in quo eſſendi*, ſeu ordo inconvertibilitatis, & ſecundum ſubſiſtendi conſequentiam.

Reſp. diſt. maj. inconvertibilitatis logicæ, & in prædicando, ſeu per intellectum; con. maj. & neg. min. realis, & in eſſendo, qualis eſt inter genera, & differentias; aut inter gradus ſuperiores, & inferiores in creatis; neg. maj. Igitur cum Deitas non ſit indifferens ad eſſe in tribus perſonis cum ſui multiplicatione, ſed per ſummam identitatem numericam; ſicut humanitas eſt indifferens ad eſſe in Petro, & Paulo cum ſui multiplicatione numerica; tota illa inconvertibilitas in Deo eſt purè logica, & per intellectum, licèt cum aliquo fundamento in re.

Objic. 2. ubi ſunt duo, quorum uni ex ratione formali, & intrinſeca minus repugnat eſſe ſine alio, quàm iſti ſine illo, ibi eſt prioritas naturæ *in quo*, & *quoad eſſe*; ſed ubi eſt producens, & productum, ut in Deo, minus repugnat producenti eſſe ſine producto, quàm è contra; v. g. minus repugnat patri eſſe ſine filio, quàm filio eſſe ſine patre; & quidem ex ſua ratione formali intrinſeca; ergo in Deo, v.g. inter Patrē, & Filium eſt vera prioritas natu-

[1] 5. *metap.* 11.

turæ *in quo eſſendi*, prob. min. quod pater non poſſit eſſe ſine Filio, non venit ex ratione formali hujus perſonæ, ſed ex æquali neceſſitate eſſendi, quæ ſe tenet ex natura, non verò ex ratione formali intrinſeca illius ſuppoſiti. Unde in creatis perſona Patris poteſt eſſe ſine filio; non iſte ſine patre.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam in creatis ratio producentis, & producti poſſunt ſeparari, & diſtinguuntur à ſuppoſitis; non autem in Deo, ubi tota ratio conſtitutiva ſuppoſiti Patris eſt ipſa generatio activa, & paternitas; ergo ex ſua ratione formali intrinſeca repugnat illi eſſe ſine filio, imò & intelligi.

Concl. 2. *Datur in Deo ordo realis originis, & naturæ, à quo inter perſonas, & aliquo modo inter eſſentiam, & attributa, ſaltem in quarto ſenſu; & naturæ, in quo, intelligendi, ſeu naturalis præſuppoſitionis inter attributa.*

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] qui aſſignat plura inſtantia naturæ in Deo, ſecundum quæ occurrunt varia ejus prædicata coordinata. *Nam incipiendo à 1. ſigno naturæ primò occurrit eſſentia divina, ut eſt eſſe per ſe, & de ſe: quod non competit alicui naturæ creatæ, quia nulla natura creata habet eſſe prius naturaliter, quàm in ſuppoſito. Iſta autem natura, ſecundum Auguſtinum, eſt, qua pater eſt; & qua filius eſt, licèt non ſit, qua pater eſt pater .... iſti ergo eſſentiæ abſtractiſſimè conſideratæ, ut priori omnibus perſonalibus* (prædicatis) *convenit eſſe per ſe, & in iſto priori occurrit, non ut aliquid receptivum alicujus perfectionis, ſed ut infinita perfectio potens in 2. ſigno naturæ communicari alicui, &c.* Vides in Deo ordinem prioritatis, & poſterioritatis inter eſſentiam, & perſonalitates, quę ex eą pullulant; & ſic eſt prioritas naturæ *à quo*; ſed ſine imperfectione utrobique; quia nec eſſentia perficitur illis; nec illæ ab ea dependent, *niſi quatenùs ſunt quædam ſuppoſita, quibus dat eſſe, ut quo formaliter illa ſuppoſita ſunt, & quo ſunt Deus; & ita relatio illa pullulans, cùm ſit per ſe ſubſiſtens, ipſa pullulat non ut forma eſſentiæ, ſed ut nata eſſe Deus ipſa Deitate formaliter, non ut informans ipſam, ſed ut exiſtente*

[1] *Ibid.*

te eadem ſibi, perfectiſſima identitate. Clariſſimè etiam diſtinguit plura ſigna hujuſmodi inter Patrem, & Filium in ipſo actu Spirationis, quæ videre non pigebit.

Prob.2. quoad 1. par. [1] nam verè Pater eſt principium Filii, & uterque eſt principium Spiritus S. ſed inter principium, & principatum realiter eſt ordo realis originis, & naturæ, ſaltem *à quo*, in ſenſu prædicto; ergo inter perſonas divinas eſt verus ordo originis, & naturæ *à quo*.

Confir. ille ordo ſignificat unum producere aliud realiter, & iſtud verè eſſe ab illo productum: ſed Pater verè producit Filium, & iſte verè eſt à Patre, (ita eſt de Spiritu S. reſpectu utriuſque) ergo verè datur ille ordo originis, ſeu prioritatis, & poſterioritatis in Deo.

Prob.2. ex SS. Patribus, 1. ex Auguſt. [2] *Pater non præcedit Filium tempore, ſed origine*; [3] & Origen. *præcedit Pater Verbum, non natura ſed cauſa, ideſt origine, & quatenus eſt ejus principium*. Eodem ſenſu Richar. Victor dicit: [4] *quod non poteſt eſſe prius temporaliter, poteſt eſſe prius cauſaliter*, & Hugo Victor: [5] *prius, & poſterius hoc loco intelligi volumus, non temporis ſucceſſione, ſed ordine naturæ*, vel originis, &c. Hic habes totam veritatem.

Prob.2. & 3. par. 1. illa prioritas nihil aliud dicit, quàm ſimpliciſſimam emanationem attributorum, & perſonalitatum ab eſſentia ſine ulla cauſalitate, vel imperfectione; ſeu puram præſuppoſitionem eſſentię ab attributis; ſed hæc prioritas reperitur inter eſſentiam, & attributa, & Relationes Divinas; ergo & ordo talis prioritatis, prob. min. ſecundum ordinem naturalem eſſentia prius ſupponitur ſuis modis intrinſecis, & hi modi ſuis proprietatibus, & quaſi qualitativis; & inter hæc attributa, ſeu proprietates, eſſentialia præſupponuntur notionalibus, & intellectus voluntati, & intellectus notitiæ tam eſſentiali, quàm genitæ; & voluntas amori, &c.

Prob.

[1] *d. 12. q.2. B. n. 2. & in Reper. q.1. prol. n.43.*
[2] *de Tripl. habit. & de Gaudiis elect.*
[3] *hom. 2. in 1. Jo. 5.*
[4] *Trin. 7.*
[5] *6. Trin. 6.*

Prob. 2. Talis eſt ordo in Divinis, imò & in omnibus entibus, qualis eſt diſtinctio; & talis prioritas, qualis eſt ordo cum diſtinctione: ſed inter eſſentiam, & attributa, & inter ipſa attributa eſt diſtinctio formalis; ergo & ordo prioritatis pariter formalis, & *intelligendi*; ita ut pro aliquo inſtanti rationis eſſentia præſupponatur concipi eſſe, in quo attributa, nec modi non concipiuntur, licèt realiter ſimul omnia neceſſariò exiſtant. Maj. patet, nam in Deo cuncta ſunt ordinatiſſima, inquit Doctor: [1] *Talis eſt ordo formalis ex natura rei, qualis eſſet, ſi diſtinguerentur realiter*: ſed inter ſcientiam, & amorem, v. g. eſſet ordo prioritatis realis; eſtque talis in creatis, in quibus ſcientia, & amor diſtinguuntur realiter; ergo & in Deo erit vel formalis, vel rationis inter ſcientiam, & amorem; quia ſic, vel ſic diſtinguuntur.

Prob. 3. Ex variis gradibus, & modis, quibus perfectiones conveniunt rebus: nam concipimus ordinem eorum inter ſe ſecundum varia inſtantia naturæ, quæ ſtant cum perfecta ſimultate temporis: concipimus 1. eſſentialia, quæ conveniunt in 1. modo dicendi *per ſe*. 2. quæ dicuntur in 2. modo, ut proprietates; imò & inter illa prima ponimus ordinem; nam homo priùs aliquo modo eſt animal, quàm rationalis, & priùs rationalis, quàm riſibilis; & hic ordo dicitur naturæ, quia eſt modus naturalis concipiendi formalitates, & perfectiones rerum, ut ſunt de ſe conceptibiles; ergo ita eſt de Deo, qui eſt infinitum Pelagus perfectionum, & in quo cuncta ſunt ordinatiſſima ad infinitam pulchritudinem, & proportionem.

Objic. 1. con. 1. par. Patres negant veram prioritatem inter Patrem, & Filium; quia, inquit Auguſt. [2] *ibi non eſt inæqualitas ſubſtantiæ, ſed ordo naturæ; non quod alter ſit prior altero, ſed quod alter ſit ex altero*. Et Ambroſ. [3] *ſi Pater dedit, non tamen quaſi priori dedit*. Et S. Iſidor. [4] *Trinitas nec prius, nec poſterius, nec primum, nec ſecundum, nec 3. admittit*, &c. ergo in Deo nulla eſt prioritas, nec poſterioritas realis.

Reſp.

[1] *Repor. cit.* [2] 3. *con. Max.* [3] 4. *de fid.* 6.
[4] *l.* 2. *ep.* 149.

Reſp. diſt. conſ. nulla prioritas temporis, aut naturæ, quæ arguat dependentiam: con. originis veræ, ac realis: neg. conſ. Nec enim de iſta loquuntur Patres, ſed de ſola prioritate durationis, vel naturæ, quam aſſerebat Arrius, ut patet ex verbis Ambroſii, qui dans rationem, cur Pater non dedit eſſe Filio, *quaſi prior*, *quia*, inquit, *increata Trinitas, quæ unius eſt æternitatis & gloriæ, nec tempus, nec gradum vel poſterioris recipit, vel prioris*; ergo negat ſolam prioritatem gradus propter æqualitatem, vel temporis propter æternitatem.

Objic. 2. ſi Pater præcederet Filium origine, id eſſet vel ratione eſſentiæ, vel relationis: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ratione eſſentiæ, quia eſt eadem in utroque realiter, & formaliter. 2. non relationis; quia paternitas, & filiatio ſunt correlationes, & per conſequens ſimul natura, & cognitione, ſeu ratione; ergo prioritas non venit ab eſſentia, nec à relationibus.

Reſp. neg. min. quia venit à relationibus, & diſt. ant. prob. ſunt ſimul natura, quatenus una cognoſci non poteſt ſine altera; con. quaſi origine ſint ſimul; ita ut una non poſſit eſſe ab altera; neg. ant. & conſ. quia prioritas originis rectè ſtat cum ſimultate naturæ, durationis, & cognitionis correlationum.

Inſt. quę ſunt ſimul cognitione, non poſſunt cognoſci ut prius, & poſterius; ſed iſtę correlationes sũt ſimul cognitione, & ratione; ergo & ſine prioritate quoad cognoſci; ergo multò minus quoad eſse à parte rei.

Reſp. diſt. maj. reduplicativè ut correlativa; con. in ratione producentis, ſeu originantis, & producti, ſeu originati; neg. maj. & conſ. nam conſideramus paternitatem non ut correlationem filiationis, & ſecundum munus referendi, ſed producendi in primo ſuppoſito.

Inſt. 2. Patrem eſſe priorem Filio, eſt eum eſſe in 1. ſigno, & Filium in 2. ergo Filius non eſſet æternus; quia in æternitate non eſt primum, & 2.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam patrem eſſe priorem filio, nihil eſt aliud, quàm patrem non eſſe à filio, ſed filium à patre per veram generationem, abſque ſucceſſione, vel diſtinctione naturæ, vel dependentia, aut inæqualitate.

Objic. con. 2. par. prioritas *in quo* importat prio-

ri-

ritatem durationis: ſed hæc repugnat divinæ æternitati, ergo & illa, prob. maj. prioritas *in quo* eſt ea, per quam licet dicere pro hoc inſtanti eſt pater, & non eſt filius; eſt intellectus, & non eſt voluntas; ſed hæc ſignificant ſucceſſionem durationis; ergo & illa prioritas.

Reſp. diſt. maj. prioritas *in quo eſſendi*; con. maj. & min. *in quo intelligendi*: neg. maj. & min. & maj. prob. non enim admittimus in Deo prioritatem illam *in quo eſſendi*, ſed ſolùm *intelligendi*, ſeu rationis, ſeu puræ præſuppoſitionis.

Conſtat igitur, quòd eſſentia eſt omninò primum, quod intelligitur in Deo. 2. modi ejus intrinſeci, 3. attributa, & perfectiones ſimpliciter ſimplices; & inter hæc communiora ſunt priora minùs communibus. 4. Relationes, ſeu proprietates perſonales. Sic intellectus eſt prior voluntate; & intellectus prior cognitione; & cognitio eſſentiæ prior cognitione creaturarum; & Pater prior origine Filio, & uterque prior Spiritu Sanct. Sed ſobriè utendum voce prioritatis, & poſterioritatis, ne videamur derogare perfectiſſimæ æternitati, ſimplicitati, æqualitati, & perfectioni infinitæ omnium, quæ ſunt in Deo.

Concl. 3. *inter attributa, & eſſentiam, aut inter ipſa attributa Dei non datur ordo præcellentiæ. Omnia ſunt prorſus æqualia; tota inæqualitas eſt penes modum concipiendi, & reſpectivè ad perfectiones creatas.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, *quod infinitas eſt modus intrinſecus cuilibet attributo. Magnitudo in Divinis non dicit attributum diſtinctum ab aliis, ſed gradum intrinſecum, ſive modum intrinſecum cujuslibet.* Unde concludit. *Quot ſunt perfectiones, tot ſunt magnitudines ſua magnitudine correſpondentes..... ergo infinitæ erunt ibi magnitudines; infinitæ æqualitates*, &c. ergo ex Scoto, cum omnia attributa abſoluta ſint infinita per propriam ſibi infinitatem, omnia ſunt æqualia ex ſe. Et alibi docet,[2] quod *magnitudo virtutis, cui non repugnat infinitas, non eſt perfecta, niſi ſit infinita. Omnis autem alia magnitudo* (præter divinam) *eſt finita*; & ideò

[1] *Reper. 1. d. 19. q. 3. n. 10.* [2] *1. d. 19. q. 1. E.*

ideo *in aliis omnibus æqualibus unitas magnitudinis, ſecundum quam æquales dicuntur*, quia illa magnitudo numeratur in ipſis æqualibus. Hic autem (*in Deo*) eſt perfecta unitas magnitudinis; ergo cùm ſingula attributa poſitiva, & abſoluta ſint de ſe infinita, ita & æqualia.

Prob.2. ex SS.Patribus. S.Augu. [1] probat, quod *ſicut in Deo nihil eſt alio verius, ita nihil alio majus. Quod autem eſt incommutabile, non aliud alio verius eſt; quia æquè incommutabiliter æternum eſt.....* quidquid ergo plus veritatis non habet, non habet plus etiam magnitudinis; ergo ſicut in divinis non eſt præcellentia in veritate, ita nec in perfectione, aut dignitate, aut magnitudine.

Prob.3. ratione Scoti. Quod eſt infinitum, non poteſt excedi; ſed omnia attributa poſitiva, & abſoluta ſunt infinita, ut dicemus; quippe, *magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis*; ergo nullum attributum poteſt excedi ab alio, nec ab eſſentia; ergo inter illa non eſt ordo præcellentiæ: quia omnia ſunt infinita in perfectiſſima unitate; illa enim ſunt æqualia, quorum magnitudo eſt una, prob. maj. infinitum dicitur, *cui nihil deeſt*; vel *quod excedit omne finitum, ultra determinatam, vel determinabilem proportionem*. Si autem poſſet excedi, deeſſet ei aliquid, ſcilicet perfectio, per quam excederetur.

Prob. 2. par. quia per ordinem ad noſtrum concipiendi modum, qui nihil in Deo intelligimus, niſi ex creaturis, virtutes ejus concipimus per analogiam, quam habent ad noſtras: ſed iſtarum aliæ ſunt aliis nobiliores; ergo ſub hoc reſpectu ita eſt in divinis. min. prob. nam ex omnium conſenſu, ſcientia præcellit potentiam. ex objecto; nam illa reſpicit omne ſcibile, & ipſum Deum; hæc verò tantùm omne factibile, & ſolas creaturas; item ſcientia intuitiva præfertur abſtractivæ; & charitas prudentiæ, & fidei, &c.

Confirm. ex Script. quæ talem præcellentiam tribuit ipſis virtutibus Divinis ſecundum nobiliores effectus; ut cum dicit; *Superexaltat miſericordia in-*

[1] 8. *de civit.* 1.

judicium, & *miſerationes ejus ſuper omnia opera ejus*, &c. Scilicet propter miſericordiæ, & veritatis opera, & per hoc ſatisfit objectionibus, quæ ex Scriptura, & Patribus fieri poſſent contra 1. partem.

Objic. præterea. Duo infinita poſſunt eſſe inæqualia; ergo infinitas eſſentiæ, & attributorum non impedit inæqualitatem, & ordinem præcellentiæ, prob.ant. infinitas hominum præfertur infinitis equis; infinita lux infinitæ lineæ; infinita ſubſtantia infinitæ quantitati, &c.

Reſp. diſt. ant. infinita creata ſi darentur, & in uno genere; con.ant. increata, & in Deo; neg.ant. & conſ. In Deo illæ omnes infinitates attributorum, & eſſentiæ ſunt realiter unum infinitum in omni genere infinitatis, quæ excludat undecumque omnem limitationem, & imperfectionem: ſed non ita eſſet de talibus infinitis creatis, quæ non eſſent unum, nec in omni genere, nec infinita ſimpliciter, ſed ſecundum quid, & in uno genere. Deinde unum infinitum creatum, v. g. hominum non excederet aliud, v. g. equorum, niſi materialiter, non verò formaliter.

DISPUTATIO IV.

De Attributis negativis; ſeu de modis intrinſecis Eſſentiæ divinæ in particulari.

JAm deſcendimus ad attributa, & perfectiones divinas in particulari; & incipimus ab illis, quæ intimiora videntur eſſentiæ; quæque ideo dicuntur *modi* ejus *intrinſeci*; & ſolent exprimi nominibus, quæ negationes præ ſe ferunt, & removent omnes defectus ab illo perfectionum omnium Pelago. Inter hæc ſunt *ſimplicitas*, *unitas*, *veritas*, *æternitas*, quæ magis poſitivè exprimuntur; & *infinitas*, *immenſitas*, *immutabilitas*, *ineffabilitas*, *incomprehenſibilitas*, *inviſibilitas*, &c. quæ purè negativè ſignificantur; & de his omnibus in præſenti diſputatione agemus.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

De infinitate Dei, an, & quid ſit.

SCotus docet, [1] quod infinitas intenſiva eſt inter omnes modos intrinſecos eſsentiæ Dei prima. Infinitum autem in entitate (de hoc loquimur) & perfectione deſcribit *id, cui nihil deeſt entitatis, eo modo, quo eſt poſſibile illud haberi in aliquo uno.* Quod addit, quia *Deus non poteſt realiter per identitatem omnem omninò entitatem habere, ſed eam habet modo poſſibili pro ſua dignitate, & unitate.* Deſcribit etiam illud relativè ad finitum dicens, *infinitum eſſe, quod excedit omne finitum ultra omnem determinatam, vel determinabilem proportionem.* Et iſtud duplex eſt; *infinitum ſimpliciter*, & *abſolutè*, quod in omni genere perfectionis termino caret, ita ut nulla ſit perfectio in tota latitudine entis, quæ ibi non contineatur formaliter, vel eminenter; & infinitum *ſecundum quid*, quod in uno tantùm genere caret limite, ut ſi linea in longitudine prætendatur ſine limite, illa erit infinita ſecundum quantitatis dimenſionem unam. De infinitate attributorum, ſcilicet prout diſtinguitur ab infinitate eſsentiæ, jam diximus ſupra, & an ſint multitudine infinita.

Reſtat hic videndum, an Deus ſit abſolutè, & ſimpliciter infinitus, & quomodo id probetur, & in quo conſiſtat illa infinitas; nam quod illi ſoli convenire poſſit, jam conſtat ex Philoſophia, ubi negavimus infinitum in creatis.

Concl. 1. *Deum eſſe infinitum conſtat ex Fidei principiis, & naturali lumine rationis.* Eſt contra quoſdam Hæreticos, qui teſte S. Bonaventura dicebant Deum non aliter eſse infinitum, quàm quia non comprehendimus eum, & contra Vorſtium, qui negat abſolutè Deum eſse infinitum in eſsentia, vel potentia.

Prob. 1. ex Scoto. [2] Qui poſt deſcriptum infinitum velut modum intrinſecum eſsentiæ dicit, *ipſam eſſe cui*

[1] *Repor. q. 1. prol. n. 45.*
[2] *quod. 5. B. n. 4.*

cui nihil deeſt, & quod excedit omne finitum, &c. Et id probat ex Damaſceno, qui vocat eſſentiam *Pelagus ſubſtantiæ infinitum, & interminatum. Subſtantia ergo, ſecundum quod habet rationem omninò primi in divinis, vocatur ab eo Pelagus, ſic ipſa eſt infinita, & interminata*, &c. Et diſtinguens hoc attributum ab aliis, addit. *Sic autem non includitur in ea veritas, nec bonitas, nec aliqua proprietas attributalis; ergo ipſa infinitas eſt magis modus intrinſecus eſſentiæ, quàm aliquod attributum.* [1] Et alibi docet, Dei naturam meliùs à nobis cognoſci pro hoc ſtatu ſub infinitate, velut propriiſſimo ejus conceptu, & ex profeſſo probat *infinitatem primi entis*.

Prob. 2. ex Script. [2] *magnus Dominùs, & magnitudinis ejus non eſt finis*, & dicitur [3] *excelſior cęlis, & profundior abyſſis.* [4] Et *incomprehenſibilis cogitatu.* [5] Et *magnus eſt, & finem non habet, & excelſus, & immenſus.* Nam licèt aliquando vox, *infinitum*, dicatur impropriè pro aliqua ingenti quantitate molis, aut numeri; tamen ſumitur in rigore, cùm dicitur de Deo, inquiunt SS. Patres.

Prob. 3. ex Patribus. *Deum eſſe infinitum* docet Theodoret. [6] *non circumſcribi poſſe, aut quoad ſubſtantiam, aut quoad potentiam ex veteri, & novo Teſtamento didicimus.* Ait Dionyſ. [7] *omnem numerum ſuperat; omnem infinitatem tranſilit;* Inquit Nazianz. [8] *Deum eſſe pelagus quoddam eſſentiæ immenſum; interminatum.* Baſil. [9] *infinitus pater, infinitus filius, &c.* Inquit Nyſſen. [10] *nec magnitudine concluditur, nec finibus cohibetur.* Ait Auguſtin. [11] *ſicut corde credo ad juſtitiam, ita ore confiteor ad ſalutem, unum Deum in magnitudine infinitum.* Docet Damaſcenus *credimus in unum Deum infinitum, incircumſcriptum, interminatum, infinitè potentem, &c.* ergo ex Fide, & Patribus conſtat Deum eſſe infinitum.

Prob. 2. par. rationibus, quas addunt Theologi, quibus id prætendunt, vel demonſtrare, vel invincibiliter oſtendere. 1. Deus eſt id, quo nec melius, nec

[1] 1. *d.* 2. *q.* 2. *R. n* 20. [2] *Pſal.* 144. *&* 146. [3] *Job.* 30. [4] *Jere.* 32. [5] *Bar.* 3. [6] *Epiſt. decr.* [7] *de div. nom.* 9. [8] *orat.* 2. *paſch.* [9] *hom. in Jo.* [10] *De ſpec.* 33. [11] 1. *de fid.* 8.

nec perfectius, nec nobilius, nec majus excogitari poteſt; id enim Dei nomine omnes intelligunt; ſed tale ens eſt abſolutè infinitum; quia omni finito poteſt aliud melius excogitari; ergo Deus eſt abſolutè infinitus.

2. Deus eſt ens à ſe, incauſatum, incauſabile, & neceſſe eſſe: ergo & infinitum, prob. conſ. quod eſt à ſe, & per ſe, & neceſſe eſſe, à nullo poteſt limitari, cum nullam ſui cauſam agnoſcat; ergo habet totam plenitudinem entis poſſibilem.

3. Deus eſt prima, & univerſalis omnium entium, tam poſſibilium, quàm exiſtentium cauſa; ergo omnia continet, ac ſuperat entitate, & perfectione; ergo de ſe eſt illimitatus.

4. Eſt actus puriſſimus; ergo actu continet omnem perfectionem poſſibilem; ſi enim deeſſet ei vel minima, haberet aliquid potentialitatis, & imperfectionis, & ſic non eſſet Deus.

5. Eſt eſſentialiter unicus; ergo & infinitus. Nam cuicumque enti finito poteſt dari aut majus, aut ſaltem æquale.

6. Eſt appetitus humani, & Angelici perfectè ſatiativus; ergo eſt bonum infinitum; nam ſicut objectum intellectus eſt omne ens in tota latitudine entis; & objectum voluntatis eſt omne bonum; neutra facultas poteſt perfectè conquieſcere, niſi in adeptione plenitudinis entis, & veri, & boni. Alias rationes habebis apud Theologos, & Philoſophos; has tetigiſſe ſufficiat.

Objic. ſi Deus eſſet infinitus, creaturæ omnes eſſent æquales; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. prob. maj. perfectio creaturarum menſuratur per acceſſum, & receſſum ad Dei perfectionem; ſed ille acceſſus, & receſſus eſſet æqualis: ergo & creaturæ ipſæ, prob. min. omnes diſtarent infinitè à Deo, quia finitum, & infinitum diſtant infinitè; ergo æquè diſtarent omnes.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. menſuratur extrinſecè, & impropriè con. intrinſecè, & propriè neg. maj. nam cùm finiti ad infinitum nulla ſit proportio, ita nec illud menſurari poteſt per iſtud. Perfectio intrinſeca creaturæ menſuratur ex propria entitate, qua plus, aut minùs diſtat à nihilo, & plus, aut minus partici-

pat

pat de illo primo ente; aut plures, vel pauciores habet perfectiones formaliter, vel eminenter.

Objic. 2. ſi Deus eſſet infinitus, non eſſet ſingularis, quia ſingularitas eſt limitatio entis, qua eſt hoc, & non aliud. Sed omnis limitatio repugnat infinito; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus; nam ſingularitas non limitat entitatem, nec perfectionem rei, ſed eam determinat, ut non ſit vaga, & incerta.

Objic. 3. ſi Deus eſſet ſimpliciter infinitus, eſſet omne ens, omne bonum, &c. & ſic nullum eſset ens extra illum; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. ſi eſset infinita moles, occuparet omne ſpatium, & omnem aliam molem excluderet ex ſpatio; ergo ita eſſet de ente infinito.

Reſp. diſt. maj. eſset omne ens, virtualiter, & eminenter, con. formaliter, neg. maj. & conſ. Deus continet virtualiter omnia, quia poteſt omnia facere, & omnia dependent eſsentialiter ab ipſo; continet eminenter omnes omnium perfectiones, ſublatis eorum defectibus; ſed non eſt neceſse ad infinitatem, ut omnia in entitate, & formaliter contineat. Nec valet paritas de mole, quæ in ratione quantitatis exigit commenſurari loco, & habere partes extra ſe invicem cum impenetratione; & ſic excludit alias moles ab eodem loco. Imo & Deus poteſt facere, ut duę moles ſint compenetrativè in eodem ſpatio.

Inſt. ſi eſset infinitum bonum, non permitteret ullum malum; ſed hoc eſt falſum, & contra experientiam; ergo & illud.

Reſp. neg. maj. tum quia ſicut per infinitam potentiam non facit omnia poſſibilia, quia eſt liber ad extra; ita nec per infinitam bonitatem impedit omne malum. 2. quia quæ mala ſunt extra Deum, non inficiunt intrinſecam ejus bonitatem. Et 3. quia nullum eſt ens poſitivum, quod non habeat ab eo ſuam bonitatem.

Objic. 4. Quod eſt perfectum, habet ultimum complementum poſitivum, & finem; ſed Deus eſt perfectiſſimus; ergo & finitiſſimus.

Reſp. diſt. maj. complementum, & finem ſibi proprium, ſeu totam perfectionē poſſibilem; con. finitam perfectionē, & limitatam. neg. maj. Æquivocatio eſt

in

in voce, *perfectum*, & *finis*, & *infinitum*. In 1. ſenſu ſignificat completum ſine limite, & cui nihil deeſt perfectionis debitæ, & poſſibilis, & eſt *infinitas poſitiva*; in 2. ſenſu ſumitur infinitum negativè pro eo, cui deeſt aliquid perfectionis, ſeu entitatis ſibi debitæ. Deus eſt infinitus 1. modo, non 2.

Concl.2. *Infinitas eſſentiæ Dei non eſt pura negatio termini, ſed importat illam poſitivam perfectionem, ſecundum quam habet in ſe perfectionem poſſibilem ultra omnem determinabilem proportionem*. Et dici poteſt totalitas in ente, in qua fundatur negatio limitationis.

Prob.1. ex Scoto, [1] Qui definit infinitum id, *cui nihil deeſt*, &c. vel *quod habet omnem perfectionem*. &c. nam, licèt prior definitio detur per negationem defectus, tamen includit totalitatem entis, & perfectionis, ut patet ex ſecunda, ideo enim nihil ei deeſt, quia *habet totalitatem in ente, in quo fundatur negatio limitationis*, ergo infinitas Dei dicit primariò poſitivam perfectionem, &c.

Prob.2. ex eodem, [2] quia negatio, quam importat infinitas, eſt inſeparabilis à Deo, & eſt modus ejus intrinſecus, dicens repugnantiam ad limitari; ſed omnis negatio inſeparabilis, & dicens repugnantiam fundatur in aliquo poſitivo, *repugnantia talis nunquam poteſt eſſe, niſi per entitatem poſitivam*; ergo, &c.

Prob.3. negatio termini, quam dicit infinitas in Deo, non eſt extra, ſed intra genus aliquod, alioqui tam conveniret non enti, quàm enti; ergo ineſt illi ratione alicujus poſitivi; ſed nullum tale poſitivum poſſet commodiùs aſſignari præter illam totalitatem perfectionis; ergo ſic bene aſſignatur.

Confir. quia ſic ſufficienter explicatur infinitas eſſentiæ, prout diſtinguitur ab omni ente finito, & ab infinitate formali attributorum; & non poteſt meliùs explicari; ergo, &c.

Igitur in eo conſiſtit formalis infinitas eſſentiæ, *quod ipſa eſt pelagus propter comprehenſionem omnium perfectionum divinarum; & eſt infinita, non tantum intenſivè, in ſe continens primò, & per ſe omnia intrinſeca. Quodcumque*

[1] *quodl. cit.* [2] *3.d.1.q.1.G.n.6.*

autem aliud (attributum) *continet* (quidem) *alia per identitatem, ſed non primò omnia, quia non* (continet illa) *à ſe, ſed virtute eſſentiæ, à qua etiam* (attributa ſingula) *habent ſuam infinitatem*, radicaliter.... *Ab hac enim prima* (eſſentia) *ſicut licet loqui, emanant omnia ordinatè. 1. quidem intrinſeca eſſentialia, quæ non dicunt reſpectum ad extra. 2. notionalia. 3. & ultimò creata, ſive extrinſeca; & quodlibet emanans recipit ab ea illud perfection's, cujus eſt capax*, inquit Doctor. [1]

Objic. 1. Deus eſt infinitus in eſſentia, quia eſt à ſe, & non ab alio; ſed hoc dicit puram negationem; ergo & infinitas.

Reſp. neg. min. quia licèt *Aſſeitas* à nobis intelligatur, ut negatio eſſendi ab alio, tamen in ſe primò dicit totalitatem abſolutiſſimam entis, ſicut infinitas.

Inſt. creatura dicitur finita, quia habet eſſe ab alio; ergo infinitas Dei eſt pura negatio eſſendi ab alio; quia, quod finitas affirmat, infinitas negat.

Reſp. neg. conſ. quidquid ſit de ant. nam creatura æque dicitur finita, quia non eſt à ſe, & Deus infinitus, quia eſt à ſe, & ſic per affirmationem; & ſimiliter creatura dicitur finita, quia non habet plenitudinem entis, nec eſt neceſſe eſſe.

Objic. 2. infinitas Dei ſufficienter intelligitur per negationem termini, & dependentiæ; ergo fruſtra recurrimus ad poſitiva.

Reſp. neg. conſ. nam aliud eſt, quod poſſit aliter explicari, & aliud, quod ita ſit; multa propter imperfectum modum noſtrum concipiendi explicantur per negationes, aut relationes, quæ tamen in ſe ſunt poſitiva, & abſoluta.

Quæres, *an infinitas ſoli Deo conveniat, an alicui creaturæ competere poſſit.*

Reſponſio facilis eſt ex Philoſophia, ubi negavimus poſſibilitatem infiniti extra Deum, & maximè de infinitate entitativa, de qua hìc loquimur, quia venit ab *aſſeitate*, & importat totalitatem, ſeu plenitudinem omnis eſſe. *Simplicitas communicatur creaturis* (inquit Scotus) [2] *infinitas autem non ſe-*

cun-

[1] *quodl. 5. X. n. 25.*
[2] *1. d. 2. q. 2. E. n. 17.*

cundum modum, *quo convenit Deo*, ſcilicet infinitas per eſſentiam, quæ, ut dicebam, includit omnem perfectionem poſſibilem ſine defectu, & ſine imperfectione dependentiæ. Porrò independentia in eſſe propria eſt ſoli Deo.

De aliis infinitatibus, v. g. qualitatis, molis, vel durationis, ſeu æternitatis, vel numeri, vel intenſionis gradualis, ſeu in qualitate, patet ex Phyſica.

QUÆSTIO II.

De ſimplicitate Dei, An, & quid ſit.

SImplicitas, quam reponimus inter attributa negativa, dicit negationem *compoſitionis* ex pluribus partibus diſtinctis, & unitis, ex quibus fiat unum, & negationem *componibilitatis* cum alia ulla re diſtincta. An autem ſolùm dicat purè duplicem illam negationem, an verò quid poſitivum, in quo fundentur illæ negationes, videbimus.

Simplicitas ergo differt 1. ab *identitate*, quæ negat omnem diverſitatem, & diſtinctionem. 2. ab *unitate*, quæ excludit ſolam diviſionem & pluralitatem, non verò *compoſitionem*, hoc enim ſoli ſimplicitati proprium eſt. Hæc, inquam, excludit unionem ex partibus, quæ ſe habent ad invicem, ut actus, & potentia, ſive ut compartes, quarum una ſit perfectibilis, & alia perfectiva, non verò excludit omnem pluralitatem tam formaliter diſtinctorum, ut ſunt attributa, & eſſentia, quàm realiter, ut ſunt perſonalitates Patris, Filii, & Spiritus S.

Compoſitio alia eſt *realis*, ſcilicet ex partibus realiter diſtinctis, ut homo ex corpore, & anima; alia *formalis*, ſeu *virtualis*, aut *rationis*, quæ eſt ex entitatibus, quæ realiter idem ſunt, ſed diſtinguuntur vel ſola ratione, aut formaliter ex parte rei, vel virtualiter; ſed tamen una concipitur ut perfectibilis, & alia ut perfectiva, ut animalitas, & rationalitas in homine, quæ ideo faciunt compoſitionem metaphyſicam.

Rurſus *realis* eſt 1. ex partibus eſſentialibus, ut materia, & forma phyſica; & facit compoſitum

 eſſen-

eſſentiale, vel 2. ex partibus integrantibus, ut homo ex capite, brachiis, cruribus, &c. vel 3. ex natura, & ſubſiſtentia, ut homo ex humanitate, & perſonalitate, quibus fit *perſona*, ſeu *ſuppoſitum*, ſuppoſita diſtinctione reali eorum; vel 4. ex ſubjecto, & accidente, ut *album*, ex pariete, & albedine; & fit compoſitum *accidentale*.

Similiter compoſitio *formalis* eſt 1. ex genere, & differentia, & facit compoſitum *eſſentiale* metaphyſicum. 2. ex potentia objectiva, & actu, cùm res tranſit à non eſſe ad eſſe, ut creaturæ omnes, & opponitur æternitati. 3. ex eſſentia, & proprietatibus, ut ex humanitate, & riſibilitate, & fit compoſitum *accidentale metaphyſicum*. 4. ex eſſentia, & modis ejus intrinſecis, ut ex ſubſtantia, & finitate; hæc non eſt propria compoſitio, nec tollit ſimplicitatem. Hinc facilè colligis diverſas ſpecies ſimplicitatis oppoſitæ illis compoſitionibus *realibus*, aut formalibus.

Denique *ſimplicitas* formalis eſt vel abſoluta, cum entitas eſt prorſus irreſolubilis in plures conceptus, ut *ens*, & ut abſtracta ultima abſtractione, vel *ſecundum quid*, ut ſi eadem entitas reſolubilis ſit in plures conceptus objectivos, aut purè formales, ſeorſim conceptibiles, ut ſubſtantia in conceptus *entis*, & *perſeitatis*. Quærimus ergo 1. an Deus ſit ita ſimplex. 2. Quid importet illa ſimplicitas. 3. an ſoli Deo conveniat.

Concluſio. *Deus ita ſimplex, ut ſit expers omnis compoſitionis realis*. Eſt de Fide contra veteres illos Philoſophos, & Hæreticos, qui Deum fingebant corporeum, ut *Anthropomorphitæ*: & contra *Manichæos*, qui eum dicebant lucem ſenſibilem, quam oculis videmus: & *Hermogenem*, qui eum dicebant materiam primam, &c.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui hoc probat diſcurrendo per ſingulas compoſitionis ſpecies. *Oſtendo*, inquit, 1. *ſimplicitatem oppoſitam compoſitioni ex partibus eſſentialibus*. 2. *compoſitioni ex partibus quantitativis*. 3. *compoſitioni ex ſubjecto, & accidente*, &c.

Prob. 2. ex Concil. Lateran. [2] *Pater, & Filius, & Spiritus S. tres quidem perſonæ, & una eſſentia*;

[1] 1.*d*.8.*q*.1.*A*.*n*.2.
[2] *c*.*firmiter*.

tia ; ſeu natura ſimplex omninò. Et Concil. Rhemenſe [1] *credimus, & confitemur ſimplicem naturam Divinitatis eſſe Deum*. Et idem patet ex Concil. Florentino, & aliis.

Prob.3. ex SS. Patribus, qui omnes docent, Deum *eſſe ſimplicem ſubſtantiam, imò ſuper quam ſimplicem*, ait Athanaſius. [2] Et ut Damaſc. [3] *Blaſphemum eſſe, ſi quis dixerit Deum eſſe compoſitum ; extremæ impietatis eſt id ſentire*. Et S. Max. [4] *Deum eſſe ſummè ſimplicem*. Et S. Auguſtinus. [5] *Inæſtimabilem, & omnino incomprehenſibilem ejus ſimplicitatem*, ait Richar. Victor. [6]

Prob.4. rationibus Scoti, & 1. de ſimplicitate contra compoſitionem ex materia, & forma. Nam partes illæ arguunt imperfectionem, & dependentiam in compoſito ; ergo talis compoſitio repugnat Deo. Prob. ant. materia cauſat per modum perfectibilis, & potentiæ paſſivæ, forma verò per modum partis perficientis quidem, ſed tamen dependenter à materia, qua velut ſuſtentatur, & extra quam non agit, ſicut neque extra compoſitum ; & ambæ ſunt priores, & cauſæ compoſiti ; & totum hoc dependenter ab aliquo efficiente, quod educat formam ex materia ; vel eam producat, & inducat, & ambas uniat ; ergo partes illæ ſunt imperfectæ ex ſe, & incompletæ, & finitæ ; & arguunt defectus plures in compoſito, ſcilicet poſterioritatem, & dependentiam. Ant. patet ex Philoſophia. Prob. conſ. quia omnis effectus eſt poſterior ſaltem natura, & dependens à ſuis cauſis, & ſic Deus haberet cauſas ſui materialem, formalem, & efficientem, & non eſſet à ſe, nec primum ens, nec omnium cauſa, nec infinitus, nec æternus, nec immaterialis ; ergo nec Deus.

Confir. hæc ratio ex SS. Patribus. *Deus compoſitus eſſe non poteſt*, inquit Ambroſ. [7] *cum aliqua ab eo anteriora præextitiſſe putari nefas ſit*. Et ut dicit Richardus Victor. [8] *Quod ex pluribus compoſitum eſt, naturaliter diviſibile eſt, & quod natu-*

[1] *Seſs.*17.18. & 19. [2] *Ep. ad Epiſc.*
[3] 1. *de fid.*12. [4] *Centur.*4.
[5] 6.*de Trin.*6. [6] 2. *de Trin.*17.
[7] *de ſymb. c.*1.
[8] 2. *de Trin.*27.

naturaliter eſt diviſibile, naturaliter eſt commutabile, & ubi eſt commutabilitas, non poteſt eſſe æternitas, & ſic nec vera felicitas. Sed in bono, quod univerſaliter perfectum eſt (ut Deus) *nihil horum deeſſe poteſt.* Idem aſſerit S. Auguſt. [1] ſeu Author libri de cognitione veræ vitæ, qui inter ejus opera legitur. *Omne, quod partibus conjungitur, vel in partes reſolvitur, ab aliquo conjunctionem, & reſolutionem patitur.* Ecce dependentiam ab efficiente, & mutabilitatem, & corruptibilitatem ex compoſitione. Idem infert Juſtinus Martyr [2] *Qui neminem habet, qui ſe fecit, & compoſuit, neque factus eſt, neque compoſitus;* ergo ſi Deus eſſet compoſitus ex partibus phyſicis, non eſſet prima cauſa, nec primum ens, nec æternus, &c.

Prob. 5. nam ſingulæ partes componentes Deum eſſent finitæ, vel infinitæ; ſi finitæ; ergo compoſitum ex illis eſſet finitum; nam finitum additum finito non facit infinitum. Si infinitæ; ergo ſingulæ eſſent Deus, nec poſſent coire in compoſitionem, quia infinito repugnat aliquid poſſe addi, & ipſum poſſe perfici, & compleri; & eſſe partem. Simile argumentum currit pro aſſeitate, & neceſſe eſſe; nam ſi partes eſſent à ſe, & neceſſariò, eſſent ex ſe ſingulæ in ſua ultima actualitate; ergo non poſſent perfici, & actuari, & à ſe invicem dependere. Si non eſſent neceſſariò; ergo neque Deus eſſet ens neceſſarium, ſed contingens.

Prob. de ſimplicitate contra partes integrantes tum ex Conciliis, & Patribus citatis, qui excludunt à Deo partes omnes; tum 2. ex dicendis de ſpiritualitate, quæ eſt naturaliter indiviſibilis; nam diviſibilitas eſt propria ſubſtantiæ materiali; tum 3. quia illæ partes eſſent vel *homogeneæ*, vel *heterogeneæ*, ſi 1. ergo tot eſſent Dii, quot illæ partes, ſicut ſingulæ guttæ aquæ ſunt aqua; ſi 2. ergo aliqua, imò plura eſſent in Deo, quæ realiter non eſſent Deus, ſicut brachium non eſt realiter homo, ita eſt de pede, de manu, &c. tum 4. quia eſſent finitæ, aut infinitæ, ut dicebamus de aliis.

Prob. de incompoſitione ex natura, & ſuppoſito, ſeu ex ſubſiſtentia, & eſſentia. 1. quia in creatis, ubi hæc

[1] *c.7.* [2] *q.129. ad orthod.*

hæc ſunt ſeparabilia (ut patet de humanitate Chriſti) ſuppoſita ſunt concreta, ſeu compoſita ex natura, & ſubſiſtentia; ſed hoc non poteſt dici de Deo; ergo nec illa compoſitio. Prob. min. 1. ex SS. Patribus: nam, inquit S. Hilarius, *non humano modo ex compoſitis Deus eſt, ut in eo aliud ſit, quod ab eo habetur, & aliud ſit ipſe, qui habeat*. Et Cyrill. Alexand. *ſimplex enim, atque incompoſitus eſt*. Et S. Auguſtinus: [1] *propter hoc natura Dei dicitur ſimplex, quòd non aliud ſit habens, & aliud, quod habeat*. Item Juſtinus Martyr: *non enim more naturæ creatæ eſt Deus, ut eſſe in ipſo, & habere in concretione, ſive concreta intelligantur, ſed ut natura extans, ſic & eſſe ipſum, & habere omnem ſuperant concretionem*. 2. quia ſubſiſtentia eſt ultimum complementum naturæ, & quidem ſubſtantiale, & poſitivum, apud iſtos Philoſophos: (non apud nos) ſed eſſentiæ Dei repugnat omne complementum ab illa realiter diſtinctum, alioqui non eſſet Deus per eſſentiam, nec infinitus, nec perfectus per illam, ſed per illud diſtinctum; ergo hæc compoſitio repugnat Deo.

Prob. denique de incompoſitione accidentali. 1. quia Deus eſt prorſus immutabilis; ergo & incapax accidentis: nam iſtud poteſt abeſſe, & adeſſe à ſubjecto. 2. quia SS. PP. dicunt, Deum eſſe ſubſtantialiter, & ſe ipſo, ea omnia, quæ ſolemus de ipſo prædicare, ut accidentaria in creatis; ut bonitas, potentia, ſapientia, magnitudo, &c. *Hæc Trinitas*, inquit Auguſt. [2] *unus Deus, ſicut dicitur magnus, bonus, æternus, omnipotens, idem ipſe, ſicut ſua Deitas, dici poteſt ipſe ſua magnitudo, ipſe ſua bonitas* &c. 3. quia accidens eſt ens imperfectum, & diminutum, ut ſuppono ex Philoſophia. *Dei*, autem *verbum ſubſtantivè lux eſt*, inquit Cyrillus, [3] *non participatione per gratiam, neque accidentem habens in ſe dignitatem, ſed neque adſcititiam, ut gratia*. Et S. Ambroſ. [4] *omnis creatura accidentia boni, & mali recipit ſuæ capacitate naturæ, eademque deceſſione ſentit: Dei autem filio nihil poteſt ex ejus divinitate decedere, vel ac-*

L 4 ce-

[1] 11. *de civit.* 10.
[2] 5. *de Trin.* 4. & 11.
[3] 5. *In Joa.* [4] *de fide c.* 5.

cedere. Iterum Auguſt. cit.[1] dicit, *Deum ſine qualitate bonum, ſine quantitate magnum; quia incommutabilitas ſimplicis, atque omnipotentis eſſentiæ nulli poteſt accidentibus ſubjacere*. 4. quia, ut arguit Scotus, [2] illa accidentia eſſent vel materialia, vel ſpiritualia; non materialia, quia Deus eſt ſubſtantia ſpiritualiſſima, ut dicemus; non ſpiritualia, quia quidquid in Deo eſt, Deus eſt per ſummam identitatem realem; ſed nullum accidens reale poteſt eſſe realiter idem cum eſſentia; unde intellectio, & volitio, quæ in nobis ſunt accidentia, ſunt in Deo ſubſtantiales, & idem cum Dei ſubſtantia. *Intelligere, & velle ejus ſunt ſubſtantia ejus*. Et Concilium Rhemenſe docet: *Deum eſſe ſuam ſapientiam*.

Objic. 1. compoſitio eſt perfectior ſimplicitate; ergo in Deo eſt; quia Deo tribuendum, quod eſt perfectius. Prob. ant. *bonum addito bono fit melius*. Et totum præſtat ſui partibus, & mixta puris elementis, &c. ſed in compoſitione ens additur enti, & bonum bono, ergo &c.

Reſp. diſt. utrumque ant. in entibus creatis, & finitis: con. in ente infinito, neg. ant. bonum finitum, & perfectio finita fit major ex additione, & unione cum alio bono propter imperfectionem, qua fit indigens perfici. Quod non poteſt dici de Deo, qui ex ſe eſt infinitus, continens, & identificans ſibi omnem prorſus perfectionem, quapropter illi repugnat perfici, & augeri.

Inſt. ſi ſic repugnaret Deo omnis perfectio, repugnaret etiam omnis pluralitas; ſed hæc non repugnat Deo; ergo nec illa. Maj. patet, quia pluralitas æquè repugnat ſimplicitati, ac compoſitio, nec illa eſt ſine iſta. Prob. min. Datur in Deo pluralitas perſonarum, & relationum perſonalium, & attributorum etiam à parte rei, per nos; ergo pluralitas eſt in Deo.

Reſp. diſt. maj. pluralitas rerum ſeparabilium, & non identificatarum realiter in eſſentia, con. maj. & neg. min. entitatum inſeparabilium, & identificatarum in natura, neg. maj. Perſonæ, relationes, & attributa

[1] *Ibid.*
[2] *Ibid. n. 4. & 7.*

buta ſunt prorſus inſeparabilia, tum à ſe invicem, tum ab eſſentia, in qua ſummè identificantur.

Inſt. 2. ſi talis ſimplicitas eſſet perfectio in Deo, quò ſtrictior conciperetur; eò perfectior eſſet: ſed conciperetur major, ſi excluderet omnem prorſus pluralitatem entitatum; ergo Dei ſimplicitas debet etiam excludere omnem illam multitudinem perſonarum, & attributorum.

Reſp. ut jam dixi, agens de diſtinctione, neg. maj. nam non quæcumque ſimplicitas eſt perfectio in Deo, ſed tantum illa, quæ excludit compoſitionem in ſenſu allato: non verò ea, quæ excluderet multitudinem perfectionum in ſe formaliter infinitarum; & eidem eſſentiæ realiter identificatarum, & prorſus indiviſibilium. Alioquin materia purè prima eſſet perfectiſſima, quia eſt puriſſima potentia phyſica; ſed ſimplicitas illa dicit potius ſummam imperfectionem, & ſummam nuditatem ab omni perfectione.

Objic. 2. aliquot loca Scripturæ, & Patrum, quibus Anthropomorphitæ conabantur probare ſuum errorem de corporeitate, ſeu materialitate divina; hinc enim probaretur compoſitio phyſica; ſed de his infra.

Objic. 3. pro partibus integrantibus: Scriptura tribuit Deo partes, ſcilicet oculos, pedes, aures, &c. ergo in Deo ſunt.

Reſpondeo neg. conſeq.. Nam ſic loquitur Scriptura, & Patres per metaphoram, non propriè; *efficaciæ divinæ per membra monſtrantur*, ajebat Novatus, *non habitus Dei, nec corporalia lineamenta*. Et ut loquitur S. Auguſtinus, [1] *dico, quòd Deus totus oculus eſt, quia omnia videt; totus manus eſt, quia omnia operatur; totus pedes eſt, quia ubique eſt*.

Inſt. non ſolum membra tribuuntur Deo, ſed etiam quantitas, & ſitus. Dicitur [2] *excelſior cælo; profundior inferno, longior terra, & latior mari. Dicitur etiam modò* ſedens, *modò* ſtans. Sed hæc dici non poſſent, niſi haberet partes diſtinctas, & quantitativas; ergo habet.

Reſp. diſt. min. dici non poſſent in rigore, & proprie- L 5 tate

[1] *de Trin. c. 7.*
[2] *Job. 10.*

tate vocum, conc. metaphoricè, neg. min. dicitur ergo *excelſus*, *profundus*, ad explicandam ejus immenſitatem ſecundum imperfectum modum noſtrum concipiendi, & loquendi. Per ſimilitudinem, & metaphoram ſumptam ex corporalibus, quæ cadunt ſub ſenſus. Ita eſt de ſeſſione, & ſtatione, ut repræſentetur nobis ejus inalterabilis quies, & majeſtas, & indefectibilis activitas.

Objic. pro compoſitione ex natura, & ſubſiſtentia: vox, *Deus*, ſignificat aliquid præter Deitatem, eſt enim concretum; ſed non poteſt aliud ſignificare, quàm concretum ex ſuppoſito, & natura Deitatis; ergo Deus eſt compoſitus ex utroque.

Reſp. diſt. min. ex natura, & ſubſiſtentia realiter identificatis, con. ex natura, & ſubſiſtentia diſtinctis, & ſeparabilibus, ut in creatis, neg. min. ſed de hoc in tr. de Trinitate.

Objic. Denique pro compoſitione ex accidentibus. *Actio propriiſſimè convenit Deo*, inquit Auguſt. & dicitur creare, intelligere, & velle, & maximè contingentia, quæ non poſſunt eſſe neceſſaria; ſed actio, volitio, & nolitio contingentium non poſſunt eſſe niſi accidentia: ergo in Deo ſunt accidentia. Prob. min. tum ex Ariſtotele: [1] *quod uni non eſt ſubſtantia, nulli poteſt eſſe ſubſtantia*. Hæc autem in creatis non ſunt ſubſtantia; ergo nec in Deo: tum quia volitio, & cognitio contingentium non poſſunt eſſe neceſſariæ; ergo nec niſi accidentia.

Reſp. neg. min. nam in Deo actio non eſt relatio, nec modus prædicamentalis, ſed idem realiter cum virtute, ac ſubſtantia ejus; nec eſt motus temporalis, quaſi verò exeat ab otio in actum, ſed æternùm, & ſemper agit, ſicut Sol ſemper lucet. Cùm autem dicitur agere in tempore, hoc eſt per relationem extrinſecam petitam à creatura, quæ terminat actionem in tempore. Ad 1. prob. Ariſtoteles loquitur de entibus creatis, non autem de Deo, & quod in una creatura eſt accidens, ita in aliis, ut albedo, & adhuc id verum non eſt ubique. Ad 2. verò patet quod volitio, & intellectio divina terminativè ad creaturam eſt contingens; ſed ex parte Dei, & in Deo eſt neceſſaria, & Deus ipſe.

Con-

[1] 1. *phyſ.*

Concl. 2. *Deus eſt etiam ſimplex metaphyſicè, excludens compoſitionem, etiam ex genere, & differentia*. Nomine autem generis intelligo gradum metaphyſicum in re, per quem hæc convenit cum aliis naturis ſpecie differentibus, & ſe habet ad differentias, per quas contrahitur ad illas naturas diverſas, ut quid potentiale, & perfectibile, illæ autem differentiæ ſunt gradus rerum oppoſiti generi; & habent rationem activam perfectivorum, & ideo tàm genus, quàm differentiæ dicunt imperfectionem, & limitationem, & aliquam rationem partium ſub eo conceptu; & faciunt aliquam veram compoſitionem, ſed metaphyſicam.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Teneo opinionem meam mediam, quòd cum ſimplicitate Dei ſtat, quòd aliquis ſit conceptus communis ſibi, & creaturæ, non tamen communis, ut genus:* & id probat 1. ex Auguſtino, quia ſubſtantia, ut genus, conſtat accidentibus; quia, ut genus, dicit limitationem. 2. genus ſub ratione generis eſt pars: *Deus autem ſimplex eſt, non habens partem, & partem*. 3. ex ratione infinitatis. 4. ex ratione neceſſe eſſe. Idem docet [2] tract. de primo principio.

Prob. 2. ex SS. Patribus citatis in Logica, ubi ſuſtinui, Deum non eſſe ſub prædicamento ſubſtantiæ, nam ibi docent apertè Deum non eſſe ſub genere, nec per conſequens componi ex genere, & differentia, *Ab his omnibus* (prædicamentis) *proprietas ſummæ eſſentiæ evidenti ratione prorſus excluditur*, ait Auguſt. [3] & maximè in prædicamento ſubſtantiæ contineri negant. Conſtat, quia, *illa ſubſtantia nullo communi tractu ſubſtantiæ includitur, à* cuius eſſentiali *communicatione omnis creatura excluditur*, inquit Anſel. [4] Et, *generis vocem abhorrent in Deo*, ut Cyrillus: *genus in Deo ullum nominare, alienum à recta ratione eſt*: quippe, ut docet Bernardus. [5] *Ipſe eſt ſumma ſubſtantia, non ſubjecta prædicamentis*. Et Beda, *manifeſtum eſt, quòd Deus non habet genus, nec qualitatem, nec quantitatem*.

Prob. 3. rationibus Scoti: [6] Omnis compoſitio,

[1] *1.d.8.q.3.F.n.16.* [2] *c.4. concl.1.*
[3] *de cognit.ver.vi.c.3.* [4] *Menol.c.6.*
[5] *Ep. ad PP. de monte.* [6] *d.in ſent.M.*

dicens imperfectionem, repugnat Dei ſimplicitati; alioquin non eſſet infinitè perfectus, ſed compoſitio metaphyſica ex genere, & differentia dicit imperfectionem; ergo repugnat Dei ſimplicitati. Prob. min. omnis ratio, vel conceptus importans limitationem, & potentialitatem dicit imperfectionem; ſed talis eſt ratio generis; ergo, &c. prob. min. conceptus generis, in compoſitione metaphyſica, reſpondet materiæ in phyſica; ſed materia in phyſicis dicit potentialitatem, & limitationem, & perfectibilitatem per formam; ergo & genus per differentiam. Major admittitur ab omnibus, minor etiam patet ex Phyſica: nam materia, quæ de ſe eſt ſubſtantia minima, & incompleta, eſt de ſe indifferens ad formas omnes, & per eam, quæ illi advenit, determinatur, & completur in ordine ad conſtituendum cum illa hoc, vel illud compoſitum, v. g. equum, aut leonem, lapidem, aut lignum; ſic ratio generica ſubſtantiæ eſt de ſe indifferens ad corporeitatem, vel incorporeitatem; & per has differentias contrahitur, & determinatur, ac velut completur ad conſtituendum cum illa corpus, aut ſpiritum.

Confirmatur. Nam genus, ut genus, concurrit ad conſtitutionem ſpeciei cum differentia ſpecifica, velut pars ejus metaphyſica, & eſſentialis; ſed ratio partis repugnat Deo; ergo & ratio generis. Prob. min. ratio partis dicit limitationem, & imperfectionem, quæ debet perfici per aliam compartem; ſed nihil perfectibile poteſt eſſe in Deo, alioqui non eſſet undique infinitus; ergo, &c. Prob. maj. quod habet majus ſe, non eſt ſummè perfectum, nec infinitum; ſed pars, ut pars habet majus ſe; ergo non eſt ſummè perfecta, ſed habet majus ſe. Prob. min. omne totum eſt majus ſua parte, & pars non includit perfectionem ſuæ compartis, ſed potiùs eam excludit perfectionem, quam non includit. Quæ omnia repugnant infinito, quod ut tale includit, & identificat omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem. Alias probationes vide in Logica, & apud Scotum, [1] & ſuos, loco citato, ſicut & præcipuas objectiones; aliquas tamen hìc ſubjicio.

Objic. 1. dantur in Deo conceptus, qui ſunt illi com-

[1] *Diſp. de ſubſt.*

communes cum creaturis, & alii, qui ſunt illi proprii, & per quos illi conceptus communes contrahuntur ad ſolum Deum, & per quos differt à creaturis, ſed tales conceptus communes habent rationem veri generis, & alii proprii ſunt veræ differentiæ; ergo in Deo eſt ratio generis, & differentiæ; ergo & vera compoſitio ex utroque. Maj. patet ex Philoſophia, ubi ſuſtinemus conceptum entis, & ſubſtantiæ communem Deo, & creaturis; idem eſt de conceptu ſpiritus, & viventis. Prob. min. quia per genus, & differentiam nihil aliud intelligitur, quàm tales conceptus communes, & proprii, & per compoſitionem metaphyſicam ex genere, & differentia, nihil aliud volumus, quàm unionem talium conceptuum in re, quam conſtituunt; ſed utrumque eſt in Deo; ergo & compoſitio ex genere, & differentia.

Reſp. neg. min. & ant. prob. ejus; nam per verum genus intelligimus non quemcumque conceptum communem, ſed communitate entitatis, quæ ſit potentialis, & contrahibilis, & actuabilis per actum differentialem, & conſtitutivum, veluti compartem ejus in ordine ad totum, & per conſequens conceptum generis concipimus, ut quid imperfectum, & finitum; ens verò, ſubſtantiam, & alios conceptus, & rationes divinas, quæ videntur prædicari etiam de creaturis, & utriſque communes, non abſtrahunt ab infinitate, ut ſunt in Deo, nec à finitate, ut ſunt in creatis; nec in Deo ſunt contrahibiles per veras differentias, ut contrahentes, & conſtituentes; ſed ſunt modi intrinſeci, qui non diverſificant, nec perficiunt eſſentialiter modificatum, nec veram compoſitionem faciunt cum illo, ut patet ex dictis ſupra, & in Metaphyſica. Rationes entis, & ſubſtantiæ, quæ deſcendunt ad creaturas, ſunt finitæ, quæ verò deſcendunt ad Deum ſunt infinitæ, & ſic incapaces compoſitionis, & partialitatis.

Inſt. conceptus entis, aut ſubſtantiæ, qui eſt communis Deo, & creaturis, quomodocumque contrahatur ad Deum, & creaturam, ſemper habebit rationem potentiæ indifferentis, & indeterminatæ ad utrumque; ergo & conceptus contrahens illum ad Deum habebit rationem perfectivi, & determinan-

nantis, ſeu actus, æque ac ille, per quem contrahitur ad creaturam, ſive dicatur modus intrinſecus, ſive differentia; ſed in creatura ex illis conceptibus eſt compoſitio metaphyſica; ergo & in Deo. Prob. 1. ant. tam conceptus communis ſubſtantiæ abſtrahit à modo illo intrinſeco v. g. infinitatis, quàm ullum genus à ſua differentia; ergo tam eſt indifferens, & potentialis reſpectu modi, quàm ullius differentiæ; ergo tam habet rationem veri generis. Prob. ant. ſi non æque præſcinderet, non diceretur verè communis; ergo &c.

Reſp. cum Doctore; [1] neg. ant. 1. & 2. argum. nam conceptus ſubſtantiæ in Deo non præſcindit adæquatè à modis ſuis intrinſecis, non concipitur diſtinctè, & perfectè ſine illis. *Conceptus ille non eſt ita ſimpliciter ſimplex, quin poſſit concipi illa realitas abſque modo illo, ſed tunc eſt conceptus imperfectus illius rei:* unde diſt. 3. ant. conceptus ille non eſſet perfectè communis, & à parte rei, ſeu objectivè, conc. ant. formaliter, & imperfectè; neg. ant. non ſuſtinemus conceptum entis, nec ſubſtantiæ, nec ullum alium eſſe perfectè univocum Deo, & creaturis, quod tamen requiritur ad rationem veri generis; ſed cum aliqua analogia, ut diximus in Philoſophia.

Objic. 2. ex Patribus, [2] qui Deo tribuunt varia prædicata generica, & ſpecifica. *Duo genera manent in divinis*, ex Boetio *Spiritus videtur ſignificare ſubſtantiam Dei*; ex Auguſtino, [3] & ex Damaſceno, [4] *eſſentia corpore vacans*; (ſeu ſubſtantia ſpiritualis) *complectitur Deum, angelum, animam, & dæmonem*; ergo ex Patribus, ſicut angeli, & Dæmones, & anima ſunt ſpecies compoſitæ ex ſubſtantia ſpirituali, tanquam genere, & ſuis conſtitutivis, tanquam differentiis ſpecificis, ita & Deus.

Reſp. diſt. ant. Tribuunt prædicata generica quoad modum prædicandi, & logicè, conc. quoad rationem generis, & differentiæ metaphyſicę; neg. ant. nec id colligitur ex SS. Patrum dictis: nam, ut notat Scotus [5] *Boetius nuſquam invenitur in illo libello, quòd duo genera manent in divinis, nec genera, nec diffe-*

[1] *Ibid. n. 27.* [2] *De Trin. c. 6.* [3] *5. de Trin. c. 5.* [4] *1. inſtit. c. 7.*
[5] *Ibid. V. n. 24.*

differentiæ generum, nec etiam modi eorum, nec rationes eorum, &c. ad Damaſc. [1] verò, *licet multa dicat in diverſis locis, quæ videntur dicere, Deum eſſe in genere; unum tamen verbum, quod dicit in Elementario, ſolvit omnia: ſcilicet ſubſtantiam, quæ continet ſuperſubſtantialiter increatam Deitatem*, &c. hoc enim de ſubſtantia generica, & prædicamentali dici nequit, & clariùs pro nobis loquitur locis citatis. Ex Auguſtino autem nihil poteſt inferri, imò apertè vetat ſubſtantiam prædicamentalem, quæ ſubſtat cum accidentibus, dici de Deo. Uno verbo, Patres loquuntur de conceptu generis, & ſpeciei largè, & impropriè, non in rigore logico, vel metaphyſico, & quoad modum prædicandi, non quoad modum eſſendi, ut nos loquimur, & SS. Patres, cum nolunt in Deo admitti rationem generis, vel ſpeciei, aut numeri, ut S. Clemens Alex. *dicens Deum neque eſſe genus, neque differentiam, neque ſpeciem, neque individuum, neque numerum.*

Non ergo quæcumque multitudo conceptuum objectivorum, & formalitatum arguit in Deo compoſitionem oppoſitam ſimplicitati, ut diximus ſupra de pluralitate attributorum diſtinctorum à parte rei, ſed illa, in qua entitates haberent inter ſe rationem partium, aut actus, & potentiæ, ſeu perfectibilis, & perfectivi, aut realiter diſtinguerentur ab eſſentia.

Concl. 3. *ſimplicitas Dei non conſiſtit in pura negatione compoſitionis, aut componibilitatis, ſed in aliqua perfectione poſitiva, in qua fundatur utraque illa negatio.* Ideo ſimplicitas deſcribi poteſt: *ea Dei perfectio, ſecundum quam excludit omnem realem, aut metaphyſicam compoſitionem ex pluribus entitatibus realiter diſtinctis, aut partialibus, ſe habentibus inter ſe, ut perfectibile, & perfectivum.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] dicente, quòd *ſimplicitas in Deo eſt perfectio ſimpliciter, ſecundum quod excludit componibilitatem, vel compoſitionem ex actu, & potentia. Sed nulla pura negatio eſt perfectio ſimpliciter, ſed tantùm negatio imperfectionis;* ergo ex Scoto, & ratione, ſimplicitas Dei non eſt pura negatio.

[1] *c.8.n.26.* [2] *1.d.8.q.1.G.n.6.*

tio. Prob. min. negatio imperfectionis non eſt perfectio, niſi negativè. Item probatur ex eodem ſæpiùs citato, [1] quòd omnis negatio inſeparabilis, & dicens repugnantiam ad aliquid, fundatur in aliqua poſitiva ratione, cujus forma, ſeu, qualitas, quam negatio importat, eſt repugnans ſubjecto; ergo ſimplicitas Dei, quæ excludit ab eo compoſitionem, ut repugnantem, ſupponit in illo aliquid poſitivum, cui repugnat, & in quo fundatur talis negatio, & de facto docet, ſimplicitatem ſequi ex infinitate, ſeu ex perfectione poſitiva illimitata, cui repugnat compoſitio, vel componibilitas; quia, inquit, *infinitum eſt incomparabile alteri*; denique docet, quòd negationi per ſe præciſè non convenit communicabilitas, nec incommunicabilitas; idem eſt de componibilitate, vel incomponibilitate; quia, inquit, [2] *nulla negatio eſt de ſe incommunicabilis, quia ſicut non eſt de ſe una, neque indiviſibilis aliqua indiviſione, ſic non eſt de ſe hæc, & incommunicabilis, ſed tantùm per affirmationem (& ratione poſitivi) cui primo repugnat dividi, aut communicari, aut componi*, &c.

Prob. 2. *ex Auguſt.* [3] *omninò præponendum eſt, quod omninò dividi non poteſt, & omni compoſitione caret.* Et Anſelm. [4] *omne ſimplex, qua ſimplex, eſt perfectius compoſito*; Sed negatio, ut talis, & in ſe, non dicit perfectionem, quia in ſe præciſè eſt non ens; ergo ſimplicitas Dei importat primò aliquid poſitivum.

Prob. 3. quia idem eſt de ſimplicitate, ac de aliis attributis negativis; verbi gratia de *infinitate*, *immenſitate*, &c. ſed hæc non dicunt puram negationem, ſed fundantur in entitate poſitiva; ergo &c.

Objic. ſi ſimplicitas diceret quid poſitivum, deſtrueret illam; ſed abſurdum conſequens; ergo & ant. prob. maj. faceret compoſitionem cum eſſentia, & aliis attributis; ſed omnis compoſitio deſtruit ſimplicitatem; ergo &c.

Reſp.

[1] *Repor.q.1.prol. n.44.*
[2] *1.d.8.q.1.G.n.6.*
[3] *de quant.un.c.55.de incar.c.6.*
[4] *5.conſid.c.7.*

Reſp. nego majorem utramque; nam, ut diximus ſæpe, modus intrinſecus non facit compoſitionem cum modificato; quia non diſtinguitur adæquatè: tum quia non quælibet multitudo entitatum, etiam diſtinctarum formaliter à parte rei, facit compoſitionem, ut diximus de attributis.

Igitur, quod diximus hìc de ſimplicitate, inſerviet pro aliis omnibus attributis negativis, quæ pariter fundantur, & important perfectionem aliquam perfectivam, ad quam ſequitur negatio imperfectionum; licet explicentur, aut enuntientur per voces negantes, quia ſcilicet per illas magis innoteſcunt, ſcilicet ratione imperfectionum, quas excludunt à Deo, & quæ nobis notiores ſunt ex creaturis.

Concl. 4. *Dei ſimplicitas talis eſt, ut illi repugnet componibilitas cum ullo alio ente*. Eſt communis contra Philoſophos illos, qui dixerunt, Deum eſſe animam Mundi, ut Thales Mileſius, & Democritus. Idem tribuitur Platoni, imò & Petro Abaillardo, qui hoc dicebat de Spiritu Sancto.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato, ubi ſimplicitatem Dei conſiſtere docet, *ſecundum quod excludit componibilitatem, vel compoſitionem*.

Prob. 2. ex eodem, quia Deo repugnat habere rationem partis, ſed ſi eſſet componibilis, haberet rationem partis; ergo repugnat ei componibilitas. Maj. patet, quia eſt ſummum ens: eſt ens infinitum; habet plenitudinem entis, & perfectionis omnis poſſibilis; pars verò dicit neceſſariò limitationem quoad aliam compartem, quam excludit, & per quam excluditur. Prob. min. quia omnis compoſitio conſiſtit eſſentialiter in unione plurium diſtinctorum, ſeu partium in ordine ad totum, quod eſt majus qualibet partium componentium: 2. quia eſſent plures Dii, plura infinita, plura neceſſe eſſe; nam totum illud compoſitum eſſet diſtinctum à ſui componentibus, & ſic eſſet infinitum; quia componeretur ex Deo, qui eſt ens ſummum, infinitum, & neceſſe eſſe; ergo & ipſum eſſet aliud ens infinitum, & neceſſe eſſe. 3. alia compars, cum qua iniret compoſitionem, eſſet vel forma, vel materia, vel fini-

[1] 1. *d*. 8. *q*. 1. *n*. 6.

finita, vel infinita, vel ſubſtantia, vel accidens: ſed nullum horum dici poteſt, ergo nec illud. Min. patet diſcurrenti per ſingula. Si eſt materia, non habet plenitudinem formæ, vel accidentis; ſi eſt forma, non habet eſſe materiæ, & dependet ab agente, qui eam inducit, vel educit. De accidente, & de ſubjecto id clarius patet.

Objic. 1. dare eſſe per modum formæ non dicit imperfectionem, ſed perfectionem; ergo id non repugnat Deo. Prob. ant. nam dicitur principium motus, & vitæ omnium. *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus: non longè eſt ab unoquoque noſtrum*; ſed in omnibus eſt per unionem; ergo & per compoſitionem.

Reſp. diſt. ant. per modum formæ totalis, ſeu eſſentiæ, con. ant. ſic Deitas eſt velut forma Dei; per modum formæ partialis, & informantis, neg. ant. Ad probationem patet Apoſtolum non loqui de Deo, ut forma informante, ſed dante eſſe, & motum, & vitam efficienter, & omnia continente per immenſitatem.

Objic. 2. Deus Verbum in Chriſto facit compoſitum cum humanitate; ergo non repugnat Deo componibilitas. Prob. ant. ex Concil. Conſtantienſi dicente, quod *in Chriſto manet numerus naturarum, ex quibus eſt compoſitus*; ergo & ex Symbolo Athanaſii; *ſicut anima rationalis, & caro unus eſt homo, ita Deus, & homo unus eſt Chriſtus*; ergo ibi eſt compoſitio.

Reſp. neg. ant. & ad Concilium dico illud uti voce compoſiti impropriè, nec enim Verbum divinum eſt in Chriſto, ut forma informans, ſed ut ſuppoſitum terminans relationem dependentiæ humanitatis ejus in exiſtendo, & operando. Eodem ſenſu loquitur S. Athanaſius, ſcilicet de compoſitione impropria, ut dicemus, ubi de myſterio Incarnationis.

Concl. 5. *ſimplicitas ſoli Deo competere poteſt*. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Concedo*, inquit, *quod aliqua creatura eſt ſimplex, hoc eſt, non eſt compoſita ex rebus*; tamen nulla creatura *eſt perfectè ſimplex, quia aliquo modo ſit compoſita, aut compoſſibilis.... 1. quia habet*

[1] *Ibid. q. 2. A. n. 2.*

habet entitatem, cum privatione alicujus gradus entitatis, &c. 2. *eſt compoſita ex actu, & potentia objectiva, quia poteſt eſſe, & non eſſe; ſeu non eſt neceſſe eſſe.*[1] 3. *eſt componibilis ex ſubjecto, & accidente, quia ſi eſt ſubſtantia, eſt componibilis cum accidente, cui ſubſtat, & ſi eſt accidens, eſt componibilis cum ſubſtantia, cui inhæret*. Uno verbo, *nulla creatura eſt verè ſimplex, quia compoſita modo prædicto, ex poſitivo, & privatione; actu, & potentia objectiva, & eſt componibilis alii creaturæ*. Hinc

Prob. 2. Omnis creatura eſt vel ſubſtantia, vel accidens, & limitata, & contingens: ſed quidquid dicatur eſſe ex his, erit neceſſariò compoſita; vel componibilis ex actu aliquo, & potentia, ergo nulla verè eſt ſimplex. Prob. min. 1. ſi ſit ſubſtantia, vel eſt completa eſſentialiter, & ſic conſtat materia, & forma, ut homo; vel ſaltem recipere poteſt accidentia, ut Angelus; ſi incompleta, eſt componibilis cum alia comparte, cum qua conſtituet unam completam, ut materia cum forma, vel forma cum materia; vel denique conſtabit genere, & differentia; ſi ſit ſpecifica, vel contrahibilis, ut genus, aut contractiva, ut differentia, & ex utraque componitur natura ſpecifica: Si ſit accidens, componitur cum ſubſtantia, cui neceſſariò inhæreat ſaltem aptitudine.

Præterea nulla creatura habere poteſt plenitudinem entis, nulla poteſt eſſe infinita in ſuo eſſe; ergo nulla eſt, quæ non conſtet gradu poſitivo entitatis ſuæ, & privatione, ſeu negatione graduum aliorum entium ſpecie, vel numero diſtinctorum. Item nulla eſt creatura, quæ non ſit contingens; nulla eſt ens neceſſarium, & quæ non habeat eſſe poſt non eſſe, aut quæ habere non poſſit non eſſe, poſt eſſe; ergo nulla eſt, quæ non componatur ex actu, & potentia objectiva. Denique nulla eſt, quam Deus unire non poſſit cum altera, ſaltem cum accidente; ergo nulla ita ſimplex, ut non ſit componibilis alteri. Igitur licèt ſint multæ creaturæ ſimplices, & incompoſitæ phyſicè, ut materia, quæ eſt potentia phyſica, & forma, quæ eſt purus actus phyſicus; & Angeli, & animæ ratio-

[1] *Ibid. D. n. 5.*

rationales, quæ ſunt purè indiviſibiles, ut ſubſtantiæ ſpiritales; aliæ integraliter, ut punctum, quod ſic cenſetur indiviſibile; & ſic de cæteris; ſed loquimur de ſimplicitate perfectiſſima, & ſimpliciter, quæ excludit omnem prorſus compoſitionem ex re, & re; vel ex genere, & differentia; vel ex actu, & potentia; vel ex poſitivo, & privativo, ſeu negativo, vel ex ſubjecto, & accidente; vel ex natura, & ſuppoſito, &c.

Objicies ex Scoto, [1] *ſimplicitas communicatur creaturis, infinitas autem non ſecundum modum, quo convenit Deo*; ergo ſimplicitas non eſt proprietas ſoli Deo conveniens, ſed creaturæ convenire poteſt.

Reſp. nego conſequent. nam ſimplicitas dicit duplicem negationem ſcilicet compoſitionis, & componibilitatis; Communicari poteſt creaturis ſub illo 1. conceptu; non verò quoad 2. & maximè quia hæc 2. venit ab infinitate, cui repugnat ratio partis, & per conſequens componibilitas cum alio, tanquam comparte; ut diximus.

QUÆSTIO III.

De Immutabilitate Dei.

IMmutabilitas alia eſt ſubſtantialis, qua res mutatur à non eſſe ad eſſe per creationem, aut generationem; vel ab eſſe ad non eſſe, per deſitionem, ſeu annihilationem, aut corruptionem; alia accidentalis, qua res in uno inſtanti, vel tempore aliter ſe habet, quàm in alio; ut cùm de alba fit nigra, de frigida fit calida; de non vidente fit videns, vel de non intelligente fit intelligens, aut de non volente volens, &c. Primæ opponitur immutabilitas ſubſtantialis; & ſecundæ accidentalis. De immutabilitate ſubſtantiali Dei non agimus hic; nam pertinet ad neceſſitatem eſſendi, quæ denotat exiſtentiam indefectibilem; vel ad æternitatem, quæ initium, & finem excludit; ſed agimus de accidentali, qua res permanens in ſuo eſſe ſubſtantiali aliter, & aliter ſe habet per adventum, vel deperditionem ali-

[1] *1. d. 3. q. 2. E. n. 17.*

alicujus formæ. Non loquimur etiam de mutabilitate quoad locum, & ubi, quia illam excludit immenſitas; nec quoad tempus, & durationem; hanc excludit æternitas, ut dicebam: nec quoad formam, aut materiam, iſtam excludit ſimplicitas, de qua mox diſſerui. De ſola mutatione quoad formas aliquas accidentales intrinſecùs, vel extrinſecùs agimus.

Mutatio accidentalis alia eſt *intrinſeca*, & *propria*, per quam res aliquid intrinſecum acquirit, aut deperdit; alia *extrinſeca*, & *impropria*, per quam res nihil quidem intra ſe acquirit, aut deperdit, ſed aliquid, quod ipſam reſpicit, aut circumſtat, aut terminat. Dicitur autem impropria, quia res ipſa non tam mutatur, quàm quæ eam reſpiciunt, aut quæ circa illam ſunt. De utraque inquirimus, an ſit in Deo.

Concl. 1. *Deus eſt immutabilis non ſolùm ſubſtantialiter, ſed etiam accidentaliter, & intrinſece.* Eſt de fide, contra Vvorſtium Calviniſtam, qui Deum dicebat principium mutationum intrinſecarum, & in voluntate mutabilem. Et contra antiquiores quoſdam Hæreticos, qui, ut refert S. Cyrill. [1] dicebant Verbi divini naturam converſam fuiſſe in terrenum Corpus Chriſti; & alios, quos S. Tho. [2] dixit, voluiſſe eamdem naturam ejuſdem Verbi, & humanam converſas fuiſſe in tertiam ex utraque compoſitam.

Prob. 1. ex Scoto, [3] qui probat immutabilitatem utramque ex ſimplicitate, & neceſſitate eſſendi; *quia ſi Deus eſt perfectè ſimplex, ut probatum eſt ex infinitate, ideò non poteſt mutari ad aliquam formam, quæ in ipſo recipiatur, & quia eſt neceſſe eſſe ut probatum eſt ex primitate efficientiæ non poteſt mutari ab eſſe in non eſſe, vel à non eſſe ad eſſe, quæ mutatio dicitur verſio à Damaſc.* [4] *omni igitur mutatione, ſive ſubſtantiali, ſive accidentali Deus dicitur immutabilis ſimpliciter.*

Prob. 2. ex Scriptura, qua docemur, Deum eſse æternum, & immortalem, & directè, atque expreſsè immu-

[1] *l. de recta fid.* [2] *3. p. q. 2. a. 1.*
[3] *diſp. 1. q. 2.*
[4] *De rerum prin. q. 3. n. 3.*

immutabilem: [1] *ſicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient* (ecce omnimodam indefectibilitatem) Et: [2] *Ego Deus, & non mutor*: Et *ego ſum, qui ſum.* Scilicet ſemper idem: *verè enim ipſe eſt, quia incommutabilis eſt ... ergo incommutabilitas Dei iſto vocabulo ſe dignata eſt intimare*: *ego ſum qui ſum*: Inquit Auguſt. [3] *non eſt Deus, quaſi homo ut mutetur, nec ut filius hominis, ut mutetur.* [4] Et, *apud quem non eſt transmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio.* Quod facit pro immutatione omnimoda accidentali.

Prob. 3. Ex Concil. Later. [5] *Unus, ſolus, verus eſt Deus, æternus, immenſus, incommutabilis.* Et SS. Patribus; nam inquit Dionyſ. [6] *Idem ſuperſubſtantialiter æternum eſt, invertibile, in ſe ipſo manens, ſemper ſecum, eadem, & eodem ſe habens modo; omnibus eodem modo præſens; ipſumque ſecundum ſe ipſum in ſe ipſo firmiter, & intemerate, in pulcherrimis excellentiæ identitatis finibus collocatum: immutabile*: caſui minimè obnoxium; *forte, & conſtans, invariabile, impermixtum, immateriale: ſimpliciſſimum, nullius egens, quod augeri, minuive non poſſit*; ergo undique præcluditur mutatio quæcunque. Alios prætermitto, qui omnes una voce idem aſtruunt.

Prob. 4. ratione, qua probatur Dei *æternitas, aſſeitas*, & *neceſſitas eſſendi*: nam inde ſequitur evidenter, quòd mutari non poteſt ſubſtantialiter à non eſſe ad eſſe, nec ab eſſe ad non eſſe; ſed ſemper eſt, & idem & *ſimplicitas*, & *infinitas*; ex qua ſequitur, eum nec recipere, nec perdere poſſe formam, vel perfectionem, vel partem ullam novam intrinſecam, ſive ſubſtantialem, ſive accidentalem; nec uniri cum ullo extrinſeco per compoſitionem ullam realem: Et *immenſitas*, per quam occupat omne ſpatium reale; unde fit, ut non poſſit moveri localiter: Et *ſcientia*, & *prudentia*, ex qua ſequitur immutabilitas in intellectu, & voluntate, in quibus nulla nova cognitio, vel volitio poteſt accidere, vel ulla

[1] *Pſ.* 101. [2] *Malach.* 3.
[3] *de nat. bo. c.* 19. *Et ſer.* 17. *de divin. nomi.*
[4] *Jac.* 1. [5] *c. firm.*
[6] *de div. nom. c.* 5. & 9.

ulla ceſſare, ſed de hoc infrà, ubi de ſcientia, & libertate ejus.

Objic. 1. ex Scriptura: omnibus mobilior eſt ſapientia; ſcilicet divina; ergo Deus eſt mutabilis, ſaltem in ſua ſapientia.

Reſp. neg. conſeq. nam illa mobilitas non eſt paſſiva, ſed activa, & cauſalis, non formalis in Deo; quatenus omnia movet, & cauſat omnes motus, & mutationes, ipſa verò manet immobilis.

Inſt. Verbum divinum factum eſt homo in tempore per aſſumptionem humanitatis in ſe ipſo; ergo de facto mutatum eſt.

Reſp. diſt. ant. factum eſt homo per unionem humanitatis ad ſe terminatam, conc. per ullam formam in ſe receptam, & informantem, & inhærentem; neg. ant. & conſeq. Verbum in incarnatione in tantum aſſumpſiſſe dicitur humanitatem Chriſti, quatenus terminat unionem hypoſtaticam illius, non per ullam receptionem intrinſecam, ut patebit ex Tr. de Incarnatione.

Inſt. 2. Deus de non Creante factus eſt Creans, cùm creavit mundum, & de Creante non Creans, quia ceſſavit ob opere, ergo mutatus eſt, ſaltem accidentaliter.

Reſp. diſt. ant. de non Creante extrinſecè; con. intrinſecè neg. ant. & con. Nam in tempore per creationem, & ſimiles actiones, & denominationes nihil advenit de novo in Deo præter relationes extrinſecas ad ipſum terminatas ex creaturis, & ita eſt de omnibus, quæ in tempore ab eo fiunt, & de actibus liberis, & contingentibus, ut magis patebit infrà, nec enim vult quidquam in tempore, quod non velit per æternitatem; quamvis non ea velit pro æterno; nec iſta fiant niſi in tempore.

Objic. 2. in eadem Scriptura Deus dicitur mutari ſecundum varios affectus, *iræ*, *odii*, *amoris*, &c. dicit enim; [1] *ne in furore tuo arguas me*. Et: *iratus eſt furore Dominus*. Et; *excitatus eſt tanquam dormiens, & tanquam potens*. Et ipſemet; *convertimini ad me, & ego convertar*. Et; *pœnitet me feciſſe eos*, &c. & hos motus reales, & veros eſſe in Deo aſſerunt SS. Patres, [2] quia, ſunt

[1] *Pſ. 37.*
[2] *de ira d. c. 12.*

ſunt *aliqui affectus, qui non cadunt in Deum*, inquit Lactantius, *ut libido, timor, avaritia, invidia, omni prorſus affectu vacare Deum dixerunt; his enim vacat, quia vitiorum affectus ſunt*; eos autem, qui *ſunt virtutis, id eſt, ira in malos, charitas in bonos, miſeratio in afflictos, quoniam divina poteſtate ſunt digna, proprios, & juſtos, & veros habet*; Idem docet Tertullianus [1] de affectu iræ, & vindictæ; ergo verè, & intrinſecè Deus mutatur quoad tales affectus.

Reſp.neg.conſeq. nec id ſigificant textus Scripturæ, vel Patrum de veris, & internis paſſionibus, & motibus; ſed metaphoricè, & quatenus eorum effectus in nobis experimur, conſequenter ad decreta, & leges ejus æternas. *Pœnam patientis ira creditur eſſe decernentis*; atque *ita iraſcitur Deus, cùm per pœnæ dolorem iram decreti in ſe ſentiant eſſe puniti*. Inquit Hylarius. [2]

Inſt. hi affectus tribuuntur Deo potiùs, quàm alii; ergo veriùs inſunt Deo, quàm alii.

Reſp.diſt.conſeq. veriùs, quoad effectus, qui proveniunt ex ſumma ſapientia, juſtitia, & bonitate, conc. quoad affectus, & commotiones, quas præ ſe ferunt, neg. conſ. nam affectus libidinis, invidiæ, &c. non dicuntur ullo modo, ne metaphoricè, quidem, de Deo; quia dedecent ejus ſanctitatem: illi verò dicuntur, ſaltem metaphoricè, quia non dedecent niſi ſummam ejus ſimplicitatem, & immutabilitatem.

Objic. 3. Deus eſt mutabilis in ſua ſcientia; ergo & in ſe, prob.ant. hodie ſcit Antichriſtum futurum, & aliquando ſciet illum exiſtere, & aliquando ſciet eundem extitiſſe: ſed hæc ſunt mutationes in ſcientia Dei; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & min. prob. nam hæ mutationes ſunt quidem in objectis, v.g. in Antichriſto, ſed non in Deo, nec in ejus ſcientia, quæ videt has omnes mutationes pro tempore, quo eveniunt.

Objic.4. Deus eſt mutabilis in ſua voluntate; ergo & in ſe. Prob. ant. 1. quia poteſt nunc velle, quod heri non voluit, ut patet ex Scriptura; nam aliquando volebat ſubvertere Ninivem, & poſtea noluit

[1] *con.Ma.cit.c.26.* [2] *in Pſ.2.*

luit ſubvertere; voluit Saulem regnare, & poſtea noluit. 2. quia in omnibus decretis ſuis ad extra eſt liber; ergo quæ voluit, potuiſſet non velle, & quæ vult modò, poſſet non velle cras.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus; nam ad 1. idem ſemper voluit, quod voluit, & eo modo contigerunt, quo ſemel voluit. Voluit ſubvertere Ninivem conditionatè, niſi pœnitentiam egiſſent: noluit ſubvertere, ſi pœniterent, ut de facto fecerunt, & ſic ejus immutata voluntas fecit, quod voluit. Idem eſt de aliis locis Scripturæ, in quibus idem videtur ſignificari; ad 2. neg. conſeq. quoad 2. partem; nam libertas ejus ad extra conſiſtit in hoc, quòd potuit, aut poſſet non velle, quod vult, vel è contra; ſed poſito, quod ſemel velit, immutabiliter vult, & ita evenit, ſicut vult, ſi vult efficaciter.

Inſt. ergo non ſumus liberi, quia non poſſumus reſiſtere illius voluntati immutabili.

Reſp. neg. ſubſumptum, & diſt. rationem ejus: Non poſſumus reſiſtere voluntati abſolutæ, & efficaci; con. voluntati conditionatæ, & inefficaci; neg. Sed de hoc infrà, ubi de libertate Dei, & quomodo conciliari poſſit cum noſtra.

Inſt. Deus eumdem hominem modò amat, ſcilicet juſtum, & modò odit; ſcilicet peccatorem; ergo circa illum mutatur affectu, & voluntate.

Reſp. diſt. conſ. mutatione extrinſeca: con. intrinſeca; nego conſ. Deus æternùm amat hominem pro tempore, quo eſt juſtus; & odit pro tempore, quo eſt peccator; mutatio verò peccati, & gratiæ, ſeu juſtitiæ eſt in homine.

Concl. 2. *Immutabilitas Dei explicatur per triplicem negationem, aptitudinalem, actualem, & potentialem ad recipiendum aliquid de novo, quod non habeat, & perdendum, quod habeat, & ſic radicaliter non videtur diſtingui ab illis attributis, in quibus fundantur negationes illæ mutationis, ſeu mutabilitatis, & ſic non videtur eſſe ſpeciale attributum ab illis diſtinctum, ſi collectivè ſumantur; benè verò à ſingulis.*

1. pars patet ex Textibus adductis ex Scoto, quibus ſic explicatur hæc perfectio divina. Et idem patet quoad 2. p. *docet enim quod immutabilitas videtur poſſe*

concludit ex ſimplicitate Dei, & aliis attributis. Iſtud probatur ex Textu allato, & ex diſcurſu ejus de rerum principio, ubi ex profeſſo probat, primum principium, ut eſt ens perfectum, nulli ſubjacere mutationi. *Quia*, inquit, *impoſſibile eſt, illud moveri, niſi vel aliquid acquirat, vel intelligatur poſſe aliquid amittere, vel totaliter novum eſſe acquirat, vel totale ſui eſſe amittat*; ſed primum, & actualiſſimum principium neutrum iſtorum nec actu, nec potentia admittit; ergo &c. Prob. min. ex infinita ejus *actualitate* tam in re, quàm in intellectu: 2. ex *ſimplicitate*, qua fit, ut nihil poſſit amittere, quia tunc ſimplex non eſſet; 3. ex *aſſeitate*; ſi enim ſecundum totum ſuum eſſe à non eſſe ad eſſe moveretur, eſſet ab alio: quia, ex Auguſtino, *Nihil ſe ipſum gignit, ut ſit; & non eſſet primum*; & 4. ſcilicet, quòd nec totum poſſit amittere, quia tunc actualiſſimum non eſſet, nec diceretur *ens neceſſarium*; &c. ergo, ex Scoto, *immutabilitas Dei* ſecundum diverſas mutationes, quas excludit à Deo, includitur in totidem aliis attributis ejus. Sicilicet in *infinitate*, *ſimplicitate*, *aſſeitate*, & *neceſſe eſſe*. Hinc

Prob. 2. ratione quoad 1. p. quia non poteſt meliùs explicari à nobis pro hoc ſtatu, quàm per tales negationes: quoad 2. verò, quia immutabilitas Dei formaliter, & juxta modum noſtrum concipiendi, excludit mutationes omnes, quæ imperfectionem dicerent in Deo: ſed illæ ſingulæ excluduntur per alia ſpecialia attributa, ergo fruſtra fingeretur alia earum radix. Min. patet ex præcedenti, & ex Textibus allatis Scoti. Nam mutatio à non eſſe formæ ad formam, aut à forma ad non formam, tam accidentalem, quàm ſubſtantialem excluditur per *ſimplicitatem*, qua excluditur omnis compoſitio, & componibilitas, & per *infinitatem*, qua omnem perfectionem ſibi identificat actualiſſimè. Mutatio ab eſſe ad non eſſe excluditur per *æternitatem*, & *neceſſitatem eſſendi*, qua redditur indefectibilis, & mutatio, ſeu tranſitus à non eſſe ad eſſe, excluditur per *aſſeitatem*, & *æternitatem*, quibus fit, ut careat principio, & cauſa; ſic cum Auguſtino dico excludi mutationem in ſcientia, ſeu in-

telle-

tellectu, & in voluntate propter infinitatem, & æternitatem ſcientiæ, & charitatis, & ſimplicitatis.[1] *Omninò Dei eſſentia, quæ eſt, nihil mutabile habet, nec in æternitate, nec in veritate, nec in voluntate, quia æterna eſt ibi veritas, æterna charitas*, &c.

Idem arguit ex actualitate pura, & immaterialitate; *omne, quod mutatur*, inquit, *aut loco, aut forma, aut tempore mutatur: Deus autem loco mutari non poteſt, quia ubique eſt; nec ſecundum augmentum; quia eſt perfectus in ſemetipſo, non poteſt aliquid recipere. Dividi autem non poteſt, quia unus eſt indiviſibilis, quod enim ſeparatione dividitur, idem in conjunctione non fuit; nec moveri poteſt ſecundum alterationem, quoniam nec conſilium mutat de præterito, nec proponit de futuro; nec ſecundum cogitationem; quia augeri non poteſt ejus ſapientia, quia plena eſt, nec minui, quia ſibi ipſi ſapientia eſt; nec viciſſitudinem habet, quia omnia ſimul, & ſemel, & ſemper ſub uno viſionis radio comprehendit*; ergo omnes ſpecies mutationum excluduntur per aliquas ſpeciales Dei perfectiones.

Ideo immutabilitas includit plures perfectiones, & attributa poſitiva, per quæ excluduntur imperfectiones mutationum.

Concl. 3. *immutabilitas illa ſoli Deo, non autem ulli creaturæ competere poteſt*. Eſt communis contra Ariſt. & Avicennam, qui cum voluerint corpora cœleſtia eſſe entia neceſſaria, ita & immutabilia, & inconvertibilia putarunt.

Prob. 1. ex Scoto[1] *Dico*, inquit, *quòd nihil à Deo eſt immutabile, loquendo de mutatione, quæ eſt verſio, quia nihil aliud eſt neceſſarium. Quodlibet etiam aliud eſt mutabile ſubjectivè, niſi propter imperfectionem negativam, ut relatio, quæ propter illam imperfectionem negativam nullius eſt perfectionis capax; & hoc ſenſu non eſt mutabilis ſubjectivè, ſed propter perfectionem ſui nihil aliud à Deo eſt immutabile*: quia ſi aliquid eſt tale, maximè eſſet prima Intelligentia, ſed illa eſt mutabilis ab intellectione ad intellectionem. Nota quòd verſio, ſeu vertibilitas dicitur mutatio à totali eſſe ad totale non eſſe, aut è contra.

[1] *Ibid. n. 6.*

Prob.2. ratione; quia omnis creatura mutatur à non eſse ad eſse per creationem, aut generationem; vel ab eſse ad non eſse per corruptionem, ut corporea, vel per deſitionem, aut annihilationem, ſi Deus ceſsat à conſervatione; vel localiter, vel temporis ſucceſſione, quia nulla eſt æterna, nec immenſa, vel augmentatione, vel diminutione, vel alteratione; quia nulla eſt ſummè perfecta, ut non poſſit perfici, aut deficere, aut recipere, vel deperdere qualitates aliquas, &c. ergo perfecta, & totalis immuatbilitas ſoli Deo convenit.

Objic. mutatio eſt aut ſecundum locum, aut ſecundum tempus: ſed aliqua, præter Deum, ſunt immutabilia ſecundum locum, & tempus; ergò eis convenit immutabilitas. Prob. min. Cœlum Empyreum non eſt in loco, & eſt extra tempus: animæ ſeparatæ, & Angeli non mutantur tempore, nec aliquid acquirunt, nec deperdunt per tempus, & univerſale eſt incorruptibile, & æternum; *eſt ſemper, & ubique*, inquit Philoſophus; ergo &c.

Reſp. 1. ad maj. quòd multæ ſunt aliæ mutationes, ideo quamvis aliqua eſſent immutabilia quoad locum, & tempus, tamen negari poſſet conſ. nam licèt aliqua eſſent immutabilia quoad hæc: non eſſent tamen quoad eſſe, & qualitates. Præterea immutabilitas creaturarum aliquarum venit ab imperfectione, ut dicebamus de relationibus quoad mutationē ſubjectivam: univerſalia, & eſſentiæ rerum mutabilia ſunt accidentaliter. Uno verbo, ſi quæ ſunt immutabilia, id ſunt ſecundum quid, non autem ſimpliciter, & abſolutè, ſecundum omnimodam mutationem, & maximè mutationem ſubſtantialem quoad eſſe, quia omnes illud habent à Deo; imo, nec quoad accidentia, quia omnes ſunt ex ſe finitæ, & ideo poſſet illis addi aliqua perfectio.

Inſt. quod Angeli, & animæ poſſunt deſinere, & annihilari, hoc eſt illis extrinſecum; ergo id non tollit eorum intrinſecam immutabilitatem; Prob. ant. Nam id provenit à potentia, & libertate Dei, quatenus poteſt ab eorum conſervatione ceſſare: non autem ab eorum exigentia, quia nulla eis fit violentia, dum conſervantur.

Reſp. neg. ant. quia ſicut poſſibilitas ad eſſe, & creari

eſt

eſt illis intrinſeca, ita & annihilabilitas, & certè conſtat, quòd ex ſe nulla creatura exigit poſitivè creari, aut conſervari; ſed quoad hoc eſt in potentia pura reſpectu Dei.

Inſt. 2. ſi Deus ageret ex neceſſitate, & naturaliter ad extra; aut res nullas crearet, aut omnes æternùm crearet, & conſervaret; ergo tota illorum contingentia in creari, & conſervari eſt illis extrinſeca, & ſe tenet ex parte Dei.

Reſp. 1. neg. conſ. quia per hoc non mutaretur earum, ſicut nec reliquarum creaturarum intrinſeca dependentia ad cauſam primam, & ita ex ſe ſemper eſsent defectibiles, quantùm eſt ex ſe. 2. concedo, quod non produceret, niſi entia neceſsaria, alioqui alia eſsent, & non eſsent contingentia, quod implicat, ſed de hoc aliàs.

Fundamentum Philoſophorum eſt, quia putant Deum agere etiam ad extra naturaliter, & ex neceſſitate, quod falſum eſt, ut patebit ſuo loco.

Ex dictis colligis differentiam hujus perfectionis à ſimplicitate, infinitate, & aliis, quia ſimplicitas dicit negationem potentialem, aptitudinalem, & actualem compoſitionis ex actu, & potentia, ſeu perfectibili, & perfectivo, & componibilitatis cum alio, infinitas verò dicit negationem termini in ſua perfectione, quæ, ut vides, multum differunt à triplici negatione, per quam explicamus immutabilitatem.

QUÆSTIO IV.

De neceſsitate Dei, an, & qualis ſit.

NEceſſitas eſt talis connexio ſubjecti cum actu, aut prædicato, ut non poſſit eo carere, ſeu aliter ſe habere; ideo *Neceſsarium* dicitur eſse, quod ſuapte natura non poteſt aliter ſe habere ſine contradictione, & ſic opponitur Contingenti, imò Poſſibili, quod poteſt aliter ſe habere, ſaltem ſine contradictione, & opponitur Contingenti, quod ex ſe

eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe. Illud autem neceſſarium eſt duplex, primum in *eſſendo*, quando aliter eſſe non poteſt, ſecundum in *operando*, quando res non poteſt non operari, aut aliter operari, ſi operatur. Rurſus in *eſſendo*, aliud eſt quoad *exiſtentiam*, quando exiſtentia ſic connectitur cum ſubjecto, ut implicet iſtud eſſe ſine illa; & quoad *eſſentiam*, quando prædicata ejus ſic illi conveniunt, ut implicet non ineſſe, & non convenire; ſic neceſſariò homo eſt rationalis, & hæc neceſſitas opponitur contingentiæ formæ, aut formalitatis in ſubjecto: qualis eſt albedinis in pariete, aut ſapientiæ in homine. Non agimus hic de neceſſitate in operando; nam certum eſt operationes Dei ad intra eſſe neceſſarias, & ad extra eſſe liberas, & contingentes: & hoc patebit ex dicendis de libertate Dei, & de Trinitate: nec etiam de neceſſitate in eſſentia, ſeu quoad eſſentiam; nam ſi omnes creaturæ ſunt neceſſariò id, quod ſunt, per ſuam eſſentiam, idem eſt à fortiori de Deo; patet autem, quòd omnes propoſitiones de prædicatis eſſentialibus rerum omnium ſunt & æternæ, & neceſſariæ veritatis. Reſtat ergo quæſtio de neceſſitate quoad exiſtentiam, & quoad prædicata attributalia, & uno verbo de omnibus, quæ ſunt in illo, & de operationibus ejus entitativè, & formaliter: Porrò neceſſitas iſta reponitur inter modos intrinſecos, & attributa negativa, quia eſt quidam modus ejus eſſendi, & excludit ab eo contingentiam omnem, & deſitionem; imò & ex Scoto, [1] excludit cauſabilitatem, ut aſſeitas; *nam inquit, incauſabile eſt ex ſe neceſſe eſſe, ex ſe impoſſibile eſt non eſſe*,

Concl. *Deus eſt ſummè, & abſolutè, & ſimpliciter neceſſe eſſe, & hæc perfectio excludit omnem cauſabilitatem, omnem dependentiam, omnem deſitionem, & contingentiam; & quidem ſolus.*

Prob. 1. ex Scoto [2] dicente, quod nihil ab eſſentia divina poteſt poni, *neceſſe ex ſe in quocumque eſſe*; (& id omnes concedunt) *& cum omne neceſſarium aliud à Deo ſit ab aliqua cauſa, impoſſibile eſt ponere aliud à Deo neceſſarium à ſe.*

Et

[1] *de 1. princip. c. 3. n. 6.*
[2] *Reper. 2. d. 1. q. 2. n. 6.*

Et quod, *nihil aliud à Deo eſt immutabile, quia nihil aliud eſt formaliter neceſsarium*. Et quod [1] *primum efficiens eſt ex ſe neceſse eſse, quia eſt penitus incauſabile; nam contradictionem includit aliquid eſse prius illo in genere cauſæ efficientis, vel finis, & per conſequens in genere cujuſcumque cauſæ*. Vides aſſertam Dei neceſſitatem, & quidem explicatam per excluſionem cauſalitatis, & dependentiæ ab ullo quoad eſſe, & quod hæc perfectio ſolius Dei eſt.

Prob. 2. ex eodem, Deus habet eſſe à ſe; eſtque ſua propria quidditate, & natura exiſtens. Ergo ſua quidditate exiſtit ita neceſſariò, ut implicet contradictionem, ipſum non exiſtere. Ant. patet ex dictis. Prob. conſeq. 1. quod non habet eſſe ab alio, non habet, à quo dependeat in fieri, nec in conſervari; Ergo ſic neceſsariò eſt, ut non poſſit non eſse. 2. quia quod natura ſua eſt, implicat, ut non ſit; ſicut quia homo natura ſua eſt rationalis, implicat, ut non ſit rationalis; ſed Deus natura ſua exiſtit; ergo implicat, cum non exiſtere; uno verbo, Deus exiſtit per eſsentiam; ſed exiſtentia eſt de eſsentia ejus; ergo ſi eſsentiæ rerum neceſsariò tales ſunt, multò magis Deus; nam quidquid eſt per eſsentiam, neceſsariò eſt, & quidem ſimpliciter, & abſolutiſſimè.

Prob. 3. ex Scriptura, & Patribus, qui Deum potiſſimùm definiunt per eſse; ipſe Deus ſic ſe ipſum definit, & appellat, dicens nobis per Moyſem: [2] *Ego ſum, qui ſum; ſic dices, qui eſt, miſit me ad vos*. Exiſtentia Deum complectitur, inquit Triſmeg. [3] & Job dicit, quod ipſe ſolus eſt; *nonnè* [4] *tu, qui ſolus es*, & S. Hieron. *una eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt: id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt*. Et alibi dicit, quod, *Deus eſt origo ſui ipſius, & cauſa ſubſtantiæ ſuæ*. Idem docet Auguſt. *Deus omnium, quæ ſunt, cauſa eſt, quod autem omnium rerum cauſa eſt, etiam ſuæ ſapientiæ cauſa eſt*. Scilicet ſe ipſo eſt, per ſuam eſsentiam. Ergo neceſsariò eſt, quidquid eſt ſimpliciter, & abſolutè, & abſque dependentia, & cauſabilitate.

[1] 1.*d.8.q.5.n.22.& d.2.q.2.Q n.*19.
[2] *Exo.2.* [3] *Pyman.c.3.*
[4] *Job.23.& 24.*

Quod autem ſoli Deo propria ſit hæc neceſſitas; jam patet ex primo Textu Scoti, [1] & confir. ex eo quod dicit; *nihil autem aliud à Deo eſt ita formaliter neceſſarium, ſicut Deus, ſecundum quamcumque poſitionem, quia ſi poneretur aliquid formaliter neceſſarium, non tamen ſine omni dependentia ad primum neceſſarium; ideo non eſſet ex ſe neceſſarium;* ergo, ex Scoto, Deus ſolus eſt ens ſimpliciter neceſſarium, quia illa neceſſitas nulli creaturæ poteſt convenire.

Prob. 2. eadem pars; quia Deus ſolus eſt ſimpliciter, & de ſe incauſabilis, & independens, & hæc repugnant omni enti creato, vel creabili; Ergo & neceſſitas eſſendi; nam cauſabile eſt contingens, &c. repugnat ei neceſſitas eſſendi. *Omne ens cauſabile eſt tantum poſſibile*, ſeu contingens, inquit Doctor, & re vera ſicut omne cauſatum, aut cauſabile dependet ab alio in eſſe, ita & in conſervari; ergo & de ſe eſt contingens, & poteſt deficere.

Id ſic docet, & probat Scotus: [2] neceſſitas eſſendi ex ſe uni ſoli naturæ convenit: prob. ſic. *Si duæ naturæ poſſunt eſſe ex ſe neceſſe eſſe, communis eſt eis neceſsitas eſsendi; ergo & aliqua entitas quidditativa, ſecundum quam eſt eis commune, & à qua accipitur genus, aut quaſi genus earum. Et præter hoc diſtinguuntur formalitatibus ſuis actualibus ultimis. Ex hoc ſequuntur duo impoſſibilia. 1. quod utrumque erit primò neceſse eſse per naturam communem, quæ eſt minoris entitatis, & non per naturam diſtinguentem, quæ eſt majoris actualitatis, & quia ſi per illam ſit formaliter neceſse eſse. Ergo bis neceſse eſse*, quia illa *formaliter non includit naturam communem, ſicut nec differentia genus. Videtur autem impoſsibile, quod minor actualitas ſit, qua primò aliquid eſt neceſsarium, & major actualitas non ſit, qua primò, nec per ſe ſit aliquid neceſsarium. 2. impoſsibile eſt, quod per naturam communem, qua ponitur primò utrumque neceſse eſse, neutrum ſit neceſse eſse, quia neutrum eſt ſufficienter per illam naturam, quælibet enim natura eſt illud, quod eſt per formale ultimum*, ſcilicet non

[1] *d 8.q.5.A.A.*
[2] *1.de rer.princ.c.3.n.6.*

per genus, ſed per differentiam, quælibet res ulti- & perfectè conſtituitur: per quod enim aliquid eceſſe eſſe, per illud eſt in effectu circumſcri- mni alio, &c. Aliis ſubtilibus argumentis idem it, quæ ibi videre non pigebit.

Ojic. contra hanc ult. par. Creaturæ ſecundum tiam, & poſſibilitatem, & idealitatem in Deo neceſſariæ, quia non poſſunt non eſſe, nec ali- ſe; ergo aliqua neceſſitas eſſendi convenit crea- ſimpliciter, & abſolutè.

ſp. neg. conſ. nam eſse illud eſsentiæ, & poſſibi- s, & ideale nihil eſt in ipſis reale; eſt eſse ſe- um quid, & in Deo ipſo, in quo ſic repræ- ntur, & exemplantur. Ergo hæc neceſſitas eſt in ipſis abſolutum, & ſimpliciter. Loqui- autem de neceſſitate eſsendi, ſeu exiſtendi ſim- er.

oncl. 2. *Deus eſt etiam neceſsarius in operando ntellectum, & voluntatem ad intra, & qui- neceſſitate naturali quoad intellectum, & ine- ilitatis quoad voluntatem, imò & neceſsita- nmutabilitatis quoad operari voluntatis ad ex-*

ob. ex *Scoto* dicente, quod *principia producti- n Deo, quæ ſunt natura* (id eſt, intellectus, oluntas) habent appoſitos modos principiandi: *alterum* (ſcilicet intellectus) *inclinatur ex l agendum naturaliter, alterum liberè, & in poteſtate ſua producere, ita quod ad x ſe naturaliter non inclinatur*. Loquitur de productionibus divinis ad intra, quæ gene- , & ſpiratio, & quæ ſunt ſine dubio neceſsariæ: iverſa neceſſitate, nam generatio, quæ eſt opera- ntellectus, eſt per modum naturæ, quia intelle- eſt potentia naturaliter agens, & per conſequens ſaria neceſſitate naturæ; ſpiratio verò, quæ eſt uctio voluntatis, eſt neceſsaria quidem, ſed neceſſitate naturali, quia voluntas non eſt poten- gens naturaliter, ſed liberè.

ob. 2. per partes; Deus ab æterno, & neceſsa- cognoſcit, & amat: item generat, & ſpirat: in Deo ſunt operationes neceſsariæ. Nec de hoc ſt eſse dubium, vel controverſia.

M 5 Prob.

Prob. 2.pars: quia ut ſuppono ex Philoſophia, & ut dicetur in tr. de Trinitate, intellectus eſt potentia agens naturaliter, id eſt ex determinatione naturæ ad unum; ergo neceſſitas operationum intellectus Dei debet eſse naturalis; prout naturale opponitur voluntario, ſeu libero.

Prob. 3. voluntas eſt potentia eſsentialiter libera, quantum eſt ex ſe; ita ut feratur in objectum ſuum, non per modum naturæ determinatæ, ſed per modum ponderis, & inclinationis, ſcilicet quaſi delectabiliter, & complacenter; ergo quidquid operatur voluntas, ita operatur; & ſi ita operatur, ut non poſset non operari, ſeu, ſi non operatur liberè libertate contingentiæ, ſed necesſariò, illa neceſſitas non poteſt eſse alia, quàm inevitabilitatis. Hæc autem conſiſtit in hoc, quòd oppoſitum rei, quæ ineſt, non poteſt ineſse: v. g. ſic Deus ſe amat, ut non poſſit ſe odiſse; vel non amare; ſic Pater, & Filius ſpirant, ut non poſſint non ſpirare, ſed tamen liberè, & ſponte ſpirant.

Prob.4. pars. Nam actus voluntatis ad extra, ſeu circa creaturas, ſunt quidem contingentes quoad eſse; v. g. volitio creandi mundum talis eſt, ut potuiſset Deus eam non habere, ſed tamen ſuppoſito, quòd Deus ſic decreverit, illud decretum penitùs eſt immutabile, ut patet ex quæſt. præcedenti: ergo actus voluntatis Dei ad extra ſunt etiam neceſsarii, ſed neceſſitate ſola immutabilitatis, non autem exiſtentiæ, vel naturæ, vel inevitabilitatis.

Objic.con.1.p.illud non eſt ſimpliciter neceſsarium, quod coexigit aliud ens à ſe diſtinctum: ſed intellectus Dei coexigit aliud ens à ſe diſtinctum; ergo non eſt ſimpliciter neceſsarius; maj. patet; nam per nos, illa neceſſitas excludit omnem dependentiam ab alio, & illa coexigentia infert dependentiam in exigente ab exacto. Prob. min. intellectus Dei coexigit creaturas, ut cognitas; ſaltem ſecundum eſse poſſibile, ſed creaturæ, ut tales, ſunt entia diſtincta in Deo; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Si coexigit ex indigentia ex parte ſui, & ad ſui eſse, & perfectionem: conc.maj. ſi non ex indigentia: neg.min. & conſ. Et ad probationem patet, quòd illa exigentia cognitionis non arguit depen-

dentiam in Deo, vel intellectu ejus ab illis objectis, ſed potiùs in ipſis ab illo, quandoquidem iſta eſse non poſsunt ſine illo, ille verò non minus eſset perfectus, quamvis nulla creatura eſset poſſibilis; Non tam igitur Deus exigit ad ſuum eſſe perfectum, coexiſtentiam creaturarum in eſse cognito, quàm ipſæ creaturæ exigunt cognoſci ut ſint, aut ſi ſint poſſibiles, illa coexigentia non influit in eſse, vel operari divinum, ſed è contra, eſse, & operari divinum cauſat creaturas in eſse poſſibili, & cognito, quod eſt ſequela ejus.

Objic. 2. Deus eſt naturaliter Beatus; ſed Beatitudo Dei conſiſtit formaliter in actu voluntatis ejus, quo diligit ſe; ergo actus voluntatis ad intra ſunt neceſsarii naturali neceſſitate.

Reſp. ex Scoto; diſt. maj. eſt Beatus naturaliter, id eſt per operationem, quæ non ſuperat vires ejus, & quæ non diſtinguitur realiter ab ejus eſsentia: con. maj. per operationem facultatis agentis ex determinatione naturæ; neg. maj. & conſ. Seu: Deus eſt beatus in ſe, & ſe amat, & fruitur naturaliter, prout naturale opponitur ſupernaturali, & extrinſeco, con. maj. pro ut naturale opponitur libero, aut voluntario; neg. maj. hæc patent ex dictis de libertate voluntatis, & ex dicendis de productione Spiritus Sancti, & de libertate Dei.

Objic. 3. actus, quo Deus diligit ſe, & quo producit Spiritum S. tam eſt determinatus, quàm quo intelligit, & quo generat, ſed iſte eſt neceſsarius neceſſitate naturæ; ergo & ille. Prob. maj. eſt æquè abſolutè neceſsarius, & non eſt indeterminatus; ergo æquè eſt determinatus.

Reſp. diſt. maj. eſt æquè determinatus ex parte actus; con. maj. ex parte potentiæ: neg. maj. nam actus, quo Pater generat Filium, & quo Deus ſe intelligit, eſt determinatus ex parte potentiæ, ita ut non ſit intellectus, qui ſe determinat, ſed à natura ſua ſit determinatus, voluntas verò non à natura ſua, ſed à ſe ipſa determinatur ad amorem, & ſpirationem, licèt non poſſit ſe non determinare, ſed faciat neceſsariò.

Inſt. Spiritus Sanctus eſt naturaliter Deus; ergo eſt naturaliter neceſsarius, ſeu ex neceſſitate naturali procedit.

Reſp. diſt. ant. naturaliter, id eſt, per naturam eſt Deus: con. maj. id eſt, procedit per viam, & modum potentiæ, ſeu principii *quo*, naturaliter agentis, neg. ant. & conſ. quia procedit per viam voluntatis tanquam per principium *quo*, & illa non eſt principium naturaliter agens, ſed liberè; & ſponte.

Quæres: *quomodo differat hoc attributum ab attributo æternitatis?*

Reſp. differre formaliter ex natura rei, quia æternitas ex Scoto, & ex dicendis conſiſtit in illa entitate, & perfectione poſitiva Dei, ex qua ſequitur negatio deſitionis, & deſinibilitatis, & neceſſe eſſe, ſeu neceſſitas eſſendi conſiſtit in illa perfectione poſitiva, quæ explicatur, & importat negationem dependentiæ ab alio in eſſe, & conſervari, ut patet ex dictis. Sed hæc diverſa ſunt à parte rei formaliter; ergo, &c.

Exiſtimo autem hunc modum intrinſecum, ſeu perfectionem non differre ab aſſeitate, aut ſaltem ad illam ſequi: nam iſta excludit dependentiam Dei ab alio in eſſendo, & omnem cauſam ſui.

QUÆSTIO V.

De Æternitate Dei.

SCiendum, inquit Doctor, [1] quod in *qualibet re exiſtente in actu, duo conſiderantur* 1. *eſſentia,* 2. *exiſtentia; & utrique reſpondet ſua menſura. Ex parte eſſentiæ menſura Dei eſt ſua immenſitas, quæ ſola ratione differt à ſua eſſentia, & ex parte exiſtentiæ Dei menſura eſt æternitas, quæ modum ſuæ exiſtentiæ ſimplicem, invariabilem actu, & potentia; carentem principio, & fine menſurat, & hæc quidem menſura in ſe eſt indiviſibilis, nec habens partem, & partem, virtute tamen, & per coexiſtentiam infinita; unde, ſi totum tempus ſecundum omnes partes ſuas ſimul eſſet, æternitas ejus nunc omnibus coexiſteret, & adhuc in infinitum excederet*. Igitur æternitas eſt menſura exiſtentiæ Dei, & duratio ejus, & eſt penitus indiviſibilis; *unde indiviſibilitas æternitatis* quodam

[1] *de rer. princ. q. 19. n. 1.*

dam modo eſt, ſicut indiviſibilitas animæ rationalis, quæ tota coexiſtit omnibus partibus corporis indiviſa ejus eſſentia, ſicut puncti, inquit Doctor. [1]

Notat etiam, quod ſicut triplex eſt modus eſſendi, ita & triplex menſura, & duratio. 1. eſt *verum eſſe*, quod nihil aliud eſt, quàm *neceſſe eſſe*, omninò independens, immutabile in ſubſtantia, & ſine compoſitione, nec incipiens, nec deſinens; quale *eſſe* eſt unicum numero, ſcilicet Deus, & eſt eſſe omnium. *Duratio* ejus, ſive quantitas durationis, quæ eſt menſura ſui eſſe in durando, eſt una, ſola, indiviſibilis, invariabilis, nec incipiens, nec deſinens actu, aut potentia, nec re, aut intellectu, & hæc duratio vocatur *æternitas* in abſtracto, ſicut entitas, ut eſt duratio quædam. 2. eſt eſſe, quod eſt quidem fixum, & immutabile, quia contrarium non habet, nec componitur ex contrariis, nec alterabile per actionem agentis creati, ſed tamen debile eſt, quia pendet ab alio in eſſe, & conſervari, & ideo poteſt incipere, & deſinere, ſi ab alio ceſſet conſervari. Tales ſunt Angeli, & ſubſtantiæ, ſeu animæ ſeparatæ, & animæ rationales: & talia entia habent modum durationis proportionatum, ſeu quantitatem durationis, aut menſuræ; quæ propterea eſt immutabilis, & fixa, & indiviſibilis, ſed limitata, & dicitur *ævum*. 3. eſſe eſt, quod incipit, & deſinit, non habens perſeverantiam, nec fixionem in durando, unde non tam dicitur durare, quaſi idem, & ſecundum idem permaneat, cum habeat ſuum eſſe in continuo fluxu, & innovatione; ſed quia quaſi ſemper ſibi ſuccedit per aliud, & aliud. Tale eſt eſſe motus, talia ſunt eſſe omnium generabilium, & corruptibilium, ut ſubſunt motibus generationis, & corruptionis, & per hunc fluxum, & ſucceſſionem, & innovationem continuam duratio illorum diſtinguitur ab *æternitate*, & *ævo*, ſicut eſſe illorum diſtinguitur ab illis, & dicitur *tempus*. Igitur Æternitas non habet principium, nec finem, *ævum* habet principium, ſed non finem, *tempus* habet utrumque, ſcilicet principium, & finem. Sed hæc differentia harum durationum eſt accidentalis, & extrinſeca. Eſſentialis verò, & intrinſeca in hoc con-

ſiſtit,

[1] *Ibid. n.6.*

ſiſtit, quòd *Æternitas* eſt tota ſimul, & indiviſibilis, & deſinere non poteſt, *Ævum* quidem non habebit finem, ſed poſſet habere, & non eſt duratio tota ſimul, ſaltem perfectè (de quo aliàs) aut ſaltem fixionem, & permanentiam ſine fine non habebit ex ſe, ſicut *Æternitas*; imo in *Ævo* eſt prius, & poſterius, quod dicit durationis extenſionem: & in hoc diſtinguitur ab Æternitate; ſed nullam dicit variationem, nec innovationem; & ſic diſtinguitur à tempore, *in quo eſt ſucceſſio, & variatio, & prius, & poſterius cum veteratione, & innovatione*, inquit Doctor.

Porro diximus in Phyſica, durationem non diſtingui realiter à re, ut exiſtente, ſeu ab exiſtentia rei, cui addit ſolam negationem deſitionis, ad quam ſe habet exiſtentia rei durantis, ut materiale. Ideo non diſtinguitur ab ea, niſi formaliter ex natura rei negativè, ſeu modaliter.

Æternitas à Boetio, & Anſelmo deſcribitur, *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, quam approbat Scotus cit. dicitur 1. *vitæ*, id eſt, exiſtentiæ actualis perfectæ, nam *vita* ibi hoc ſignificat, juxta illud: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio*. Ubi *vita* ſumitur pro exiſtentia actuali, & perfecta, & eſt fundamentum æternitatis. 2. *interminabilis*: per hoc excluditur deſitio actualis, & potentialis, ſeu deſitio, & deſinibilitas. 3. *tota ſimul*: & ſic excluditur variatio, & ſucceſſio, quatenus ſine illis poteſt omni durationi coexiſtere. 4. *& perfecta poſſeſſio*, per quod ſignificatur Dei aſſeitas, quatenus à ſe ipſo exiſtit ſine ulla dependentia in exiſtendo. *Hæc eſt perfectiſſima, propriiſſima deſcriptio æternitatis, quam invenimus*. Et hoc eſt unum tantum ex natura *rei* (poſitivum) *ſcilicet vita: tria autem, quæ complent rationem ejus, non ſunt ibi ex natura rei, quia important per ſe vel negationem* alicujus imperfectionis extrinſecæ, *vel relationem* aliquam aptitudinalem, vel potentialem ad aliquid extrinſecum. Licèt igitur nomen *æternitatis* ſumatur quandoque in Scriptura non ſolùm pro *ævo*, ſed etiam pro *tempore* longiori, & ſæculo: tamen hìc ſumitur in eo rigore, & ſenſu, quem modò deſcripſimus. His poſitis

Cor-

Concl. 1. *Deus eſt verè, & propriè æternus, & quidem ſolus*. Eſt de fide contra Philoſophos, qui ſolam æternitatem æviternam, ſeu immortalitatem Diis ſuis tribuebant.

Prob. 1. ex locis Scoti allegatis, in quibus apertè docet, hanc æternitatem Deo, & quidem ſoli convenire; & poſitivè concedit, quòd, quidquid eſt in Deo, eſt æternum per identitatem. Et id probat S. Dionyſ. [1] dicente, quòd *Deus non quodammodo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter circumſcriptivè totum eſſe accipit in ſe ipſo, & præaccipit, propter quod dicitur Rex ſæculorum .... ipſe eſt eſſe exiſtentibus, & ipſum eſſe exiſtentium, & exiſtens ante ſæcula, ipſe eſt enim ævum ævorum, qui eſt ante ſæcula*, &c.

Prob. 2. ex Script. [2] *Dominus in æternum permanet*. Et *à ſæculo* (id eſt ab æterno) *& uſque in ſæculum tu es Deus*. Quod convenientius diceretur *ab æterno, & in æternum*, inquit Auguſt. [3] *Non enim à ſæculo Deus, quia eſt ante ſæcula; aut uſque in ſæculum, cujus eſt finis, cùm ſit ille ſine fine, ſed ex* ambiguo verbo Græco, ſic plerumque in *Scripturis, ut vel ſæculum pro æterno, vel æternum pro ſæculo ponat Latinus interpres*, &c.

Confir. ex Doctrina Eccleſiæ, nam in Symbolo Athanaſii, *æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*; & in Concil. Lateran. ſub Inn. III. definitur, *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus, ſolus, verus eſt Deus, æternus, immenſus*, &c.

Confir. 2. ex Patribus, ut patet ex Dionyſ. & Auguſtino, qui alibi, & in illa verba Pſal. 101. dicit, quòd *æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile*.

Prob. 3. ratione ex dictis, nam Deus exiſtit per eſſentiam, & à ſe, & eſt prima omnium cauſa, & incauſatus, & incauſabilis; ergo & habet ex ſe plenitudinem totam eſſendi: ſed hæc vera non eſſent, niſi æternus eſſet; ergo eſt æternus: Prob. min. ſi non exiſteret ab æterno, eſſentia non eſſet æterna, ſed temporalis; aut exiſtentia non eſſet ei eſſentialis.

2. ſi

[1] *de Div. Nom. c. 5.*
[2] *Pſal 9. & 89.*
[3] *Ibid.*

eſt indifferens ad eſſe, & non eſſe. Illud autem neceſſarium eſt duplex, primum in *eſsendo*, quando aliter eſſe non poteſt, ſecundum in *operando*, quando res non poteſt non operari, aut aliter operari, ſi operatur. Rurſus in *eſsendo*, aliud eſt quoad *exiſtentiam*, quando exiſtentia ſic connectitur cum ſubjecto, ut implicet iſtud eſſe ſine illa; & quoad *eſsentiam*, quando prædicata ejus ſic illi conveniunt, ut implicet non ineſſe, & non convenire; ſic neceſſariò homo eſt rationalis, & hæc neceſſitas opponitur contingentiæ formæ, aut formalitatis in ſubjecto: qualis eſt albedinis in pariete, aut ſapientiæ in homine. Non agimus hic de neceſſitate in operando; nam certum eſt operationes Dei ad intra eſſe neceſſarias, & ad extra eſſe liberas, & contingentes: & hoc patebit ex dicendis de libertate Dei, & de Trinitate: nec etiam de neceſſitate in eſſentia, ſeu quoad eſſentiam; nam ſi omnes creaturæ ſunt neceſſariò id, quod ſunt, per ſuam eſſentiam, idem eſt à fortiori de Deo; patet autem, quòd omnes propoſitiones de prædicatis eſſentialibus rerum omnium ſunt & æternæ, & neceſſariæ veritatis. Reſtat ergo quæſtio de neceſſitate quoad exiſtentiam, & quoad prædicata attributalia, & uno verbo de omnibus, quæ ſunt in illo, & de operationibus ejus entitativè, & formaliter: Porrò neceſſitas iſta reponitur inter modos intrinſecos, & attributa negativa, quia eſt quidam modus ejus eſſendi, & excludit ab eo contingentiam omnem, & deſitionem; imò & ex Scoto, [1] excludit cauſabilitatem, ut aſſeitas; *nam inquit, incauſabile eſt ex ſe neceſse eſse, ex ſe impoſsibile eſt non eſse*,

Concl. *Deus eſt ſummè, & abſolutè, & ſimpliciter neceſse eſse, & hæc perfectio excludit omnem cauſabilitatem, omnem dependentiam, omnem deſitionem, & contingentiam; & quidem ſolus*.

Prob. 1. ex Scoto [2] dicente, quod nihil ab eſſentia divina poteſt poni, *nec eſse ex ſe in quocumque eſse;* (& id omnes concedunt) *& cum omne neceſsarium aliud à Deo ſit ab aliqua cauſa, impoſsibile eſt ponere aliud à Deo neceſsarium à ſe*.

Et

[1] *de 1.princip.c.3.n.6.*
[2] *Reper.2.d.1.q.2.n.6.*

Et quod, *nihil aliud à Deo eſt immutabile, quia nihil aliud eſt formaliter neceſsarium*. Et quod [1] *primum efficiens eſt ex ſe neceſse eſse, quia eſt penitus incauſabile; nam contradictionem includit aliquid eſse prius illo in genere cauſæ efficientis, vel finis, & per conſequens in genere cujuſcumque cauſæ*. Vides aſſertam Dei neceſſitatem, & quidem explicatam per excluſionem cauſalitatis, & dependentiæ ab ullo quoad eſſe, & quod hæc perfectio ſolius Dei eſt.

Prob. 2. ex eodem, Deus habet eſſe à ſe; eſtque ſua propria quidditate, & natura exiſtens. Ergo ſua quidditate exiſtit ita neceſſariò, ut implicet contradictionem, ipſum non exiſtere. Ant. patet ex dictis. Prob. conſeq. 1. quod non habet eſſe ab alio, non habet, à quo dependeat in fieri, nec in conſervari; Ergo ſic neceſsariò eſt, ut non poſſit non eſse. 2. quia quod natura ſua eſt, implicat, ut non ſit; ſicut quia homo natura ſua eſt rationalis, implicat, ut non ſit rationalis; ſed Deus natura ſua exiſtit; ergo implicat, eum non exiſtere; uno verbo, Deus exiſtit per eſsentiam; ſed exiſtentia eſt de eſsentia ejus; ergo ſi eſsentiæ rerum neceſsariò tales ſunt, multò magis Deus; nam quidquid eſt per eſsentiam, neceſsariò eſt, & quidem ſimpliciter, & abſolutiſſimè.

Prob. 3. ex Scriptura, & Patribus, qui Deum potiſſimùm definiunt per eſse; ipſe Deus ſic ſe ipſum definit, & appellat, dicens nobis per Moyſem: [2] *Ego ſum, qui ſum; ſic dices, qui eſt, miſit me ad vos*. Exiſtentia Deum complectitur, inquit Triſmeg. [3] & Job dicit, quod ipſe ſolus eſt; *nonnè* [4] *tu, qui ſolus es*, & S. Hieron. *una eſt Dei, & ſola natura, quæ verè eſt: id enim, quod ſubſiſtit, non habet aliunde, ſed ſuum eſt*. Et alibi dicit, quod, *Deus eſt origo ſui ipſius, & cauſa ſubſtantiæ ſuæ*, Idem docet Auguſt. *Deus omnium, quæ ſunt, cauſa eſt, quod autem omnium rerum cauſa eſt, etiam ſuæ ſapientiæ cauſa eſt*. Scilicet ſe ipſo eſt, per ſuam eſsentiam. Ergo neceſsariò eſt, quidquid eſt ſimpliciter, & abſolutè, & abſque dependentia, & cauſabilitate.

[1] *1.d.8.q.5.n.22.& d.2.q.2.Q n.19.*
[2] *Exo.2.* [3] *Pyman.c.3.*
[4] *Job.23.& 24.*

Quod autem ſoli Deo propria ſit hæc neceſſitas; jam patet ex primo Textu Scoti, [1] & confir. ex eo quod dicit; *nihil autem aliud à Deo eſt ita formaliter neceſſarium, ſicut Deus, ſecundum quamcumque poſitionem, quia ſi poneretur aliquid formaliter neceſſarium, non tamen ſine omni dependentia ad primum neceſſarium; ideo non eſſet ex ſe neceſſarium*; ergo, ex Scoto, Deus ſolus eſt ens ſimpliciter neceſſarium, quia illa neceſſitas nulli creaturæ poteſt convenire.

Prob. 2. eadem pars; quia Deus ſolus eſt ſimpliciter, & de ſe incauſabilis, & independens, & hæc repugnant omni enti creato, vel creabili; Ergo & neceſſitas eſſendi; nam cauſabile eſt contingens, &, repugnat ei neceſſitas eſſendi. *Omne ens cauſabile eſt tantùm poſſibile*, ſeu contingens, inquit Doctor, & re vera ſicut omne cauſatum, aut cauſabile dependet ab alio in eſſe, ita & in conſervari; ergo & de ſe eſt contingens, & poteſt deficere.

Id ſic docet, & probat Scotus: [2] neceſſitas eſſendi ex ſe uni ſoli naturæ convenit: prob. ſic. *Si duæ naturæ poſſunt eſſe ex ſe neceſſe eſſe, communis eſt eis neceſsitas eſsendi; ergo & aliqua entitas quidditativa, ſecundum quam eſt eis commune, & à qua accipitur genus, aut quaſi genus earum. Et præter hoc diſtinguuntur formalitatibus ſuis actualibus ultimis. Ex hoc ſequuntur duo impoſſibilia. 1. quod utrumque erit primò neceſse eſse per naturam communem, quæ eſt minoris entitatis, & non per naturam diſtinguentem, quæ eſt majoris actualitatis, & quia ſi per illam ſit formaliter neceſse eſse. Ergo bis neceſse eſse*, quia illa *formaliter non includit naturam communem, ſicut nec differentia genus. Videtur autem impoſsibile, quod minor actualitas ſit, qua primò aliquid eſt neceſsarium, & major actualitas non ſit, qua primò, nec per ſe ſit aliquid neceſsarium. 2. impoſsibile eſt, quòd per naturam communem, qua ponitur primò utrumque neceſse eſse, neutrum ſit neceſse eſse, quia neutrum eſt ſufficienter per illam naturam, quælibet enim natura eſt illud, quod eſt per formale ultimum*, ſcilicet non

[1] *d* 8.*q*.5.*A.A.*
[2] 1.*de rer.princ,c*.3.*n*.6.

non *per genus*, *ſed per differentiam*, *quælibet res ultimò*, *& perfectè conſtituitur*: per quod enim aliquid eſt neceſſe eſſe, per illud eſt in effectu circumſcripto omni alio, &c. Aliis ſubtilibus argumentis idem probat, quæ ibi videre non pigebit.

Objic. contra hanc ult. par. Creaturæ ſecundum eſſentiam, & poſſibilitatem, & idealitatem in Deo ſunt neceſſariæ, quia non poſſunt non eſſe, nec aliter eſſe; ergo aliqua neceſſitas eſſendi convenit creaturis ſimpliciter, & abſolutè.

Reſp. neg. conſ. nam eſse illud eſsentiæ, & poſſibilitatis, & ideale nihil eſt in ipſis reale; eſt eſse ſecundum quid, & in Deo ipſo, in quo ſic repræſentantur, & exemplantur. Ergo hæc neceſſitas nihil eſt in ipſis abſolutum, & ſimpliciter. Loquimur autem de neceſſitate eſsendi, ſeu exiſtendi ſimpliciter.

Concl. 2. *Deus eſt etiam neceſsarius in operando per intellectum, & voluntatem ad intra, & quidem neceſſitate naturali quoad intellectum, & inevitabilitatis quoad voluntatem, imò & neceſsitate immutabilitatis quoad operari voluntatis ad extra.*

Prob. ex Scoto dicente, quod *principia productiva in Deo*, *quæ ſunt natura* (id eſt, intellectus, & voluntas) habent appoſitos modos principiandi: *quia alterum* (ſcilicet intellectus) *inclinatur ex ſe ad agendum naturaliter*, *alterum liberè*, *& habet in poteſtate ſua producere*, *ita quod ad hoc ex ſe naturaliter non inclinatur*. Loquitur ergo de productionibus divinis ad intra, quæ generatio, & ſpiratio, & quæ ſunt ſine dubio neceſsariæ; ſed diverſa neceſſitate, nam generatio, quæ eſt operatio intellectus, eſt per modum naturæ, quia intellectus eſt potentia naturaliter agens, & per conſequens neceſsaria neceſſitate naturæ; ſpiratio verò, quæ eſt productio voluntatis, eſt neceſsaria quidem, ſed non neceſſitate naturali, quia voluntas non eſt potentia agens naturaliter, ſed liberè.

Prob. 2. per partes; Deus ab æterno, & neceſsariò ſe cognoſcit, & amat: item generat, & ſpirat; ergo in Deo ſunt operationes neceſsariæ. Nec de hoc poteſt eſse dubium, vel controverſia.

dentiam in Deo, vel intellectu ejus ab illis objectis, ſed potiùs in ipſis ab illo, quandoquidem iſta eſse non poſsunt ſine illo, ille verò non minus eſset perfectus, quamvis nulla creatura eſset poſſibilis; Non tam igitur Deus exigit ad ſuum eſſe perfectum, coexiſtentiam creaturarum in eſse cognito, quàm ipſæ creaturæ exigunt cognoſci ut ſint, aut ſi ſint poſſibiles, illa coexigentia non influit in eſse, vel operari divinum, ſed è contra, eſse, & operari divinum cauſat creaturas in eſse poſſibili, & cognito, quod eſt ſequela ejus.

Objic. 2. Deus eſt naturaliter Beatus; ſed Beatitudo Dei conſiſtit formaliter in actu voluntatis ejus, quo diligit ſe; ergo actus voluntatis ad intra ſunt neceſsarii naturali neceſſitate.

Reſp. ex Scoto; diſt. maj. eſt Beatus naturaliter, id eſt per operationem, quæ non ſuperat vires ejus, & quæ non diſtinguitur realiter ab ejus eſsentia: con. maj. per operationem facultatis agentis ex determinatione naturæ; neg. maj. & conſ. Seu: Deus eſt beatus in ſe, & ſe amat, & fruitur naturaliter, prout naturale opponitur ſupernaturali, & extrinſeco, con. maj. pro ut naturale opponitur libero, aut voluntario; neg. maj. hæc patent ex dictis de libertate voluntatis, & ex dicendis de productione Spiritus Sancti, & de libertate Dei.

Objic. 3. actus, quo Deus diligit ſe, & quo producit Spiritum S. tam eſt determinatus, quàm quo intelligit, & quo generat, ſed iſte eſt neceſsarius neceſſitate naturæ; ergo & ille. Prob. maj. eſt æquè abſolutè neceſsarius, & non eſt indeterminatus; ergo æquè eſt determinatus.

Reſp. diſt. maj. eſt æquè determinatus ex parte actus; con. maj. ex parte potentiæ: neg. maj. nam actus, quo Pater generat Filium, & quo Deus ſe intelligit, eſt determinatus ex parte potentiæ, ita ut non ſit intellectus, qui ſe determinat, ſed à natura ſua ſit determinatus, voluntas verò non à natura ſua, ſed à ſe ipſa determinatur ad amorem, & ſpirationem, licèt non poſſit ſe non determinare, ſed faciat neceſsariò.

Inſt. Spiritus Sanctus eſt naturaliter Deus; ergo eſt naturaliter neceſsarius, ſeu ex neceſſitate naturali procedit.

Reſp. diſt. ant. naturaliter, id eſt, per naturam eſt Deus: con. maj. id eſt, procedit per viam, & modum potentiæ, ſeu principii *quo*, naturaliter agentis, neg. ant. & conſ. quia procedit per viam voluntatis tanquam per principium *quo*, & illa non eſt principium naturaliter agens, ſed liberè; & ſponte.

Quæres: *quomodo differat hoc attributum ab attributo æternitatis?*

Reſp. differre formaliter ex natura rei, quia æternitas ex Scoto, & ex dicendis conſiſtit in illa entitate, & perfectione poſitiva Dei, ex qua ſequitur negatio deſitionis, & deſinibilitatis, & neceſſe eſſe, ſeu neceſſitas eſſendi conſiſtit in illa perfectione poſitiva, quæ explicatur, & importat negationem dependentiæ ab alio in eſſe, & conſervari, ut patet ex dictis. Sed hæc diverſa ſunt à parte rei formaliter; ergo, &c.

Exiſtimo autem hunc modum intrinſecum, ſeu perfectionem non differre ab aſſeitate, aut ſaltem ad illam ſequi: nam iſta excludit dependentiam Dei ab alio in eſſendo, & omnem cauſam ſui.

QUÆSTIO V.

De Æternitate Dei.

SCiendum, inquit Doctor, [1] quod in *qualibet re exiſtente in actu, duo conſiderantur 1. eſſentia, 2. exiſtentia; & utrique reſpondet ſua menſura. Ex parte eſſentiæ menſura Dei eſt ſua immenſitas, quæ ſola ratione differt à ſua eſſentia, & ex parte exiſtentiæ Dei menſura eſt æternitas, quæ modum ſuæ exiſtentiæ ſimplicem, invariabilem actu, & potentia; carentem principio, & fine menſurat, & hæc quidem menſura in ſe eſt indiviſibilis, nec habens partem, & partem, virtute tamen, & per coexiſtentiam infinita; unde, ſi totum tempus ſecundum omnes partes ſuas ſimul eſſet, æternitas ejus nunc omnibus coexiſteret, & adhuc in infinitum excederet*. Igitur æternitas eſt menſura exiſtentiæ Dei, & duratio ejus, & eſt penitus indiviſibilis; *unde indiviſibilitas æternitatis* quodam

[1] *de rer. princ. q. 19. n. 1.*

dam modo eſt, ſicut indiviſibilitas animæ rationalis, quæ tota coexiſtit omnibus partibus corporis indiviſa ejus eſſentia, ſicut puncti, inquit Doctor. [1]

Notat etiam, quod ſicut triplex eſt modus eſſendi, ita & triplex menſura, & duratio. 1. eſt *verum eſse*, quod nihil aliud eſt, quàm *neceſse eſse*, omninò independens, immutabile in ſubſtantia, & ſine compoſitione, nec incipiens, nec deſinens; quale *eſse* eſt unicum numero, ſcilicet Deus, & eſt eſſe omnium. *Duratio* ejus, ſive quantitas durationis, quæ eſt menſura ſui eſſe in durando, eſt una, ſola, indiviſibilis, invariabilis, nec incipiens, nec deſinens actu, aut potentia, nec re, aut intellectu, & hæc duratio vocatur *æternitas* in abſtracto, ſicut entitas, ut eſt duratio quædam. 2. eſt eſſe, quod eſt quidem fixum, & immutabile, quia contrarium non habet, nec componitur ex contrariis, nec alterabile per actionem agentis creati, ſed tamen debile eſt, quia pendet ab alio in eſſe, & conſervari, & ideo poteſt incipere, & deſinere, ſi ab alio ceſſet conſervari. Tales ſunt Angeli, & ſubſtantiæ, ſeu animæ ſeparatæ, & animæ rationales: & talia entia habent modum durationis proportionatum, ſeu quantitatem durationis, aut menſuræ; quæ propterea eſt immutabilis, & fixa, & indiviſibilis, ſed limitata, & dicitur *ævum*. 3. eſſe eſt, quod incipit, & deſinit, non habens perſeverantiam, nec fixionem in durando, unde non tam dicitur durare, quaſi idem, & ſecundum idem permaneat, cum habeat ſuum eſſe in continuo fluxu, & innovatione; ſed quia quaſi ſemper ſibi ſuccedit per aliud, & aliud. Tale eſt eſſe motus, talia ſunt eſſe omnium generabilium, & corruptibilium, ut ſubſunt motibus generationis, & corruptionis, & per hunc fluxum, & ſucceſſionem, & innovationem continuam duratio illorum diſtinguitur ab *æternitate*, & *ævo*, ſicut eſſe illorum diſtinguitur ab illis, & dicitur *tempus*. Igitur Æternitas non habet principium, nec finem, *ævum* habet principium, ſed non finem, *tempus* habet utrumque, ſcilicet principium, & finem. Sed hæc differentia harum durationum eſt accidentalis, & extrinſeca. Eſſentialis verò, & intrinſeca in hoc conſiſtit,

[1] *Ibid. n.6.*

ſiſtit, quòd *Æternitas* eſt tota ſimul, & indiviſibilis, & deſinere non poteſt, *Ævum* quidem non habebit finem, ſed poſſet habere, & non eſt duratio tota ſimul, ſaltem perfectè (de quo aliàs) aut ſaltem fixionem, & permanentiam ſine fine non habebit ex ſe, ſicut *Æternitas*; imo in *Ævo* eſt prius, & poſterius, quod dicit durationis extenſionem: & in hoc diſtinguitur ab Æternitate; ſed nullam dicit variationem, nec innovationem; & ſic diſtinguitur à tempore, *in quo eſt ſucceſſio, & variatio, & prius, & poſterius cum veteratione, & innovatione*, inquit Doctor.

Porro diximus in Phyſica, durationem non diſtingui realiter à re, ut exiſtente, ſeu ab exiſtentia rei, cui addit ſolam negationem deſitionis, ad quam ſe habet exiſtentia rei durantis, ut materiale. Ideo non diſtinguitur ab ea, niſi formaliter ex natura rei negativè, ſeu modaliter.

Æternitas à Boetio, & Anſelmo deſcribitur, *interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſſio*, quam approbat Scotus cit. dicitur 1. *vitæ*, id eſt, exiſtentiæ actualis perfectæ, nam *vita* ibi hoc ſignificat, juxta illud: *Sicut Pater habet vitam in ſemetipſo, ſic dedit & Filio*. Ubi *vita* ſumitur pro exiſtentia actuali, & perfecta, & eſt fundamentum æternitatis. 2. *interminabilis*: per hoc excluditur deſitio actualis, & potentialis, ſeu deſitio, & deſinibilitas. 3. *tota ſimul*: & ſic excluditur variatio, & ſucceſſio, quatenus ſine illis poteſt omni durationi coexiſtere. 4. *& perfecta poſſeſſio*, per quod ſignificatur Dei aſſeitas, quatenus à ſe ipſo exiſtit ſine ulla dependentia in exiſtendo. *Hæc eſt perfectiſſima, propriiſſima deſcriptio æternitatis, quam invenimus*. Et hoc eſt unum tantum ex natura *rei* (poſitivum) *ſcilicet vita: tria autem, quæ complent rationem ejus, non ſunt ibi ex natura rei, quia important per ſe vel negationem* alicujus imperfectionis extrinſecæ, *vel relationem* aliquam aptitudinalem, vel potentialem ad aliquid extrinſecum. Licèt igitur nomen *æternitatis* ſumatur quandoque in Scriptura non ſolùm pro *ævo*, ſed etiam pro *tempore* longiori, & ſæculo: tamen hìc ſumitur in eo rigore, & ſenſu, quem modò deſcripſimus. His poſitis

Cor-

Concl. 1. *Deus eſt verè, & propriè æternus, & quidem ſolus.* Eſt de fide contra Philoſophos, qui ſolam æternitatem æviternam, ſeu immortalitatem Diis ſuis tribuebant.

Prob. 1. ex locis Scoti allegatis, in quibus apertè docet, hanc æternitatem Deo, & quidem ſoli convenire; & poſitivè concedit, quòd, quidquid eſt in Deo, eſt æternum per identitatem. Et id probat S. Dionyſ. [1] dicente, quòd *Deus non quodammodo eſt exiſtens, ſed ſimpliciter circumſcriptivè totum eſſe accipit in ſe ipſo, & præaccipit, propter quod dicitur Rex ſæculorum .... ipſe eſt eſſe exiſtentibus, & ipſum eſſe exiſtentium, & exiſtens ante ſæcula, ipſe eſt enim ævum ævorum, qui eſt ante ſæcula*, &c.

Prob. 2. ex Script. [2] *Dominus in æternum permanet.* Et *à ſæculo* (id eſt ab æterno) *& uſque in ſæculum tu es Deus.* Quod convenientius diceretur *ab æterno, & in æternum*, inquit Auguſt. [3] *Non enim à ſæculo Deus, quia eſt ante ſæcula; aut uſque in ſæculum, cujus eſt finis, cùm ſit ille ſine fine, ſed ex* ambiguo verbo Græco, ſic plerumque in *Scripturis, ut vel ſæculum pro æterno, vel æternum pro ſæculo ponat Latinus interpres*, &c.

Confir. ex Doctrina Eccleſiæ, nam in Symbolo Athanaſii, *æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*; & in Concil. Lateran. ſub Inn. III. definitur, *Firmiter credimus, & ſimpliciter confitemur, quòd unus, ſolus, verus eſt Deus, æternus, immenſus*, &c.

Confir. 2. ex Patribus, ut patet ex Dionyſ. & Auguſtino, qui alibi, & in illa verba Pſal. 101. dicit, quòd *æternitas ipſa Dei ſubſtantia eſt, quæ nihil habet mutabile.*

Prob. 3. ratione ex dictis, nam Deus exiſtit per eſſentiam, & à ſe, & eſt prima omnium cauſa, & incauſatus, & incauſabilis; ergo & habet ex ſe plenitudinem totam eſſendi: ſed hæc vera non eſſent, niſi æternus eſſet; ergo eſt æternus: Prob. min. ſi non exiſteret ab æterno, eſſentia non eſſet æterna, ſed temporalis; aut exiſtentia non eſſet ei eſſentialis.

2. ſi

[1] *de Div. Nom. c. 5.*
[2] *Pſal 9. & 89.*
[3] *Ibid.*

2. ſi incepiſſet eſſe; ergo ab aliquo, & ſic non eſſet à ſe, nec 1. cauſa, nec incauſatus. 3. tranſiſſet à non eſſe ad eſſe; & ſic non eſſet prorſus immutabilis, nec eſſe neceſſarium, &c. unde Auguſtinus cit. [1] *optimè autem non ait: à ſæculo tu fuiſti, & uſque in ſæculum tu eris; ſed præſentis ſignificationis verbum poſuit, inſinuans Dei ſubſtantiam omni modo incommutabilem, ubi non eſt, fuit, & erit, ſed tantummodo eſt.*

2. Pars etiam patet ex dictis, ſcilicet *ſoli Deo hanc æternitatem competere:* nam nulli creaturæ competere poteſt aſſeitas, incauſabilitas, neceſſitas eſſendi, & omnimoda independentia; ergo nec æternitas, quæ dicitur *interminabilis*, quia dicit negationem deſitionis, & deſinibilitatis; & *perfecta poſſeſſio*, quæ importat omnimodam independentiam, & immutabilitatem, licèt enim creatura aliqua fuiſſet, aut eſſe poſſet ab æterno (de quo in Philoſophia) tamen æternitas ejus non eſſet abſoluta, ſed ſecundum quid, & participata, & poſſet deſinere, Deo ceſſante eam conſervare.

Conf. ex Scriptura, & SS. PP. *De Auctore omnium ſcriptum eſt*, inquit Gregorius, [2] *qui ſolus habet immortalitatem, quia videlicet in ſemetipſo ſolus immutabilis eſt*. Et S. Hylarius, *hoc Deo eſt particulare, quod ſemper eſt*, &c. [3] Et S. Proſper: *vera æternitas Dei eſt, quòd ſolus habet immortalitatem*.

Objic. con. 1. p. Duratio Dei eſt infinita, & illimitata; ſed æternitas non eſt illimitata; ergo duratio Dei non eſt æterna, ſeu æternitas non eſt duratio Dei. Prob. min. quod habet prius, & ultra, non eſt illimitatum; ſed æternitas habet prius, & ultra; ergo, &c. Prob. min. ex Script. *Dominus regnabit in æternum, & ultra*, nam, *regnabit*, arguit præexiſtentiam in Deo reſpectu æternitatis: & *ultra*, arguit limitationem à parte poſteriori.

Reſp. neg. min. 1. & 2. & ad Scripturam dico, *æternitatem* ibi ſumi, ut ſæpe ſolet in Scripturis, & Patribus, pro ſæculis, & pro longiore tempore, ut jam monui. Sumitur etiam pro duratione hujus mũdi.

Objic. 2. Vera æternitas non agnoſcit differentias tem-

[1] *in Pſ.* 89. [2] 12. *mor. c.* 17.
[3] *l.* 3. *Sentent.* 183.

temporis futuri, nec præteriti; ſed in Deo videmus tales differentias; ergo ibi non eſt æternitas. Maj. patet: nam quod fuit, non eſt, & quod erit, nondum eſt; æternitas verò eſt *interminabilis*, &c. prob. min. *in principio erat Verbum:* ecce præteritum: & Deus dicitur modo, *qui eſt*, modo, *qui erat*, & modo, *qui venturus eſt*. Ecce omnes differentias temporis.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. dicitur de præterito, & futuro reſpectu noſtri, & cum incluſione præſentis con. cum excluſione præſentis, neg. ant. & conſ. Æternitas Dei ſolet enuntiari cum illis differentiis, quia omnes includit, & omnibus correſpondet de præſenti; ſed quoad eſſe, & quoad ſe, ſemper eſt præſens. Deus tantum eſſe novit, fuiſſe, & *futurum non novit*, inquit Iſidor.[1] & Auguſt.[2]

Objic. cont. 2. p. Philoſophi putarunt mundum eſſe æternum, & Scotus [3] ipſe putat, non repugnare creaturam exiſtentem ab æterno ſecundum permanentia; ergo æternitas ſoli Deo non competit; ſaltem non repugnat in aliis.

Reſp. ex dictis diſt. conſ. quidquid ſit de ant. de quo diximus in Philoſophia, æternitas participata, & ſecundum quid, & imperfecta, & extrinſeca, con. abſoluta, & ſimpliciter, atque perfecta, & intrinſeca, neg. conſ. De hac autem loquimur; nam illa, quæ competeret creaturæ, eſſet tantùm infinita, & æternitas, quatenus careret initio, non autem eſſet indiviſibilis, nec independens, nec intrinſeca, nam id non conveniret illi ex ſe, & per ſuam eſſentiam; ſed dependenter à voluntate Dei, & à cauſa extrinſeca.

Inſt. æternitas, ut duratio rei intrinſeca, dicit tantum formaliter negationem principii, & finis; ſed talis duratio competere poteſt creaturæ; ergo & æternitas intrinſeca. Prob. min. creatura, quæ exiſteret ab æterno, & quam Deus conſervaret per æternitatem, verè careret principio, & fine.

Reſp. neg. maj. nam vera æternitas dicit non ſolum negationem principii, & finis actualis, ſed etiam aptitudinalis, ſeu negationem finibilitatis, quæ nulli creaturæ convenire poteſt.

Objic.

[1] *l.1.orig.c.1.* [2] *con.1.Pſal.101.*
[3] *1.d.1.q.3.*

Objic. 2. Beatitudo, ex Scriptura, dicitur *vita æterna*; & actus beatifici, v. g. viſio, & fruitio, ſunt actus æterni, & menſurantur æternitate; ergo æternitas non convenit ſoli Deo.

Reſp. diſt. ant. dicitur æterna, imperfecta æternitate, & à parte poſt, & quæ dicitur *ævum*, conc. propria, & perfecta æternitate, neg. ant. & conſ. Imò & ne hæc quidem vita æterna, & actus beatifici dicunt negationem dependentiæ, & finibilitatis, ſaltem ab intrinſeco, ſed purè ex Dei voluntate, qui vult ea in æternum conſervare.

Objic. 3. eſſentiæ rerum dicuntur æternæ, & principia ſcientiarum dicuntur æternæ veritatis; ergo æternitas non eſt propria ſolius Dei.

Reſp. diſt. ant. ſecundum eſſe objectivum, aut virtuale, aut negativum conc. ſecundum eſſe reale, & poſitivum, neg. ant. Creaturæ poſſibiles, & eſſentiæ, & virtutes neceſſariæ habent ab æterno 1. eſſe *objectivum*, ſeu cognitum in intellectu Divino. 2. eſſe *virtuale* in ejus omnipotentia, quæ illas continet in ſua virtute. 3. eſſe quoddam *ſecundum quid*, & *negativum*, quatenus illis non repugnat exiſtere, ſed nullum habent eſſe reale, nec per conſequens realem, & veram æternitatem.

Quæres, *an, & quomodo æternitas differat ab infinitate, & immutabilitate.*

Reſp. 1. ex Scoto, quòd aliquo ſenſu videntur diſtingui in hoc, quòd immutabilitas videatur eſſe propriè modus intrinſecus eſſentiæ, quatenus ad aliquam formam non poteſt mutari per acquiſitionem, vel deperditionem; æternitas verò, modus intrinſecus exiſtentiæ, cujus eſt duratio, & in ea notat negationem inceptionis, & deſitionis, ac deſibilitatis præcisè; ſed ſi immutabilitas ſumatur in tota ea latitudine, quam ſupra diximus, cum negatione mutabilitatis ab eſſe ad non eſſe, & à non eſſe ad eſſe, atque à forma ad non formam, aut à non forma ad formam, videtur æternitas includi in immutabilitate. Eodem modo dici poteſt de infinitate.

Concl. 2. *æternitas non poteſt dici propriè menſura, nec reſpectu Dei, nec reſpectu creaturæ.* Eſt communior. Suppono, quòd ex Scoto, [1] Menſura eſt id, per quod

[1] *De rer. princ. q. 19. n. 2.*

quod dignoſcitur quantitas rei. *Menſuræ enim eſt, quantitatem ignotam notificare per notiorem; ſicut palmus per ulnam, aut ulna per palmum.* Ignotum ergo menſuratur per notius, & quia triplex eſt quantitas 1. *dignitatis*, ſeu *perfectionis*, quæ menſuratur per gradus: 2. *molis*, quæ menſuratur per extenſionem, ut ulna per palmum: & 3. *numeri*, ſeu diſcreta, quæ menſuratur per unitates; ſic triplex eſt menſura ſingulis proportionata: menſura *dignitatis*, vel *eſſentiæ*, eſt id, in quo natura uniuſcujuſque generis per ſe primò, & perfectè reperitur, & quod eſt per ſe cognitum in illo; eſtque ratio cognoſcendi gradus perfectionis omnium aliorum entium ejuſdem generis, verbi gratia: quantitas unciæ, quæ eſt notius in genere ponderum, ideo eſt menſura omnium: ſimiliter *unitas* in genere quantitatum diſcretarum, verbi gratia: numerorum, & ſic non ſolum, quod eſt notius, ſed etiam, quod eſt ſimplicius, eſt prima menſura, ut unitas, & uncia in prædictis, juxta illud Philoſophi: *prima menſura eſt primum, quia illud, quo primò cognoſcimus, eſt apud nos prima menſura in quolibet genere.* Denique menſura *extrinſeca* diſtinguitur à menſurato, ſaltem ut talis.

Scotus [1] etiam docet, quòd *menſuratio, ſeu certificatio de quantitate rei fieri poteſt vel per quantitatem exiſtentem ſolum in imaginatione menſurantis; ſicut peritus artifex per quantitatem, quam habet in mente, menſurat quamlibet aliam ſibi objectam, vel per quantitatem exiſtentem in re; & hoc tripliciter.* 1. *per excedentem; & tunc certificatur intellectus de quantitate minore per acceſſum ejus ad majorem; vel per receſſum ab ea, ſic menſurantur quidditates rerum, & menſura eſt perfectior menſurato, & ſic Deus dicitur menſura omnium, quæ ſunt in quocumque genere.* 2. *per quantitatem exceſſam, quia quantitas nota eſt minor, & pars majoris, quæ minus eſt nota, & tunc quantitas minor menſurat totum per ſui replicationem, & ſic minor motus menſurat majorem; verbi gratia: hora diem.* 3. æqualis *nota menſurat æqualem ignotam, & æqualem; & hoc fit per applicatio-*

[1] 1. *d.*2.*q.*2.*n.*10.

tionem, ſeu per ſuperpoſitionem. His prælibatis;

Prob. 1. ex dictis: menſura propriè debet eſſe notior menſurato; ſed æternitas non eſt notior Dei eſſentia, vel exiſtentia; ergo non eſt propriè menſura divini eſſe. Maj. patet ex dictis: min. prob. experientia, & etiam ex dictis; nam hæc propoſitio, Deus eſt, eſt per ſe nota, aut ſaltem adeò evidens, ut intellectus benè diſpoſitus non poſſet ei diſſentiri. 2. quia menſura activa, de qua hìc loquimur, debet diſtingui à menſurato; ſed æternitas non diſtinguitur ab eſſe Dei, nec ab ejus duratione; quia eſt ipſamet ejus formalis duratio. 3. quia menſuratum propriè, & in rigore non poteſt eſſe infinitum, menſurari enim eſt rei habentis terminum aliquem, cum menſuratum finiri debeat per menſuram.

Iſtas rationes ſic exponit S. Tho. [1] Divina magnitudo non eſt menſurabilis, vel menſurata, nec ab alio, nec à ſe. 1. quia menſuratio ponit terminationem, & divina magnitudo non habet menſuram intra, nec extra ... 2. quia commenſuratio non eſt unius quantitatis ad ſe, ſed duarum ... 3. quia ſicut omnis motus reducitur ad movens, quod non eſt motum, neque à ſe, neque ab alio, ita omnis menſuratio reducitur ad unum primum, quod nullo modo eſt menſuratum, ſed eſt omnium menſura, & hoc Deus eſt.

Prob. 2. p. ſi æternitas Dei menſuraret durationem creatam, id fieret vel ut excedens, vel ut exceſſa, vel ut æqualis: ſed nullum horum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. non enim dici poteſt menſurari 2. nec 3. modo, quia æternitas non poteſt *excedi*, nec *æquari*: ſeu non poteſt eſſe exceſſa, nec æqualis, quia eſt infinita, & per conſequens excedit omnia finita ultra determinabilem omnem proportionem, nec 1. modo, ſcilicet ut *excedens*, quia per quantitatem excedentem menſurantur minores, quatenus per applicationem, & comparationem iſtarum ad illam dignoſcitur, quantùm iſtæ ab illa diſtent; ſic palmus menſuratur ab ulna; ſed hoc fieri non poteſt propriè, & certò per applicationem, vel comparationem quantitatis infinitæ, ut eſt æterni-

tas,

[1] 1. *d.* 19. *q.* 1. *a.* 1. *ad* 4.

tas ad quantitates finitas, ut ſunt omnes creaturæ; ergo nec æternitas, nec Deus poteſt eſſe menſura creaturarum. Prob. min. quia, ut dicebam, æternitas eſt infinita, & ſic excedit omnes creaturas, & quidquid in eis eſt, in infinitum, & ultra omnem determinabilem proportionem; ergo numquam per ullam comparationem, vel applicationem creaturarum ad Deum poterit ſciri, quantum illæ accedant, & hoc mihi videtur evidens juxta illud principium Doctoris.

Conf. Quia menſura, ex Philoſopho, & Scoto, debet eſſe unigenea, id. ejuſdem generis cum menſurato, pondus enim eſt menſura ponderis, non lineæ, &c. ſed æternitas non eſt unigenea cum duratione creaturæ, quia æternitas eſt eſſentialiter tota ſimul, & indiviſibilis, duratio verò creaturæ eſt ſucceſſiva, ut patet de tempore, cujus partes ſunt in perpetuo fluxu, ita ut nulli permanenti coexiſtant, niſi fluenter; ergo, &c.

Objic. 1. Scotum [1] citatum, nam ibi docet in terminis, eſſentiam Dei menſurati ſua immenſitate, & exiſtentiam ſua æternitate, & quod Deus dicitur menſura omnium, quæ ſunt in quocumque genere; ergo hæc concluſio eſt contra Scotum.

Reſp. neg. conſ. quia Scotus [2] ibi non loquitur de menſura in rigoroſa, & propria ſignificatione, nec ſecundum principia ſua, ſed ſecundum communem modum loquendi, qui dicit, Deum non aliter menſurari, quàm per ſuam infinitatem, & æternitatem, Deum eſſe extra omnem menſuram, & id fatemur per concluſionem noſtram. Non examinavit autem Doctor ſubtilis hanc quæſtionem ex profeſſo, nec circa eam declaravit mentem ſuam; ſed patet ex ejus principiis, & maximè ex conditionibus, quas requirit in menſura, quod nihil eſt in Deo, cui illæ conditiones conveniant.

Imò id videtur explicitè decidere, [3] quod æternitas non ſit propriè menſura: Divinū eſſe, inquit, eſt extra, & ſupra omne genus eſſe, & ens, ens creatum, & in genere, & intra genus: ſed menſura eſt proportiona-

ta

[1] *De rer. prin. cit.*
[2] *Idem.*
[3] *Ibid. q. 23. n. 19.*

ta menſurato. Ergo non poteſt ens in genere (*ut eſt creatura*) eſſe menſura entis extra genus. Sed æternitas, & nunc æternitatis ſunt extra genus: ergo, ſi menſura proportionatur menſurato, ens extra genus non poteſt eſſe menſura propria, & per ſe entis in genere, (*ſeu creaturæ*) ideo nec æternitas, nec nunc æternitatis poteſt eſſe menſura alicujus entis creati:] & notanda particula, *propriè*, *& per ſe*, ut videas, quòd, quando videtur tribuere æternitati rationem menſuræ, ſaltem reſpectu creaturæ, loquitur impropriè.

Objic. 2. menſura eſt id, quo cognoſcitur quantitas rei; ſed per æternitatem cognoſcitur, quanta ſit Dei duratio, ſicut per immenſitatem ſcimus, quanta ſit ejus magnitudo, ſeu eſſentia; ergo æternitas eſt verè menſura exiſtentiæ, ſeu durationis Dei. Prob. min. ſcimus per æternitatem, quòd Dei duratio ſit infinita, & ſine termino, ſeu ſine principio, & fine.

Reſp. diſt. maj. quo prius cognito ſcitur quantitas clarè, & determinatè, con. maj. & neg. min. confusè, & indeterminatè, neg. maj. & con. utriuſque argumenti. Nam æternitas non eſt priùs, nec diſtinctiùs cognita, quàm Deus, vel ejus exiſtentia, nec per quamcunque ejus cognitionem ſcimus determinatè, ſed tantum confusè quantitatem durationis ejus, imo & cum ipſamet æternitas ſit ejus duratio, non poteſt eſſe menſura ſui ipſius, & denique per æternitatem Dei, nihil clarius ſcitur, niſi quod duratio ejus eſt infinita, & ultra omnem menſurabilitatem, hoc autem non eſt propriè, & diſtinctè ſcire quantitatem durationis, ſed potius neſcire.

Ideo dixi, quòd æternitas non eſt propriè menſura reſpectu Dei, nec creaturæ; nam aliquo ſenſu, & in largiori ſignificatione menſuræ, dici poteſt, æternitatem eſſe menſuram *eſſe Dei*, *& creaturarum*; *eſſe* quidem *Dei* negativè, quatenus eſt extra numerum, & menſuram, & quoad *creaturas*, ſecundum aliquam, licèt indeterminabilem proportionem; quatenus quantumcumque de illius perfectione participent, & minùs diſtare videantur, ſemper tamen ab eo diſtant infinitè in infinitum; ſed quò minùs ab eo differunt, eò perfectiores ſunt.

QUÆ-

QUÆSTIO VI.

De præſentia, & exiſtentia rerum in æternitate.

HAnc famoſam quæſtionem ſeorſim examinamus, agentes de æternitate Dei, quando quidem hæc ſola vera eſt æternitas: & ſenſus quæſtionis eſt, an æternitas, & Deus ipſe verè dicatur coexiſtere tempori, & creaturis pro tempore exiſtentibus, & viciſſim, an creaturæ verè, & realiter, & actu coexiſtant, & ſint præſentes ab æterno eidem æternitati Divinæ, ut volunt plures Thomiſtæ, qui propterea putant, Deum certò, & infallibiliter cognoſcere futura omnia contingentia, quia ſunt realiter præſentia æternitati ejus.

Porro creaturæ poſſunt cogitari præſentes æternitati 1. *objectivè*, ſeu in eſſe cognito, & ideali, quatenùs in intellectu, per cognitionem divinam, & æternam repræſentantur: 2. *virtualiter*, quatenus in ejus virtute productiva, ſeu omnipotentia continentur, ſicut roſa in roſeto tempore hyemali: vel 3. *realiter*, & *entitativè*, videlicet ſecundum eſſe ſuum reale actuale. De virtuali, & objectiva præſentia nullus dubitat: certum enim eſt, futura omnia habere eſſe objectivum in intellectu divino, & ab illo cognoſci ab æterno, ut patebit ex dicendis de ſcientia Dei, & ſimiliter certum eſt, creaturas omnes, tam futuras, quàm poſſibiles contineri virtualiter in omnipotentia Dei. Sed diſputamus de præſentia reali actuali; ita ut v. g. Antichriſtus, qui aliquando futurus eſt, ſed nondum exiſtit, exiſtat tamen realiter, & actu in æternitate, & illi coexiſtat & nunc, & ab æterno.

Concluſio. *Æternitas Dei vere coexiſtit creaturis, & creaturæ æternitati pro tempore, quo realiter exiſtunt, non autem ab æterno, niſi objectivè.* Eſt communis contra plures Thomiſtas, qui aſſerunt coexiſtentiam aliquam realem creaturarum æternitati, & ab æterno; & in eam ſententiam trahere conantur S. Thomam.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quod æternitas, ut coc-

[1] *De rer. prin. q. 22. n. 5.*

coexiſtit præſenti inſtanti temporis, ſortitur nomen inſtantis, ut nunc coexiſtit toti tempori, claudens omnes differẽtias temporis, dicitur inſtans. *Vides æternitatem coexiſtere Creaturis, & tempori, ſcilicet inſtanti ejus fluenti*. Et pro 2. parte dicit, quòd, ſi Deus augeat locum in infinitum, immenſitas tamen Dei non eſſet ſibi ratio coexiſtendi alicui loco in aliquo nunc, niſi exiſtenti. Non enim Deus per immenſitatem ſui coexiſtit alicui in loco, niſi quod eſt in illo loco, licèt poſſet cauſare locum extra univerſum, & tunc per immenſitatem ſuam coexiſteret illi. Si igitur immenſitas nõ eſt ratio coexiſtendi loco, niſi actuali, & non potentiali, quia illud non exiſtit; pari ratione æternitas non erit ratio coexiſtendi alicui, niſi exiſtenti, quia illud, quod non eſt, non poteſt alicui coexiſtere, quia *coexiſtere* dicit relationem realem; ſed relatio non eſt realis, ſi fundamentum ejus non eſt reale; ergo nulla creatura coexiſtit Deo, vel æternitati ejus realiter ab æterno, ſed tantum pro tempore, quo exiſtunt realiter, & actu.

Prob. 2. ex Patribus. *Nam Deo, quæ ſunt futura, præſentia ſunt*, ait Ambroſ. [1] (ſc. præſentia objectiva, non reali) *& ei, cui præcognita ſunt, omnia ventura pro factis habenda ſunt*. Eodem ſenſu dixit Hilarius: *Nihil non ſemper cum Deo fuit, quidquid in rebus eſt, quæ ſi ad creationem ſui cœpta ſunt, non ſunt tamen à Dei præſentia, vel poteſtate inchoata: ſcilicet æterna ſunt objectivè in Dei ſcientia, & virtualiter in ejus poteſtate*. Sic Hieronymus: *qui electos nos ante fabricam mundi teſtatus eſt; ad præſcientiam Dei pertinet, cui omnia futura jam facta ſunt, & antequam fiant, jam facta ſunt*. Idem docet Auguſt. [2] *ita Deus novit omnia, ut neque ea, quæ dicuntur præterita, ibi prætereant, neque ea, quæ dicuntur futura, quaſi deſint, expectentur, ut veniant; ſed præterita, & futura cum præſentibus ſint cuncta præſentia*. Vides totam exiſtentiam creaturarum in divina æternitate ad objectivum, & ad eſſe cognitum revocari, non verò ad aliud eſſe actuale reale.

Prob. 3.

[1] 1. *De fide. c. 7.*
[2] *De Prædeſt. & grat. c. 5.*

Prob.3. quoad 1. par. coexiſtentia vera, & realis nihil eſt aliud, quàm ſimultanea duorum exiſtentia: ſed pro aliquo inſtanti reali Deus cum ſua æternitate, & mundus v. g. cum ſua temporalitate ſucceſſiva exiſtunt aliquando ſc. à 6891. circiter annis: ergo Deus cum ſua æternitate, & creatura cum ſua temporalitate verè aliquando coexiſtunt. In hoc non video difficultatem.

Prob. 2. par. 1. ex Scriptura, qua conſtat omnes creaturas factas eſse in tempore, *ſcil.* [1] *in principio creavit Deus cœlum, & terram*. Et: [2] *priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis... tu es Deus* Unde Aug. *Res, antequam fierent, erant, & non erant: erant in Dei ſcientia, & non erant in ſua natura*; ergo non coexiſtunt Deo ab æterno. Prob. conſ. quod non exiſtit realiter, & actu, non poteſt realiter, & actu coexiſtere: ſed mundus non exiſtit realiter ab æterno; ergo &c. min. eſt de fide, & conſtat ex ſcript. cit. prob. maj. coexiſtentia realis, & actualis eſt ſimultanea, & realis, & actualis exiſtentia duorum: ſeu eſt relatio realis fundata ſuper exiſtentiam duorum; ſed omnis relatio realis exigit extrema realiter diſtincta, & exiſtentia; ergo &c.

Dices; mundum non exiſtere quidem ab æterno in propria menſura, quæ eſt tempus; ſed in menſura aliena communi, quæ eſt æternitas.

Contra, mundum exiſtere in menſura aliena, ſc. in æternitate, vel eſt eum ſemper actu, & realiter ſine initio extitiſse, vel eum tantùm exiſtere pro tempore, quo creatus eſt, non 1. quia id repugnat veritati fidei: ſi 2. non exiſtit ab æterno, ſed pro tempore, quo creatus eſt; ergo pro illo tempore tantùm, & non ab æterno coexiſtit Deo, ſaltem realiter, & actu. *Solus Deus*, inquit S. Tho. [3] *Pater, & filius; & S. Spirit. eſt ab æterno; hoc enim fides catholica indubitanter tenet; & omne contrarium eſt ſicut hæreticum refutandum. Sic enim Deus creaturas produxit, quod eas ex nihilo fecit, ideſt poſtquam nihil fuerunt*; ergo ex S.Tho. ante creationem in tempore creaturæ non exiſtebant.

Dices 2. creaturam coexiſtere ab æterno idem eſse, ac coexiſtere æternitati, quia non poſsunt ei coexi-

[1] *Gen.* 1. [2] *Pſ.* 89. [3] 1. *p.q.* 61. *a.* 2.

xiſtere, quin coexiſtant toti, quia ipſa eſt indiviſibilis.

Contra; nam mundum coexiſtere æternitati, ſignificat, illum ſua exiſtentia reali actuali æquare totam, & totaliter æternitatem, ſicut Deus eam æquat; vel ſolùm ſecundum quid: non 1. alioqui eſſet abſolutè, & ſimpliciter ab æterno, & æternus, ſicut Deus. Si 2. ergo coexiſtentia non eſt æterna, ſed æternitatis, prout ei aliquando coexiſtit. Unde non poteſt dici, quod Adam nunc coexiſtat realiter æternitati magis, quàm Antichriſtus, qui nondum exiſtit, licèt aliquando coextiterit, & iſte ſit aliquando coextiturus.

Prob. 2. Nam creaturæ etiam omnes ſibi coexiſterent; Adam coexiſteret Antichriſto, & uterque nobis, ſed conſ. eſt abſurdum, & falſum; ergo &c. prob. maj. Quæ coexiſtunt realiter eidem totali durationi, & inſtanti, ſibi etiam coexiſtunt pro eodem inſtanti. Sed Adam, & Antichriſtus, & nos coexiſteremus realiter pro eodem inſtanti eidem puncto æternitatis; ergo &c.

Prob. 3. Si Deus crearet hodie novos cœlos, ut poſſet, iſti de novo coexiſterent æternitati, & immenſitati, quibus antea per totam æternitatem non coexiſtebant; ergo ita eſt de Adam, & Antichriſto. ant. patet, nam immenſitas non minùs eſt infinita, & indiviſibilis, & tota ſimul, quàm æternitas; ergo Si Adam dicitur coexiſtere æternitati ab æterno, quia illi ſemel aliquando coexiſtit, ita & immenſitati coexiſterent cœli, prob. 1. conſ. Quia licèt Adam extiterit, & Antichriſtus ſit futurus, non magis tamen nunc coexiſtunt, quàm cœli poſſibiles quoad eſſe reale actuale; ergo &c.

Prob. 4. rationibus Scoti; ſi ſeſſio mea, futura cras, haberet eſſe ab æterno reale actuale, quatenus eſt præſens æternitati; ergo Jam exiſtit, & producta eſt; ergo vel cras non producetur; vel bis producetur: ſed utrumque eſt falſum; ergo & falſa eſt illa coexiſtentia.

Prob. 5. Ideo fingitur illa coexiſtentia, ut ſalvetur certitudo ſcientiæ Dei de futuris contingentibus: ſed ad hoc non juvat illa coexiſtentia; ergo fruſtra fingitur, maj. continet fundamentum Thomiſtarum, prob.

prob. min. Antichriſtus, ut futurus ſub finem mundi, & producendus à Deo, ſub illa futuritione cognoſcitur certo, vel non: Si 1 ergo ad certitudinem ſcientiæ Dei de futuris non eſt neceſſaria præſentia realis actualis Antichriſti, quandoquidem futuritio cognoſcitur ſine illa. Si 2. ergo aliter novit Deus facta, quàm fienda: nam hodie cognoſcitur ut futurus, & non ut præſens. Hoc argumentum ſpernit Cajet. [1] ut puerile, & ſuperfluum, putat illi reſpondere, alii ſanius illud judicant ſenile, & maturum, & certè mihi videtur puerile, & implicans, quod Antichriſtus non poſſet præſciri, ut futurus, quin exiſtat actu, & phyſicè de præſenti.

Deniq; prob. 3. par. de coexiſtentia objectiva ex SS. PP. citatis, qui docent, quòd in ſcientia Dei nihil eſt præteritum, nec futurum; ſed omnia præſentia. *Præſcientia Dei,* ait Anſelm. [2] *non propriè dicitur præſcientia, cui omnia ſemper ſunt præſentia. Non habet futurorum præſcientiam, ſed præſentium ſcientiam*; ergo omnia ſunt exiſtentia objectivè in æternitate ſcientiæ divinæ.

Prob. etiam ex dicendis de ſcientia Dei circa futura omnia, tàm neceſſaria, quàm contingentia.

Objic. 1. con. 1. par. Duratio Dei ſuperexcedit omnem durationem; ergo non coexiſtit illi tempori, prob. ant. 1. ratione coexiſtentia eſt quædam commenſuratio exiſtentiarum Dei, & creaturæ, temporis, & æternitatis, ſed repugnat talis commenſuratio inter iſta; ergo &c. Prob. 2. ex Patribus. Auguſt. [3] *Intelligamus Deum ſine ſitu præſidentem, ſine tempore ſempiternum.* Et Anſel. *Non fuiſti heri, aut cras eris, ſed heri, & hodie, & cras es: ſed ſimpliciter es extra omne tempus*, ergo Deus non coexiſtit ulli tempori, ſed ſuperexcedit omne tempus.

Reſp. d. ſt. ant. Duratio præciſè, & abſolutè; con. ut coexiſtens, neg. ant. & diſt. prob. commenſuratio inadæquata; con. adæquata; neg. Ad patres neg. conſeq. nam loquuntur de exiſtentia, & æternitate Dei in ſe, & ſecundum ſe abſolutè, non verò ſecundum coexiſtentiam creaturæ ad ipſum, quæ eſt relatio realis in creatura ad Deum, & rationis in Deo ad creaturam.

[1] 1. p. q. 14. a. 13. [2] *De caſu diab.* 21. [3] 5. *Trin.* 1.

Inſt. repugnat in Deo omnis relatio ad creaturam; ergo & omnis coexiſtentia, & commenſuratio. Prob.ant. repugnat immutabilitati; ergo &c. Prob. ant. nam cum omnis creatura ſit defectibilis, & mutabilis à non eſſe ad eſſe, & ab eſſe ad non eſſe, relationes illæ ſic mutarentur in Deo, & modò adeſſent, & abeſſent.

Reſp. diſt.1. & 2. ant. omnis relatio realis, ad extra;con. rationis,& ſecundum dici; neg. ant. hæc enim nullā mutationē intrinſecā, & realem diceret in Deo.

Objic. punctum non coexiſtit toti lineæ; nec permanens coexiſtit fluenti; ergo nec æternitas tempori, vel creaturæ. Prob.conſ.æternitas eſt punctum, & permanens; tempus verò diviſibile, & fluens.

Reſp.diſt.ant. non coexiſtit adæquatè: con. inadæquatè neg.1.ant.& diſt.2. Æternitas eſt punctum indiviſibile formaliter; con. virtualiter neg.ant. Nam licèt ſit inſtar puncti, & formaliter indiviſibilis, tamen æquivalet durationi diviſibili, & ſucceſſivæ propter permanentiam infinitam, circa quam fluit omne tempus, & ad omnes ejus differentias reſpondet, ſicut punctum circuli toti circumferentiæ.

Objic.contra 2.p.[1] *Deus vocat*, ſeu, *videt ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ ſunt.* [2] Et *numerus menſium ejus apud te eſt*, ergo hæc ſunt præſentia æternitati Dei. Confir. & Anſelmus dicit [3] *Deum ita cognoſcere ea, quæ non ſunt, ſicut ea, quæ ſunt. Quæ ſunt futura, ſunt præſentia Deo.* Et Hilar. [4] *Nihil non ſemper cum Deo fuit, quidquid in rebus eſt.* Et S. Gregor. [5] *In illo nec præterita, nec futura reperiri queunt, ſed cuncta mutabilia immutabiliter durant*, ergo omnia coexiſtunt æternitati Dei.

Reſp.diſt.ant.videt, quæ non ſunt ita perfectè: conc. eodem modo:neg.ant.& conſ. nam Apoſtolus vult ſolùm, quòd Deus videat æquè perfectè futura, & præterita, & præſentia. Job loquitur de præſentia objectiva, ſicut & illi SS. Patres; non de actuali: nam, ut docet Auguſt. [6] *Deus habet electos apud ſe ipſum, non in natura ſua, ſed in præſcientia ſua.*

Inſt. Patres ita volunt intelligi præſentiam futurorum in Deo, ut eorum cognitio non tam ſit præſcien-

[1] *Ro.4.* [2] *Job.4.* [3] *5.de fide 8.12.* [4] *de Trin.20.* [5] *mor.23.* [6] *Ser.11.De Verb.Dom.*

ſcientia, quæ antecedit exiſtentiam, quàm intuitio, quæ eſt de re præſenti, ut præſenti. *Præſcientia Dei non propriè dicitur præſcientia; cui enim omnia ſemper ſunt præſentia; non habet futurorum præſcientiam; ſed præſentium ſcientiam.* Ait S. Anſel. [1] ergo Patres loquuntur, & aſſerunt præſentiam realem futurorum in Deo.

Reſp. neg. ant. nam ipſi negant ſolùm rationem præſcientiæ quoad imperfectionem, & defectum certitudinis, ſed abſolutè vocant præſcientiam. Nam ut dicebamus ex Auguſtino, Deus habet electos apud ſe *in præſcientia ſua*: ſc. objectivè, & Apoſtolus dicit: [2] *Quos præſcivit; & prædeſtinavit*. Et D. Petrus, [3] *ſecundum præſcientiam Dei Patris*; Et Sapiens: [4] *Præſciebat enim futura*. De hoc convenit S. Tho. [5] qui præſentiam illam futurorum explicat *de eſſe rei in animo*. Subeſſe ſcientiæ Dei idem eſt, quòd *eſſe in ſua præſentialitate*. Unde præſentialitas, quam tribuit rebus in æternitate, nihil eſt aliud, quàm præſentia objectiva, &c.

Objic. 2. omnis perfectio, quæ non repugnat, eſt in Deo, ſed quod Deus habeat omnes creaturas ſibi ab æterno coexiſtentes, eſt perfectio; & non repugnat Deo; ergo &c. Prob. min. Æternitas, prout eſt duratio indiviſibilis, tota ſimul, & infinita, eſt magnâ perfectio Dei, & ſummè decet illum; ſed illi æternitati res omnes debent ab æterno, & realiter coexiſtere; ergo &c. Prob. min. Immenſitas continet omnes ubicationes, & locos propter ſuam infinitatem; ergo & æternitas debet continere omnia tempora, & omnes durationes, cum ſit pariter infinita.

Reſp. neg. 1. & 2. min. & diſt. ant. Immenſitas continet omnes ubicationes virtualiter, & eminenter, quatenus nulla eſt, quæ non contineatur in illa, & quas non impleat, cum exiſtunt: con. realiter, actu, & formaliter, ita ut omnes actu occupet, & eis realiter coexiſtat; neg. ant. De perfectione igitur Æternitatis Dei eſt, quòd abſque ſui diviſione, & ſucceſſione, & mutatione coexiſtat omnibus durationibus, pro quacumque differentia temporis exiſterent; ſicut de perfectio-

[1] *De concor. præſc. cum lib. ar.* 1.
[2] *Rom.* 8. [3] 1. *Pe.* 1.
[4] *Sap.* 19. [5] 1. p. q. 14. a. 13. 2.

ſectione immenſitatis eſt, ut nullus ſit poſſibilis locus extra ejus ambitum, & quem non impleat, quando exiſtit; ſed non poteſt de facto coexiſtere rebus, nec loca implere, antequam exiſtant.

Inſt. niſi res eſsent ſemper præſentes, & exiſtentes in Deo, æternitas ejus non eſset perfectior tempore noſtro; Sed conſ. eſt falſum, & impium; ergo &c. prob. maj. nam in illa res naſcerentur, & perirent, ſicut in noſtro tempore; ergo non eſſet perfectior, nec permanentior.

Reſp. neg. maj. & ant. nihil enim intrinſecum, & reale novum advenit Deo per creationem mundi; nec quidquam pariter intrinſecum perit in eo per creaturæ deſitionem: advenit pura terminatio, vel negatio terminationis coexiſtentiæ mundi, in quo eſſet tota mutatio intrinſeca, & realis, non verò ex parte Dei.

Objic. 4. Res futuræ diſtinguuntur ab æterno à poſſibilibus in æternitate Dei: ſed non differrent, niſi ibi exiſterent; ergo exiſtunt, prob. min. non differrent, niſi penes decretum de illis producendis: ſed illud decretum non eſt quid Phyſicum, nec illis intrinſecum; ergo niſi exiſterent, non diſtinguerentur.

Reſp. diſt. maj. diſtinguuntur extrinſecè ratione futuritionis; con. intrinſecè, ſeu per entitatem intrinſecam realem, neg. maj. Diſtinguuntur enim per ſolam futuritionem, quæ fundatur in decreto de illis producendis; quod non fit de poſſibilibus.

Inſt. decretum illud debet operari aliquid in futuris, ſc. futuritionem; ergo futuritio eſt quid reale intrinſecum in rebus illis.

Reſp. neg. ant. nihil enim operatur ab æterno, niſi denominationem extrinſecam, petitam ab illo, quo determinantur futuræ pro tempore determinato in intellectu, & voluntate Dei; alioqui deberent exiſtere ab æterno, ſicut decretum. Quid enim reale habet Antichriſtus, dum decernitur futurus in fine mundi, ſi non exiſtit?

Objic. 5. quod ſemel coexiſtit æternitati, ſemper, & toti coexiſtit; ſed res omnes ſemel coexiſtunt æternitati; ergo ſemper, & toti coexiſtunt, prob. maj. æternitas eſt indiviſibilis, & tota ſimul; ergo quod ei ſemel coexiſtit, ſemper, & toti coexiſtit.

Reſp.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam aliud eſt, quòd toti æternitati coexiſtat; aliud quòd ſemper, & totaliter; illud verum eſt, non iſtud: ſicut pes coexiſtit toti animæ, non verò ſemper, nec totaliter. Igitur, ſicut creaturæ habent durationem fluentem, & ſucceſſivam, & æternitas permanentem, & indiviſibilem & totam ſimul; ideo circa illam totam fluunt hoc ipſo, quod illam attingunt, ſed non totaliter, & ſemper. Totalitas ſe tenet ex parte æternitatis; & fluxus ſe tenet ex parte creaturæ.

Objic. denique menſura cognitionis divinę eſt ęternitas; ſed futura omnia cognoſcuntur à Deo ab æterno; ergo ſunt illi præſentia ab æterno.

Reſp. diſt. conſ. ſunt præſentia objectivè: con. realiter, ſeu per exiſtentiam realem, neg. conſ.

Inſt. cognitio illa eſt perfectiſſima: ergo eſt intuitiva. Sed cognitio intuitiva eſt de re præſenti, ut præſenti realiter; ergo futura ſunt realiter præſentia, & exiſtunt ab æterno coram Deo.

Reſp. diſt. ſubſ. de re præſenti in ſe, vel in medio, in quo exhibeatur æquè perfectè, aut perfectiùs, quàm in ſe ipſa con. in ſeipſa tantum, neg. ſubſ. & conſ. nam cùm Deus in ſua eſſentia, & verbo ſuo videat perfectiſſimè omnia, & hæc in utroque repræſententur perfectiùs, quàm in ſeipſis, ideo non eget eorum præſentia reali ad intuitionem eorum.

Inſt. 2. Deus non videt creaturas, ut ſibi futuras; ergo videt, ut ſibi præſentes, prob. ant. nihil poteſt eſſe futurum Deo; habet enim omnia ſibi præſentia; ergo &c.

Reſp. diſt. utrumque ant. ut futuras objectivè, con. realiter, & Phyſicè: neg. ant. alioqui non videret eas in differentiis temporum, in quibus decernit, eas producere. Habet igitur omnia præſentia in ſuo intellectu, & voluntate; ſed non in proprio eſſe reali. Sed de hoc dicetur, ubi de ſcientia Dei.

Inſt. 3. ſi non videret ab æterno, ut præſentes, daretur mutatio in ejus cognitione, & eas duplici modo cognoſceret; ſed conſ. eſt falſum, & abſurdum; ergo ſemper videt, ut præſentes, prob. maj. ab æterno cognoſceret eas, ut futuras, & in tempore, ut pręſentes, & exiſtentes; & aliquando, ut præteritas; ergo in ſcientia Dei fieret mutatio.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam ſequitur ſolùm quod in æternitate videt me futurum ratione temporis, quod præcedit meam exiſtentiam; & præteritum ratione illius, quod eam ſequitur, & præſentem pro tota iſta duratione, quæ fluit circa æternitatem. Certè ſi per impoſſibile Deus non duraret per æternitatem, & tamen haberet ſcientiam infinitam; adhuc per illam videret futura eodem modo, quo ea jam videt, & tamen ea non eſsent præſentia æternitati, nec illi coexiſterent; ergo ita nunc dicendum eſt; ſc. quod eorum coexiſtentia æternitati non eſt ei ratio illa ſic videndi.

QUÆSTIO VII.

De immenſitate Dei.

Quod eſt æternitas durationibus, hoc videtur eſſe immenſitas locationibus: & ſicut per illam Deus eſt præſens omnibus temporibus indiviſibiliter; ſic per iſtam omnibus locis, & rebus ſine limitatione; item omnia continet, & concludit, & à nullo ente, vel ſpatio finito concluditur. Dicitur *Immenſitas*, quaſi ſine menſura actuali, & poſſibili. Nam immenſitas in eo differt ab ubiquitate, & præſentia, quod 1. ſignificat eam Dei perfectionem infinitam, qua repugnat, poſſe concludi, & limitari in intima; & ſubſtantiali ſua exiſtentia per ulla ſpatia finita, tam poſſibilia, quàm actualia; ſed debet eſſe in omnibus: *Ubiquitas* verò dicit tantum exiſtentiam ejus actualem in omnibus ſpatiis actualibus: *Præſentia* autem præciſè dicit exiſtentiam ejus, quoad virtutem, potentiam, cognitionem, & operationem; ſicut ſol dicitur in viſceribus terræ per virtutem, ſeu calorem, & in cœlo per entitatem.

Deus etiam multis modis dicitur adeſſe præſens rebus 1. per ſubſtantiam, & entitatem, & ita eſt in omni ſpatio, tam poſſibili; quàm actuali: *Cœlum, & terram ego impleo*. 2. per gratiam, ſeu per Charitatis, & donorum infuſionem, ut in ſanctis, & Angelis. [1] *Si quis diligit me, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*. 3. per gloriam, qua Deus ſpecialiter illabitur in Angelos, & animas beatas, per com-

[2] *Jo.* 14.

communicationem felicitatis ſuæ; elevans eos ad ſui viſionem, & fruitionem perfectam. [1] *In æternum exaltabuntur, & habitabis in eis*. 4. per unionem hypoſtaticam, qua perſona Verbi ſuppoſitat humanitatem Chriſti, in quo [2] *habitat plenitudo divinitatis corporaliter*. 5. per circuminſeſſionem, qua perſonæ Divinæ ſibi mutuò inexiſtunt indiviſibiliter: *Ego in patre, & pater in me*. 6. per potentiam; quatenus omnia poteſtati ejus, ac ſummo dominio ſubjacent; ſeu quatenus omnia pendent ab eo in fieri, & conſervari: *Omnia opera operatus es in nobis Domine*. 7. per præſentiam, qua omnia videt, & in conſpectu ejus cuncta ſunt, & fiunt: *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*. Sed omiſſis aliis modis, agimus hìc de immenſitate ſubſtantiali, & entitativa; & quærimus an, & quid ſit.

Concl. 1. *Deus eſt immenſus, & quidem ſolus; quatenus ratione ſuæ infinitatis ſubſtantialis eſt actu, & intimè præſens, & inexiſtens omni enti reali: ita ut nullum ſit, vel poſſit eſſe ens, vel ſpatium reale, in qua non exiſtat intimè, & phyſicè*. Eſt de fide contra quoſdam impios, qui tempore ſancti Job dicebant de Deo, quod circa [3] *cardines cęli ambulat*, & quaſi non ſit extra cęlum, in quem errorem deinceps multi philoſophi, & hæretici inciderunt; & Judęi, Deum in ſuo Templo Jeruſalem concluſum putabant, imò & aliqui Theologi, [4] Deum aliquo ſenſu in cęlo limitarunt, quoad exiſtentiam entitativam; ut ſcribit Iſquizierdo.

Prob. 1. ex Scoto; [5] *ſicut immenſum eſt ſimul præſens omni loco, ita æternum eſt ſimul præſens omni tempori*. Et licèt aſſerat cum Magiſtro, [6] Deum eſſe ubique per immenſitatem, non tamen vult id rectè probari ex eo, quòd ubique ſit per potentiam, & operationem. Dicitque; [7] *concedo, quòd immenſitas eſt præſens omni loco*. Et alibi dicit, quod *Deus, ex ſua immenſitate, neceſſariò eſt ubique, quia nullum poteſt eſſe ubi, in quo non ſit, ſecundum potentiam, præſentiam, & eſſentiam, & ſic impoſſibile eſt, aliud à Deo eſſe ubique &c.* ergo

[1] *Pſ. 5.* [2] *Coloſ. 2.* [3] *Job. 22.*
[4] *Tr. 3. de Deo d. 6. n. 2.* [5] *1. d. 37. A. 2. & in Rep. ib.*
[6] *q. 1. d. 39. Y. & C. 4.* [7] *d. 10. q. 2. K.*

ex Scoto, Deus eſt ſic immenſus, & quidem ſolus, ut nullum ſit ens, aut locus, in quo non ſit realiter per ſuam entitatem.

Prob.2. ex ſcript. cit. [1] *Cęlum, & terram ego impleo, dicit Dominus.* [2] Et: *cælum ſedes mea, & terra ſcabellum pedum meorum.* [3] Et Salomon: *ſi cęlum, & cæli cęlorum te capere non poſſunt; quanto magis domus hæc, quam ædificavi.* [4] Et: *excelſior cęlo eſt, profundior inferno, longior terra; & latior mari, &c.* [5] Et ideo dicebat David: *ſi aſcendero in cælum, tu illic es; ſi deſcendero in infernum, ades, &c.* [6] Et Baruch. *Magnus eſt, & non habet finem; excelſus, & immenſus, &c.*

Prob.3. ex definitione Eccleſiæ; [7] ex Conc. Later. *Firmiter credimus, quòd unus, ſolus, verus Deus, æternus, immenſus*, &c. Et in ſymbolo Athanaſii: *Immenſus Pater, immenſus filius, &c.*

Prob.4. ex Patribus. [*Deus ubique eſt*, inquit Auguſt. [8] *ſine ullo ſitu præſens; ſine habitu omnia continens; ſine loco ubique totus... Idem Deus ubique totus, implens & terram*, &c. [9] Et Iſidor. *Immenſitas divinæ magnitudinis iſta eſt, ut intelligamus eum intra omnia, ſed non incluſum; extra omnia, ſed non excluſum.* Et Hilar. *Mirabile eſt, Deum ubique eſſe, & nuſquam abeſſe; in omnibus eſſe, & totum eſſe*, &c.] & ſic de aliis.

Prob. 5. Deus in omni genere perfectionis eſt infinitus; ergo & in ſubſtantiali extenſione; ergo nullum eſſe poteſt ſpatium reale, ad quod non extendatur actu, vel aptitudine, prob. conſ. ſubſtantiæ creatæ, & maximè ſpirituales, eò ſunt perfectiores, quò magis extenſæ quoad entitatem; ergo ſubſtantia infinita debet eſſe infinitè extenſa ita, ut nullo termino finito limitari poſſit quoad præſentiam entitativam, vel applicationem, & diffuſionem virtutis.

Dices 1. innumera bruta excedunt magnitudine molis hominem, & tamen homo eſt perfectior; ergo ex majori extenſione non rectè infertur majoritas perfectionis, vel è contra; ergo, licèt Deus non eſſet infinitè extenſus in ſubſtantia, adhuc eſſet infinitè perfectus. Con-

[1] *Jer.*23. [2] *id.*66. [3] 3.*Reg.*8. [4] *Job.*11.
[5] *Pſ.*138. [6] *Bar.* 3. [7] *c. firmiter.* [8] 5. *de Tri. l.*7. *c.*30. [9] 1. *de ſum. bon.*1.

Contra: Non eſt de eſſentia hominis, vel alterius creaturæ, ut ſuperet omnia infinitè in omni genere perfectionis, ſicut hoc eſt de eſſentia Dei: ergo non valet paritas, nec comparatio à creaturis ad creatorem, quoad hoc.

Dices 2. ſi ex majori, vel minori extenſione entitativa colligeretur major, aut minor perfectio, Angelus, & anima eſſent minimæ perfectionis; quia occupant minimum locum; ſed conſ. eſt falſum; ergo non rectè infertur infinita extenſio ex infinita Dei perfectione.

Contra. Nam id facit pro nobis, licèt enim Angelus poſſit arctari ad locum minimum, & ad punctum, poteſt etiam coextendi ampliſſimo loco; & anima, quæ embryone concluditur, poteſt extendi per corpus Giganteum; & hoc eſt in eis maximæ perfectionis, quòd nullo quantumvis ampliſſimo ſpatio poſſint concludi; ergo à fortiori in Deo eſt infinita perfectio, quod nullo ſpatio finito poſſit limitari.

Confir. 1. eſſe alicubi per ſubſtantiam, & præſentiam realem, eſt perfectio entis finiti; ergo eſſe ubique eſt perfectio entis infiniti.

Confir. 2. ſi Deus nullibi eſſet, non exiſteret; *quod enim nullibi eſt, non eſt*, dicunt Philoſophi: & ſi eſſet alicubi, nec poſſet moveri, vel extendi, ſed dependeret à tali loco, eſſet dependens, & limitatus; ergo cùm ſit liber, & illimitatus, debet eſſe immenſus, & ubique.

Prob. 2. par. ſc. quòd *ſolus Deus ſit immenſus*: nam immenſitas fundatur in infinitate abſoluta ſubſtantiæ; ſed Deus ſolus eſt ſic infinitus: ergo & ſolus immenſus.

Prob. 3. par. de *explicatione immenſitatis*; quia non poteſt aptiùs explicari, ſecundum quod ſolet dici de Deo; ergo illa deſcriptio eſt ſufficiens.

Objic. 1. ſi Deus eſset ita ubique, non poſset moveri localiter: ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Probatur min. ex ſcriptura, in qua dicitur aſcendere, deſcendere, recedere, accedere; ſed hi ſunt motus locales; ergo &c. Prob. maj. [1] *Ut quid Domine receſſiſti longè?* Et: *propè eſt Dominus invocantibus eum.* Et Jacob: *verè Dominus eſt in loco iſto, & ego neſciebam.*

[1] *Pſal. 9.*

bam. Et: *longè eſt ab impiis*. Et: *inclina cælos, & deſcende*. Et: *qui ſedes ſuper Cherubim*. Et: [1] *pater, qui es in cœlis*. Et dicitur deſcendiſſe, [2] ut videret ædificatores turris Babel; ergo &c.

Reſp.neg.1.min.& diſt.2.maj. dicitur moveri, accedere, recedere &c. metaphoricè: con. propriè, & vero motu locali; neg. maj. & conſ. prob. nam illi omnes motus, qui ſic Deo tribuuntur, ſunt metaphorici, & quoad effectus ſingulares,quos in locis particularibus operatur. *Vide aſcenſionem, & deſcenſionem, localem neſentias. Indignum eſt hoc de incorporea, & ubique tota ſentire ſubſtantia*. Sed deſcendere *dicitur Deus, quando curam humanæ fragilitatis habere dignatur:* ait Auguſt. [3] *Deus in cælo habitare dicitur, non veluti loco circumſcriptus, ſed veluti lætans cæleſtibus virtutibus, quæ cælos incolunt*, ait Theodor. vel quia ille locus eſt particeps operationis ipſius, & gratiæ, ait Damaſc.

Objic.2. ex patribus, qui Deum dicunt eſſe in cęlo per ſubſtantiam, & alibi per cognitionem, & potentiam;ergo non eſt ubique per ſubſtantiam. Prob. ant. nam, inquit Clem. Alex. *eſt procul ſubſtantia.... proximè autem poteſtate, qua univerſa ſuo ſinu complectitur*; & arguit Stoicos, qui Deum ex corpore,& ſpiritu conflant,*nos autem eum ſolum dicimus effectorem* Et Juſtinus dicit: *Deum voluntate ſua continere hanc rerum univerſitatem*, & ſic de aliis, qui eum ſpecialiter in cœlo dicunt, ut Lactant. ergo SS. Patres negant, Deum eſſe immenſum per ſubſtantiam, ſed tantùm per ſcientiam, & potentiam.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam SS. Patres ſic loquuntur in ſenſu prædicto Scripturæ. P. Baro putat Clementem Alex. aliter cenſuiſſe; ſed multitudo Patrum, & Doctorum nobiſcum ſentientium debet prævalere. Sed P. Fraſſen putat, & hunc verè cenſuiſſe cum communi de Dei immenſitate, quia laudat virum ſanctum, *cui perſuaſum eſt Deum ubique adeſſe*. Et ad Lactantium, notat eum diſputare contra Stoicos, qui putabant, Deum eſſe in mundo, ut animam

[1] *Matth.6.*
[2] *Gen.*
[3] *Ser.70.de temp.*

mam in corpore. Et ad Juſtinum; quod illud opus qq. & reſponſionum ad Orthodoxos non eſt ejus, ſed cujuſdam Anonimi. Ego verò dicerem hos Patres negare exiſtentiam Dei in omnibus per ſubſtantiam, cum aliqua imperfectione immixtionis, & contagionis, non autem in ſenſu, quo aſſerimus eam, excludentes eas imperfectiones.

Inſt. S. Aug. dicit, quòd in Deo ſunt omnia, potius quàm ipſe in omnibus; ergo non eſt ubique per eſſentiam.

Reſp. neg. conſ. vult enim tantùm, quòd omnia ſunt in Deo eminenter, & virtualiter; Deus verò non eſt in illis nec concluſivè, nec circumſcriptivè, quaſi in loco, ſed potius in ſinu ſuo concludit, penetrat, & quaſi ambit omnia. *Non ita ſunt in illo, ut ipſe ſit locus; locus enim in ſpatio eſt, quod longitudine, latitudine, altitudine corporis occupatur; nec Deus tale aliquid eſt; omnia igitur in ipſo ſunt, & locus non eſt.*

Objic. 3. ſi Deus eſſet in omnibus rebus, & res omnes in Deo, eſſent etiam omnes ſimul in ſe invicem; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe; ſed res omnes eſſent eædem res uni tertio, ſc. Deo; ergo & inter ſe ſc. in ſe invicem, & ſimul.

Reſp. neg. 1. maj. & 2. min. nec enim propter illam inexiſtentiam ſequitur ulla identitas rerum cum Deo, nec Dei cum illis; nec per conſequens earum inter ſe; uniuntur quidem in ipſo, ſed non inter ſe; ſed ſingulæ ſuum habent ordinem, & tempus, nec eodem modo ſunt in Deo, quo Deus in ipſis: illæ ſunt in Deo eminenter, & virtualiter, ut in cauſa, & ut aves in aere, & ſpongia in Pelago, (ut loquitur Auguſt.) Deus verò in illis eſt per potentiam, qua illas creat, & conſervat; per præſentiam, qua eas videt, & gubernat; & per ſubſtantiam, qua illas penetrat, & occupat; ſed quoad ipſas, id præſtat diviſim.

Objic. 4. talis immenſitas dedecet Deum; nam 1. arguit mutationem: quia cùm res de novo ſiunt, acquireret in eis exiſtentiam, & amitteret eam, cùm pereunt 2. dedecet Majeſtatem, ſicut ſi Rex cum viliſſimis plebeiis maneret, ſicut cum principibus, in tuguriolis,

&

& plateis, ſicut in Trono. 3. vileſceret ejus ſubſtantia in brutis, in ranis, in ſterquiliniis, quod horreſcimus cogitare. 4. illa ubiquitas entitativa inutilis eſt ad univerſi regimen, nam Reges ex ſuis palatiis regunt provincias etiam remotiſſimas; & id eis glorioſum eſt, quòd abſentes omnia moveant, & regant; ergo à fortiori Deo glorioſius, abſentem regere, quàm quòd his infimis inexiſtat; ergo Immenſitas ſic explicata repugnat Deo.

Reſp. neg. ant. & ad prob. dico 1. Deum non magis mutari per inexiſtentiam novam localem, ad entia de novo producta, aut deſitionem in pereuntibus, quàm per coexiſtentiam rebus iiſdem productis, aut pereuntibus: tota mutatio illi eſt extrinſeca: tota eſt in rebus ipſis, non in illo ſemper eodem exiſtente in ſe. Quoad 2. & 3. non magis dedecet, Deum in illis rebus eſſe per ſubſtantiam, quàm per potentiam, & præſentiam, qua illas producit, conſervat, & gubernat. Dei enim majeſtas, & gloria non menſuratur ex nobis: Solis radii non fœdantur illuminando ſterquilinia magis, quàm cœlos, & aera. Quoad 4. hæc Deus facit in infinitate virtutis, & potentiæ, & ex dependentia eſſentiali rerum, non ex indigentia ſua; Reges verò non poſſunt eſſe præſentes in toto Regno, ut Deus in toto mundo.

Confir. hoc ex Patribus. Nam inquit Auguſt. [1] *anima rationalis non inquinatur in corpore leproſo, quia eſt ſubſtantia ſpiritualis, multò minùs Deus, cum longè ſit ab omni materia ſemotus; nullas ex præſentia ſua ex rebus corporeis faces contrahere poteſt*. Quod S. Macharius [2] probat ex ſole lucente ſuper loca lutulenta: *Multò magis Divinum lumen ita cum Satana verſari, ut neque commaculetur, &c.*

Inſt. Fruſtra conſtruerentur templa, & altaria, in quibus Deus coleretur; ſed conſequens eſt contra praxim omnium Nationum; ergo ſignum eſt, Deum non eſſe realiter ubique. Prob. maj. non magis eſſet in templis, vel aris, quàm in ſtabulis; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & ant. nam Deus habet præſentiam in templis, & aris ſpecialem ex electione; quia ibi elegit ſibi loca adorationis, & cultus: *Elegi, & ſancti-*

[2] *de Ago. Chr.* 18. [2] *ho.* 7.

dificavi locum iſtum; ut dicit ipſe de templo Salomonis. In rigore deberet, & poſſet ubique coli: ſed tamen certa loca ſpecialiter ad hoc deputantur, & eò conveniunt populi in unitatem Religionis.

Objic. 1. con. 2. p. non repugnat creaturæ ubiquitas; ergo nec immenſitas; ergo non eſt propria ſoli Deo. Prob. ant. Corpus Chriſti tam poſſet poni ubique, quàm in tot altaribus, ubi de facto eſt; idem eſt de qualibet creatura, quæ poſſet ſimiliter reproduci, & poni ubique; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. 1. & 2. argumenti; nam licet creatura poneretur ubique, non ideo diceretur immenſa; quia id non haberet ex ſua perfectione ſubſtantiali, & intrinſeca, ut Deus; ſed id haberet à Deo, & per accidens.

Concl. 2. *ſic Deus eſt ubique per immenſitatem, ut tamen non ſit in mundo, ut in loco, & mundo, ſed extra locum, & mundum; non tamen propriè in ſpatiis imaginariis.*

Probatur primò ex Scoto [1] *Immenſitas Dei, præſens huic univerſo, non æquatur huic univerſo; & ideo excedit formaliter, non tamen eſt alicubi in hoc univerſo.)* ergo ex Scoto, [2] Deus non eſt in mundo, ut in loco; quia non continetur in illo definitivè, nec circumſcriptivè; ſed excedit illum: & non eſt in ſpatiis imaginariis nec per ubicationem realem, niſi in loco reali, qualia non ſunt ſpatia imaginaria: ad quod facit alius textus. *Ante mundi creationem, non eſt imaginandum vacuum infinitum, quaſi ibi fuerit Deus priùs præſens ſecundum eſſentiam, antequam produceret mundum,)* &c. ergo Deus non habet ubi reale in ſpatiis imaginariis.

Prob. 1. p. 2. nam ut patet ex Scoti Philoſophia; eſſe in loco, non tantùm eſt implere ſpatium aliquod, ſed eſt illi commenſurari, & illo definiri, ita ut locatum non ſit extra illud; *Illud non eſt in loco, quod non habet extra ſe aliud continens: illud verò, quod habet, eſt in loco*, ait Philoſ. [3] ſed Deus non ita eſt in ullo ente, vel ſpatio; ergo non eſt propriè in loco, licèt ſit ubique per immenſitatem.

Confir.

[1] *1.d.39.y.34.*
[2] *d.37.B.4.*
[3] *3.Phyſ.43.*

Confir. ex Aug. [1] *Deus non eſt alicubi, quod enim eſt alicubi, loco cont netur.*

Prob. 3. ex Script. & PP. [2] *nam*, ut dicebamus; *Excelſior cælo eſt*. Et *cælum, & cæli cęlorum ipſum capere non poſſunt*. Et, ut dicit S. Gregor. [3] *cęlum palmo, & terram pugillo concludens oſtenditur; quòd ipſe ſit circumquaque cunctis rebus, quas creavit exteriùs. Id nam, quod interiùs concluditur, à concludente exteriùs continetur. Eſſe autem in loco, eſt concludi loco; nam* locus eſt ſuperficies corporis ambientis, ex Phyſica, & P. Damia. [4] *Ipſe manet intra omnia; ipſe extra omnia; ſupra omnia, & infra omnia*. Et Hilar. [5] *Deus intra, & extra, & ſupereminens, ineſt interior, excedit exterior*. Et Cyril. Ieroſol. *ſedes ipſi cælum, ſed illud tamen excedit ſedens*. Et Athanaſ. *ubique eſt, extra omnia, implet omnia, manens extra omnia*. Et ſic de aliis.

Prob. 4. Deus realiter exiſtebat ante mundum; ergo tunc non erat in mundo; ergo etiam nunc exiſtit extra mundum, quia nunc non magis concluditur mundo. Prob. ant. ex Script. [6] *Deus rex noſter ante ſæcula*. Et; *priuſquam montes fierent, aut formaretur terra, & orbis, à ſæculo tu es Deus*. Et *ipſe elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*.

Prob. denique; nam Deum eſſe extra mundum, nihil eſt aliud, quàm ejus extenſionem entitativam non concludi finibus mundi, ſed ex ſe habere, quod poſſit exiſtere in quocumque ſpatio, quod vellet producere extra illum, ſed talis eſt Deus ex ſua immenſitate; ergo hoc ſenſu eſt extra mundum.

Prob. 2. p. 1. ex Patribus, Deus non poteſt implere, nec coexiſtere realiter enti non reali. Quærit S. Bernardus; [7] *Ubi erat Deus, antequam mundus fieret? non eſt, quod quæras, ubi erat; præter ipſum nihil erat; in ſe ipſo erat*. Idem dixerat S. Auguſt. *Antequam faceret Deus cælum, & terram, ubi habitabat? In ſe habitabat; apud ſe habitabat; & apud ſe eſt Deus*.

Prob. 2. ſpatium imaginarium nihil eſt reale, & poſi-

[1] *L. 83. qq. 20.* [2] *Job. 11.* [3] *3. Reg. 8.*
[4] *Ep. 4. de omnip. Dei.*
[5] *1. Tr. 6.*
[6] *Pſ. 83. & 89.* [7] *5. de conſid.*

poſitivum; ergo Deus non poteſt dici ibi eſſe per realem coexiſtentiam. Prob. conſ. nam coexiſtentia, & ubicatio eſt relatio realis exigens extrema realia; Sed ſpatium illud non eſt quid reale; ergo ibi Deus non poteſt eſſe poſitivè per præſentiam realem, ex parte fundamenti.

Dico poſitivè; non enim negatur, quin ibi ſit negativè: quatenus ab illis non eſt propriè abſens; ſed eſſet ibi poſitivè, ſi poneretur ens poſitivum, v. g. alius mundus in ſpatio, quod imaginamur extra ipſum. Vide quæ diximus in Phyſica.

Objic. 1. contra 2. p. Nam Deus eſt extra mundum; ſed extra mundum nulla ſunt ſpatia realia; ſed imaginaria; ergo Deus eſt in illis ſpatiis. Prob. min. nam mundus complectitur omnia ſpatia realia.

Reſp. diſt. maj. extra mundum, exiſtentia abſoluta; conc. relativa, & poſitiva; neg. maj. & conſ. nam ut dicebamus ex Patribus, Deus extra mundum eſt in ſe abſolutè, & non in alio ente, quia nullum eſt.

Inſt. ſpatium extra mundum eſt vacuum, immenſum, & reale, & interminatum, capax repleri, ſed Deus eſt in omni ſpatio reali, etiam in vacuo; ergo & in illis ſpatiis.

Reſp. neg. maj. nam illud ſpatium de facto nihil eſt reale poſitivum.

Inſt. Dei ſubſtantia, ante creationem, non erat minùs diffuſa, & extenſa, quàm poſt; ergo non minùs erat in hoc ſpatio ante creationem, quàm poſt. Et ita eſt de aliis ſpatiis, in quibus eſſent alii mundi creabiles extra iſtum.

Reſp. diſt. ant. non erat minùs extenſa entitativè, & quoad ſe; con. ant. coextenſa, coexiſtens, ſeu quoad ſpatium reale, & inexiſtentiam ullam actualem; neg. ant. quia cùm nihil præter ipſum exiſteret, nulli enti, vel ſpatio, vel loco inexiſtebat.

Objic. 2. Niſi eſſet verè in ſpatiis illis vacuis, & imaginariis, ſequeretur in ipſo aliqua mutatio realis; nam 1. ſi in eis produceret aliquid, ut poteſt, inciperet ibi eſſe de novo, ubi antea non erat. 2. Illud ens extra mundum poſſet moveri verſus mundum, aut mundus verſus ipſum; & tunc Deus moveretur per illud ſpatium, in quo non eſſet extenſus; &c. 3. Deus eſſet à ſe ipſo, & in ſe ipſo

divi-

diviſus: nam eſſe; quod haberet in illo ente extra mundum, & diſtante à mundo, eſſet diviſum per ſpatium illud negativum, ab illo eſſe, & ſubſtantia, qua eſſet in mundo, & ſimilia inde ſequerentur; quæ ſunt abſurda, & repugnant Deo; ergo dicendum, quòd Deus eſt verè diffuſus, & præſens per ſpatia imaginaria.

Reſp. neg. illas omnes ſequelas, ut pote falſas ex falſa imaginatione. Nam 1. quando Deus aliquod ens de novo producit, & in illo habitat, nihil novum intrinſecum accidit Deo, ſed illi enti, quod egreditur de nihilo, & incipit exiſtere in ſinu, ac Pelago immenſitatis divinæ, quæ virtualiter, & immensè diffuſa eſt, & extenſa; ut accidit mundo, cum creatus eſt. 2. In caſu poſito de motu illius entis extra mundum, per illud ſpatium, ſeu vacuum totus motus eſſet in illo ente, non in Deo; qui cùm extendatur infinitè, non mutaret diſtantiam, ſed illud ens moveretur in ipſo, ſicut piſcis in Pelago, vel avis in aere movetur, immutato mari, vel aere, ſaltem quoad ſitum. 3. Idem eſt de diſtantia, & diviſione. Quia Deus, dum eſt in uno ente, non concluditur, nec terminatur in illo; ſed illud in Deo concluditur, ut dicebamus cum Auguſtino de ſpongia in medio mari; nam ſi eſſent duæ, illæ inter ſe diſtarent; non autem mare à ſe ipſo, nec ab illis. Alias objectiones ſolutas habes in Phyſica.

Concl. 3. *Immenſitas Dei eſt attributum ſpeciale ab aliis diſtinctum formaliter; etiam ab infinitate, ſicut ab Eſſentia.*

Prob. 1. ex Scoto: tùm quia ſic diſtinguit omnia attributa, ut patet ex dictis; & immenſitatem reputat inter attributa, ſeu modos intrinſecos divini eſſe; tùm quia definitiones diverſas illis tribuit, & maximè infinitati, & immenſitati; nam infinitas eſſentiæ (*eſt intenſiva, formalis, & fundamentalis ſimul in eſſentia, ut eſſentia eſt, & pro tanto vocatur à Damaſc.* [1] *Pelagus: formalis autem tantùm non fundamentalis eſt in qualibet alia perfectione ſimpliciter, qualibet enim ſuam habet perfectionem formalem ab infinitate eſſentiæ, tanquam à radice, & fundamento*); ecce diſtinctionem infinitatis, pro

ut eſt

[1] *4.d.13.q.1.n.32.*

ut eſt attributum ſpeciale ab infinitate extenſionis, ſeu immenſitatis. Idem Doctor deſcribit, immenſitatem eſſe illam perfectionem, per quam neceſſariò eſt ubique, quia nullum poteſt eſſe ubique, ſi non ſit ſecundum potentiam, præſentiam, & eſſentiam; unde immenſitas importat primariò perfectionem poſitivam infinitam, & ſecundariò, & formaliter, juxta modum noſtrum concipiendi, negationem limitationis actualis, & aptitudinalis in extenſione, ſeu præſentia, & ubicatione; ita ut per nullam extenſionem, vel ubicationem, ſeu præſentiam actualem limitari poſſit, ſed ſemper ex ſe talis eſt, ut nulla ſit poſſibilis creatura, in qua ex ſe, & neceſſariò non exiſtat per indiſtantiam ſubſtantiæ ſuæ.

Prob. 2. quia eadem eſt ratio diſtinguendi hoc attributum, ac de aliis omnibus: nam habet diverſam omninò conceptibilitatem; quia ratio ejus formalis conſiſtit in facere Deum intimè præſentem omnibus rebus; Infinitas verò præciſè facit illum in ſe entitativè, & in ſua eſſentia illimitatum, & identificat illi perfectiones omnes poſſibiles in ſtatu etiam perfectiſſimo poſſibili: & ideò dicitur *infinita radicalis, & fundamentalis*; ergo conceptus infinitatis, & immenſitatis formaliter diſtinguuntur. Uno verbo, Infinitas eſſentiæ explicatur per plenitudinem, & totalitatem eſſentialis perfectionis, & quidem abſolutam, abſque reſpectu ullo ad extra; non verò Immenſitas, quæ involvit reſpectum quemdam, ſaltem rationis, ad extra, ſeu ad Creaturas, quibus nata eſt eſſe intimè præſens, & indiſtans.

Objic. ex infinitate eſſentiæ rectè infertur Immenſitas; & viciſſim; ergo non ſunt perfectiones diſtinctæ, ſed reciprocantur formaliter.

Reſp. neg. conſ. quia licèt ex rationalitate inferatur riſibilitas, non ſequitur identitas earum formalis. Infertur ergo immenſitas ex infinitate eſſentiæ, non formaliter, ſed velut cauſabiliter, quatenùs illa quaſi fluit, & manat ab iſta, ſicut riſibilitas à rationabilitate.

Inſt. hæc propoſitio eſt formaliter vera; *Deus eſt immenſus, quia eſt infinitè extenſus*; ergo immenſitas infertur formaliter ex infinitate eſſentiæ.

Reſp.

Reſp. neg. conſ. quia infinitas in antecedente non eſt formaliter, & præciſè infinitas eſsentiæ, ſaltem in ſe abſolutè; ſed infinitas attributalis: illa quidem eſt radix iſtius: ſed patet ex dictis, quòd ſingula attributa habent ſuam formalem infinitatem radicatam in infinitate eſsentiæ.

QUÆSTIO VIII.

Utrum immenſitas Dei rectè probetur, & inferatur ex ejus operatione.

HÆc quæſtio ponitur propter controverſiam ſatis famoſam, quæ verſatur inter Thomiſtas, & nos, quia maximè probant neceſſitatem ubiquitatis in Deo, ex eo, quòd ubique agat, & operetur. Nos verò licèt fateamur, Deum omnia in omnibus operari, & eſse ubique per omnipotentiam, & inde poſse aliqualiter inferri ubiquitatem propter infinitatem eſsentiæ, & conſequentia materiali; negamus tamen ex hac ubiquitate omnipotentiæ rectè, & neceſsariò, & per locum intrinſecum, & conſequentiam formalem inferri ubiquitatem præſentiæ, ſeu ſubſtantiæ; quia credimus, quòd ſi per impoſſibile Deus per ſubſtantiam ſuam limitaretur infra cœlum, ita ut non extenderetur extra illud, adhuc poſſet operari in terris per ſuam virtutem, & potentiam; &, licèt non eſſet immenſus, eſſet adhuc omnipotens.

Porrò omnipotentia, ex Scoto, eſt formaliter voluntas ipſa Dei, ad cujus velle efficax fiunt omnia in iis omnibus circumſtantiis, & pro ut vult; ſive ſe ſolo, ſive cum interventu, & concurſu cauſæ ſecundæ; & tale omne velle eſt æternum, quo producit creaturas in eſse volito; ſed pro tempore quantùm ad executionem, qua producit eas in eſſe realis exiſtentiæ. Immenſitas verò eſt illa Dei perfectio, qua extenditur per ſubſtantiam ſuam ad omne ſpatium, ita ut ſit intimè, & realiter præſens in omnibus entibus realiter exiſtentibus. Hinc patet 1. quòd omnipotentia, & immenſitas ſunt perfectiones formaliter diſtinctæ, & realiter tantùm iden-

identificatæ, ratione infinitatis earum, & eſſentiæ; 2. quòd prius aliquo modo eſt res exiſtere, & Deum illis eſſe præſentem per omnipotentiam, quàm Deum in eis eſſe per immenſitatem, non quidem prius tempore, ſed naturali ordine, ut patet ex quæſt. præcedenti, Deus enim non poteſt dici præſens actu, niſi rei in actu exiſtenti.

Repete ex Phyſica diſtinctionem agentis immediati immediatione virtutis, & immediatione ſuppoſiti; prius illud eſt, quod cauſat effectum per virtutem à ſe quidem emiſſam, ſed mediante alio ſuppoſito, in quo virtus illa immediatè recipitur; ut cùm ignis calefacit per calorem in ferro impreſſum; ita ut ferrum ipſum immediatè calefaciat per calorem illum ab igne acceptum. Secundum verò, quod cauſat effectum abſque alio ſuppoſito mediante, ſed per ſuam præſentiam, & actionem, à ſe immediatè exeuntem, & in paſſo receptam: ut in exemplo allato, ignis calefacit ferrum immediatione ſuppoſiti; & ferrum calefacit manum; ſed ea eſt differentia, quòd ignis agit immediatione virtutis, & ſuppoſiti ſimul; ſeu per virtutem ſibi propriam, & per ſe, ſeu per proprium ſuppoſitum, ut præſens; ferrum verò per virtutem, ſc. calorem ab alio acceptum; & ideo agit tantùm immediatione ſuppoſiti. Diximus autem, Deum agere cum creaturis ad omnes effectus earum utraque immediatione, ſc. virtutis, & ſuppoſiti.

Concl. *Quamvis Deus non poſſit eſſe ullibi per potentiam, quin adſit etiam per ſubſtantiam, & immenſitatem: tamen non rectè infertur immenſitas ex omnipotentia; ſeu præſentia in omnibus per ſubſtantiam non rectè probatur ex præſentia per operationem*. Eſt communior contra Thomiſtas, & quoſdam alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ex profeſſo quærit: *Utrum Deum eſſe præſentem ubique ſecundum potentiam inferat ipſum eſſe ubique ſecundum eſſentiam*? Hoc eſt, utrum omnipotentia inferat immenſitatem. Et reſpondet. [2] *Videtur, quòd cum omnipotentia, quæ ſimpliciter eſt perfecta potentia activa, non requirat*

[1] 1. *d.* 37. *A. n.* 2. *& Rep.*
[2] *ibid.*

rat actionem, prius in unum paſſum, quàm in aliud....& ideo videtur, quòd talis omnipotentia ſit ratio agendi in quodcumque, & producendi quodcumque poſſibile, licet per impoſſibile ipſe (Deus) cujus eſt omnipotentia, non eſſet ubique, & ſecundum hoc videtur tenenda negativa quæſtionis.

Prob. 2. ex eodem, quia licèt per impoſſibile Deus non eſſet ubique v. g. ſi limitaretur ejus eſſentia intra cœlum, adhuc intelligeretur eſſe omnipotens; ergo adhuc poſſet operari in terris,& ubique, quodcumque vellet, & eodem modo, quo nunc operatur: ant. patet; nam totus conceptus omnipotentiæ ſalvaretur. Prob. conſ. nam Deus non habet præſentiam realem actualem in ſpatio extra mundum, quod dicimus imaginarium; nec ante Creationem erat realiter actu præſens in ſpatio, quod occupat hic mundus; ſed erat in ſe ipſo, ut diximus ex SS. Patribus; & prius eſt rem exiſtere, quàm eſſe præſentem Deo, & Deum in illa eſſe: ſed tam in illo, quàm in iſto poteſt Deus operari per omnipotentiam: Ergo ita eſſet, quamvis per impoſſibile non exiſteret in terra, ſed concluderetur Cœlo. *Poteſt Deus cauſare aliquid extra univerſum, & tamen ibi non eſt per ſuam eſſentiam*; ait Scotus, Prob. min. ex facto;nam Deus operatus eſt mundum in hoc ſpatio.

Confir. non debes negare Deo agenti infinito id, quod vides in Creaturis: ſed in creaturis vides virtutem agendi in paſſum diſtans localiter; ergo id non debes negare agenti infinito, qualis eſſet Deus in *illa* hypotheſi. Patet min. ſol non eſt localiter præſens in viſceribus terræ, ubi generat aurum, & ſic de cæteris quæ in Phyſica vidimus agere in diſtans. Prob. etiam maj. quia quò major eſt virtus agentis, eò magis agit in diſtans; unde ardentior, & ingentior ignis calorem longiùs emittit, & diſtantiora calefacit.

Prob. 3. Deus ex omnipotentia agit per voluntatem; ſed voluntas agit, ubi vult, ſive in propinquum, ſive in diſtans; ergo Deus ex omnipotentia non requirit præſentiam paſſi; ergo ex operatione nòn infertur neceſſariò præſentia ſubſtantiæ, ſed tantùm virtutis.

Prob. 4.

Prob. 4. contra illos, qui ponunt Deum præſentem in ſpatiis imaginariis: nam in illis Deus nihil operatur: (Idem eſt de illis, qui eum nobiſcum ſentiunt extra mundum:) ergo operatio Dei non arguit neceſſariò immenſitatem; cùm ſeparari poſſint. Ergo immenſitas debet aliunde probari, quàm ex operatione; quando quidem putant eſſe in illis ſpatiis, licèt ibi nihil operetur.

Confir. quia ſi præſentia Dei in loco penderet ex ratione ſua formali ab operatione, toties mutaretur præſentialitas ſubſtantiæ, quoties mutaretur operatio; & hic aliter eſset præſens, dum producitur accidens, quàm dum producitur ſubſtantia; in accidente haberet præſentiam accidentalem, & in ſubſtantia ſubſtantialem; & in operationibus remiſſis eſset præſentia remiſsa; & intenſior in intenſis: & toties mutaret ubicationes, quoties diverſè operaretur; quaſi verò agens ipſum creatum non poſſit aliter, & aliter agere in eodem ubi, & loco; & ceſsaret ubi, quoties ceſsaretur ab una operatione. Alia plura ſimilia ſequerentur, quę abſurda ſunt.

Objic. 1. ex Scriptura, quæ probat Dei ubiquitatem ex ejus operatione: ut cum dicitur; [1] *quo ibo à ſpiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? Si aſcendero in cœlum .... illuc manus tua deducet me, &c.* ſc. ex operatione manus Dei, probat eum adeſſe in extremis maris, & ubique. Sic D. Paulus [2] docet, Deum *non longe eſſe ab unoquoque noſtrum*; quia *in ipſo vivimus, movemur, & ſumus*: id eſt, quia in nobis operatur vitam, & motum, & eſse; ergo immenſitas, ſeu ubiquitas Dei rectè probatur ex ejus operatione.

Reſp. diſt. cõnſ. rectè probatur tanquam ex medio materiali, & quaſi à poſteriori, & magis juxta modum noſtrum concipiendi; & velut ex concomitantia, & entitate, con. velut ex ratione formali, & à priori, neg. conſ. & tamen in hoc verſatur punctum difficultatis; nec enim negamus immenſitatem, & ubiquitatem Dei ullo modo inferri ex ejus operatione; ſed tantùm negamus, quòd ſic probetur velut per rationem formalem eſsendi ubique, quod non prætendunt illæ auctoritates pſalmiſtæ,

[1] *Pſ.* 138. [2] *Act.* 17.

miſtæ, nec Apoſtoli, ut patet legentibus: ille vult tantùm oſtendere, quòd peccator non poteſt fugere nec à cognitione, nec ab ira Dei; *Quo à facie tua fugiam?* Et iſte quod Deus eſt ubique; ſed nullam ad id affert probationem ex operatione ejus, ſed tantùm ex noſtra dependentia ab illo in eſse, & operari; uno verbo, probat Dei exiſtentiam ex immenſitate; non verò immenſitatem ex operatione; ut luce clarius eſt in textu.

Objic. 2. ex Ariſtotele, agens, & paſsum debent eſse ſimul; ergo ex actione Dei ubiq; neceſsariò infertur præſentia ejus ubique: non enim operaretur ubique, niſi eſset præſens. prob. ant. dicit enim, quòd *movens, & motum debent ſe contingere*.

Reſp. neg. ant. utrumque; quidquid ſit de mente Ariſt. quam in Theologia parùm curamus. Sed re vera id non aſserit, niſi ad ſummum de agentibus corporeis illis, quæ non agunt, niſi per contactum (& hoc ne verum quidem eſt de omnibus; non enim ignoravit, quin ſol agat, ubi non eſt in ſubſtantia, & ſuppoſito, ſed tantùm per virtutem) & hæc ſimultas, ſeu proximitas, ſeu contactus ſufficit. De agentibus ſpiritualibus, & per voluntatem, ut Deus, id abſolutè falſum eſt, ut diximus in Phyſica de actione in diſtans.

Inſt. agens ex virtute ſibi intrinſeca, & identificata debet eſse intimè præſens paſso; ſed Deus agit per omnipotentiam ſibi intrinſecam; ergo non poteſt diſtare, & non eſse præſens, ubi agit.

Reſp. neg. maj. abſolutè, vel diſt. agens finitum, & materiale, tranſeat; agens infinitum, & omnipotens, & per voluntatem: neg. maj. & conſ. Primum patet de aſtris, & agētibus ſympathicis, quę agunt per virtutem ſibi intrinſecam, & tamen agunt, ubi non ſunt immediatione ſuppoſiti. Secundum quia agens per voluntatem, & quidem omnipotentem, agit, ubi placet, ſive in vicino, ſive in longinquo.

Reſp. 2. data gratis majore, ſc. quod agens non poſſit operari, ubi non eſt quoad ſubſtantiam, & entitatem; non ſequitur, quin ibi poſſit eſse, & nihil operari; ergo operari non eſt formalis ratio eſsendi alicubi; alioqui hæc non poſsent ſeparari.

Objic. 3. SS. Patres. qui ex operatione ubique

pro-

probant immenſitatem Dei; ergo ita debet legitimè, & efficaciter probari. Prob. ant. *Quodvis opus nemo, ſi eſt abſens, operatur. Deum igitur, cum nullo non tempore, quidvis eorum, quæ fiunt, cunctaque moderetur, ac diſpenſet ſua jugi conſervatione, prorſus neceſſe eſt fateri, in omnibus ineſſe,* ait Anaſt. Sin. [1] *Cum divinæ virtutis effectus nuſquam deeſſe cernimus, cur eamdem Dei virtutem omnibus rebus ineſſe dubitemus?* inquit Hugo Victor. [2] *Quoniam ſine Deo nihil poteſt aut eſſe, aut conſervari, dicere cogimur, Deum & ubique ſemper ineſſe* Anſelm. [3] ergo potiſſima probatio immenſitatis venit ex operatione Dei.

Reſp. neg. conſ. aliud enim eſt, quòd aliqualis probatio inde petatur, ſc. ut à concomitante ex materiali identitate, & per locum extrinſecum, & familiariorem, quod ſic fieri fatemur in Scriptura, & aliquot SS. Patribus: aliud, quod ſic probetur, quaſi à priori, & formaliter, per locum intrinſecum, & negamus hoc intentum eſſe à Scriptura, aut à SS. Patribus.

Objic. 4. agens ſpirituale, quod agit immediatione ſuppoſiti, & virtutis, debet ibi eſſe per ſuam ſubſtantiam, ubi eſt ſuus effectus, & operatio, ſi ſua actio ſit & ſua ſubſtantia; ergo ex illa operatione rectè, & neceſſariò, & per locum intrinſecum probatur ejus exiſtentia, ubi operatur, & ex ejus operatione; ſed Deus agit utraque immediatione, & ejus actio eſt ejus ſubſtantia; ergo quia ubique operatur, ſequitur, quòd ubique ſit præſens. Maj. patet, nam ſi nihil mediat inter agens, & paſſum, ſeu effectum, neceſſariò conjunguntur, & maximè in ſpiritualibus, in quibus ne mediat quidem quantitas, quæ impediat compenetrationem agentis cum effectu. Prob. ſubſumptum, quia nos ipſi fatemur, Deum agere utraque immediatione, & virtutem, & actionem ejus non diſtingui ab ejus ſubſtantia: uno verbo, actio, & agere Dei eſt ipſe Deus; ergo Deus non poteſt agere, niſi ubi eſt per ſubſtantiam immediatè.

Reſp. diſt. maj. ſi agere immediatione ſuppoſiti ſit

[1] *L. de fide dog.*
[2] *L. 7. erud. Theo. c. 19.*
[3] *Mon. c. 22.*

agere in eodem loco, in quo eſt paſſum, ſeu effectus. conc. maj. ſi ſit tantùm agere per virtutem à ſe immediatè exeuntem, & in paſſo terminatam abſque immediatione alterius ſuppoſiti, in quo virtus illa priùs recipiatur; neg. maj. & conſ. & diſt. min. Deus eſt agens utraque immediatione hoc 2. ſenſu, conc. in 1. ſenſu, neg. min. Nam, ut dicebamus, id non eſt neceſſarium in agente infinito, & per voluntatem; talia enim agentia producunt, quidquid volunt, ſive ſint præſentia in loco, ſive abſentia, & de hoc eſt maximè quæſtio; ſufficit, quòd virtus, & actio eorum terminetur immediatè ad effectum, & ſic eſſet de actione Dei, in quantum eſt agens omnipotens, & per voluntatem, quod verò ſemper ſit, ubi agit, hoc petitur ex ratione immenſitatis, non verò omnipotentiæ.

Inſt. 1. actio, ſeu agere Dei, ut eſt ab omnipotentia, eſt ipſa Dei ſubſtantia; ergo ex ratione ipſa omnipotentiæ, ibi eſt Deus per ſubſtantiam, ubi agit. Probat. conſ. nam actio eſt in paſſo, ſeu in effectu; ergo Deus ex vi ſuæ actionis eſt in paſſo, ſeu in creatura, in qua agit.

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam actio Dei, ſicut & omnis agentis, non eſt formaliter in paſſo, ſed in agente, ut probatum eſt in Philoſophia. Unde ſive actio Dei ſit ſubſtantia ipſa Dei formaliter, aut realiter, ſive non, hoc nihil facit ad rem, ſufficit, quòd terminativè tantum ſit in effectu. Virtus, qua Sol generat aurum in viſceribus terræ, eſt in ipſo Sole, non in viſceribus terræ, ubi producit ſuos effectus. Sic omnipotentia eſt in Deo, & terminatur ad creaturam: certè ſi actio Dei ad extra eſt in creatura; ergo eſt aliquid creatum; ergo non eſt ipſa Dei ſubſtantia.

Inſt. 2. illud, per quod Deus formaliter determinatur ad exiſtendum in rebus, eſt illi ratio formalis ibi eſſendi; ſed ſic determinatur per ſuam operationem, qua eas producit; ergo operatio illa ejus eſt ei ratio eſſendi in rebus. Prob. min. poſita illa actione Dei, nulla alia eſt ei ratio eſſendi in creaturis; ergo per illam actionem ultimò, & formaliter determinatur ad eſſe in rebus. Prob. ant. hoc ipſo, quòd ſic agit, facit illas actu exiſtentes, & à ſe dependen-

tes;

tes; ergo per hoc ipſum ultimò, & formaliter determinatur ad eſſendum in illis.

Reſp. neg. min. 1. arg. & ant. vel conſ.3. nam vera, & formalis ratio, cur Deus ſit in rebus à ſe productis, eſt ſua immenſitas, ſine qua poſſet non eſſe per ſubſtantiam in eis, ſicut Sol non eſt in viſceribus terræ, nec magnes in ferro, quod trahit ad ſe, ſed quia immenſus eſt, hoc ipſo, quod res aliqua per potentiam exiſtit, neceſſariò ibi eſt Deus per ſubſtantiam.

Inſt.3. Immenſitas non magis determinat Deum ad eſſendum in creaturis hodie productis per potentiam, quàm heri, aut ab æterno; ſed ab æterno non determinabat eum ad eſſendum in eis; ergo neque hodie; ergo id venit à ſola operatione.

Reſp. neg.min. vel diſt. non determinabat ad eſſendum actu in creaturis ab æterno, & antequam exiſterent, con. ſuppoſita exiſtentia actuali, neg. min. & 1. conſ. & diſt. 2. venit ab operatione cauſabiliter ex parte rerum creatarum, con. formaliter, quaſi à ratione formali ibi eſſendi, neg. conſ. creatio rerum eſt cauſa inexiſtentiæ actualis Dei, Immenſitas verò eſt cauſa formalis.

Objic. 5. perfectiſſimum agens debet eſſe perfectiſſimo modo præſens paſſo; ſed Deus eſt perfectiſſimum agens, & perfectiſſimus modus præſentiæ eſt per ſubſtantiam, ergo Deus debet eſſe præſens per ſubſtantiam, ubi operatur.

Reſp. neg. maj. nam ad rationem agentis perfectiſſimi nihil confert proximitas; imò videtur magis commendari virtus agentis, quòd non exigat eam ſed quòd poſſit æquè agere in diſtans, ac in propinquum, ſi aliunde non neceſſitatur ad eſſe propiùs in paſſo.

Inſt. perfectiſſima cauſa perfectiſſimo modo communicatur effectui, ſed Deus eſt perfectiſſima cauſa; ergo debet perfectiſſimè communicari creaturis: ſed perfectiſſima communicatio cauſæ ad effectum fit per intimam præſentiam; ergo ex operatione ſequitur hæc præſentia.

Reſp. 1. neg. maj. abſolutè, & ut jacet, alioqui deberet Deus æqualiter communicari omnibus creaturis, quia omnium eſt perfectiſſima cauſa. Suf-

ficit ergo, ut cuilibet communicetur ad menſuram.

Reſp. 2. neg. ſubſumptum; nam præciſè loquendo: illa intima conjunctio nihil facit ad perfectionem ſubſtantialem cauſæ, vel effectus, & hoc eſt in quæſtione, an ſcilicet agens, ut agens, debeat conjungi ſubſtantialiter paſſo, & effectui, ut inde ex actione arguatur præſentia.

Conſtat igitur, quod licèt Deus ubique ſit per omnipotentiam æquè, ac per præſentiam, & ſubſtantiam, ſeu immenſitatem, quia ſingula illa attributa ſunt formaliter infinita, & licèt ex una ubiquitate colligi poſſit alia tum propter illam infinitatem illis communem, tùm propter identitatem illorum realem inter ſe, & cum eſſentia Divina, tamen ſecundum rationes eorum formales non ſeſe inferunt.

QUÆSTIO IX.

De Ineffabilitate Dei.

INeffabile dicitur, quod vocibus, ſeu verbis explicari nequit, ideo ineffabilitas eſt ea Dei magnitudo, quæ reddit nobis innominabilem, ſeu verbis inexplicabilem ejus naturam. Certum tamen eſt, nos ſaltem ex Spiritu ſancto pluribus nominibus Deum appellare; ut loquitur Auguſtinus. Eum proprio quodam nomine explicamus, *cùm ineffabilem dicimus. Ne ineffabilis quidem Deus dicendus eſt, quia & hoc cum dicitur, aliquid dicitur, & fit neſcio quæ pugna verborum: quoniam ſi illud eſt ineffabile, quod dici non poteſt, non eſt ineffabile, quod vel ineffabile dici poteſt.* Legimus ergo etiam in Scripturis diverſa Dei nomina: ut ſunt, *Deus*, *Adonai*, *Jehova*, *ſummum ens*, *ſummum bonum*, *quo melius non poteſt excogitari*, *prima cauſa*, &c. denique ſicut formamus hìc aliquos conceptus de illius natura, ita & habemus aliquas voces, ſive complexas, ſive incomplexas, quibus eos ſignificamus: verbi gratia, concipimus eum in ordine ad creaturas, & ſecundum aliquam cauſalitatem circa ipſas: & ſic vocamus eum nominibus *primæ Cauſæ*, *Creatoris*, *Gubernatoris*, *Re-*

gis

gis Regum, *Domini*, *& Domini Dominantium*, *ultimi finis*, *&c.* Si concipimus eum ſecundum perfectiones aliquas eminentiſſimas ſupra eas, quas in creatis habemus, vocamus eum nominibus *Sapientis*, *Boni*, *Omnipotentis*, *Juſti*, *Miſericordis*; *&c.* Si denique concipimus eum immunem ab imperfectionibus, quas videmus in creaturis, vocamus eum vocibus, quibus illi defectus removentur, verbi gratia: dicimus eum *increatum*, *immortalem*, *inviſibilem*, *incomprehenſibilem*, *ineffabilem*, &c. illa dicuntur nomina Dei poſitiva, iſta verò negativa. Rurſus ex variis illis nominibus, quibus utimur erga Deum, quædam propria illi ſunt; quia exprimunt in proprio ſuo ſignificato varias ejus perfectiones, & prædicata quidditativa, aut qualitativa, ut nomina *Dei*, *Omnipotentis*, *omniſcientis*, *Creatoris*, &c. quædam per metaphoras deſumpta à Creaturis, in quibus tales perfectiones, ſeu qualitates eminent, ut cùm dicitur *Leo*, propter fortitudinem: *Agnus*, propter manſuetudinem: *Petra*, propter firmitatem: *Pater familias*, propter providentiam, &c. aliqua etiam de illo dicuntur, quæ ſunt ei communia cum creaturis, ut nomina, *Entis*, *ſubſtantiæ*, *vitæ*, ſeu *viventis*, & *Spiritus*, quædam verò ex iſtis redduntur illi propria per additiones, & ideo dicuntur *propria ex communibus*: *ut ſummum ens*, *ſumma ſubſtantia*, *prima cauſa*, &c. quædam verò ſunt purè propria, ut *Deus*, *Creator*, &c. Item quædam dicuntur, quæ illi conveniunt ex tempore, ut, *Dominus*, *Creator*, *Redemptor*, &c. alia verò illi conveniunt ſimpliciter, & ab æterno, quia ejus naturam, aut qualitates naturales, ſecundum ſe, & in ſe ſignificant, ut *ens à ſe infinitum*, *independens*, &c. denique alia ſunt *eſſentialia*, quæ eſſentiam, aut perfectiones eſſentiæ ſignificant, & omnibus perfectionibus divinis conveniunt, ut ea, quæ retulimus alia verò *notionalia*, ſeu *perſonalia*, quæ ſolis aliquibus perſonis propria ſunt, nt nomina, *Patris*, & *Ingeniti*, ſoli primæ perſonæ conveniunt: nomina *Filii*, *Verbi*, *Geniti*, *Unigeniti*, ſoli ſecundæ: & *Spiritus*, ac *Spirati*, ſoli tertiæ.

Non eſt igitur difficultas, nec diſputatur, quin

Deus ſit aliquo modo nominabilis, & effabilis per nomina, tam poſitiva, quàm negativa, & tam propria, quàm communia, quibus exprimantur conceptus noſtri de Deo, tam quidditativi, & proprii, quàm communes; ſed quæſtio eſt, an poſſit nominari vocibus, quæ clarè, & diſtinctè ſignificent, & explicent audientibus naturam Dei, nam hoc requiritur, ut Deus dicatur ſimpliciter, & abſolutè *effabilis*, ſin minus, dicetur abſolutè, & ſimpliciter *ineffabilis*.

Suppono autem, ex Logica, voces poſſe ſignificare perfectius audienti, quàm intelligat loquens, etiam ſi ſit ipſemet imponens nomen, quia voces non ſolum cauſant in audiente notitiam rei aliàs ignotæ, ſed etiam excitant præcedentem rei loquutionem, quæ in audiente poteſt eſſe perfectior, quàm in loquente, & ita docet Scotus; ideo Deus diſtinctius nominari poteſt, quàm concipi.

Suppono 2. quod cognitio rei alicujus vel eſt *diſtincta*, id eſt ſecundum aliquam rationem, ſeu prædicatum proprium, quod verè illi conveniat, & ſoli, ut cognitio hominis ſub prædicato, & formalitate riſibilis, aut rationalis: vel eſt *quidditativa*, id eſt, ſecundum prædicata ejus eſſentialia, quæ ſunt genus, & differentia, ut cognitio hominis, ſecundum quod eſt *animal rationale*, vel *comprehenſiva*, quia adæquat cognoſcibilitatem ejus, & his opponuntur cognitiones, *confuſa*, *qualitativa*, & *imperfecta*, ſeu *inadæquata*. His ſuppoſitis.

Concl. *Deus non ita ineffabilis eſt homini viatori, quin poſſit eum nominare nomine aliquo proprio, ſignificante naturam ejus, & quidem perfectiſſimè Angelis, aut Beatis, & etiam comprehenſivè ipſi Deo, non tamen homini viatori, niſi confuſè, & inadæquatè, ſeu imperfectè, & hoc ſenſu ineffabilis eſt abſolutè.*

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Dici poteſt, quod ad minus nomina multa imponuntur, quæ ſignificant Deum in communi, quia ſic naturaliter poteſt concipi à viatore, vel ſi verum eſt, quod diſtinctius poſſit ſignificari, quàm concipi, poteſt Deus nominari à viatore nomine ſignificante hanc eſſentiam*. Et magis poſitivè addit: [2] *Veriſimile eſt, Deum nominari tali nomine,*

[1] *1. d. 22. q. 1. A. n. 2. & rep.* [2] *ibid.*

ne, *& hoc*; *ſive nomen illud ſit impoſitum ab ipſo Deo*, *vel ab Angelo cognoſcente ipſum Deum*, *vel à viatore*, *veriſimile eſt enim*, *quod multa nomina ſint in S. Scriptura*, *diſtinctè illam eſſentiam ſignificantia*, *ſicut Judæi dicunt de nomine*, *quod vocant tetragrammaton*, ideſt, quatuor litterarum, & poſt adducta quædam nomina, quæ legimus in Scriptura ab ipſo aſſumpta, ut *qui eſt*, & *ego Dominus*, &c. tandem concludit: *Eſt ergo Deus nominabilis à viatore nomine ſignificante propriam eſſentiam*, *ut eſt hæc eſſentia*: ſc. diſtinctè,& ratio eſt, *quia viator poteſt uti aliquo ſigno*, *& intendere*, *& exprimere ſignificatum illius ſigni*, *ſive ipſe impoſuerit illud ſignum*, *ſive alius quicumque*, *qui novit ſignificatum*, *&c. & ſimpliciter concedendum eſt*, *quod multis nominibus uti poteſt viator exprimentibus eſſentiam divinam*. Idem aſſerit, & probat quæſt. 2. ex reportatis.

Prob. 2. ex Scriptura, in qua multis nominibus appellatur; & explicatur Dei natura, & qualitates ejus; nam ut ſcribit S. Hieronymus; *In ſcripturis paſſim reperimus decem nomina præcipua*. 1. eſt *El*, ideſt, fortis. 2. *Elecha*; ideſt, providens, vel procurans. 3. *Elohim*; ſeu *Eloha*; ideſt, proviſor, aut Judex, vel in plurali proviſores, aut Judices. 4. *Sabaoth*, ſubintellecto nomine *Domini* Exercituum. 5. *Heljon*; ideſt, excelſus. 6. *Ehjeh aſcer Ehjeh*; ideſt, qui ſum, vel qui eſt. 7. *Adonai*; ideſt, Dominus. 8. *Jah*; quod eſt abbreviatum; in quo deſinit alleluja. 9. *Saddai*; ideſt, munificus. 10. nomen tetragrammaton, *Jehova*; ideſt, qui eſt, aut, qui ero, ſeu, qui eſt futurus. Alia plura refert Dionyſ. [1] tum ex eadem Scriptura, tum ex ſui temporis Theologis.

Confir. nam ipſemet Deus ſibi nomen ſumit, ut dicebamus ex Doctore. [2] *Ego ſum*, *qui ſum*. *Hoc nomen meum in ſempiternum*. Et hoc publicandum dat Moyſi: *Sic dices*, *qui eſt*, *miſit me ad vos*. Item, *Nomen meum*, *Adonai*, *non manifeſtavi eis*. Et, *omnipotens nomen ejus*. Et *Dominus Zelotes nomen ejus*. [3] Et *Dominus nomen illi*. [4] Et *Dominus*

[1] *de Div. Nom. c. 5.*
[2] *Exod. 3. & 6. & 15. & 34.*
[3] *Judith. 9.* [4] *Jere. 10.*

exercituum nomen ejus. Denique vix habes lineam in Scriptura Sacra, in qua non legas aliquod nomen Dei.

Prob. 3. ex SS. Patribus, qui ſub diverſis nominibus Dei naturam, & perfectiones nobis explicant. Unde hoc ipſo titulo *Ineffabilis*, famur ejus naturam, & magnitudinem, *non enim ineffabile eſt, quod ineffabile dici poteſt*, inquit Auguſt. cit. Et, ut dicebamus ex Dionyſio: *Theologi Deum laudabant, tanquam nullius nominis, & omnis nominis*, &c. Et Cyrillus Jeroſol. [5] *Deus multorum nominum eſt*, &c.

Prob. 4. quoad 1. 2. & 3. p. quia cùm dico, hominem viatorem poſſe nominare Deum, nomine proprio ſignificante naturam ejus, intelligo vel de nomine jam ab aliis impoſito, verbi gratia: ab ipſo Deo, vel impoſito ab ipſo homine, & hoc vel loquendo alteri homini viatori, vel loquendo Angelis, Beatis, aut ipſi Deo; ſed his omnibus modis, Deus eſt nominabilis à viatore in ſenſu concluſionis; ergo, &c. Prob. min. nam, quid impedit, ne pronuntiem unum ex nominibus, quæ Deus ſibi ſumpſit, eadem intentione, qua ipſe pronuntiavit. 2. quid prohibet, quin habens aliqualem cognitionem naturæ Divinæ ſive ex fide humana, vel divina, ſive ex lumine naturæ, utar aliquibus vocibus, ad ſignificandam illam Deitatem. 3. Si voces illas dirigo ad Deum, numquid non cognoſcet diſtinctiſſimè, & comprehenſivè eamdem illam naturam, quam volo ſignificare. 4. Idem eſt de Angelis, & animabus Beatis, quæ Deum perfectiſſimè cognoſcunt; ergo abſolutè Deus eſt nominabilis ab homine, & quidem nomine, tum ab ipſo impoſito illi, quàm ab ipſo Dei ſibi ſumpto.

Confir. cum ego profero vocem, *Deus*, ut ſignificem eamdem naturam, quam Deus voluit ſignificare dicens, *ego ſum, qui ſum*, Deus ipſe, & Angeli, & Beati intelligunt me loqui de illo ſummo ente, quod perfectè cognoſcunt: quale eſt in ſe æque, ac dum ipſimet eamdem vocem pronuntiant; ergo illa vox, à me prolata, diſtinctè ſignificat Deo, & Angelis Dei eſſentiam. Prob. ant. Ad veram loquelam non requiritur, ut voces cauſent in audiente cogni-

[1] *Cathech.6.*

gnitionem omnis conceptus loquentis, qualis eſt in loquente; ſed ſufficit, ut excitent in audiente illam cognitionem, quam ipſe habet aliunde de re aliqua, ſive conceptus loquentis de illa ſit perfectus, ſive imperfectus; ergo homo viator ita poteſt nominare Deū, ut voces explicent clarè naturam ejus ipſi Deo, vel Beatis.

Ut vim rationis hujus capias, ſuppono ex Scoto, Deum, (idem eſt de aliis) poſſe nominari, vel 1. ab aliquo, qui nec vocis ſignificatum agnoſcit, nec ſignificare intendit, ut Pſyttacus, vel 2. qui vocem pronuntiaret, cujus vim non agnoſceret prorſus, ut ſi Ruſticus vocem græcam proferat, cum intentione loquendi, & ſignificandi aliquid; ſi adſit auditor, callens linguam græcam, percipiet ſignificatum ejus, ſed non mentem loquentis. De his duobus modis nominandi, qui ſunt imperfectiſſimi, nullus dubitat. Vel 3. ab homine ſciente quidem aliqualiter ſignificatum, & volente id exprimere per vocem, quam profert, ſed ita, ut audiens perfectius rem ſignificatam agnoſcat, quam loquens, ut ſæpe contingit: ut ſi cœcus loquatur videnti de coloribus, tunc certum eſt, quod audiens perfectius agnoſcat colores, quàm cœcus loquens.

2. Suppono ex Logica [1] quòd voces in loquente ſignificant conceptus objectivos, & formales, & quidem apud nos ſignificant primariò conceptus objectivos, & ideo poſſunt ſignificare perfectius audienti, quàm loquenti. His ſuppoſitis, certum mihi eſt, quòd loquens de Deo, tertio illo modo; licèt non cognoſcam naturam ejus, niſi confusè, & imperfectè, tamen Deus, & Angeli Beati, audientes me, agnoſcunt comprehenſivè Deitatem, de qua loquor, & cujus ſpecies, vel notitiam in eis excito.

Prob. concl. quoad 4. p. ſc. quod nomen ſic impoſitum, aut probatum non ſignificet viatori naturam Dei comprehenſivè. Nam loquens non poteſt cauſare in audiente perfectiorem cognitionem Dei, quàm cujus eſt capax: ſed homo viator non eſt capax cognitionis Dei comprehenſivæ, aut perfectiſſimæ; ut patebit ex dicendis de incomprehenſibili-

[1] *Diſp.* 10. *q.* 3.

tate, & patet ex dictis de cognoſcibilitate Dei; ergo, &c.

Objic. 1. ex ſcript. Deus dicitur ineffabilis, & nomen ejus non agnoſci. *Quod eſt nomen ejus, ſi noſti?* [1] Et Deus ipſe improbat, quod Jacob quærat nomen ſuum. [2] *Cur quæris nomen meum?* Idem docent SS. Patres. *In Deo omnium cognitionum fines ſuperarcanæ vitæ ſubſtituti ſunt, quem neque dicere, neque intelligere poſſibile eſt*, ait Dion. [3] &, *neque nomen ejus eſt, neque opinio*. Et D. Nazianz. [4] Deum definit *id, quod cùm dicitur, non poteſt dici, cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari, & cùm definitur, ipſa definitione decreſcit*. Et, *Difficile eſt, Deum intelligere, loqui autem impoſſibile*; & ſic de aliis; ergo Deus abſolutè eſt innominabilis, & ineffabilis nomine, quod ejus naturam ſignificat.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nec enim Scriptura, neque Patres loquuntur de omni ineffabilitate, alioqui ſibi contradicerent, qui ipſum nominant in ipſiſmet textibus; dum dicunt eum *Ineffabilem*, ut notat Auguſtinus, loquuntur de nominibus, quæ Deitatem clarè exprimant, & maximè reſpectu hominis viatoris, qui non poteſt eum clarè comprehendere.

Objic. 2. voces non plus ſignificant, quàm cogitet, & velit loquens; ſed homo viator non poteſt cogitare nomen, quod explicet Deitatem, neque id velle; ergo nec imponere tale nomen: patet maj. nam voces ſubſtituuntur loco conceptuum loquentis, quatenus vult illos manifeſtare. Prob. min. homo viator non poteſt cogitare, aut velle, & ſignificare naturam Dei clarius, quàm ipſe illam concipiat; ſed non poteſt eam concipere clarè, non enim cognoſcit, niſi ex creaturis; & per conceptus proprios ex communibus, ut nos ipſi fatemur; ergo nec cogitare nomen, quod eam clarè ſignificet, neque id velle, quia voluntas non fertur in incognitum.

Reſp. neg. min. 1. argum. & maj. 2. & diſt. ant. 3. non fertur in incognitum abſolutè; con. ſecundum quid, neg. ant. Contrarium enim patet quotidiana experientia; nam quoties diſcipulus recitat lectionem

[1] *Prov. 30.* [2] *Gen. 22.*
[3] *de Div. nom. c. 1. & 7.*
[4] *Orat. 49.*

nem coram Magiſtro, iſte perfectius intelligit ea, quæ dicit diſcipulus, qui tamen explicare res intendit, quantum poteſt, & quo major eſt ſcientia Magiſtri, eo clarius intelligit ea, quæ recitat diſcipulus, licèt ipſamet verba magiſtri recitet.

Inſt. vox non ſignificat, niſi ex inſtitutione loquentis; ergo nec diſtinctius ſignificat, quàm velit: ſed homo non poteſt inſtituere vocem, cui det claram ſignificationem Deitatis; ergo nec nominare Deum tali voce. Maj. patet, quia nomen eſt vox ſignificativa ad placitum. Prob. min. nemo dat, quod non habet; ſed loquens non habet claram Dei notitiam; ergo nec dare poteſt voci ulli claram ſignificationem Deitatis.

Reſp. neg. 1. conſ. quia modo ſciat audiens, quod vox inſtituitur, aut profertur ad ſignificandum Deum, claritas, vel obſcuritas ſignificationis paſſivæ non pendet à cognitione perfecta, vel imperfecta loquentis, ſed à diſpoſitione audientis, qui rem nominatam clariùs, aut obſcurius intelligit, prout eſt magis, aut minùs doctus. Qui non cognoſceret hominem, non acquireret ejus ſcientiam per vocem, *Homo*, & qui eam audit, cognoſcit quidem, quòd loquens cogitat hominem, ſed non debet cognoſcere, an cogitet, aut cognoſcat illum clarè, aut confuſè; ergo cognitio clara, vel confuſa loquentis præcisè nihil juvat audientem.

Inſt. 2. ſi loquens non cognoſceret ullo modo hominem, non poſſet illum nominare; ergo ſi non cognoſcat diſtinctè, non poterit illum nominare nomine diſtinctè ſignificante illum.

Reſp. neg. conſ. nam ad appellandum aliquid, requiritur quidem aliqualis ejus cognitio; ſed non requiritur diſtincta. Certè, ſicut cognitio diſtincta loquentis non cauſat talem in audiente, niſi aliunde cognoſcat clarè, ita ignorantia ejuſdem loquentis non impedit in audiente claram notitiam rei nominatæ.

Inſt. 3. facilius eſt concipere Deum mente, quàm verbis ſignificare; ergo ut quis poſſit explicare diſtinctè Deitatem, debet eam cognoſcere diſtinctè, & quidem à fortiori. Prob. ant. ex Patribus: *Verius cogitatur de Deo aliquid, quàm dicitur*; ait Auguſt. [1]

[1] *7. de Tr. c. 4.*

Et ut docent Cyrill. [1] & Nazianzenus,[2] poſt Platonem: *Difficile eſt, Deum intelligere, loqui autem impoſſibile*; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. ei, qui non habet verba propria, ad ſignificandum, nec auditores doctos, qui percipiant ea, quæ dicit, con. ſi habeat verba propria, vel auditores doctos, neg. ant. & conſ. prob. Nam SS. Patres ſic loquuntur de homine, non habente verba propria, nec auditores doctos, qui percipiant, vel calleant vim verborum, & naturam Dei. Certè defectu alterius harum cognitionum verba non docebunt auditorem.

Objic.3. ſi verba poſſent ſignificare Deum perfectiùs audienti, quàm illa cognoſcat loquens, vel hoc veniret à cognitione loquentis, vel ab ipſa voce; ſed neutrum dici poteſt; ergo nomen Dei non poteſt plus ſignificare audienti. Prob. min.1. non à loquente, quia nemo dat, quod non habet. 2. non ab ipſa voce; quia effectus non ſuperat cauſam ſuam; ergo cognitio Dei non poteſt eſſe perfectior in audiente vocem, quàm in loquente.

Reſp. neg. min. nam hoc habet ab utroque, & ſimul à diſpoſitione audientis. 1. habet ab imponente abſolutam vim ſignificandi rem hanc, & non aliam; 2. habet à re ipſa quamdam conformitatem, quæ eſt occaſio ſic eam appellandi. 3. habet ab audiente diſpoſitionem, nempe notitiam rei nominatæ, quam notitiam excitat vox ab appellante prolata, & impoſita, & notitiam intentionis, quòd loquens utitur illa voce ad Deum ſignificandum.

Deus ergo dicitur abſolutè ineffabilis homini viatori, quatenus iſte verbis non poteſt explicare inter homines viatores naturam ejus, & perfectiones infinitas; ita ut reddat eas perfectè intelligibiles, & hoc ſecundum vires præſentes tam loquentis. quàm audientis. Et ſic intelligendi ſunt Scripturæ, & Patres, dicentes, Deum eſſe ineffabilem, ut aſſerit Concilium Lateranenſe, [3] tamen non impedit, quin habeamus voces, ſigna, & nomina, quibus utimur ad ſignificandam ſingularem ejus naturam, & proprietates, prout ſunt à nobis in hoc ſtatu viæ conceptibiles, ſc. imperfectè, & confusè, ſive ex principiis

[1] 1. *ton. Julia.* [2] *orat.2. de Theol.* [3] *c. fir.*

cipiis fidei ſupernaturalis; ſive ex lumine aliquo naturali. Talia nomina plura jam dedimus, & plura alia occurrunt paſſim in Scriptura, quorum magnam partem collegit S. Dionyſius. [1]

De inviſibilitate, & incomprehenſibilitate, quæ ſunt alia attributa negativa, dicemus in ſequenti.

DISPUTATIO V.

De viſibilitate, & inviſibilitate Dei.

QUia Deus non eſt purè, & ſimpliciter inviſibilis, hanc ejus perfectionem meditamur ſeparatim ab aliis, quæ magis negativè ſolent exprimi, & quia de viſione Dei notabiliora plura diſcutienda ſunt, quippe in ea coſiſtit, & ab ea pendet ſumma noſtra felicitas, magna ex parte.

QUÆSTIO I.

An, & quomodo Deus ſit inviſibilis, & viſibilis.

CErtum eſt de fide, quòd Deus eſt inviſibilis, & viſibilis ſub diverſis modis, utrumque legitur in ſcriptura expreſsè; dicitur enim: *Rex immortalis, & inviſibilis*. Et quod, *habitat lucem inacceſſibilem*. Et: [2] *quem nullus hominum vidit, nec videre poteſt*. Et: [3] *Deum nemo vidit unquam*. *Et videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*. Et: [4] *Angeli ſemper vident faciem patris*. Et: [5] *mundi corde Deum videbunt*, *Et videbimus eum, ſicuti eſt*. Ecce ergo viſibilitatem, & inviſibilitatem aſſertam. Quærimus, quo ſenſu hæc contradictoria dicantur, & verificentur.

Viſibilitas dicit ordinem ad facultatem viſivam, quæ in nobis duplex eſt: *materialis*, ſeu *corporea*, ut oculus corporis, unus ex quinque ſenſibus noſtris; & *ſpiritualis*, ſeu *immaterialis*: ut oculus mentis, ſeu intellectus, & quæritur: an Deus ſit viſibilis, vel inviſibilis pro utraque potentia.

porro

[1] 1. *de div. nom. c. 5.*
[2] 1. *Thi. 6.* [3] *Jo. 1.* [4] 1. *Cor. 13.* [5] 1. *Jo. 3.*

porro inviſibilitas rei alicujus venire poteſt vel 1. ex imperfectione aliqua ejus, ut cum adeo exilis eſt, ut fugiat oculos, ut Atomi, vel ob aliquem alium defectum, ob quem non poteſt movere oculum, vel intellectum ad ſui viſionem, ut relationes, & negationes, ſeu privationes, quæ in ſe videri non poſſunt, ſed per ſpecies alienas; vel 2. ex perfectione; v. g. ex ſublimitate, qua excedit potentiæ attingentiam, & facultatem, aut ex ſumma luce, qua perſtringit oculos corporis, ut ſol reſpectu noctuæ, vel mentis, ut Deus qui ex hoc capite eſt inviſibilis, non autem ex ullo defectu. *Habitat* enim *lucem inacceſſibilem*.

Inviſibilitas ergo Dei eſt illa ejus perfectio, & ſublimitas, & lux infinita, quæ reddit illum inacceſſibilem menti creatæ. Et quæritur an ſit ita abſoluta, ut per nullam virtutem naturalem, aut ſupernaturalem poſſit oculus, vel intellectus ad videndam ejus ſubſtantiam pertingere.

Rurſus ſuppono ex Philoſophia, viſionem, in ſenſu laxiori, poſſe dici de qualibet perceptione objecti per intellectum, vel per oculum; ſive per cognitionem, quæ dicitur *abſtractiva*, quæ eſt de re abſente, ſive per *intuitivam*, quæ eſt de re præſente, ut præſente, & hoc ſenſu quæſtio procederet de qualibet cognitione Dei; de qua nihil reſtat dicendum. At viſio in ſenſu proprio, in quo hic loquitur, eſt ea, qua cognoſcimus objectum præſens, & ex eo, quod ſit præſens, quia ſcilicet cauſatur immediatè per ipſammet entitatem ejus, non per ſpeciem, vel imaginem vicariam. Et de hac viſione quærimus hic: an ſit poſſibilis homini de Deo, & hoc naturaliter, vel ſupernaturaliter.

Concl. 1. *Deus non eſt viſibilis naturaliter ab intellectu creato; benè verò ſupernaturaliter*. Eſt de fide quoad utramque partem contra plures Hæreticos, quorum alii voluerunt, Deum eſſe viſibilem naturaliter, etiam oculis corporeis, quia illum fingebant corporeum; alii ſaltem oculis mentis, ut Novatianus, Aetius, Eunomicus, & Anomæi, apud Irenæum, & Epiphan. [1] alii negarunt viſibilem etiam ſupernaturaliter, ut Armeni, & Abaillardus; pu-

[1] *l.4.c.37.*

putantes Deum in ſe videri non poſse, ſed tantùm in aliqua luce, quam *Theophaniam* dicebant. [1]

Prob. 1. ex Scoto [2] dicente, quod, *natura humana non eſt ſufficienter activa ex puris naturalibus ad videndum Deum, viſione beata.* (ſc. intuitiva) *quia impoſſibile eſt, intellectum eſse cauſam viſionis, niſi intellectus habeat in ſe objectum cognitum, vel aliud, in quo eminentiùs continetur: ſed natura humana non habet Deum in ſe ex ſe præſentem ſibi, in ratione objecti, nec in alio, in quo eminentiùs continetur; ergo ex ſe non ſufficit ad habendam cognitionem viſivam divinæ naturæ. Præterea viſio eſt cognitio intuitiva rei in ſe, ſed natura humana non poteſt habere ex ſe præſentem Deum in ratione objecti, licet ſit ſibi præſens per illapſum.* [3] Et de utraque cognitione, tàm abſtractiva, quàm intuitiva docet, quòd *Anima non poteſt attingere notitiam Dei propriam; & immediatam ex perfectione ſua naturali, etiam pro quocumque ſtatu naturæ, concurrentibus etiam quibuſcumque cauſis, naturaliter motivis ipſius animæ, ad cognoſcendum, & idem diceretur de Angelo, quia Deus, ſub propria ratione divinitatis, non eſt præſens alicui intellectui creato, niſi merè voluntariè.* De præſentia reali patet per illud Ambroſii ſuper Lucam... *Si vult, videtur, ſi non vult, non videtur,* &c. hæc quoad 1. p. quoad 2. patet de mente ejus ex dicendis, & maximè in tract. de Beatitudine.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Scriptura: [4] *Oculus non vidit, Deus, abſque te,* (dante, & elevante) [5] *quæ præparaſti diligentibus te*: quod iiſdem fere verbis docet Apoſtolus: [6] *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit, quæ præparavit Deus, &c.* & Pſalmiſta; [7] *gratiam, & gloriam dabit Dominus; viſio autem eſt pars gloriæ;* & accinit idem Apoſt. [8] *gratia Dei vita æterna.* Et *habitat Deus lucem inacceſſibilem, quam nullus hominum vidit,* &c. ſc. naturaliter.

Prob. 3. ex Concil. Viennenſi [9] ſub Clem. V. contra Beguardos, & Beguinas, qui inter cæteros errores

[1] *Bern. ep.* 170. [2] *4. d. 49. q. 11. E. n. 9.*
[3] *Quodlib.* 14. *N. n. 3. &* 10.
[4] *Iſ.* 64. [5] *1. Cor.* 2. [6] *Pſ.* 83. [7] *Ro.* 6.
[8] *1. Ti.* 6. [9] *Clem. ad noſtram.*

res docebant, quòd quælibet intellectualis natura ſeipſa naturaliter eſt beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipſam elevante, ad Deum videndum, quem errorem dicit Scotus [1] priorem errore Pelagii, volentis hominem juſtificari ex puris naturæ viribus. Idem videtur damnatum in Baio dicente, quòd piè, & juſtè in hac mortali vita, uſque in finem viventes, vitam conſequimur æternam, id non propriè gratiæ Dei, ſed ordinationi naturæ, ſtatim initio creationis conſtitutæ, juſto Dei judicio deputandum eſt.

Confir. ex Sanctis Patribus, qui ea loca Scripturæ, & ſimilia explicant de inviſibilitate naturali abſque lumine gloriæ, aut alio Dei auxilio ſupernaturali.

Prob.4. ratione Scoti: cognitio intuitiva requirit objectum præſens potentiæ, & illam per ſe movens & determinans naturaliter ad ſui viſionem; ſed Deus naturaliter non poteſt eſſe ita præſens objectivè intellectui creato; ergo neque eſſe viſibilis naturaliter. Probatur min. Deus eſſet ita præſens vel per ſuam eſſentiam immediatè, vel in aliquo medio, ſeu ſpecie, in qua repræſentaretur nobiliori modo, quàm in ſe: ſed neutrum dici poteſt naturaliter de Deo; ergo &c. Prob. min. quoad 1. quia Deus ad extra non agit naturaliter, ſed liberè, etiam ut objectum, quia eſt objectum voluntarium; ergo naturaliter non fit præſens objectivè. Prob. eadem min. quoad 2. quia eſſentia Dei non poteſt contineri, nec repræſentari in aliquo eminenter, nec nobiliori modo, quàm per ſeipſam, quia nihil eſt perfectius ipſa, ne in repræſentando quidem.

Confir. ex dicendis, quòd non ſit poſſibilis creatura ſic perfecta, ut illi connaturalis ſit Dei viſio; ergo multo minùs id dicendum de præſenti creatura.

Prob. denique, quia certum eſt de fide, contra Pelagium, merita, quibus obtinetur viſio Beata, pendere ab auxilio Dei ſupernaturali, nec hominem poſſe credere, ſperare, aut diligere, nec pœnitere, ſicut oportet, ad ſalutem ſine auxilio gratiæ ſupernaturalis; ergo multò minùs poteſt creatura videre Deum

[1] *Propoſ.11.*

Deum intuitivè, quia hæc viſio longè excellit quamque operationem gratiæ. Alias rationes etiam ex lumine naturali affert S. Thomas, quas Thomiſtæ putant demonſtrativas, ſed de his infra.

Prob. 2. p. 1. ex Script. docente, Deum videri: [1] *Qui ambulat in juſtitiis, & loquitur veritatem. Regem* (Deum) *in decore ſuo videbunt oculi ejus*; ſc. *in fulgore divinitatis*, inquit Gloſſ. ſeu, *in ipſa Deitate*. Et S. Job [2] *in carne mea videbo Deum*. Et Pſalmiſta, [3] *in lumine tuo videbimus lumen*; ſc. eſſentiæ, inquit Lyra. Et [4] *mundo corde Deum videbunt*. Et [5] *videbimus eum ſicut eſt*... Et [6] *videbimus facie ad faciem*. Et [7] *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris, &c.*

Prob. 2. ex definitione Eccleſiæ in Concil. Viennenſi cit. & Florent. in litteris unionis, & Trident. de venerat. Sanct. & Francofurdienſi ad Epiſcopos Hiſpaniæ, & Moguntino, cap. 46. & 49. & ex SS. Canonibus, extra *Benedictus Deus*: & cap. *Majores* de Bapt. Et cap. *ad noſtram*, *de Presbytero non Baptiz.* & aliis, quibus conſtat, animas Juſtorum ſufficienter purgatas, ſtatim donari clara Dei viſione, Nam in Concil. Florent. tam Græci, quàm Latini ſubſcripſere, *animas decedentes in gratia intueri clarè ipſum Deum, Trinum, unum, ſicuti eſt*. Et *Videbunt Divinam eſſentiam immediatè*, & *apertè ſe oſtendentem*: ait Benedictus XI. in Conc. Vien. quod quidem faciebat contra Millenarios, qui non negabant poſſibilitatem viſionis hujus, ſed dilationem ejus aſſerebant per mille annos, & hoc etiam probat ejus poſſibilitatem à fortiori. Rationes, quibus hæc veritas ſuaderi poſſit habebis infra.

Objic. 1. con. 1. p. Deus continetur ſub objecto adæquato intellectus creati; ergo eſt ab eo viſibilis naturaliter; nam quælibet potentia naturaliter attingit ſuum objectum. Prob. ant. per nos ens, in tota latitudine entis, eſt objectum adæquatum intellectus etiam creati; ſed Deus continetur ſub tali ente; ergo &c. Prob. min. ex Metaphyſica de univocatione entis ad Deum, & creaturas.

Reſp. diſt. ant. & min. prob. ſub objecto qualiſcũq; attin-

[1] *Iſ.* 33. [2] *Job* 19. [3] *Pſ.* 35. [5] *Mat.* 5.
[5] *Mat.* 5. [6] 1. *Jo.* 3. 1. *Cor.* 13. [7] *Mat.* 18.

tingentiæ, ſive naturalis, ſive ſupernaturalis; con. ſub objecto naturalis attingentiæ neg. ant. & min. nam licèt Deus contineatur ſub ente, tamen ens, ut ſic, & in tota latitudine entis non eſt objectum naturalis attingentiæ intellectus creati, nec id docemus in Metaphyſica ſaltem de cognitione clara, & intuitiva.

Objic.2. intellectus noſter naturaliter inclinatur ad Deum, ut clarè viſum; ergo ut clarè viſus eſt objectum naturalis attingentiæ: debet enim attingere naturaliter, quod naturaliter appetit. Prob.ant. ex Scoto; [1] Deus, ut clarè viſus, eſt finis naturalis hominis; ergo ad eum videndum naturaliter inclinatur.

Reſp. neg. conſ. & rationem; nam, ut ſæpè diximus, non eſt inconveniens, ſed maximè decet hominem, quòd naturaliter inclinetur ad finem, quem non poteſt conſequi, niſi ſupernaturaliter; hoc notat & ſublimitatem boni, & nobilitatem conditionis humanæ.

Objic. 1. con. 2. p. Deus in ſcriptura citata dicitur abſolutè inviſibilis; ergo ſupernaturaliter videri non poteſt.

Reſp.diſt. ant. inviſibilis naturaliter, & corporaliter, con. ſupernaturaliter, & ſpiritualiter, neg. ant. & conſ.prob. nam ea loca Scripturæ loquuntur de inviſibilitate naturali, vel reſpectu oculi corporei, ut patet ex SS. Patribus ſic explicantibus ea loca.

Inſt.ſi alicui tribueretur Dei viſio, maximè Angelis, ſed non conceditur Angelo; ergo nec ulli creaturæ.Prob.min.[2]*In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Sed quod deſideratur, non habetur: deſiderium enim eſt de bono abſente; ergo Angeli non vident Deum.

Reſp. neg. min.& diſt.maj. prob. deſiderant proſpicere, ut bonum præſens, id. proſpiciunt cum deſiderio ſemper videndi, quia vident ſine faſtidio, ſed cum ſummo gaudio con. deſiderant, ut bonum abſens,& quaſi non videant de facto;neg.maj.& min.nam contrarium patet ex verbis Chriſti: *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei.* Sic ergo loquitur D. Petrus, ut exprimat ſummam voluptatem, quam percipiunt Angeli ex viſione: *Deſiderium illud non eſt*

[1] *qu.1.prol.n.20.* [2] *1.Pet.1.*

eſt de re non habita, inquit Gregor. imo adhuc ex illo textu, arguitur poſſibilitas talis viſionis, quia deſiderium Angelorum non eſſet de re impoſſibili.

Objic. 2. nulla infinitas eſt poſſibilis in creatura; ſed viſio Dei eſt infinita; ergo non eſt poſſibilis in creatura. Prob. min. ſecundum dignitatem objecti, creſcit dignitas viſionis; ſed Deus eſt infinitus; ergo & viſio ejus.

Reſpondeo diſt. minor. & major. prob. eſt infinita extrinſecè, & objectivè; con. intrinſecè, & entitativè; neg. min. & maj. prob. perfectio intrinſeca viſionis menſuratur, & creſcit ex gradibus ejus entitativis, qui non poſſunt, nec debent eſſe infiniti; extrinſeca verò creſcit ex dignitate objecti. Viſio Dei in creatura non adæquatur dignitati, nec viſibilitati ejus, nec eſt comprehenſiva, ut dicemus.

Inſt. 1. viſio Dei attingit perfectiones infinitas; nam omnes perfectiones Dei ſunt undequaque infinitæ; ergo eſt intrinſecè infinita. Prob. conſ. viſio, quæ attingeret duas, eſſet intrinſecè perfectior, quàm quæ attingeret unam ſolam, & quæ attingeret 5. aut 6. ſuperexcederet eam, quæ attingeret tantùm duas; ergo viſio, quæ attingeret eſſentiam, & perfectiones infinitas, eſſet intrinſecè infinita.

Reſp. diſt. ant. attingit infinitas, ſed finitè; con. attingit infinitè; neg. ant. Intellectus noſter attingit Deum, & perfectiones ejus finitè, pro menſura ſuæ activitatis: ad prob. diſt. ant. eſſet perfectior extrinſecè, & objectivè, con. entitativè, & intrinſecè, neg. ant. Entitativa perfectio cognitionis, aut viſionis non attenditur penes multitudinem, vel dignitatem objectorum, ſed penes claritatem, & perfectionem gradualem, & ideo eſt ſemper finita in nobis, quia limitata in claritate, & perfectione ſua graduali.

Objic. 3. inter objectum, & potentiam debet eſſe proportio, ſed nulla eſt inter Deum, & intellectum creatum; ergo iſte non poteſt videre Deum; min. patet; nam finiti ad infinitum nulla eſt proportio. Prob. maj. alioqui manus, aut pes poſſet percipere lucem, & colores.

Reſp. 1. hoc argumentem nimis probare, nam probaret

baret etiam impoſſibilitatem cujuſcumque cognitionis de Deo etiam abſtractivè; tam enim eſt improportionatus pro iſta, quàm pro intuitiva, ut patet.

Reſp. 2. diſt. maj. proportio Geometrica, & in ratione viſibilis, & viſivi; con. Arithmetica, & entis ad ens; neg. maj. & conſeq. Certè inter pupillam oculi, & amplitudinem cœli, aut montis non eſt proportio entitativa, & tamen cœli, & montes videntur ab oculo. Deus ergo, & intellectus inter ſe habent proportionem geometricam, qualis eſſe debet inter objectum, & potentiam, aut viſibile ad viſivum; non verò entitativa, nec Arithmetica.

Objic. 4. SS. Patres negant omnimodam viſibilitatem Dei; ergo non eſt admittenda: prob. ant. 1. ex Chriſoſt. [1] *Ipſum, quod eſt Deus, non ſolùm prophetæ, ſed nec Angeli, nec Archangeli viderunt.* 2. ex Aug. *Si natura ipſius eſt inviſibilis, ſicut eſt incorruptibilis, non mutatur utique in futuro ſæculo, ut de inviſibili fiat viſibilis; nec de incorruptibili corruptibilis;* ergo ſicut Deus per nullam potentiam eſt corruptibilis; ita nec viſibilis, quia tam neceſſariò eſt inviſibilis, quàm incorruptibilis.

Reſp. neg. ant. Nec enim Patres id intendunt, ſi benè intelligantur. S. Chryſoſt. videtur quidem ibi negare Dei viſibilitatem in ſua eſſentia, ſed loquitur de viſibilitate comprehenſiva, quam ſibi ſoli reſervat Deus, & ita durè loquitur contra Anomæos, qui Deum putabant eſſe comprehenſibilem à nobis, & ut eos fortiùs impugnaret, videtur in aliud extremum declinare, & dicere Deum prorſus inviſibilem, quod ſæpè contingit SS. Patribus, dum impugnant hæreticos. Ut notat Scotus. [2] Cæterum ipſemet Chryſoſt. [3] quod juſti in alia vita *ſunt Rege magis, & propiùs, non per ingreſſum, non quaſi quodam interjecto veſtibulo, & per fidem, ſed facie ad faciem.* Auguſtinus verò ibi ſic loquitur, non in propria ſententia, ſed adverſarii ſui; nam ubique, & maximè in illa ipſa Epiſtola [4] ſæpiùs aſſerit, Deum videri à mundis corde ſicuti eſt. *Si quamvis*, inquit, *Utrùm etiam*

[1] *Hom.* 14. *in Jo.* [2] 2. *d.* 33. *ad* 1. & 3. *d.* 4. *ad* 2.
[3] *Hom.* 3. *ad Philipp.*
[4] *Epiſt.* 111.

etiam ſicuti eſt, poſſit videri? Reſpondemus *filiis utique hoc eſſe promiſſum, de quibus dictum eſt: ſcimus quoniam, cùm apparuerit... videbimus eum, & ſi quæris: unde eum videbimus?* reſp. *Unde Angeli vident, quibus tunc erimus æquales*. Lege libros ejus de videndo Deo. Pater Baro putat, hanc ſententiam de viſibilitate Dei non eſſe fixam apud SS. Patres, *ſed modo unum, modo aliud ſenſiſſe*, inquit.

Concl. 2. *Hæc viſibilitas Dei, naturali ratione, demonſtrari non poteſt, ſaltem poſitivè, benè verò ſuaderi ſuppoſita fide*. Eſt communior contra quoſdam Thomiſtas, putantes rationes S. Tho. eſſe demonſtrativas. Imò & ipſe Scotus citatur pro eadem ſententia, ſed immeritò.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui rationes ſuas proponit tantùm, ut probabiles. *Dico ad propoſitum* 1. *quod natura humana eſt capax Beatitudinis* (quæ neceſſariò eſt cum viſione intuitiva) *ſecundum propriam ejus rationem; ſicut nos ponimus Beatitudinem. Quod* 1. *poteſt probari ſic, & eſt ratio ſatis probabilis*. Et alibi [2] ſic loquitur, *videtur tamen mihi, quod per rationem naturalem poteſt probari, ſublata imperfectione ſtatus iſtius, quoad cognitionem, quòd poteſt cognoſci, quod natura humana ſit capax Beatitudinis veræ*. [3] Et id probat rationibus, quas in Reportatis dicit *ſibi videri ſatis probabiles*; ergo Scotus [4] non putat ſe demonſtrare poſſibilitatem viſionis Dei, quæ ingreditur Beatitudinem, per rationes naturales, quæ convincant Philoſophos, [5] ut loquitur Hiqueus contra Niphum, qui imputat Scoto contradictionem. Idem [6] colligitur ex iis, quæ docet de neceſſitate doctrinæ revelatæ, & ſupernaturalis, quippe; *nullum ſupernaturale poteſt ratione naturali oſtendi, ineſſe viatori, vel neceſſariò requiri ad perfectionem ejus, nec etiam habens poteſt cognoſcere illud ſibi ineſſe... nullos actus cognoſcimus, nec experimur ineſſe naturæ noſtræ in ſtatu ſuo, ex quibus cognoſcamus, viſionem ſubſtantiarum ſeparatarum eſſe convenientem nobis*; ergo Madernus, & Cacheranus malè citant Sco-

[1] *Quodl.6.Hin.8.* [2] *4.d.49.q.8.n.4.*
[3] *ibid.* [4] *q.8.n.4.*
[5] *ibi.n.3.*
[6] *q.1.prol.A.& B.n.5.& 6.in addit.*

Scotum, quaſi tenuerit, viſibilitatem Dei poſſe demonſtrari naturaliter.

Prob. 2. quoad 1. p. ſi hoc poſſet demonſtrari maximè per rationes adductas ab adverſariis, ſed illæ non ſunt demonſtrativæ, nec convincentes; ergo non poteſt demonſtrari viſibilitas Dei intuitiva. Maj. patet; nam qui docent, hoc demonſtrari, putant rationes, quas adducunt eſſe demonſtrativas. Prob. min. per reſponſionem, & impugnationem talium rationum, quod præſtamus in objectionibus.

Prob. 3. quia ſi viſibilitas Dei poſſet demonſtrari, hoc fieret per cauſas, & à priori; vel per effectus, & àpoſteriori; ſed neutro modo id fit; ergo non demonſtratur. Prob. min. 1. non per cauſas, quia cauſa principalis viſionis Dei eſt ſupernaturalis, & pendet à libera Dei voluntate; ergo per talem cauſam non poteſt viſibilitas demonſtrari. Prob. conſeq. præmiſſæ demonſtrationis debent eſſe per ſe evidentes, primæ, & neceſſariæ, ſed cauſa libera, & ſupernaturalis non eſt per ſe nobis evidens, nec poteſt habere connexionem neceſſariam cum ullo effectu creato, quia eſt Dei voluntas, ut patet; ergo &c. 2. non per effectus, quia intuitio Dei non producit ullum effectum, qui nobis evidenter appareat, aut connexionem habeat evidentem, & neceſſariam cum illa; ergo nec id poteſt demonſtrari à poſteriori.

Prob. denique, quia ſi viſibilitas Dei poſſet demonſtrari naturali ratione, fuiſſet cognita Philoſophis ethnicis, qui tamen omnem habitum ſupernaturalem prorſus ignorarunt, ut patet ex eorum ſcriptis; imo & ipſi SS. Patres videntur non clarè de illa loqui. Nam, ut notat Auguſt. [1] *Humanis argumentationibus vix pauci, magno præditi ingenio, abundantes otio, doctriniſque ſubtiliſſimis eruditi, ad indagandam ſolius animæ immortalitatem pervenire potuerunt. Cui tamen animæ beatam vitam non invenerunt ſtabilem; ideſt veram*; ergo ex Auguſtino, & Patribus, Philoſophi minùs agnoverunt viſibilitatem Dei, ſine qua non conſiſtit animæ Beatitudo.

Prob.

[1] 13. *Trin. c. 8. & 9.*

Prob.1. quoad 2.p.quia, ſuppoſita fide de poſſibilitate, & futuritione viſionis Dei, ſatis efficaciter ſuaderi poteſt rationibus, quas ſuggerit Doctor.1. eſt. *Omnis potentia habens primum objectum adæquatum, poteſt per ſe in quodlibet contentum ſub illo objecto; ſed Deus, ut clarè viſus continetur ſub illo objecto primò, & adæquato* intellectus humani; nempe ſub ente, ut ens eſt; ergo iſte eſt capax viſionis Dei; & iſta eſt poſſibilis: hæc ratio eſt de lumine naturæ. Prob. maj. inductione omnium potentiarum, quæ habent aliquod unum objectum adæquatum; v. g. viſus habet pro objecto viſibile, ut ſic, & ideo poteſt attingere omne viſibile: idem eſt de auditu, &c. Intellectus autem non eſt pejoris conditionis. 2. ſic intellectus debet poſſe quietari in ſuo objecto, & ut ita quietetur, debet poſse attingere perfectiſſimum objectum perfectiſſimo modo, ſed perfectiſſimum objectum intellectus eſt Deus, & perfectiſſimus modus Deum attingendi eſt viſio; ergo hæc viſio eſt poſſibilis.

2. Ratio Scoti, *quod eſt ſimpliciter perfectio in aliquo genere, ſi competit inferiori in illo genere, debet competere ſuperiori, ſed cognitio intuitiva ſui objecti competit ſenſui*, & eſt perfectio; ergo debet competere intellectui cognitio intuitiva Dei, qui eſt de objecto ejus. Hæc etiam ratio eſt naturalis.

3. Si non haberemus de aliquo cognitionem intuitivam, non ſciremus certe de actibus noſtris, ſi nobis inſunt, vel non; ſed hoc eſt falſum, & inconveniens; ergo debemus poſse cognoſcere intuitivè objectum noſtri intellectus; ergo & Deum.

4. Id ad minùs ſuadent valdè probabiliter rationes S. Thomæ, quibus intendit hoc demonſtrare, nam ſuppoſitis principiis fidei, non poſsunt adeò facilè ſolvi, aut impugnari, ut mox patebit.

Objic. 1.con. 1. p. pro Thomiſtis. Homo appetit naturaliter viſionem Dei; ergo eſt poſſibilis. Ant.patet ex dictis de Beatitudine. Prob.conſ. nullus appetitus naturalis eſt fruſtra; ergo qua ratione patet ille appetitus, eadem patet poſſibilitas hujus viſionis; alioqui eſſet fruſtrà.

Reſp.

Reſp.1.neg. ant. nam talis appetitus non patet evidenter, & diſt. ant. prob. appetitus innatus non eſt fruſtra; con. elicitus; neg. ant. nam poſſunt appeti impoſſibilia (ſaltem inefficaciter) appetitu elicito, qualis eſt appetitus beatitudinis, de quo certi eſſe poſſumus. Deinde non eſt evidens lumine naturæ, quòd Beatitudo, quam naturaliter appetere dicimur, conſiſtat in viſione Dei. Certè Ethnici, & Athei, qui Deum non norunt, non putant Beatitudinem ſuam conſiſtere in ejus viſione.

Inſt. Ex Auguſt. [1] *neque omnes homines naturali inſtinctu immortales, & beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus*; ergo ex appetitu tam elicito, quàm innato beatitudinis colligitur ejus poſſibilitas; ergo & poſſibilitas viſionis.

Reſp. 1. ſi argumentum valeret, probaret, ipſam Dei viſionem naturaliter cognoſci poſſibilem, quod enim naturaliter ignoratur, non appetitur naturaliter: hoc autem falſum eſt. 2. neg.conſ. nam Auguſtinus non dicit, quòd naturaliter appetamus Beatitudinem, ſaltem efficaciter, nec quod evidens ſit, Beatitudinem ſic appetitam conſiſtere in viſione Dei.

Objic. 2. Beatitudo creaturæ rationalis debet eſſe poſſibilis, ſed viſio clara Dei eſt formalis Beatitudo hominis; ergo hæc viſio eſt poſſibilis.

Reſp.1. diſt.maj. Beatitudo naturalis; con. ſupernaturalis; neg. maj. Nam ratio naturalis nihil docet de beatitudine ſupernaturali, quam non novit Philoſophia purè naturalis. 2. negant min. Philoſophi, qui in aliis bonis ponunt ſuam beatitudinem, & doctiſſimi Theologi, qui eam eſſentialiter ponunt in fruitione, ſeu amore. Unde hæc ratio ne Theologos quidem convincit.

Objic. 3. quoties potentia non extrahitur extra objecti ſui rationem genericam, debet poſſe illud attingere, ſaltem per abſolutam Dei potentiam, ſed intellectus per viſionem Dei non extrahitur extra rationem genericam objecti ſui, cùm elevatur ad viſionem Dei; ergo poteſt ſic elevari. Maj. patet, quia tunc nihil repugnat ex parte potentiæ ad eam elevationem. Prob. min. quia Deus, ut clarè viſus non eſt

[1] *con. Julia. cap. 2.*

eſt extra rationem genericam objecti intellectus ?

Reſp. neg.min.& diſt. prob. non eſt extra rationem genericam, & hoc eſt probabile, maximè ſuppoſita fide; con. & hoc eſt naturaliter evidens; neg. ant. Igitur ſecluſa fide, non demonſtratur, quòd ens ut commune naturali, & ſupernaturali, finito, & infinito ſit objectum adæquatum intellectus; nec quòd Deus, ut clarè viſus, in ſua eſſentia, contineatur ſub illo objecto. 2. poſſet negari maj. quia ratio naturalis non attingit effectus potentiæ extraordinariæ Dei, qualis eſt iſta viſio.

Objic. 4: rationes allatas ex Scoto pro 2. parte, nam plures putant, eum prætendiſſe per eas demonſtrare viſionis Dei poſſibilitatem.

Reſp. eos falli; nam, ut jam dixi, non propoſuit eas, niſi ut probabiles; in Reportatis, & in ſcripto Oxomienſi proponit eas cum aliqua formidine, dicens: *mihi videtur*: & addit; *ſublata imperfectione ſtatus iſtius quoad cognitionem*, in qua dependemus à phantaſmatibus, & ab immiſſione ſpecierum ex parte objecti ob improportionem ejus cum potentia. Hæc autem oblatio non conſtat evidenti ratione poſſibili, ſicut nec ſtatus animæ ſeparatæ.

Igitur patet reſponſio ad rationes Scoti ex dictis ad rationes S.Thom. nam ad 1. non eſt evidens, Deum ut clarè viſum contineri ſub objecto adæquato intellectus creati. Ad 2. major illa ſimpliciter accepta nimis probaret: ſicut enim oculus videt naturaliter omne coloratum, ita intellectus intueretur naturaliter Deum, & omne intelligibile; ſufficit ergo, quòd ſuperior potentia habeat in ſuo ordine perfectiones, quæ non conveniunt inferiori; v. g. intellectus poteſt cognoſcere objectum abſens, & eſt capax cognitionis abſtractivæ, non autem ſenſus: ideo negari poſſet abſolutè major illa. Ad 3.neg. maj. nam per cognitionem reflexam habemus certitudinem de directa: unde hoc argumentum eſt debilius cæteris, ut notat Hiqueus. [1]

Dixi autem in concluſione, *ſaltem poſitivè*, hoc demonſtrari non poſſe; nam cùm facilè, & ſatis evidenter dilui poſſint argumenta contra poſſibili-

[1] *Ibid. n.* 12, & 13.

tatem viſionis hujus, hoc ſenſu poſſet dici demonſtrabilis, ſaltem negativè.

QUÆSTIO II.

Unde petatur ſupernaturalitas Rei.

QUia voces *Naturalitatis*, & *Supernaturalitatis* ſingulis quibuſque momentis occurrunt in tota Theologia, & maximè in hac materia, neceſſarium ducimus, hic explicare, unde aliquid dicatur *naturale*, aut *ſupernaturale*.

Notat Scotus, [1] quòd *Naturale* dicitur 1. id, quod non eſt contra inclinationem paſſi; & ſic opponitur violento; ſic frigus eſt *naturale* aquæ, & calor eſt illi violentus. 2. id, quod fit ſine deliberatione, & libertate, ſed ex determinatione agentis; & ſic *naturale* opponitur *libero*, vel *ſpontaneo*, ſeu *voluntario*; ſic calefactio eſt *naturalis* igni; & Agens *naturale* dicitur illud, quod agit ex determinatione ad unum; non autem *ſponte*; nec *eligibiliter*, nec *complacenter*, aut *delectabiliter*. 3. id, quod fit *regulariter*, & *ordinariè*, non verò *caſualiter*; & ſic naturale opponitur *caſuali*, & fortuito. Sic homo *naturaliter* ſapit, & non naturaliter delirat. 4. Quod fit ab agente juxta vires, & ordinem ſtatutum à providentia ordinaria Dei in cauſis creatis, & juxta exigentiam rerum; & ſic *naturale* opponitur *ſupernaturali*. Sic creatio, & infuſio animæ rationalis in corpore organizato eſt *naturalis*, quia eſt ſecundum leges communes ſtatutas à providentia Dei in ordine rerum; infuſio autem gratiæ ſanctificantis eſt *ſupernaturalis*. Sed quæritur, an illa *ſupernaturalitas* dicatur per ordinem ad ſubjectum, in quo recipitur entitas gratiæ; an per ordinem ad agens, à quo producitur, vel infunditur; an verò per ordinem ad aliquid aliud, de hoc eſt controverſia non levis.

Rurſus, *ſupernaturale* aliud dicitur tale in *ſubſtantia*, aliud *per accidens*, & *quoad modum*. 1. dicitur illud, quod ita excedit virtutem activam cau-

[1] *Collat.* 14. *n.* 3.

cauſæ creatæ, ut ab ea numquam effici poſſit, nec ultimæ diſpoſitiones ad illud, (hoc addo propter animam rationalem) ſic reſurrectio mortui, juſtificatio peccatoris eſt ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, 2. verò, quod abſolutè quidem non ſuperat virtutem agentis creati, ſed in aliquibus circumſtantiis fieri nequit ab ulla creatura: ut ſubita ſanatio graviter ægrotantis; nam ſanitatis reparatio abſolutè non ſuperat vires medicinæ, benè verò in illis circumſtantiis temporis, & modi; v. g. ſine ullo remedio, aut cum imperatur febri, & ad illud imperium febris ſtatim recedit, & ſuccedit perfecta ſanitas.

Concl. 1. *ſupernaturalitas propriè petitur per reſpectum ad agens, non verò ad paſſum, ita ut illud dicatur ſupernaturale, quod excedit omnem ordinem activi ad paſſum, ſeu, quod non habet cauſam ſui effectivam, vel exigitivam in tota coordinatione cauſarum ſecundarum*. Ita Scotiſtæ communiter.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Alio modo*, inquit, *naturale dicitur ex parte principii activi, quod habet naturalem ordinem activi ad paſſum; & ſupernaturale, quod excedit omnem talem ordinem naturalem; & illo modo quodcumque agens creatum dicitur naturale, & ſolum agens increatum dicitur ſupernaturale; ex parte autem paſſi naturale opponitur violento*. Et concludit, quòd, *licèt paſſum recipiat aliquam formam, aliquo modo ſupernaturalem, & in hoc poſſet ſupernaturalitas dicere modum habitudinis paſſi ad formam; tamen nunquam aliquid dicitur ſupernaturale, niſi quia recipit eam à tali agente*. [2] Et alibi docet, quòd *naturalitas, & ſupernaturalitas non ſunt conditiones, niſi per ordinem ad agens*.

Prob. 2. ex Conciliis, & Patribus, qui ponunt naturæ noſtræ impotentiam non per reſpectum ad poſſibilitatem, ſed ad activam virtutem; ſcilicet quia ex ſe non poteſt, [3] *ſine auxilio Dei ſupernaturali, credere, ſperare, & diligere, ſicut oportet ad ſalutem*; ergo ſupernaturalitatem auxilii ponunt ex parte Dei ut concurrentis per ſe, aut per entitates gra-

[1] *4.d.43.q.4. A.n.2. & 3.*
[2] *d.6.q.10. M.n.11.*
[3] *Trident. & Arauſic.2.*

tiæ, & habitum fidei, ſpei, charitatis, quas infundit; & per quas *operatur omnia in omnibus*, excitans, & adjuvans; nec dicunt, quòd egeamus auxilio ſupernaturali ad recipiendam gratiam, ſed ad operandum, & quòd *in nobis operatur velle, & perficere.*

Confir. 1. quia nunquam fuit controverſia cum Pelagianis, aut aliis Hæreticis niſi de neceſſitate auxili gratiæ ad operandum propter impotentiam activam, non verò propter paſſivam; & de concurſu Dei operantis nobiſcum, & in nobis, ad ſupplendas vires noſtras activas.

Coufir. 2. ex Auguſtino: [1] *Poſſe habere fidem, ſicut & poſſe habere charitatem, natura eſt hominum, habere autem fidem, ſicut & habere charitatem, gratiæ eſt fidelium.* Et concludit, quòd *illa natura, in qua nobis data eſt poſſibilitas habendi fidem, non diſcernit ab homine hominem*; ergo ex potentia paſſiva animæ reſpectu fidei, & charitatis non petitur ſupernaturalitas horum donorum; ſed ex gratuita donatione activa Dei. Idem docet de ſummo bono [2] quod appetimus, & recipimus naturaliter; ſed à Deo datur ſupernaturaliter: *Hoc ſummum bonum præſtari non poteſt, niſi per Chriſtum; ſed ad appetendam Beatitudinem natura compellit, &c.* ergo ſupernaturalitas Beatitudinis non petitur ex parte recipientis, qui ſicut naturaliter appetit, ita & recipit, quantum eſt ex ſe; ſed ex parte Dei dantis quod nullus alius dare poteſt.

Prob. 3. Omnis forma, quæ recipitur in ſubjecto, reſpectu ejus præcisè eſt vel contra, vel juxta inclinationem ejus, vel neutra, ſeu indifferens: ſed ex nullo horum reſpectuum petitur ſupernaturalitas; ergo non petitur ex parte ſubjecti. Maj. patet; non enim ſubjectum aliter reſpicit ullam formam. Prob. min. ex dictis; nam ſi reſpicit eam, ut appetitam, dicitur *naturalis*; ſi ut averſatam, eſt *violenta*; ſi nec ſic, nec ſic; eſt *neutra*, ſeu *indifferens*; ergo reſtat, ut dicatur ſupernaturalis per ordinem ad agens, quod eam producit, præter, & ſupra leges, & vires cauſarum creatarum. Prob. hoc: nam

[1] *De prædeſt. SS. n. 5.*
[2] *4. con. Julia. 2.*

nam omnis forma, quæ ſic producitur, eſt ſupernaturalis quoad modum, vel ſubſtantiam, & nulla dicitur ſupernaturalis, quin ſic producatur à Deo, ut non poſſit produci ab ulla creatura in entitate, vel modo, & circumſtantiis.

Prob. denique, quia non poteſt meliùs explicari, & aſſignari ratio ſupernaturalitatis, ut patet examine aliorum modorum dicendi.

Dices 1. meliùs explicari, ſi dicatur ſupernaturale id, quod habet connexionem cum Deo, ut trino: quia Deus, ut trinus, eſt minimè participabilis.

Contra 1. minùs eſt participabilis, ut unus, quàm ut Trinus. 2. Actus erroris hæreticalis, quo negatur myſterium Trinitatis, connexionem habet cum Deo ut Trino, & tamen eſt naturaliſſimus, & minùs quàm naturalis. 3. Anima noſtra dicitur naturalis, & eſt imago Trinitatis. 4. idem eſt de hominis generatione, quæ non minùs eſt à Trinitate, quàm mortui Reſurrectio; & tamen illa eſt naturalis, & iſta ſupernaturalis; ergo non benè explicatur ſupernaturalitas per illam connexionem.

Dices 2. explicari per participationem Dei, ut eſt in ſe; vel quia eſt ordinis Divini, quatenus tendit in ſeipſum, videndo, vel amando; ſic enim dona, quibus elevamur ad Deum videndum, & amandum, ſunt ſupernaturalia.

Contra 1. plures effectus ſupernaturales ex ſe non magis ordinantur ſic ad Deum, quàm alii naturales; v. g. Reſurrectio mortui; poſitio unius corporis in pluribus locis, compenetratio quantitatum ſunt effectus ſupernaturales in ſubſtantia, & per ſe præciſè minùs ordinantur ad Deum videndum, vel amandum, quàm aliqua Dei cognitio, vel amor naturaliſſimus. 2. Omnes creaturæ ſummam connexionem dependentiæ habent cum Deo, ut eſt in ſe, & tamen ſunt purè naturales. 3. Creatio minùs communicabilis eſt creaturæ, quàm viſio, & amor Dei, & tam iſta dicitur ſupernaturalis, quàm illa, &c. ergo non ſic benè explicatur ſupernaturalitas.

Dices 3. meliùs explicari per ordinem ad paſſum, quatenùs non exigit connaturaliter illam formam, quæ dicitur ſupernaturalis. Ita P. Poncius. [1]

[1] *Diſp. 4. n. 4.*

Contra 1. omnis forma, quatenùs exigitur à paſſo, ſeu ſubjecto, dicitur naturalis, ex Scoto, & ut patet ex dictis: & ſi non exigitur, vel ſi editur, eſt neutra, vel violenta; ergo hinc præcisè non petitur ſupernaturalitas. 2. calor in aqua productus ab igne non dicitur naturalis, ſed violentus; quia non exigitur, ſed editur ab ea; & calor productus à Deo in eadem inter glacies, & nives hyemales, diceretur ſupernaturalis, ſaltem quoad modum; ergo potiùs ſupernaturalitas attenditur ex parte agentis, quàm paſſi.

Dixi *præcisè*; nam, ut notabamus ex Scoto, quando forma recipitur in aliquo ſubjecto, inepto, vel indiſpoſito, ut viſio in talpa, locutio in Aſina Balaam, dicitur quidem ſupernaturalis tali ſubjecto, ſed præcipuè ratione agentis, quia nullum eſt in toto agentium creatorum ordine, à quo Aſina, vel Talpa poſſit recipere tales formas. Idem eſt de gratia in anima, quæ quidem illam ex naturali ſua conſtitutione non exigit, ſed tamen illam recipit valdè naturaliter æquè, ac quamcumque aliam perfectionem, etiam in ſe naturalem; ergo præciſa ratio ſupernaturalitatis petitur reſpectivè ad Agens, à quo producitur ſupra, aut præter leges ordinarias providentiæ Divinæ.

Objic. 1. ſupernaturale illud eſt, quod excedit vires naturæ; ergo ſupernaturalitas petitur ex ordine formæ ad ſubjectum, non verò ad agnes, prob. conſ. nam excedere vires naturæ idem eſt, ac ſuperare exigentiam ſubjecti, & capacitatem ejus naturalem; ergo quod excedit vires naturæ, excedit exigentiam, & capacitatem ſubjecti, & eſt ſupernaturale.

Reſp. diſt. utrumque ant. quod excedit vires activas; con. paſſivas præcisè; neg. ant. utrumque; Nam exceſſus virium, & vires ipſæ ſpectant potiùs ad agens, quàm ad paſſum. Unde viſio Dei, ſupernaturaliſſima in ſe, poteſt dici naturalis intellectui noſtro quoad receptionem ejus, quia appetit eam naturaliter, & per illam ſummè perficitur; non autem quoad productionem ejus, ad quam requiritur concurſus ſpecialis Dei.

Inſt. Agens, ut agens, non eſt natura; ergo naturalitas non petitur ab agente, ut tali. prob. ant. natura

tura eſt intrinſeca rei, & dicitur *principium motus e-jus, in quo eſt*; Sed agens eſt extrinſecum rei; ergo ut agens non eſt natura, nec naturale.

Reſp. 1. neg. ant. & maj. prob. nam licèt agenti, ſeu cauſæ efficienti non conveniat ea definitio naturæ, quam dat Philoſophus pro materia, & forma, & corpore Phyſico, ex eis conſtituto; tamen agens ſuo modo eſt natura, quia eſt principium motus, ſaltem in aliis, ſeu principium extrinſecum.

Reſp. 2. dato ant. neg. conſ. Nam ſupernaturalitas, de qua hìc agimus, non dicitur per oppoſitionem ad naturalitatem materiæ, & formæ, quæ ibi definitur, ſed in ſenſu prædicto; ſc. pro cauſarum creatarum univerſitate, & ordine, quando agunt in tali ordine; & ideo dicuntur agere ſupernaturaliter, quando elevantur ſupra illum ordinem.

Inſt. 2. ſi à ſolo agente peteretur ſupernaturalitas, creatio animæ eſſet ſupernaturalis; ſed falſum conſequens; ergo &c. prob. maj. quidquid à ſolo Deo producitur, eſt ſupernaturale; ſed hæc creatio eſt à ſolo Deo; ergo & ſupernaturalis, prob. maj. eſſet ab agente ſupernaturali; ergo &c.

Reſp. neg. 1. maj. & diſt. 2. quidquid à ſolo Deo producitur ſine ullo debito naturæ; con. cum aliquo debito naturæ neg. maj. & conſ. Nam animam Deus creat, & infundit corpori perfectè organizato ſecundum leges ordinarias, & conſtitutas ab ipſius providentia generali: & ſic illa creatio dicitur naturalis, quia eſt quidem à ſolo Deo, ſed ut adminiſtratore generali naturæ, Non ita eſt de donis gratiæ, & gloriæ; quæ confert ſine ullo debito ex lege creationis, & eorum ultimam diſpoſitionem creatura non ponit.

Objic. 2. ſi aliquid dicitur ſupernaturale, quia ſuperat vires naturæ creatæ, nulla erit natura in Deo, ſed in ſola creatura; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. prob. maj. ibi tantùm erit natura, ubi aliquid poterit eſſe ſupernaturale; ſed in Deo nihil poteſt eſſe ſupernaturale; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. nulla erit in Deo natura naturata, & dependens, & finita, & paſſiva; con. natura naturans, independens, & activa, neg. maj. & min. Deus ergo eſt natura naturans, independens, infinita, creatrix, & in ipſo in hoc ſenſu nulla eſt ſupernaturalitas.

Nomine *naturæ* hìc intelligimus univerſitatē coordinatam cauſarum creatarum, in quibus eſt virtus limitata ad certos effectus, & gradus perfectionis producendos, & exigendos; quos ſi excedant, jam excedunt limites naturæ, & excedentes dicuntur ſupernaturales. Falſa etiam eſt minor; nam Deus non poteſt dici *principium intrinſecum motus, & quietis*, in rigore Phyſico, nec per conſequens *natura*, eo ſenſu, ſed dicendus eſt *ſubſtantia ſupernaturalis*, quia ſupereminet infinitè omnibus ſubſtantiis, & naturis creatis.

Inſt. 1. ſequeretur, omnia, quæ fieri non poſſunt à cauſis creatis, eſſe ſupernaturalia: ſed hoc eſt falſum, ut patet de creatione Angeli, & animæ; ergo non benè ſic explicatur ſupernaturalitas. Probatur maj. nam ſola, & omnia illa eſſent ſupra naturam in eo ſenſu.

Reſp. diſt. maj. ſi fiant à ſolo Deo ſupra ordinem, & leges poſitas in rebus creatis, & ſupra omnem exigentiam, & debitum illarum; con. ſi fiant ſecundum leges ordinarias, & exigentiam communem rerum; neg. maj. & min. Addo, quòd argumentum premit eos, qui volunt ſupernaturalitatem peti ex parte paſſi non exigentis formam. Etenim Angelus non exigit ſuam creationem; ergo hæc illi erit ſupernaturalis. Igitur dicimus ſupernaturalia eſſe illa, quæ Deus producit, non ſolùm ſupra vires omnis agentis creati; ſed ſupra, aut præter exigentiam rerum ſecundum leges Providentiæ generalis; & talia ſunt ea, quæ non faciunt ad earum conſtitutionem debitam, aut conſervationem in illa.

Inſt. 2. ideo gratia eſt ſimpliciter ſupernaturalis, quia in toto ordine agentiū creatorum nullū eſt, quod poſſit eam producere; ſed idem eſt de anima rationali, & qualitatibus cœlorum; ergo illa eſſent etiam ſupernaturalia, ſi ſupernaturalitas peteretur ab agente. Prob. min. quia nullum agens creatum poteſt illa producere.

Reſp. neg. maj. non enim ob id ſolùm illa dicitur ſupernaturalis, ſed ſimul quia illius productio à nullo proximè exigitur; ſicut exigitur creatio animæ, ſuppoſita organizatione; & ita eſt de qualitatibus corporum cœleſtium: ideo enim Deus per le-

gem

gem generalem Providentiæ ſuæ tenetur illa producere, quia illa requiruntur ad conſtitutionem, vel conſervationem rerum illarum in ſuo eſſe, & operari. Non ita eſt de gratia, & aliis donis, ad quæ natura non habet talẽ exigentiã, ſaltem proximam, & ex ſe.

Objic. 3. ex Scoto: [1] mors Chriſti fuit miraculoſa, licèt cauſata per crucem; ergo ſupernaturalitas non venit ex parte cauſæ efficientis, ſed ex parte ſubjecti. Prob. conſ. nam cauſæ mortis Chriſti erant purè naturales; ergo tota ſupernaturalitas erat ex parte patientis.

Reſp. diſt. ant. fuit miraculoſa remotè, & ſuperpoſitis miraculis præcedentibus; con. immediatè, & in ſe; neg. ant. *Quod patitur Chriſtus* (inquit Scotus) *ſecundum animam, & corpus, vel ſecundum partem interiorem animæ, hoc fuit ex miraculo primo; quo gloria animæ non redundabat in corpus* (ut redderet illud impaſſibile) *& ideo totum, quod patitur, fuit miraculoſum; & tamen naturaliter patitur, facto illo miraculo: ſicut cæcus naturaliter videt, facta illuminatione miraculosè, &c.*

Objic. 4 Theologi dicunt, hominem elevari à Deo ad ſtatum ſupernaturalem, quia ſtatus gratiæ, & gloriæ eſt ſupra exigentiam, & inclinationem naturæ; ergo refundunt totam ſupernaturalitatem in ſubjecti diſpoſitionem, non autem in virtutem agentis. Idem eſt de unione hypoſtatica humanitatis Chriſti cum Verbo.

Reſp. diſt. ant. quia eſt ſupra exigentiam propriam, & rigoroſam; con. exigentiam impropriam; neg. ant. Exigentia *impropria* eſt quædam aptitudo ſimplex ſubjecti ad recipiendam formam, ut cum illa, aut ſine illa ſubjectum non ſit in ſtatu violento, ſed potiùs meliori, quàm ſine illa, & iſta exigentia non impedit ſupernaturalitatem; nec de iſta loquuntur Theologi. *Propria* verò eſt ea, ſecundum quam ſubjectum eſt ſub privatione perfectionis debitæ, & in ſtatu violento; ideoque exigit, ut ipſamet natura ejus, aut aliud agens eam producat, & conferat ſibi, ut neceſſariam ad eſſe, vel ad operari; & quod eſt ſupra hanc exigentiam verè eſt ſupernaturale; ſed, ut vides, hoc reſpicit potiùs agens, quàm paſſum. Ani-

[1] 3.d.16.q.2.L.n.16.

ma noſtra eſt in prima illa exigentia ad gratiam; & gloriam; non in ſecunda; & ideo dona illa ſunt illi ſupernaturalia.

Colligis igitur, *ſupernaturalitatem* principaliter peti per ordinem ad agens, quatenus forma, vel entitas, quæ dicitur ſupernaturalis, non poteſt produci per ullum agens ex toto ordine cauſarum creatarum, etiam cùm Dei concurſu ordinario. Cùm verò explicatur per exceſſum ſupra exigentiam ſubjecti, in idem recidit; & ſenſus eſt, quod res, quæ recipit illam, non eſt in ſtatu violento ſine illa; nec habet in ſe ullam diſpoſitionem proximam, vel qualitatem, per quam proximè illi debeat dari, aut produci ab ullo agente, ſecundum legem ſtatutam inter agentia creata.

Fateor autem, quod ſupernaturalitas gratiæ, & luminis gloriæ, & habituum fidei, ſpei, & charitatis poſſet explicari per ordinem ad objectum, & finem; quatenus ſpecialiter, & immediatè dirigunt nos ad Deum in ratione finis objectivi; ſed primaria, & radicalis ſupernaturalitas venit relativè ad Deum in ratione agentis, quatenùs ex ſe petunt à ſolo Deo cauſari, aut conſervari ſupra omne debitum naturæ rerum; quia ſcilicet ex ſe poſſunt eſſe, vel operari, & conſervari ſecundum eſſentiam ſuam ſine illis.

QUÆSTIO III.

An poſſibilis ſit creatura, cui connaturalis ſit intuitiva Dei viſio.

SUppoſitis iis, quæ diximus de ſupernaturalitate, facilè patet, quo ſenſu Dei viſio dicatur ſupernaturalis, & quidem in ſubſtantia; & facilior erit intelligentia, & ſolutio quæſtionis hujus; an Deus per abſolutam ſuam omnipotentiam poſſit producere aliquam creaturam, ita perfectam, & ſublimem, ut debeat illi viſionem intuitivam eſſentiæ ſuæ; nam *connaturale* dicitur illud, quod ex intrinſeca rei alicujus conſtitutione poſtulatur; vel ex principiis ejus intrinſecis manat, ſicut calor manat ab igne, aut frigiditas ab aqua.

Con-

Conclusio. *Nulla eſt poſſibilis creatura, cui connaturaliter deberi poſſit intuitiva Dei viſio*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente: *quòd ſumma voluntas creabilis eodem modo ſe haberet ad beatitudinem, ſicut infima; quia utraque eodem modo ſe habet ad ſuam beatitudinem, licèt illa ſit majoris beatitudinis capax*, ſc. æquè egeret elevatione ſupernaturali, ſicut nunc quævis anima eget; ergo ex Scoto, quamvis per poſſibile, vel impoſſibile Deus produceret perfectiſſimam creaturam, quam poteſt, illi non deberetur intuitio eſſentiæ Dei magis, quàm Angelis, vel animabus Sanctis de facto creatis; ergo viſio tam eſſet illi ſupernaturalis, quàm iſtis.

Prob. 2. ex eodem: ſi creatura illa ſumma haberet in ſe unitivè totam perfectionem, & virtutem, quam habet Angelus, ſimul cum lumine gloriæ haberet illam, vel ut differentiam ſui conſtitutivam, & eſſentialem; ſicut homo habet rationalitatem: vel ut proprietatem inſeparabilem, qualis eſt riſibilitas in homine; ſed neutrum dici poteſt; ergo talis creatura eſt impoſſibilis. Prob. min. nam quocumque modo iſta perfectio eſſet in illa, ſequeretur, eamdem perfectionem non poſſe eſſe in naturis inferioribus; v. g. in Angelis, vel animabus, etiam cum lumine gloriæ; ſed hoc eſt falſum, & contra fidem; nam de fide eſt, Angelum, & animas poſſe videre Deum cum illo lumine; ergo & falſum eſt, talem naturam poſſe id habere, ut eſſentialem differentiam, vel proprietatem. Probatur maj. quod eſt eſſentiale, vel proprium uni naturæ ſuperiori, non poteſt communicari naturæ inferiori; ſicut nec rationalitas, vel riſibilitas equo, vel lapidi; ergo ſi facultas videndi Deum eſſet propria, vel eſſentialis ulli creaturæ poſſibili, non poſſet communicari ulli imperfectiori, & inferiori.

Prob. 3. ex eodem. [2] *Non poteſt fieri natura, aut voluntas, quæ ſit impeccabilis per naturam*; quia, inquit: *Auctoritates Sanctorum ſunt expreſſæ de hoc*, Ideo *quantumcumque charitas ſit perfectio finita, vel gratia, tamen nullus gradus entis, aut*

[1] 4.*d*.49.*q*.11.*L*.*n*.13.
[2] 2.*d*.23.*C*.& *G*.*n*.6.& 9.

ſubſtantiæ, quantumcumque maximus, (ex qua tamen finitus eſt) nullus, inquam, *poteſt eſſe, in quo unitive perfectio charitatis contineatur* (ſc. per identitatem) *quantùm igitur creſceret creatura rationalis in entitate, & nobilitate ſubſtantiali, tantùm creſceret in potentia, vel capacitate, & non aliter. Quantumcumque etiam concrearetur gratia alicui creaturæ, ſemper tamen gratia eſſet gratia, nec eſſet naturalis; nec conſequens neceſſariò naturam ejus*; ergo idem à fortiori dicendum de lumine gloriæ, & viſione Dei, quæ longè eſt nobilior; ergo multò minùs poteſt eſſe connaturalis ulli creaturæ.

Prob. 4. ex Scriptura, & Patribus. [1] *Nam Deus habitat lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit, ſed nec videre poteſt*; naturæ viribus, & ſine auxilio ſupernaturali. *Caligo divina eſt inacceſſibilis, in qua habitare Deus dicitur, hæc eſt inviſibilis propter nimiam claritatem, & inacceſſibilis propter immenſam lucis copiam*, inquit Div. Dionyſius. [2] Et dat alibi rationem aliam; *nam cum notitiæ omnes ſint entium, & in entia deſinant, quæ entitatem omnem ſuperat ſubſtantia, eadem omni cognitione ſuperior eſt*; ſcil. reſpectu omnis creaturæ, quæcumque illa ſit. Idem probat ex profeſſo S. Anſelmus. [3] *Quod ſit lux inacceſſibilis, quam Deus inhabitat*. Sed clariſſimè S. Maximus de omni cognitione Dei [4] *Non poteſt anima ad cognitionem Dei attolli, niſi Deus ipſe condeſcenſu uſus ipſam tangat, & ad ſeipſum evehat*. Et S. Auguſtinus cit. ſupra: *Deum eſſe inviſibilem natura; videri autem, cùm vult, & ſicut vult*, ſc. inviſibilitas Dei oritur vel ex immenſa luce, vel ex infinita ſublimitate, qua fit, ut niſi condeſcendat, & ſeſe attemperet intellectui creato, hic numquam poterit ejus præſentiã vel ſuſtinere, vel attingere; ſed talis eſt Deus per eſſentiã, & reſpectu omnis creaturę quãtumcumque perfectę; ergo nulla eſt creabilis adeo perfecta, & ſublimis, quę poſſit ejus eſſentię intuitum attingere, aut ſuſtinere, ſine ejus auxilio elevante, & niſi ipſe ad eam voluntariè deſcendat; ergo viſio ejus eſt neceſſariò ſupernaturalis reſpectu cujuſcumque creaturæ, etiam

[1] 1. *Ti. 6.* [2] *Ep. 5. & de div. nom. c. 1.*
[3] *Proſol. c. 16.*
[4] *Hecat. 1.*

etiam poſſibilis; quia hæc ſemper erit finita, & ille infiniti ſplendoris, & elevationis ſupra illam.

Confir. ex alio Scripturæ loco: [1] *gratia Dei vita æterna*; ergo ſicut vita æterna non poteſt eſſe, niſi gratuita, reſpectu cujuſcumque puræ creaturæ, etiam poſſibilis, ita etiam erit de viſione Dei, in qua conſiſtit *vita æterna*.

Confir. 2. verbis Sancti Leonis approbatis in 6. Synodo, quibus monemur, ut *neque, quod creatum eſt, in divinam educamus eſſentiam; neque quod eximium eſt divinæ naturæ, in competentem creaturis dejiciamus locum*. Sed non poſſet dici de creatura ulla poſſibili, quod ei connaturalis ſit Dei viſio, quin quod *creatum eſt, in Divinam eſſentiam educamus*, aut eſſentiam deprimamus ad creaturam; ergo nulla talis creatura eſt poſſibilis. Prob. min. hoc non poteſt dici de ulla creatura, quin dicamus illi connaturale, & debitum, ut perficiatur per eſſentiæ divinæ intuitum, & intimam unionem cum lumine ejus increato, vel illi eſſe debitam deitatis communicationem, & deſcenſum ad ipſam per talem unionem; ergo &c. Prob. min. nam Dei intuitio alterutrum, vel utrumque importat; ſc. elevationem illam creaturæ ad ipſum, vel ipſius deſcenſum ad illam; ita ut, ſine miraculo contra naturam, non poſſet elevare illam, aut non deprimere ſe ipſum.

Prob. 5. & confir. prædicta: Ut creatus intellectus videat Deum, debet eum habere præſentem per ipſammet ejus ſubſtantiam; aut per ſpeciem, vel aliquid; in quo eminentiori modo ſit, aut repræſentetur; ſed nulla eſt poſſibilis creatura, quæ ſic, vel ſic Deum contineat connaturaliter, & ex debito ſibi ex natura; nec cui ſit connaturalis Dei viſio; ergo &c. Maj. eſt certa, & negari non poteſt. Prob. min. 1. quia, ut dictum eſt ex Patribus, Deus eſt objectum voluntarium; & *videtur, quando vult, & ſicut vult*; & agit liberè ad extra; & ſoli divino intellectui naturale eſt, ſic habere præſentem Deitatem; ergo id nulli creaturæ proprium, vel eſſentiale poteſt eſſe. Certè Deus hanc illi creaturæ præſentiam vel neceſſariò exhiberet, vel ſaltem ſine inju-

[1] Rom. 6.

injuria, aut violentia negare non poſſet; quod abſurdiſſimum eſt, 2. prob. eadem min. nam implicat ſpecies, & quid creatum, in quo Deus eminenter, & nobiliori modo contineatur, quàm in ſe ipſo; ergo & ſpecies illa, in qua videatur, & quæ debeatur connaturaliter ulli creaturæ.

Prob. 6. quia illa intuitio eſſet, & non eſſet naturalis; ſed hoc implicat; ergo &c. Prob. maj. 1. eſſet naturalis, ut ſupponitur. 2. non eſſet, quia non haberetur, niſi Deo agente gratis, & ex indebito; & per conſequens ſupernaturaliter; ſed quod ſic dependet à Deo, eſt ſupernaturale, ergo non eſſet naturalis. maj. patet ex dictis; quia ſi Deus ex debito concurreret ad ſui viſionem, hæc non eſſet gratia; & vileſceret ſummum illud bonum, quia eſſet bonum debitum creaturæ, infinitè inferiori: & Deus non eſſet objectum voluntarium.

Hinc colligit Eminentiſſ. noſter Brancatus, [1] quòd licèt fingatur, talem intellectum fore infinitum, adhuc videre non poſſet Deum ſuis viribus, & ſine concurſu gratuito, ac ſupernaturali, quia Deus adhuc eſſet objectum liberum, cum ſit eſſentialiter liber ad extra.

Prob. denique, nam illa creatura eſſet infinita, quia participaret perfectionem propriam ſoli Deo, ſc. ſupernaturalitatem ſibi eſſentialem, aut propriam; diceret enim eſſentialiter exceſſum ſuper omnem entitatem, & naturam poſſibilem; ita ut nihil eſſet, vel eſſe poſſet illi ſuperius, & ſupernaturale. Si enim Dei viſio, & tam intima unio eſſet ei debita, & naturalis; quid ſublimius eſſe poſſet?

Alias rationes videbis apud Auctores, & maximè apud Scotiſtas noſtros.

Objic. 1. non implicat talis creatura; ergo non debet dici impoſſibilis.

Reſp. 1. retorquendo argumentum: non implicat, Deum eſſe adeo ſublimem, ut ejus viſio attingi non poſſit ab ulla prorſus creatura naturaliter, & niſi eo gratis volente; ergo ita eſt; nam Deo tribuenda eſt omnis dignitas, quæ non implicat evidentem contradictionem.

Reſp. 2. neg. ant. nam, ut patet ex dictis, talis creatura implicat plures contradictiones, & abſurdita-

[1] *de 4. novi. de 18. n. 278.*

ditates repugnantes divinæ Majeſtati, & Sapientiæ.

Inſt. ſi repugnaret, hoc diceretur, vel quia eſſet creatura; vel quia eſſet ſubſtantia; ſed neutrum dici poteſt; ergo non repugnat. Prob. min. quia uterque conceptus reperitur in intellectu elevato lumine gloriæ; eſt enim ſemper creatura, & ſubſtantia; & ſi per illud accidens poteſt illa ſubſtantia Deum attingere: ergo à fortiori id poſſet per excellentiam ſubſtantialem, & intrinſecam poſſibilem.

Reſp. neg. min. nam ex utroque capite repugnat. 1. conceptui creaturæ repugnat talis perfectio, quæ ſuperet omnem naturam, & cui naturale ſit uniri immediatè eſſentiæ Dei ſine illius gratuito concurſu. 2. conceptui ſubſtantiæ, quæ eſſentialiter ſubjacet perfectibilitati per aliquod accidens ſupernaturale; niſi ſit actus purus, qualis eſt ſolus Deus.

Objicies 2. non repugnat creatura æqualis perfectionis cum intellectu Angelico, informato lumine gloriæ; ſed huic intellectui viſio Dei eſt connaturalis; ergo & illi creaturæ poſſibili. Prob. maj. Deus poteſt uni creaturæ dare unitivè omnes perfectiones, quas dividit in aliis pluribus; ergo poteſt facere intellectum ita perfectum, ut adæquet Angelicum cum lumine gloriæ.

Reſp. neg. min. nam quòd Deus ſe videndum permittat intellectui informato lumine gloriæ, id facit, non ob dignitatem Phyſicam illorum, ſed ex nova gratia, & ob dignitatem Moralem, ſc. ex pacto gratuito; ſicut ex pacto gratuito donat illud lumen, & viſionem juſto morienti in gratia, ut dicemus ſuo tempore, *gratia Dei vita æterna*.

Inſt. potuit Deus dare igni vim calefactivam, qui calefacit naturaliter, licèt Deus liberè concurrat cum illo ad calefactionem; ergo licèt Deus liberè concurrat cum creatura, habente ſibi identificatam virtutem luminis ad viſionem, adhuc viſio eſſet illi naturalis.

Reſp. neg. conſ. & paritatem; nam ignis, & alia agentia naturalia habent in ſe Phyſicè omnia requiſita ad agendum, nec quidquam illis deeſt ad hoc præter Dei concurſum, qui eis debetur ex legè commu-

communi poſita; ille verò intellectus non haberet in ſe Phyſicè omnia requiſita ad viſionem Dei activam, aut paſſivam: Deeſſet enim illi præſentia objecti ſc. eſſentiæ Dei, quam nulla lex poſſet facere debitam, nec per conſequens naturalem ob rationes datas. Sic Beatis de facto promiſſa eſt vita æterna, ſuppoſita gratia, & lumine gloriæ; & tamen adhuc vita illa, & viſio Beata eſt ſemper gratuita ex parte Dei, & ſupernaturalis, ut omnes fatentur.

Inſt. 2. Intellectus cum lumine gloriæ vel videt ſuis viribus; vel non; ſi ſuis viribus; ergo ita eſſet de illa creatura habente virtutem utriuſque; ſi non ſuis viribus; ergo cum illo lumine non eſt ſufficienter elevatus; ſed requiritur ulterius auxilium, de quo idem diceretur uſque in infinitum.

Reſp. videt ſuis viribus cum gratuita, & ſupernaturali Dei manifeſtatione; conc. ſine illa & ſic neg. conſ. nam cum illa manifeſtatio ſit gratuita, & ſupernaturalis, ita & viſio.

Objic. 3. Deus, ut clarè viſus, aut viſibilis, non eſt extra ſphæram objecti intellectus creati, etiam exiſtentis; ergo dari poteſt intellectus, cui tale objectum ſit naturaliter attingibile.

Reſp. diſt. ant. extra ſphæram objecti ſupernaturaliter attingibilis, con. naturaliter attingibilis; neg. ant. & conſ. Quia, ut dictum eſt, data quacumque perfectione creata, Deus ſemper, reſpectu ejus, erit objectum voluntarium; & hac libertate Deus ſeſe privare non poteſt, reſpectu creaturæ, hoc magis patebit ex ſequenti.

QUÆSTIO IV.

An viſio Dei ſit connaturalis intellectui informato lumine gloriæ.

DIximus, viſionem Dei eſſe abſolutè ſupernaturalem intellectui creato, & creabili, in ſe, & nudè ſpectato, ſecundum vires innatas; nunc ut magis pateat illa ſupernaturalitas, examinamus: an ſaltem ſit connaturalis eidem, ut elevato, & ſimul cum lumine gloriæ; ita ut ſemel informatus, & elevatus non egeat alio concurſu, vel auxilio ſupernaturali ad

actum

actum viſionis eſſentiæ Dei; ſicut oculus cæci, recuperata divinitùs facultate viſiva, diceretur naturaliter videre lucem, & colores cum generali Dei concurſu.

Certum eſt autem, quòd quia lumen gloriæ, quod eſt in ſubſtantia ſupernaturale, concurrit ad viſionem, hæc ſemper dicitur ſupernaturalis intellectui ſpecificativè; ſed reſpectu totius complexi ex intellectu, & lumine, ac reduplicativè ratione luminis, videtur illi connaturalis, quia utrumque, tam lumen, quàm viſio ſunt ejuſdem ordinis. Quod ut decidatur.

Suppono ex Philoſophia, quòd ad viſionem concurrunt ſimul potentia, & objectum: juxta illud Auguſtini, [1] *ex cognoſcente, & cognito paritur notitia.* Ex parte cognoſcentis concurrunt intellectus, & lumen gloriæ; ſed quando plures cauſæ diverſi ordinis concurrunt ad aliquem effectum, ſingulæ habent propriam rationem cauſandi, nec conveniunt in unam totalem proximam, niſi unitate ordinis, & ex principaliori ſumitur denominatio *naturalis*, aut *ſupernaturalis*, vel *liberi*; cum ea tamen differentia, quòd cùm Deus concurrit concurſu ordinario, & naturali cum cauſis ſecundis, accommodat ſuũ concurſum modo agendi earum naturali, ita ut ſi iſtæ agant, ut liberæ, Dei concurſus eſt liber; id eſt paratus ad utramque partem contradictionis, aut contrarietatis; ſi verò cum cauſis non liberis, concurſus ejus eſt determinatus, juxta illud ejuſdem Patris.[2] *Res, quas condidit, ita adminiſtrat Deus, ut eas ſuo modo agere ſinat.*

Concluſio. *Licèt viſio ex ordinatione divina debeatur intellectui informato lumine gloriæ, & hoc ſenſu dici poſſit eſſe illi connaturalis: abſolutè tamen debet dici ſupernaturalis.* Eſt communis Scotiſtarum.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto, [3] qui de actu producto ex habitu ſupernaturali, v. g. ex charitate, dicit, quòd ille non eſt propriè ſupernaturalis; *quia licèt habitus præſuppoſitus ſit à cauſa ſupernaturali immediatè; tamen iſte poſitus in eſſe eſt cauſa naturalis*

[1] 9. *Tr. fin.* [2] 1. *civit. c.* 30.
[3] 1. *d.* 17. *q.* 3. *PP. n.* 34.

ralis reſpectu ſui actus; & ideò actus, qui producitur per talem habitum, non eſt propriè ſupernaturalis, &c; ergo, ex Scoto, viſio Dei in intellectu lumine gloriæ informato dici poteſt naturalis reſpectu luminis, cum quo eſt ejuſdem ordinis.

Prob. 2. effectus dicitur naturalis reſpectu cauſæ, quando illa de ſe eſt proportionata illi effectui, & debetur ei aliquo modo concurſus cauſæ primæ, ſed intellectus ut elevatus lumine gloriæ eſt cauſa ex ſe proportionata viſioni Dei, & illi ut tali debetur concurſus Divinus ad eam neceſſarius; ergo ſub hoc reſpectu viſio dici poteſt connaturalis tali intellectui. Min. patet: quia intellectus, habens in ſe lumen illud habet ex parte ſua, quidquid requiritur ad eliciendam, aut recipiendam viſionem; & nihil ei deeſt præter Dei concurſum in ratione agentis, & objecti. Prob. maj. nam ideo creatio, & infuſio animæ rationalis, poſita organizatione completa, dicitur naturalis, & generatio hominis tribuitur parentibus ejus, quia nihil deeſt illis ad talem effectum, quantùm pertinet ad eos, præter creationem animæ, quæ ſe tenet ex parte Dei. Sic poſito habitu charitatis in anima, actus amoris Dei dicitur illi naturalis; nam ille actus non eſt ſupra capacitatem animæ cum tali forma, quia cum illa habet totum, quod requiritur ex parte ſua, ergo ita eſt de intellectu elevato lumine gloriæ, reſpectu viſionis.

Prob. 2. par. 1. ex Scoto [1] Quia, poſita quacumque diſpoſitione ex parte intellectus per lumen gloriæ, requiritur concurſus objectivus Dei, qui eſt voluntarius, quo ſeſe illi manifeſtat; ergo illa manifeſtatio eſt gratuita, & ſupernaturalis. Unde Scotus docet, quod quia Verbum divinum immediatè, & ſupernaturaliter cauſat viſionem Dei in intellectu humano Chriſti, qui eam recipit in ſe immediatè ſine forma ulla prævia; non ſequitur, quòd illa viſio ſit ei naturalis; nam, inquit, [2] non habet eam, *niſi à verbo cauſante iſtam viſionem; quia quando cauſat illam, immediatè, & ſupernaturaliter cauſat;* ergo ſimiliter quia intellectus Beatus non videt, niſi mediante lumine ſupernaturali, quod illi ſuper-

[1] 3. *d.14.q.2.G.n.4.* [2] *V. Poncium.ibi. n.23.*

ſupernaturaliter ineſt, & mediante libera manifeſtatione eſſentiæ Dei in ratione objecti, ideo viſio eſt abſolutè ſupernaturalis.

Prob. 2. ex eodem: nam ad viſionem Dei duplex concurrit cauſa ſupernaturalis; una ex parte potentiæ; ſc. lumen gloriæ; & altera ex parte objecti, ſeu eſſentiæ Dei, quæ ſe illi manifeſtat, & intellectum movet ad ſui viſionem; & iſte concurſus eſt diſtinctus à concurſu ordinario, quo Deus ex parte principii activi concurrit ad omnes effectus creaturæ; v. g. ad omnes intellectiones naturales; ergo abſolutè, & ex duobus illis titulis illa Dei viſio debet dici ſupernaturalis. Prob. conſ. quia ex utroque capite ſuperat vires naturales activas intellectus creati; nam præciſo pacto libero, & ſupernaturali Dei, manifeſtatio illa, & concurſus objectivus non debetur intellectui creato cum lumine magis, quàm ſine lumine; & iſtud eſt ſine dubio ſupernaturale; ergo viſio ex utroque capite eſt ſupernaturalis.

Confir. nam ſi ſolus intellectus ſine lumine haberet illam viſionem, per ſolam Dei oſtenſionem objectivam, adhuc illa eſſet ſupernaturalis; ergo à fortiori eſt ſupernaturalis concurrente lumine ſupernaturali, quod eſt aliud principium ſupernaturalitatis. Prob. ant. quia illa oſtenſio ſuperat omnem activitatem intellectus, etiam informati lumine; ergo eſt aliud caput ſupernaturalitatis.

Objic. con. 1. par. intellectus etiam cum lumine non cogit Deum ad concurrendum objectivè; ergo viſio non eſt connaturalis intellectui informato lumine; quia concurſus objectivus Dei eſt ſemper indebitus. Prob. ant. nam ideo viſio eſt ſupernaturalis, quia non debetur ex lege ordinaria ulli creaturæ; ergo ſi poſito lumine adhuc Deus ſupernaturaliter, & gratis concurrit; viſio non eſt connaturalis.

Reſp. diſt. ant. non debetur ex natura phyſica rei, & ſecluſo pacto, & ordinatione voluntaria; conpoſito tali pacto neg. ant. & conſ. Nam ex pacto voluntario ſtatuit Deus ſeſe manifeſtare, & præbere videndum habenti lumen illud.

Inſt. tam poſito, quàm ſecluſo lumine, liberum eſt Deo concurrere objectivè, ſed quia liberè, & gra-

tis

tis concurrit objectivè, viſio eſt ſupernaturalis; ergo etiam poſito lumine erit ſupernaturalis;non verò connaturalis.

Reſp. diſt. ant. eſt liberum phyſicè, & antecedenter ad decretum; con. moraliter, & conſequenter ad decretum; neg. ant. Nam cùm Deus decreverit, poſito lumine, præbere ſe videndum, tenetur ex fidelitate, & immutabilitate, ſe manifeſtare, & ſic concurrere ad ſui viſionem, & ſicut decrevit concurrere naturali concurſu ad effectus naturales; ſic ſupernaturali ad ſupernaturales, quia, ut dicebamus ex Auguſtino, ſe accommodat uſui creaturarum.

Objicies 2. Nec lumen gloriæ, nec præſentia objectiva eſſentiæ Dei ſunt connaturalia intellectui creato ex ordinatione divina magis, quàm phyſicè, & ex natura rei; ergo nec viſio. Prob. ant. ambo ſunt ſemper ſupra vires naturæ creatæ; ergo non magis ſunt connaturalia ex ordinatione divina, quàm ex natura rei.

Reſp. ut ſupra neg. 1. ant. & diſt. 2. ſupra vires naturæ nudæ, & non elevatæ, & præciſo decreto, ſeu pacto de manifeſtando eſſentiam creaturæ ſic elevatæ; con. naturæ elevatæ, & ſuppoſito tali pacto; neg. ant. Nam viſio non eſt ſupra vires creaturæ ſic elevatæ, & cum tali decreto.

Inſt. ergo tam viſio erit connaturalis intellectui elevato, quàm creatio, & infuſio animæ corpori organizato; ſed conſequens eſt abſurdum, & contra nos; ergo & ant. & ſolutio data.

Reſp. diſt. ſeq. cum proportione; con. ſeq. & neg. min. abſolutè, & ſimpliciter; neg. ſeq. & conſ. Tam enim in ordine ſupernaturali viſio eſt connaturalis intellectui ſit elevato, & ſuppoſito decreto de concurſu objectivo, quàm animatio eſt connaturalis corpori organizato in ſuo ordine, ſc. naturali: quid in hoc abſurdi,vel contra nos?

Objicies 1. con. 2. p. ex Scoto. [1] Intellectus cum lumine gloriæ ſic ſe habet ad viſionem Dei, ſicut oculus cæci illuminati ad viſionem lucis; ſed in iſto hæc viſio lucis eſt abſolutè naturalis; ergo & in illo. Prob. ant. ex textu: *Si cæcus miraculosè illuminatus, tamen naturaliter videt, quia habet formam creatam,*

[1] *3.d.14.4.2.C.n.4.*

tam, qua naturaliter poteſt uti ad operationem illam; ita ſi detur intellectui ſupernaturalis aliquis habitus; quo dato, tamquam per formam ſufficientem, intellectus poteſt videre Deum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ut ſupra; ſic ſe habet intellectus in ordine ſupernaturali, & cum proportione; con. abſolutè; & in eodem ordine naturali, neg. ant. & conſ. Nam *hoc non ſequitur*, inquit Scotus, quia in cœco miraculosè illuminato, miraculum quidem præceſſit, quod illuminatus eſt: ſed ſola forma purè naturalis agit, cum ordinario concurſu Dei; in viſione autem, lumen gloriæ, quod eſt forma ſupernaturalis, permanet, & agit; & præterea Deus ſupernaturaliter concurrit objectivè, dum ſe præbet videndum. *Præcedit intellectus naturaliter, & objectum*, inquit Doctor; [1] ſed objectum *non eſt motivum naturaliter proportionatum* (intellectui) *ſicut paſſo, nec natum naturaliter movere ipſum; & ſic*, (intellectus,) *non videret ex naturalibus ſuis, quia* (viſio) *non poteſt ei ineſse, niſi à Deo immediatè cauſante iſtam viſionem, &c.*

Objic. 2. concurſus iſte Dei cum intellectu, & lumine tam eſt generalis, quàm quivis alius cum alia quavis cauſa naturali; ergo viſio tam eſt naturalis, ſuppoſito lumine. Prob. ant. eodem modo concurrit Deus cum intellectu elevato per hoc lumen, quo cum voluntate elevata per gratiam ad actus meritorios; ſed cum iſta concurrit concurſu generali; ergo & cum illo. prob. min. ex Scoto, dicente, quòd ille concurſus *eſt de communi lege*; ergo generalis.

Reſp. neg. ant. 1. argum. & diſt. min. 2. & ant. 3. concurſu generali in ordine ſupernaturali gratiæ; con. in ordine naturæ puræ: neg. min. & ant. prob. Nam Scotus [2] comparat ibi concurſum generalem in ordine naturæ, qualem exhibet Deus igni ad comburendum, *cum voluntate habituata, vel non habituata habitu charitatis*. Et concurſus ad actus charitatis cum voluntate ſic habituata eſt quidem ordinarius in hac ſuppoſitione, ſed eſt in ordine ſupernaturali; ſi verò ad tales actus concurreret ſe ſolo, & ſine habitu charitatis, concurſus eſſet extraor-

[1] *ibid.*
[2] *1.d.17.q.2.QQ vel q.3.n.35.*

traordinarius in eodem ordine ſupernaturali, quia tunc ſuppleret influxum illius habitus: & hoc verum eſt de concurſu Dei activo.

Sed præter hoc caput ſupernaturalitatis adeſt aliud in viſione Dei, ex quo petitur etiam ſupernaturalitas ejus; nempe concurſus objectivus, quo ſe Deus liberè, & gratis, & ſupernaturaliter manifeſtat intellectui ſic elevato; & illum movet, ac determinat ad ſui viſionem, ut ſæpè dictum eſt.

Porrò ex dictis facilè poſſunt conciliari opiniones in hac quæſtione de ſupernaturalitate viſionis, ſuppoſito lumine. Nam qui docent, eam eſſe connaturalem intellectui illuminato, loquuntur in ſenſu primæ partis concluſionis noſtræ, & quoad concurſum activum Dei; qui verò docent, eam eſſe ſupernaturalem, loquuntur in ſenſu 2. partis, & quoad concurſum objectivum.

QUÆSTIO V.

An eſſentia Dei videri poſſit ab oculo corporeo.

JAm diximus in Philoſophia, [1] potentiam materialem non poſſe attingere objectum ſpirituale, ne ſupernaturaliter quidem; hìc in particulari rem examinamus de viſione eſſentiæ Dei, & 1. an Beati poſt Reſurrectionem, aut Chriſti humanitas, & B. Virgo, corporaliter exiſtentes in cœlo, videant de facto eſſentiam Dei oculis corporeis. 2. an ſaltem id poſſibile ſit potentiæ Dei abſolutæ. Ratio dubitandi pro corporibus glorioſis eſt, quia poſt reſurrectionem erunt quaſi ſpiritualizata, & ſubtilizata per dotes gloriæ; & ſic major videtur poſſibilitas de his, quàm de aliis corporibus materialibus, & corruptibilibus. Qui fingunt Deum corporeum, ut Anthropomorphitæ, Seleuciani, & Mahumetani, potuerunt tenere affirmativam; licèt Tertullianus, qui fertur fuiſſe in eodem errore, tenuerit negativam. Sed quæſtio nobis eſt cum Catholicis, qui ſcientes, Deum eſſe ſubſtantiam puriſſimè ſpiritualem, videntur admittere poſſibilitatem talis viſionis, de

[1] *T.4.d.9.94.*

de potentia ſaltem abſoluta. Et S. Auguſtinus videtur fuiſſe problematicus.

Concluſio. *Deus non videtur, nec videri poteſt oculis corporeis.* Videtur de fide quoad 1. p. & eſt communis quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd ſenſus *non poteſt non eſſe potentia organica, & ideo non poteſt elevari ad immateriale apprehendendum, nec etiam viſus beati....* & quoad *ſenſus, non eſt capax, niſi ſenſibilis, non tamen omnis;* ergo non ſolum de facto Deus, cùm ſit immaterialis, non videtur, ſed nec videri poteſt oculo corporis. Et alibi[2] docet, quòd *ne per miraculum quidem poteſt aliquis oculus elevari ad cognoſcendum* Corpus Chriſti in Euchariſtia: *Quia non poteſt elevari ad cognoſcendum exiſtentiã ſubſtantiæ ſaparatę*, ergo nec Dei.

Prob. 2. 1. p. ex Scriptura. Nam ſaltem de viſione corporea intelligenda ſunt loca citata pro inviſibilitate: ut *Deum nemo vidit unquam, nec videre poteſt.* Et: *Regi inviſibili.* Et: *mundi corde videbunt.* ſc. ſolo cordi viſibilis eſt Deus, &c.

Prob. 3. ex Patribus: *Quod enim cognoſcit Deum non oculus eſt corporis,* inquit Origenes, [3] *ſed mentis. Falſo nobis Celſus imponit dicens; nos ſperare corporis oculis Deum viſuros.* Et S. Ambroſ. *Nec corporalibus oculis Deus quæritur, nec circumſcribitur viſu.* Et Hieronymus: *Videre Deum, ſicuti eſt, in natura oculus hominis non poteſt.* ſcil. oculus corporis. Et S. Auguſt. *Unde autem inviſibilia videntur, niſi oculis cordis?* Et S. Fulgent. *Non corporis oculis, ſed animæ Deus ſuam viſionem promittit.* Denique Cyrillus Jeroſol. *Carnis quidem oculis contemplari Deum impoſſibile eſt; quod enim corporis eſt expers, in carnis oculos cadere nequit;* ergo Sancti Patres ſolius animæ, non oculis corporis Deum docent eſſe viſibilem.

Prob. 2. p. 1. & ſimul illa prior; *ſc. quod viſio Dei eſt impoſſibilis oculis corporeis*, ex dictis in Philoſophia; quod potentia corporea non poſſit attingere objectum ſpirituale; nam potentia non poteſt

[1] *4.d.49.q.11.L.n.11.*
[2] *d.10.qu.9.A.n.3.*
[3] *7.con.Celſ.cap.1.*

poteſt ferri extra ſphæram objecti ſui adæquati. Sed Deus, & omnis ſubſtantia ſpiritalis eſt prorſus extra ſphæram objecti adæquati viſus corporei; ergo ab eo Deus videri non poteſt. Major patet, nam oculus non poteſt percipere ſonum, vel odorem, nec auris colores; &, ut docet Scotus, [1] ſi quidditas rei materialis eſſet objectum adæquatum noſtri intellectus, per nullam potentiam poſſet elevari ad intelligendam, aut videndam ſubſtantiam ſpiritualem; & certè potentiæ ſpecificantur ab objectis ſuis adæquatis, & ſic non poſſunt extendi ultra illa, quin mutetur eorum eſſentia. Prob. ergo min. Quælibet res immaterialis plus diſtat à materiali, quàm objectum unius ſenſus ab objecto alterius; v. g. color à ſono; ſed unus ſenſus non poteſt percipere objectum alterius; v. g. oculus ſonum; nec auris, colorem; ergo multò minùs oculus materialis poterit percipere ſubſtantiam immaterialem, qualis eſt Deus.

Dices. Deus plus diſtat in ratione entis, non verò in ratione cognoſcibilis.

Contra. Sonus, & color, & ſenſationes illorum uniuntur in ſenſu communi, & ab eodem cognoſcuntur; ergo non plus diſtant in ratione cognoſcibilium, quàm materiale, & ſpirituale. Et confir. quia ne ab intellectu quidem Deus cognoſci poteſt, aut videri naturaliter; ergo multò magis diſtat in ratione cognoſcibilis ab omni potentia materiali, quàm unum ſenſibile ab alio.

Prob. 4. quia, quod diceretur de oculo humano, diceretur de Equino, & à fortiori de Linceo, qui acutiſſimus eſt; ſed nullus dicet, Deum videri poſſe à brutis; ergo nec ab oculo ullo corporeo. Prob. maj. nam oculus hominis, & bruti ſunt ejuſdem conditionis; imò ipſe homo à multis animalibus ſuperatur in perfectione viſus.

Prob. denique ex Philoſophia; quia probabile eſt, cauſas ſecundas ex ſe eſſe limitatas in ordine ad actus aliquos, ultra quos non poſſunt concurrere activè, etiam ſupernaturaliter; ideo negamus potentiam obedientialem in quolibet ad quodlibet: ſed nulla apparet rationabilior limitatio, quàm in ſenſu materiali reſpectu objecti ſpiritualis, & maximè.

[1] 1. *d.* 3. *q.* 3. *A. n.* 2.

ximè reſpectu viſionis Dei; ergo oculus corporeus eſt ſic limitatus, ut non poſſit elevari ad Dei viſionem. Prob. min. nam Deus eſt ſupra attingentiam naturalem ipſius intellectus, qui eſt potentia ſpiritualis; ergo ſi detur ulla limitatio in ſenſu materiali, illa erit in oculo reſpectu Dei.

Objic. 1. ex Scriptura: Deus de facto viſus fuit oculis corporeis; ergo eſt ſic viſibilis. Prob. ant. Jacob vivens in corpore [1] *vidit Dominum facie ad faciem*. Et Job: [2] *In carne mea videbo Deum*... Et; *Nunc oculus meus videt te*. Et Iſaias. *Vidi Dominum ſedentem*. Et S. Stephanus: [3] *Ecce video cælos apertos, & Jeſum, &c.* ergo à fortiori videri poteſt in ſtatu corporis glorioſi.

Reſp. neg. conſ. & ad Scripturam dico, Deum Patriarchis, Prophetis, & aliis viris Sanctis apparuiſſe in ſpecie aliqua corporali, & loquutum eis per Angelos. Job loquitur propheticè de Chriſto Salvatore, quem videbit poſt Reſurrectionem in carne, & cum dicit de præſenti; *oculus meus videt te*, id eſt, agnoſco te, per experientiam, & oculos mentis, quaſi viderem oculis corporeis. De Jacob dicit Oſeas, [4] quòd *in fortitudine ſua directus eſt cum Angelo, & invaluit ad Angelum*, ſc. luctatus eſt cum Angelo in ſpecie corporea apparente. Idem eſt de Stephano, & Prophetæ vident *in ſpiritu, &c.*

Objic. con. utramque p. S. Auguſtinus [5] videtur quidem negare Dei viſibilitatem per oculos mortales, ſed illam aſſerit per oculos immortales. *Per oculos illos immortales ſic videbitur Deus, ut aliquid habeant in tanta excellentia menti ſimile, quo & in corporea natura cernatur, &c.* & quia Fortunato Epiſcopo hæc doctrina videbatur diſplicere; eam confirmat in commonitorio auctoritate Scripturæ, & aliorum Patrum auctoritates in contrarium explicat de oculis mortalibus, quibus fatetur Deum videri non poſſe. *De ſpirituali autem corpore*, ait enim, *quod in Reſurrectione habebimus, quantam capiat in melius commutationem, utrum in ſimplicitate ſpiritus cedat, totus homo jam ſpiritus ſit; an, quod magis puto, ſed nondum pleno judicio* con-

[1] *Gen.* 32. [2] *Job.* 24. *&* 42. [3] *Act.* 4.
[4] *Oſeæ* 12. [5] 22. *de civ. c.* 29.

confirmo, ita futurum ſit ſpirituale corpus, ut propter quamdam ineffabilem facilitatem ſpirituale dicatur, ſervetque ſubſtantiam corporalem .... ſi enim hoc invenerit inquiſitio diligenter, tantam corporis futuram mutationem, ut poſſit videre inviſibilia; ergo cenſet, Beatorum oculos corporeos viſuros Dei eſſentiam, aliàs inviſibilem, vel ſaltem id non repugnare.

Reſp. neg. conſ. nam ut patet ex illis locis, Auguſtinus id quidem diſputavit, ſed non definivit, imò in partes noſtras inclinat, nam in fine commonitorii concludit: [1] *Meliùs ergo id affirmamus, unde minimè dubitamus, quòd homo interior videbit Deum, quomodo ſolus poteſt videre charitatem... Neque enim charitatem, pacem, & ſanctificationem, & ſi quæ ſunt ſimilia, videt oculus carnalis ullus, quæ tamen omnia videt, quantum poteſt oculus mentis.* Et in libro de videndo Deo, docet [2] quòd: *Deus lucem habitat inacceſſibilem corporis ſenſibus; quo nec ipſius, niſi mundi, poteſt eſſe cordis acceſſus,* &c. Quòd alibi ſæpè docet, & denique, licèt id docuiſſet dubius disputando, ſtandum eſſet adhuc dictis aliorum Patrum, & Theologorum ſenſui, qui hoc negant poſſibile oculis carnis.

Objic. 2. con. 2. p. licèt Deus ſit extra ſphœram activitatis intellectus creati, adhuc poteſt ſupernaturaliter elevari ad illum videndum; ergo ita eſt de oculo carnis. Prob. conſeq. ideò poteſt elevari intellectus, quia in Deo eſt ratio generica objecti adæquati intellectus, ſc. ratio entis, ſed eſt eadem ratio reſpectu oculi; ergo ſicut poteſt intellectus elevari, ita & oculus. Prob. min. in Deo eſt ratio lucis, nam Deus lux eſt; ſed ratio lucis eſt ratio generica objecti adæquati viſus corporei; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. 1. argum. & min. 2. & diſt. min. 3. ratio lucis materialis; con. lucis ſpiritualis; neg. min. Nam ſubjectum adæquatum viſus corporei eſt quantum coloratum, & lucidum; ergo & materiale tantùm. Ratio verò entis eſt communis ad ſpirituale, & corporale, & eſt lux ſpiritualis.

Objic. 3. ex Scoto: Deus poteſt ſe ſolo producere viſionem in oculo, ergo in eo poteſt ponere viſionem eſſen-

[1] *cap. 20.* [2] *Epiſt. 112. c. 23.*

eſſentiæ ſuæ, ſed tunc oculus videret Deum; ergo &c.

Reſp. 1. neg. 1. conſ. nam cùm ſpecies, ſeu viſio Dei ſit accidens ſpirituale, non poteſt poni in ſubjecto corporeo, ut patet ex Metaphyſica.

Reſp. 2. [1] quod licèt viſio, ut qualitas abſoluta, poneretur à Deo in oculo corporeo, adhuc iſte non videret illum, ſicut nec lapis in ſimili caſu, nam actio vitalis potentiæ corporeæ debet eſſe corporea. Eſſet ergo illa qualitas in oculo, velut mortua, ſicut in lapide.

QUÆSTIO VI.

An detur in homine appetitus naturalis ad viſionem Dei.

DUplex eſt appetitus; 1. *Innatus*, qui eſt inclinatio, ſeu perfectibilitas naturæ per aliquod perfectivum, ſive illud cognoſcat, ſive non. 2. *Elicitus*, qui eſt actus, quo natura deſiderat illam perfectionem. De utroque procedit quæſtio, an ſit in nobis à natura, ad videndum Deum, licèt non ſit viſibilis à nobis niſi ſupernaturaliter. Et quidem in Morali jam diximus, ineſſe nobis appetitum naturalem Beatitudinis, quæ non eſt ſine illa viſione, ſed non abs re erit, hoc examinare ſpecialiter de viſione.

Concl. *Datur in nobis à natura appetitus ad viſionem Dei, non ſolùm innatus, ſed etiam elicitus.*

Prob. 1. ex Scoto [2] docente, *Deum eſſe finem naturalem hominis, licèt non naturaliter adipiſcendum, ſed ſupernaturaliter.* Et hoc propter Auguſtinum dicentem, quòd *poſſe habere fidem, ſicut poſſe habere charitatem, naturæ eſt hominum.* Idem dici poteſt de viſione. Natura autem inclinat ſine dubio omnia ad finem, & bonum ſuum naturale, & quantum ad velle elicitum, dico, quòd cum damnati habeant cognitionem de Beatitudine, & eam deſiderent, poſſunt habere volitionem ſequentem appetitum naturalem, ei conformem, & actu elicito appetere Beatitudinem, ſicut & mali in via. In damnatis autem

[1] *d. 8. q. 3.* [2] *q. 1. prol. E. n. 12.*

ille appetitus non eſt ſupernaturalis; ergo &c. De utroque appetitu id docet [1] expreſsè in Reportatis.

Prob.2. ex Patribus. Ex Boetio: [2] *Mentibus hominum veri boni cupiditas inſerta eſt*. Ex Auguſt. [3] *Beati eſſe volumus, & miſeri non ſolùm eſſe nolumus, ſed neque velle poſſumus*; appetitus autem, qui ſic neceſſarius eſt, non poteſt eſſe, niſi à natura, & alibi dicit. *Hunc appetitum natura in malis ſuis non potuit amittere.... neque omnes homines naturali inſtinctu immortales, & Beati eſſe vellemus, niſi eſſe poſſemus*. Et alibi, [4] *ad appetendam Beatitudinem natura compellit, cui ſummè bonus, & immutabilis Creator hoc contulit*. Beatitudo autem non eſt ſine viſione Dei ex mente ejuſdem Patris. Ex S. Bernardo, *mens noſtra eo ipſo imago ejus eſt, quia ejus capax eſt, ejuſque particeps eſſe poteſt*, ſc. per unionem *viſionis, & fruitionis*.

Prob.3. quoad 1.p. Appetitus naturalis eſt inclinatio rei ad ſuam perfectionem, & omnis natura appetit ſuam perfectionem, inquit Doctor, [5] ſed viſio Dei eſt ſumma perfectio naturæ humanæ; ergo ad eam naturali appetitu propendet. Prob. maj. ex eodem; *natura non poteſt manere natura, quin inclinetur ad ſuam perfectionem, & ſi tollis illam inclinationem, tollis naturam*. Et confir. ex Philoſopho; nam *ſi omnes homines naturaliter ſcire deſiderant*; ergo maximè, & naturaliſſimè deſiderant ſummam ſcientiam, quæ eſt viſio Dei.

Prob.4. ex dictis de naturalitate, & ſupernaturalitate, nam ſi ſupernaturalitas petitur per ordinem ad agens, & non per ordinem ad paſſum, reſpectu cujus omnis forma eſt violenta, aut naturalis, aut neutra; certum autem eſt, quòd viſio Dei non eſt violenta, nec neutra animæ, ſed ſumma ejus perfectio; ergo eſt juxta ejus inclinationem.

Prob. 2. p. quia nihil repugnat, quin homo rationis capax poſſit explicitè deſiderare Dei viſionem, ſi ei proponatur per fidem humanam, aut per rationem, ſed tale deſiderium erit naturale; ergo poſſibilis

[1] 4.*d*.49.*q*.10.*I*.*n*.11.*Ibid*.*q*.9.*n*.5.& 8.
[2] 3.*de conſol*.*p*.2. [3] *Enchir*.*c*.86.
[4] 4.*con*.*Jul*.*c*.3. [5] *Ibid*.*n*.5.

lis eſt naturaliter appetitus elicitus viſionis Dei.

Confir. nā homo poteſt naturaliter appetere ſuam Beatitudinem; ergo & Dei viſionem. Prob.ant. experientia de multis hæreticis, vel etiam Ethnicis; qui ſicut naturaliter, & abſtractivè multa poſſunt cognoſcere de Deo, ita & ejus viſionem, & poſſeſſionem appetere, nec in hoc video difficultatem.

Objic.con.1.p. Appetitus naturalis ſupponit principia naturalia, per quæ poſſit reduci ad actum, ſed per nullum principium naturale poteſt haberi viſio Dei; ergo non poteſt appeti naturaliter appetitu innato. Prob. maj. bonum eo modo appetitur naturaliter, quo poteſt haberi; ergo ſi non poteſt haberi naturaliter, ita nec appeti.

Reſp. neg. maj. & ant.prob. nam cœcus appetit viſum naturaliſſimè, & anima ſeparata unionem cum corpore, & neutrum haberi poteſt naturaliter.

Inſt. ille appetitus eſſet fruſtra, quia non poſſet reduci ad actum; ergo non eſt admittendus.

Reſp.neg.ant.&diſt. rationem ejus; non poſſet reduci ad actum naturaliter; con. ſupernaturaliter ſaltem; neg.ant. ut patet de cœco, & anima ſeparata, & aliis innumeris. Corpus enim organizatum appetit naturaliter animam rationalem, quam non poteſt habere, niſi per creationem, &c.

Objic. 2. quod non eſt, non poteſt appeti; ergo quod non eſt naturaliter, non poteſt appeti naturaliter; ſed viſio Dei non poteſt eſſe naturaliter; ergo nec appeti naturaliter.

Reſp. neg.ant. abſolutè enim appetitur bonum futurum: manus frigida appetit calorem, qui deeſt; peccator poteſt appetere gratiam. Falſa eſt etiam conſ. ut patet ex dictis de cœco, &c.

Objic. 3.con. utramque p. nam ſic viſio Dei eſset ſupernaturalis, & non eſset, ſed hoc implicat; ergo & appetitus ille naturalis. Prob. maj eſset ſupernaturalis, ut ſupponitur; eſset verò naturalis, quia appeteretur naturaliter, & eſset naturalis animæ.

Reſp diſt.maj.eſset naturalis, & ſupernaturalis ſub diverſo reſpectu, & ſenſu; con. ſub eodem; neg. maj. min. & conſ. prob. nam eſset naturalis, prout naturale opponitur violento, & reſpectivè ad ſubjectum; ſupernaturalis verò reſpectivè ad agens, qua-

tenus non poſſet haberi, nec elici ab intellectu ſine auxilio ſupernaturali, & ſine manifeſtatione gratuita ex parte objecti.

Inſt. omni paſſivæ potentiæ reſpondet actus ejuſdem ordinis; ergo, ſi anima eſſet in appetitu, & potentia naturali ad viſionem, eſſet etiam naturaliter activa ejuſdem, vel illa potentia naturalis paſſiva eſſet fruſtranea.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus, ut patet ex dictis de cæco, & anima ſeparata. Sufficit enim potentiæ naturali, quòd poſſit actuari aliquo modo, ſive naturali, ſive ſupernaturali.

Objic. 3. ſi appetitus ille eſſet naturalis, viſio eſſet naturaliter debita homini; nam Deus, ut auctor naturæ, debet ſatiare inclinationem ejus, ſed conſequens eſt falſum, & contra fidem; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus; eſset debita naturaliter ſecundum quid, & remotè; con. abſolutè, & ſimpliciter neg. maj. Eſſet enim debita velut perfectio ejus phyſica, & quatenus eſt conformis appetitui ejus innato, ſed moraliter, & proximè non deberetur, quia deeſſent merita, & proximæ diſpoſitiones, ſicut forma ignis non eſt debita materiæ ligni proximè, ſed tantùm remotè, quamdiù eſt ſub forma ligni, & ſine diſpoſitionibus ad ignem, &c. ita eſt de homine reſpectu viſionis Dei, quamdiu vivit mortaliter, & ſine meritis, & ſine lumine gloriæ.

Quæres *An ille appetitus naturalis elicitus poſſit eſſe efficax.*

Reſp. poſse; nam ſicut poteſt homo naturaliter concipere illam viſionem, ut poſſibilem, ſive ex opinione probabili, ſive ex fide humana, ſive ex errore cum mediis aliquibus, quæ ſibi videntur opportuna, ita poſset velle applicare illa ad eum finem. Loquor de potentia phyſica; nam de potentia morali hoc difficilius eſt, quia media ad illum finem, quæ imaginari, aut proponi poſsunt, etiam naturaliter, ſunt applicatu, & in executione difficilia. Tamen ſi quis ſibi proponeret, hanc viſionem poſſe obtineri per aliquem actum, aut medium parvi momenti; verbi gratia per abſtinentiam ab aliquo peccato; vel per actum exiguæ eleemoſynæ, vel alterius virtutis,

non

non video, quin poſset in eum finem vitare velle hoc peccatum, aut largiri eleemoſynam, vel facere aliud bonum opus. Nihil autem aliud requiritur ad efficaciam deſiderii, quàm voluntas applicandi media ad conſecutionem boni deſiderati.

QUÆSTIO VII.

An viſio intuitiva Eſſentiæ Dei ſit poſsibilis Viventi in hoc corpore mortali, & an alicui ſic contigerit unquam.

QUæſtionis titulus eſt clarus, & biceps; 1. de poſſibili, tum de via ordinaria; tum de via extraordinaria, ac de potentia Dei abſoluta; 2. de facto, an alicui puro homini hæc intuitio conceſſa fuerit in hac vita mortali: v.g. Moyſi; Jacob; B. Virgini Deiparæ; Divo Paulo, &c. Dico, *puro homini*: nam de Chriſto Domino non dubitatur, quin in hac vita mortali fuerit viator ſimul, & comprehenſor; de quo aliàs.

Concl. *De via ordinaria non poteſt concedi intuitio Dei homini viatori, & in hoc mortali corpore; bene verò de potentia abſoluta. An autem id aliquando alicui puro homini conceſſum fuerit, non eſt ita certum.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] *quia Beatitudo, & mortalitas repugnant inter ſe non formaliter, ſed virtualiter, quia effectus unius repugnat effectui alterius, & per conſequens cauſa illius effectus. Beatitudo enim eſt cauſa immortalitatis in anima; mortalitas ergo repugnat Beatitudini, quia repugnat ejus effectui ſc. immortalitati .... patet igitur, quòd ſine miraculo non poteſt eſse Beatitudo in vita mortali, & non ſolùm in hoc, quòd detur Beatitudo ſupernaturaliter, & per miraculum; ſed quia res naturalis impeditur ab effectu ſuo naturaliter conſequente. Unde de Chriſto dicendum, quòd ſemper fuit miraculum uſque ad mortem, quòd ſimul fuerunt Beatitudo, & mortalitas, &c.* Ecce duas partes priores concluſionis probatas ex Scoto;

[1] 4.*d*.49.*q*.12.*C*.& *F*.*n*.4.& 7.*Et reſur*.*q*.11.*n*.7.

[1] nam ſi de facto fuit in Chriſto hæc viſio cum mortalitate; ergo ſimpliciter, & abſolutè poſſibilis eſt viſio Dei in hac vita. Et de D. Paulo: *Concedo, quòd non ſimpliciter eſt, nec fuit repugnantia, & ſic Deus potuiſset continuaſse illi viſionem, ſi ſemel conceſsit*. Sed hoc non eſt de lege communi.

Prob. 2. 1. p. ex Script. nam cum Moyſes [2] peteret à Deo: *oſtende mihi faciem tuam*; ſeu gloriam tuam. Reſp. *non poterit videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*. Et ut notat Gloſſa; *oſtendens hujus vitæ corruptibilis carni Deum, ſicuti eſt, apparere non poſse*; Et [3] *Deum nemo vidit unquam* id eſt, *nullus purus homo, vivens in corpore, vidit Deum, ut eſt*, inquit Gloſsa. Et D. Paulus [4] docet: *quamdiu ſumus in hoc corpore, peregrinamur à Domino*. Et: Deus, *habitat lucem inacceſſibilem, quem nullus hominum vidit: ſed nec videre poteſt*, quod ſine dubio intelligitur de hac vita mortali.

Prob. 3. ex Patribus citandis pro 3. p. nam ſi de facto dubitatur, an id factum fuerit, à fortiori dicendum, id fieri non poſse de via ordinaria, ſed non judicatur impoſſibile; ergo &c.

Prob. denique 1. p. ratione data ex Scoto; nam intellectus nihil intelligit pro hoc ſtatu mortalitatis, niſi dependenter à ſenſibus, & lumen gloriæ connaturaliter ab anima redundat in corpus, & ex vehementia attractionis interdicit uſum aliorum ſenſuum, & tollet omnem paſſibilitatem, &c. ergo de via ordinaria viſio Beata eſt virtualiter, & quoad effectus ſuos incompatibilis cum ſtatu mortalitatis. Ideo dicebamus, per miraculoſam ſuſpenſionem activitatis gloriæ, relictum fuiſſe corpus Chriſti ſub patibilitate, & id patebit ex dicendis de effectibus viſionis Beatæ.

Prob. 2. p. ſpecialiter, quia de facto ad poſſe valet conſequentia, ſed de facto intellectus humanus Chriſti videbat eſſentiam Dei ab inſtanti ſuæ conceptionis, *& fuit ſimul viator, & comprehenſor*, inquit Scotus, & eſt de fide, ut ſuppono ex tract. de Incarnat. & multi hoc cenſent etiam de B. Virgine Dei-

[1] *Ib.G.* [2] *Exo.31.*
[3] *Jo.1.* [4] *2.cor.5.*

Deipara, & de aliis, ut mox videbimus; ergo poſſibilis eſt viſio Dei in hoc ſtatu vitæ mortalis, ſaltem de potentia Dei abſoluta. *Scimus*, inquit Auguſt.[1] *poſſe Deum videri, quamvis eum non viderimus.*

Prob.2. ex Scoto, quia id non repugnat neque ex parte ſubjecti, ſc. hominis; neque ex parte Dei; ergo non repugnat talis viſio in hoc ſtatu. Probatur ant. 1. non ex parte hominis, nam intellectus ejus idem eſt in corpore, & in cœlo, & dependentia ejus à ſenſibus non eſt illi eſſentialis, ut patet ex Philoſophia. 2. neque ex parte Dei concurrentis activè, aut objectivè magis nunc, quàm in cœlo; ergo ex nullo capite repugnat.

Prob. 3.p. nam utrimque adſunt auctoritates Scripturæ; & Patrum. 1. Affirmant id contigiſſe, hi textus de Jacob. [2] *vidi Dominum facie ad faciem*; inde nomen Jacob mutavit in nomen *Iſrael*; id eſt, *Deum videns*: nam *apparuit autem iterum Deus Jacob, dicens: Iſrael erit nomen tuum.* Et de Moyſe [3] legitur Deus ſæpius illi apparens, & hunc hominem cum eo loquutum *facie ad faciem, ſicut ſolet homo loqui ad Amicum ſuum*. Et ipſe Deus dicit: *ore ad os loquor ei, palam, & non per ænigmata Deum vidit*. Et Iſaias: [4] *vidi Dominum ſedentem*. Et S. Steph. [5] *video cœlos apertos, & Jeſum ſtantem à dextris Dei*; nec enim ſic ſe videre poterat dicere, niſi & ipſum patrem vidiſſet. D. Paulus [6] dicit ſe *raptum uſque ad 3. cœlum; ſive extra corpus, ſive in corpore neſcio*; hi autem textus ſunt ſatis formales.

Prob. 2. ex Patribus; 1. nam D. Dionyſius [7] id tribuit B.V.M. *An aliis ſit conceſſum, quis novit? Imo & de ſupermundiſſima Virgine non exiſtimo dubitandum*. Et S. Bernardinus dicit. [8] *Virginem pluſquam Paulus raptam in tertium cœlum, quia ſi eſſent tot Pauli, quot creaturæ, non attingerent contemplari ipſius, &c.* Et S. Tho. [9] *Rationabiliter creditur, quòd illa, quæ genuit unigenitum à Patre, plenum gratiæ, & veritatis, præ omnibus aliis majora*

[1] *De vid. Deo. c. 5*, [2] *Gen. 32.*
[3] *Exo: 3. 6. 30. 33.* [4] *Iſ. 6.* [5] *act. 2.*
[6] *Cor. 12.* [7] *Cœl. Hier. c. 4. To. 4.*
[8] *ſerm. 36. p. 3.*
[9] *3. p. q. 27. a. 1.*

privilegia gratiæ acceperit; ergo ſi cui creaturæ viſio Dei conceſſa fuit in hac vita, maximè Dei matri. Idem ſentit S. Bonav. [1] *Quod aliis legitur collatum, non eſt credendum, Virgini fuiſſe negatum*. Sed poſitivè S. Anton. [2] *In ipſo Conceptu, vel partu Virginis, datum eſſe ad horam, ut videret myſterium hujuſmodi in patria, ſicut Paulus in raptu*. Sic putat, & Mariam, & Paulum vidiſſe Deum etiam viventes. Idem docet Rupertus: *Eam raptam in tertium cælum, & vidiſse arcana Myſteria perfectius, quàm Paulus*. Et certè licèt nulli alteri puræ creaturæ conceſſum fuiſſet hoc privilegium, tamen mater Dei eſt extra, & ſupra omnem ordinem, & ideo putant plures Theologi, quòd non continuè quidem, ſed pluries, & identidem in hac vita fuit donata Dei viſione.

De Moyſe, & Paulo id docet Auguſt. [3] *Ipſa Dei ſubſtantia à quibuſdam videri potuit in hac vita poſitis, ſicut à Moyſe, & Paulo*. Et D. Ambroſ. [4] *Moyſes ſcivit Dominum facie ad faciem; non in viſione, neque in ſomniis, ſed ore ad os cum Deo loquutus, neque in ſpecie, neque per ænigmata, ſed clara, atque perſpicua præſentiæ divinæ cognitione dignatus*. Et S. Baſil. de eodem: [5] *dignus habitus eſt, ſpectator, ut eſset par æquè, ac Angeli, faciei divinæ*. Et iterum Auguſtinus [6] hoc probat ex textu ipſo Scripturæ, qui abſque neceſſitate non eſt detorquendus à ſenſu litterali: *ſi fuerit inter vos Propheta Domini, in viſione apparebo ei, vel per ſomnium loquar ad eum; At non talis ſervus meus Moyſes, qui in domo mea fideliſſimus eſt; ore enim ad os loquar ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt*. Hæc pro parte affirmativa hujus dubii.

Pro parte negativa autem faciunt 1. loca Scripturæ ſupra citata, v. g. ad ipſum Moyſem petentem videre faciem Dei: [7] *Non poteris videre faciem meam; non enim videbit me homo, & vivet*: Et: *Deum nemo vidit unquam*. Et ut notat Gloſſa interlinearis, *nec Moyſes*. Et D. Paulus: [8] *Deum nullus hominum vidit; ideſt homo in hac vita*, inquit Gloſ-

[1] *3.d.3.p.1.a.3.q.5.* [2] *p.4 tit.15.c.17.* [3] *De vid. Deo* [4] *Hex.c.2.* [5] *Hom.in Hexam.* [6] *12.Gen.ad lit. c.26.& 27.n.12.* [7] *Exo.33.* [8] *1.Ti.6.*

Gloſſa. *Quem ſecundum naturam, qua Deus eſt, nemo vidit*; inquit alia Gloſſa.

2. Ex Patribus; nam S. Hieron. Deus *Lucem habitat inacceſsibilem omni creaturæ, nemo enim Patrem novit, niſi Filius, quem nullus hominum vidit, neque novit* (ſc. intuitivè) *ſed unuſquiſque pro merito intelligit*. Idem docet Ambroſ. [1] ibid.& in cap. 1. Lucæ; *quæ in Deo habitat, plenitudinem divinitatis conſpexit*. Et D.Auguſt.[2]qui tam apertè videtur favere parti affirmativæ, eadem loca Scripturæ memorans dicit: *profectò, quoniam Deum nemo vidit unquam hominum, nec Patrem quiſquam putandus eſt vidiſſe, nec Filium, ſecundum quod Deus eſt.* Et de ipſo Moyſe, *quod vidit nubem, vidit Angelum, vidit ignem; omnis illa creatura Typum Domini ſui gerebat, non ipſius Domini præſentiam exhibebat.... loquebatur ergo Angelus cum Moyſe portans Typum Domini*.

Ecce ergo Scripturam, & Patres pro utraque parte, & quidem textus pro negativa mihi videntur magis expreſſi. *Non poteris me videre*; inquit Deus ipſe ad Moyſem; *non videbit me homo, & vivet*. Et conciliari poſſent, ni fallor, ſi textus, & auctoritates pro affirmativa explicentur de revelationibus clarioribus, & perfectioribus in Symbolis, vel ſpeciebus, aut figuris, ſingulari modo repræſentativis, pro Beata Virgine, quam pro aliis ullis hominibus, & pro Moyſe, & Paulo, quam pro aliis Prophetis ſoleant fieri. Quod fundatur in ipſa Scriptura; nam S. Stephanus dicit de Moyſe, *quod fuit in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina*. Vides qualiter vidit, & loquutus eſt *ore ad os*.

Objic. pro illa parte. Deus ipſe dicit, ſe loqui non ſolum *ore ad os*, ſed etiam *per ſe*, non verò *per ænigmata, & figuras*; ergo vera fuit intuitio.

Reſp. neg. conſ. nam iſtæ apparitiones dicuntur faciales, & intuitivæ, & viſiones claritatis, non abſolutè, ſed in comparatione aliarum, propter eminentiorem modum, & majorem lucem ſenſibilem.

Objic. 2. D. Paulus verè dicit, [3] *ſe raptum fuiſſe in*

[1] *De vid.Deo.c.6.* [2] *Tr.in Jo.*
[3] *Act.7.38.*

Paradiſum, *& uſque ad* 3. *cælum*, quod eſt ſedes Beatorum, & in quo Deus ſe permittit videndum; ergo ibi verè Deum vidit.

Reſp.neg.conſ. Minùs enim urgent verba illa Apoſtoli, quàm de Moyſe, quia Paulus non dicit, *ſe vidiſſe*, ſed audiviſſe, nec dicit ſe fuiſſe ibi *in corpore*, ſed relinquit divinandum, an *in corpore*, *an extra corpus*, nec ipſe id audet determinare, & hoc confirmatur, quia raptus ille contigit Damaſci ab initio converſionis ſuæ, & in triduo illo, quo fuit *non manducans, neque bibens*: poſteriùs verò ſcripſit Epiſtolam ad Timotheum, in qua dicit generaliter: *Deum nemo vidit unquam*, *&c.* quod non diceret verè, ſi ipſe vidiſſet eum.

Inſt. de S. Stephano, qui *vidit cælos apertos*, *&c.* ergo & iſte vidit non tantùm Chriſtum, qui corpore conſtabat, ſed & Patrem ipſum, in cujus dextera erat Chriſtus.

Reſp.neg. conſ. nam dicit, *video Jeſum ſtantem*, non verò Patrem, ſed tantùm, quòd Jeſus ſtat à dextris virtutis Dei, quod dicit ex Scriptura, [1] *& ſedet à dextris virtutis Dei*, & explicari poteſt de charitate magna, & viſibili, in qua Chriſtus illi apparuit.

Objic. 3. hiſtorias quorumdam Sanctorum, ut Benedicti, Auguſtini, Seraphici P. S. Franciſci, & aliorum, qui dicuntur in hac vita donati intuitione Dei.

Reſp. has, & ſimiles hiſtorias intelligendas de altiſſima, & ſingulari elevatione mentis: quatenùs aliquo extraordinario lumine perfuſi, & in extaſes rapti vehementiores ſuavitates præguſtarunt.

Hæc ſub cenſura dixerim: nec enim decidere præſumo litem hanc adeo famoſam.

QUÆSTIO VIII.

An viſio Dei concedatur Animabus juſtis, & purgatis ſtatim, & ante judicium univerſale.

NOn pauci etiam piiſſimi Eccleſiæ Patres, & Theologi videntur putaſſe, quòd animæ ſanctæ,

[1] *Act.* 7.

ctæ, quamvis purgatiſſimæ, ad Dei viſionem non admittantur ante Reſurrectionem, & judicium univerſale. Inter alios citantur Tertullianus, Lactantius, Victorinus, Eutimius, Irenæus, Juſtinus, Origenes, Chryſoſt. Imò aliqui putant id definitum à Joanne XXII. circa an. 1331. ſed falsò. Idem dicitur ſenſiſſe Photius cum aliis Græcis. Ad id etiam reducitur error quorumdam, qui *Millenarii* dicti ſunt, quia docebant, Juſtos poſt judicium per mille annos victuros in terris cum Chriſto, in deliciis vitæ, & idem tribuitur *Fraticellis*, & *Calviniſtis*, & iis omnibus, qui negant eſſe Purgatorium.

Concl. *viſio Dei Beata conceditur animabus Juſtis ſtatim poſt mortem, & debitam purgationem à reliquiis peccatorum*. Eſt jam de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui licèt hanc quæſtionem non examinet ex profeſſo, tamen ſupponit aliquid retardare animam Juſti à conſecutione gloriæ: *moriens* (ait) *in charitate, debitor tamen pœnæ .... habet aliquid retardativum à gloria*; ergo qui non eſt debitor pœnæ ullius, nihil habet, quod retardet illum à gloria, ſed ſtatim eam conſequitur, & idem eſt de illo, qui debitum illud exolvit in Purgatorio, & idem colligitur, cùm dicit, quod *congruum eſt, Beatum eſse coadjutorem Dei in procurando ſalutem electi .... & ad iſtud requiritur, ſibi revelari orationes noſtras, quæ ſibi ſpecialiter efferuntur .... & ideo probabile eſt, quod Deus revelat Beatis de orationibus ſibi, vel Deo, nomine ejus oblatis*; ergo jam ex nunc ſunt plures animæ Beatæ in cœlo, *quæ vident omnia in Deo, ſicut in primo objecto*, &c.

Prob. 2. ex Script. nam Chriſtus promittit Latroni: [2] *hodie mecum eris in Paradiſo*. Et D. Paulus [3] cupit *diſſolvi, & eſse cum Chriſto*, ſc. *præſentialiter*, inquit Gloſſa interlinearis. *Multò meliùs exiſtimans, ut præſens ſit apud Deum*, ait Ambroſ. [4] Et fides docet, Chriſtum ex inferis, ſeu ex Limbo eduxiſſe animas Patrum, & eis cœlùm aperuiſſe, juxta illud Zachariæ: [5] *In ſanguine Teſtamenti eduxiſti* vin-

[1] 4. *d.*20. *n* 10. *&* *d.*45. *q.*4. *D n.*4. *&* 5. *&* *d.*50. *q.* 3. *n.*6. *F.* [2] *Luc.*23.
[3] *Philipp.*1. [4] *ibid.* [5] *c.*9.

vinctos tuos de lacu, id eſt ſanctos de Lymbo.

Prob.3. ex definitione Eccleſiæ, in Concil. Florent. definitur, *animas illorum, qui, poſt baptiſma ſuſceptum, nullam omninò maculam incurrerunt; eas etiam, quæ, poſt contractam maculam peccati .... ſunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipſum Deum, Trinum, & unum*. 2. Benedictus XII. [1] definit, quòd non egentes purgatione, aut purgatæ, *etiam ante reaſſumptionem corporum, & judicium generale, poſt Aſcenſionem Domini.... viderunt, & vident divinam eſſentiam, viſione intuitiva, & faciali*. 3. ex Bullis Canonizationum, quibus aſſeritur, vel ſupponitur, ſanctos eſſe in gloria, & poſſe invocari. 4 ex Concil. Trident. [2] definiente *ſanctos nunc de facto orationes ſuas pro hominibus offerre Deo; illos verò, qui negant, ſanctos æterna felicitate fruentes invocandos*, &c. *impiè ſentire*. Idem docent Concilia alia poſteriora, ut Francofordienſe, Epiſt. ad Epiſc. Hiſpan. & Moguntinenſe, &c.

Prob.4. ex Patribus: nam Gregor. Nyſſenus [3] ſic fatur de Pulcheria ad Theodoſium: *A te puella migravit, ad Dominum recurrit, tibi oculum clauſit, ſempiterno lumini aperuit.... in Paradiſo conſita eſt*. Et Nazianzenus de S. Ceſario ſcribit, *non ſolùm animam ejus in cœlum penetraſſe ... ſed etiam magno Regi aſſiſtere, & emicante inde lumine compleri*. Et de Gorgonia, quod *contemplatur veritatis puriorem, & perfectiorem illuminationem*. Idem docet Chryſ. [4] de S. Philogon. quod *relictis hiſce feſtis translatus eſt ad celebritatem Angelorum*. Et S. Auguſt. [5] de ſanctis dicit, quod *quamvis cum ſuis corporibus nondum ſunt* (per Reſurrectionem) *jam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum iſti mille anni decurrunt*. Sic loquitur contra Millenarios. Idem eſt de aliis, quos latè citat Cardinalis noſter Lauria.

Prob.5. ex praxi Eccleſiæ, quæ pro animabus orat Deum, ut eas in *Paradiſum deducant Angeli*, & ut *Requiem æternam eis donet*. Et invocat Sanctos, ut in cœlo exiſtentes, &c. ergo cenſet eas de facto Beatas.

Pro-

[1] *Conſt.4 ex Benedict. Deuſ.*
[2] *de invoc. Sanct. c.46. & 49.* [3] *Or.10.*
[4] *Hom.71. de illo.* [5] *10. de Civit. c.9.*

Probatur denique, quia nulla eſt ratio, cur Deus *Fidelium remunerator animarum*, & quidem liberaliſſimus, differat remunerationem, quando ſunt purgatæ, & capaces, ut patebit ſolutione objectionum, in quibus prætendunt adverſarii talem dilationem; ergo non differtur.

Obj.c.1. D. Paulus [1] docet, Beatificationem non eſſe complendam, niſi poſt Reſurrectionem generalem, quando omnes ſimul erunt Beati. *Omnes teſtimonio fidei probati non acceperunt repromiſſionem*, &c. *ut non ſine nobis conſummarentur*; loquitur de SS. Patriarchis, qui nondum acceperunt Beatitudinem promiſſam; & idem colligitur ex Apocalypſi, ubi Joannes [2] videt *Angelum habentem clavem Abyſſi, & catenam magnam in manu ſua, qui apprehendit ſerpentem .... & ligavit eum per mille annos, & miſit in abyſſum .... donec conſummentur mille anni, & poſt hæc oportet illum ſolvi modico tempore*. Et deinde pro Juſtis .... *& animabus decollatorum* (Martyrum) *quòd vixerunt, & regnaverunt cum Chriſto mille annis*. Hinc ſumpta occaſio erroris Millenariorum dicentium, quòd, poſt mortem Anti-Chriſti, deſcendet iterum Chriſtus D. in terras, ubi, poſt ligatum Diabolum regnabit cum ſuis Juſtis per mille annos, in omni pace, & gaudio voluptatum carnis, ut volebat Cherentus; vel ſpiritualium deliciarum, ut putabant Modeſtiores, & poſt id, veniet iterum Satanas, turbaturus mundum, *per Gog, & Magog*, nec ante id tempus obtinebunt Juſti viſionem Dei Beatam; ergo, &c.

Reſp. neg. conſ. principalem, nec id voluit Apoſtolus, nec id ſignificat revelatio, & prophetia Joannis. Div. Paulus vult tantùm, quòd Beatitudo, ante Reſurrectionem, non erit completa, quia nunc ſola anima eſt Beata, tunc verò etiam corpus, & totus homo, & ſic explicant SS. Patres. Alligatio verò Satanæ contigit in morte Chriſti, per quam expoliavit principatus, & poteſtates .... (tenebrarum) *triumphans illos in ſemetipſo*, ut ait Apoſtolus: [3] *Alli-*

[1] *Hebr.* 11. 39.
[2] *Apoc.* 20.
[3] *Coloſ.* 2.

Alligatio Diaboli, inquit Auguſtinus, [1] *non ſolum facta eſt, ex quo cœpit Eccleſia in nationes dilatari, ſed nunc etiam fit, & fiet uſque ad terminum ſæculi*, & de alligatione: [2] *mille autem anni duobus modis poſſunt intelligi*, aut quia in ultimis mille annis *res ita agitur, id eſt ſexto annorum milliario, tanquam ſexto die, cujus nunc ſpatio poſteriore volvuntur .... Aut certè mille annos pro omnibus hujus ſæculi poſuit, ut perfecto numero notaretur ipſa temporis plenitudo*. Hic ſecundus ſenſus eſt planior, nam Scriptura ſolet temporis magnam longitudinem exprimere, ut cùm dicit, [3] *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies heſterna*, ideſt omnia tempora ſunt Deo præſentia.

Inſt. Joannes [4] ibi docet, duplicem Reſurrectionem, & mortem, *cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni. Hæc eſt Reſurrectio prima; .... in his ſecunda, mors non habet poteſtatem, ergo inter primam, & ſecundam mortem, & Reſurrectionem current mille anni, & ante 2. non conſummabitur gloria Juſtorum.*

Reſp. neg. conſ. nam mors prima Juſtorum eſt mors naturalis, qua ſeparatur anima à corpore corruptibili, & prima Reſurrectio eſt ea, qua donatur animæ ſeparatæ vita æterna, ſecunda verò erit in die Judicii, quando tam corpora, quàm animæ conſequentur vitam, & gloriam completam. Pro reprobis verò duplex eſt mors, & una reſurrectio. 1. eſt in ſeparatione naturali animæ, & in demerſione ejus in infernum, & Reſurrectio in die Judicii, 2. mors erit tunc, quando vivi ſepelientur in ignem æternum.

Inſt. 2. S. Joannes docet, animas Martyrum non eſſe conſolatione levandas, *donec compleantur conſervi eorum*, ſc. numerus Martyrum, interim dantur *ſingulis ſtolæ albæ*, & jacent ſub altari; ſed ille numerus non complebitur ante finem mundi; ergo nec ante glorificabuntur.

Reſp. neg. conſ. nam ſtolæ illæ, ut notat Ferrarius, [5] ſignificant veſtes gloriæ, & animarum beatitudinem, in qua quieſcunt, & gaudent ſeparatæ à cor-

[1] 20. *de Civit. c. 8.* [2] *ib. c. 7.*
[3] *Pſal.* [4] *Apoc. 20.*
[5] *ib. c. 6. q. 2. & 3.*

à corporibus, donec compleatur numerus, & tempus totalis glorificationis, nam *donec*, ibi non ſignificat ſuſpenſionem, vel dilationem glorificationis, ſed potius poſſeſſionem, ut cùm dicitur, [1] *Sede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, ideſt, *ſede*, & interim ponam inimicos tuos ſub pedibus tuis. *Novimus Chriſtum ſedere ad dexteram Patris poſt Aſcenſionem in cœlis*, inquit Auguſt. [2]

Inſt. 3. S. Bernardus [3] explicat illam ſtolam de ſpe verę Beatitudinis, & interim animæ gaudent viſione humanitatis Chriſti; ergo putat, viſionem Dei differri uſque ad judicium. Prob. ant. dicit enim, quod *in illam Beatiſſimam domum nec ſine nobis intrabunt, nec ſine corporibus ſuis*, nam *multi ex nobis ſtant in atriis expectantes, donec recipiant corpora ſua, donec impleatur numerus fratrum*, & confir. hoc eſt Chriſti dictum ad electos in judicio: *venite, percipite regnum, quod vobis paratum eſt*; ergo nondum receperunt, nec recipient ante judicium.

Reſp. neg. conſ. imo S. Bernard. confirmat hanc veritatem, nam diſtinguit tres ſtatus animarum, 1. in corpore corruptibili, 2. ſine corpore, 3. in corpore jam glorificato; 1. in militia, 2. in requie; 3. in Beatitudine conſummata; 1. in tabernaculis, 2. in atriis, 3. in domo Dei .... in atriis autem, non dicit ſuſpendi, aut differri viſionem Dei Beatam, *ſed quòd ſtent expectantes, donec recipiant corpora ſua ....* neque enim præſtari dicit integram beatitudinem, *donec ſit homo integer, cui detur .... & ideo non veſtientur duplicibus* (duplici gloria corporis, & animæ) *donec veſtiamur & nos*; Reſurrectione generali: *ſtola enim prima ipſa eſt, quam diximus, felicitas, & requies animarum, ſecunda verò immortalitas, & gloria corporum*. Ad Euangelium, neg. conſ. nam ſicut cum dicitur reprobis: *ite in ignem æternum*, non ſignificatur, differri damnatorum ſupplicium uſque in diem judicii, ita nec cùm dicitur electis, *accipite regnum*, non ſignificatur, illis differri ejus poſſeſſionem, ſed tantum corporalem, & ultimam perfectionem, quoad corpora.

Objic.

[1] *Pſal.* 109. [2] *ibid.* [3] *Ser. de omnib. ſanct.*

Objic. 2. Joannem XXII. qui dicitur definiiſſe ex Cathedra dilationem glorificationis uſque ad judicium generale, & prohibuiſſe, ne univerſitas Pariſienſis ullos admitteret ad gradus litterales, niſi huic ſententiæ ſubſcriberent, & ideo à Philippo Rege exiſtimatum fuiſſe hæreticum, & igni comburendum, & in eumdem ſcripſerunt multi, & inter alios Gulielmus Okam; ergo vel dicendum eſt, hunc Pontificem erraſſe ex Cathedra, vel conſecutionem viſionis Beatæ differri uſque in diem judicii.

Reſp. neg. conſ. nam, ut eruditè probat P. Fraſſen[1] per inſtrumenta authentica ille Pontifex collegerat quidem textus omnes Scripturæ, & Patrum, quibus putabat id probari; ſed non ex propria mente, ſed ut veritas Catholica meliùs pateret; & inſtante morte proteſtatus eſt, quòd: *quidquid in quæſtione viſionis animarum in ſermonibus, & collationibus noſtris diximus, allegavimus, ſeu propoſuimus, non intendentes aliquid determinare, vel decidere, quod eſſet quovis modo Scripturæ Sacræ obvium, vel contrarium*, &c. Idem teſtatur ſucceſſor ejus Benedictus XII. conſtitutione citata. Et Cardinalis noſter Lauria notat, quòd ipſemet Joannes in Bullis Canonizationis S. Thomæ Epiſc. Herfordienſis, & S. Thomæ Aquinatis, enuntiat eos de præſenti glorificatos; unde infert illum aliter loquutum ex Cathedra, & definiendo, quàm ex pulpito, & diſputando, ut Doctorem privatum.

QUÆSTIO IX.

An eſſentia Dei ſit in ſe, & per ſe immediatè viſibilis, an per ſpeciem aliquam, ſive de facto, ſive de poſſibili.

Diximus in Philoſophia, quod ab objecto, & potentia paritur notitia, & ideo debent ambo uniri, ut eam pariant, ita ut *oporteat res viſas, aut formas earum in anima eſſe*. Per ſe ipſas autem res omnes non poſſunt eſſe in anima: v. g. lapis non poteſt eſſe per ſe immediatè in intellectu; oportet ergo, ut inſit illi, ac uniatur, & informet eum, ac fœcundet, per

[1] *Op. 90. dier.*

per aliquam ſui formam, & imaginem, quam vocamus ſpeciem impreſſam.

Dixi etiam, quòd ſpecies alia eſt *impreſſa*, quæ eſt virtualis, & intentionalis ſimilitudo rei, & ipſa re impreſſa potentiæ cognoſcenti, per quam hæc quaſi fœcundatur, & completur in eſſe cauſæ productivæ cognitionis ejus rei. Dicitur 1. *ſimilitudo*, quia repræſentat objectum. 2. *virtualis*, quia non repræſentat objectum formaliter, & ut viſa, ſed virtualiter, quatenus activè concurrit vice objecti cum oculo, vel intellectu ad producendam cognitionem. Alia dicitur ſpecies *expreſſa*, quæ eſt formalis ſimilitudo, ſeu cognitio objecti, producta per intellectum cum objecto, vel cum ſpecie impreſſa ejus. Dicitur etiam *verbum mentis*, quia per illam intellectus quaſi loquitur ſibi, & exprimit rem, & conſtituitur formaliter intelligens eam. Alia dicitur *objectiva*, quæ prius cognita ducit nos ad cognitionem alterius rei. Sic ex cognitione creaturæ aſcendimus ad cognitionem creatoris, & ex imagine cognoſcimus prototypum. De iſta, nec de *expreſſa*, non diſputamus, ſed de *impreſſa*.

Quærimus ergo, an eſſentia Dei, per ſeipſam, immediatè moveat, & determinet intellectum Angeli ad ſui viſionem, an verò mediante aliqua *ſpecie impreſſa*, quæ vices ejus gerat, & moveat, ac determinet intellectum ad viſionem eſſentiæ Dei, & quæritur etiam, utrum hæc ſpecies talem viſionem in ſe terminet, ut *ſpecies objectiva*, & ſicut imago Regis non ſolùm movet, & determinat ad cognitionem Regis, ſed etiam ipſamet videtur, & terminat ipſam viſionem, nam ſpecies aliquando habet utrumque munus. Et quæſtio procedit tam de facto, quàm de poſſibili, & ſaltem, an ſit poſſibilis ſpecies impreſſa eſſentiæ Dei.

Concl. 1. *Viſio Dei de facto habetur immediatè, & ſine concurſu ullius ſpeciei impreſſæ*: ſeu, *Deus videtur per ſe immediatè in ſua eſſentia*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *notitia intuitiva*, qualis eſt hæc viſio, requirit objectum ipſum *ſub propria ratione objecti præſens, & in propria exiſtentia*, & di-

[1] *Quodlib.14.N.n.14.*

dicitur *abſtractiva, ſi cauſetur per aliquod perfectum repræſentativum ipſius*, &c. Et dicit alibi, quòd *videre eſt actus intellectus, intuentis rem in propria exiſtentia, ſicut in ſe eſt*, & per hoc cognitio intuitiva, ſeu viſio diſtinguitur ab abſtractiva, *qua res intelligitur per ſuam ſimilitudinem, & non in ſe*, & hæc viſio *eſt tota merces intellectus*. Et docet, [1] quòd *eſſentia eſt objectum primum, & immediatum illius viſionis in ratione terminantis*, non verò in ratione moventis; id enim fit mediante volitione, qua vult videri, quia eſt objectum voluntarium.

Prob. 2. ex eodem, [2] nam *ſi objectum in ſe præſens ſufficit ad actionem viſionis cauſandæ, quantum ad illud, quod requiritur ex parte objecti, non requiritur ſpecies*; ſed in viſione beata objectum, ſc. eſſentia, eſt ſufficienter præſens ad cauſandam ſui viſionem intellectus; ergo non requiritur ſpecies. Maj. patet ex dictis, nam munus ſpeciei eſt, ſupplere vicem objecti, & reddere illud præſens, ideo ſi illud eſt ſufficienter præſens per ſe, ſuperfluit ſpecies ſuppletiva. Prob. min. nam illa cognitio eſt intuitiva, & facialis eſſentiæ Dei; ergo cauſatur ab illa, ut præſenti, alioqui eſſet abſtractiva, quia videret objectum in ſpecie; ergo implicat in terminis, quòd ſit viſio, ſeu intuitio, & quod per ſpeciem videatur.

Confir. ex Scriptura, nam *videmus nunc*, abſtractivè, *& per ſpeciem, tunc autem*, ſc. in cœlo, *facie ad faciem*, ſc. immediatè.

Prob. 2. ſpecies impreſſa requiritur ex parte potentiæ cognoſcentis, vel 1. quia objectum non eſt in ſe proportionatum, nec intelligibile, v. g. illud eſt materiale, & extenſum, iſta verò ſpiritalis, & indiviſibilis, vel 2. quia illud eſt abſens, aut diſtans, & requiritur ſpecies vicaria, per quam fiat præſens, & proximum, vel 3. quia potentia eſt de ſe indifferens ad plura intelligenda; & debet determinari ad intelligendum iſtud præ alio. Sed ex nullo capite iſtorum requiritur ſpecies ad viſionem Dei; ergo nullo modo requiritur. Prob. min. 1. non propter improportionem, quia eſſentia eſt ſpi-

[1] *Repor. 4. d. 10. q. 9. n. 4. & d. 49. qu. 2. n. 20.*
[2] *quodlib. cit. n. 17. X.*

ſpiritualis, ſicut & intellectus, & ipſa eſt maximè intelligibilis, quia eſt maximum ens, & ſumma veritas. 2. non propter abſentiam, quia eſt per ſe ubique præſentiſſima: non 3. propter indeterminationem, quia per illam ſui præſentiam, & manifeſtationem voluntariam ſufficienter determinat intellectum; ergo ex nullo capite neceſſaria eſt ſpecies impreſſa ad viſionem Dei, ſed prorſus ſuperflua eſt.

Confir. ex difficultate ſuſtinendi poſſibilitatem talis ſpeciei, ut mox patebit, nam licèt ſuſtineatur poſſibilis, non tamen ſine difficultatibus, quæ deterrent graves auctores à ſuſtinenda ejus poſſibilitate; ergo multò minùs debet aſſeri de facto exiſtens. Uno verbo: talis ſpecies eſt omninò ſuperflua, ut patebit ſolutione objectionum; ergo non eſt aſſerenda.

Objic. 1. Si eſſentia Dei per ſe immediatè concurreret ad viſionem, ſuperfluum eſſet lumen gloriæ; ſed conſ. eſt contra nos; ergo & ant. Probat. maj. lumen non eſſet neceſſarium, neque ad repræſentandam eſſentiam, nec ad elevandum intellectum; ergo eſſet ſuperfluum: non enim apparet alia ejus utilitas, quàm ad illa duo munia. Prob. ant. nam eſſentia Dei, ut per ſe movens, & determinans ad ſui viſionem ſatis conſtitueret intellectum in ſupernaturali ſtatu, & ſe ipſam ſufficienter repræſentaret; ergo ex neutro capite neceſſarium eſſet lumen gloriæ.

Reſp. neg. maj. 1. & conſ. 2. & 3. argum. nam ut videbimus, lumen requiritur ex parte intellectus, ut elevetur, & perficiatur in ordine ad attingendam, percipiendam, & ſuſtinendam præſentiam eſſentiæ, ad quam de ſe eſt improportionatus, ut dicetur infra.

Inſt. intellectus non poteſt juvari ad viſionem Dei, niſi per ſpeciem Dei; ergo ſi juvatur per lumen, iſtud habet rationem ſpeciei; ergo Deus videtur mediante ſpecie. Prob. ant. ut ſe habet potentia naturalis ad viſionem naturalem, ita ſupernaturalis ad ſupernaturalem; ſed intellectus non juvatur ad cognitionem naturalem, niſi per ſpeciem; ergo nec ad ſupernaturalem; ergo vel lumen gloriæ nihil juvat ad viſionem, vel id facit per modum ſpeciei.

Reſp.

Reſp. diſt. ant. niſi per ſpeciem Dei, vel per præſentiam immediatam, ſuppoſita elevatione, & perfectione per lumen, con. ante elevationem, & perfectionem, neg. ant. & diſt. maj. prob. ſicut ſe habet, &c. cæteris paribus, con. abſolutè, neg. maj. & conſ. & diſparitas eſt, quia in cognitione naturali eſt intellectus de ſe proportionatus ad attingentiam objecti, vel per ſe immediatè, ſi aliunde ſit ſufficienter præſens, aut per ſpeciem in caſu diſtantiæ, aut materialitatis. Non ita eſt de viſione Dei, qui non eſt objectum naturalis attingentiæ, pro intellectu creato, quomodocumque illi applicetur, ideo intellectus debet elevari, & perfici per lumen, aut aliquid æquivalens.

Objic. 2. Deus non ſolet per ſe immediatè efficere, quod poteſt ordinariè per creaturam; ſed poteſt ordinariè concurrere ad viſionem ſui per ſpeciem creatam; ergo id non facit per ſe, ſed per illam ſpeciem. Prob. min. quia id ita præſtat in aliis cognitionibus; ergo, &c.

Reſp. neg. min. nam, regulariter loquendo, de ratione viſionis eſt, ut cauſetur per ipſam entitatem objecti, ſi nihil impediat, & hoc ne multiplicentur entia ſine neceſſitate.

Inſt. viſio fieret magis connaturaliter per ſpeciem, quàm per ipſam eſſentiam, ergo ita debet fieri ordinariè. Prob. ant. intellectus magis connaturaliter agit per formam ſibi intrinſecam, quàm per extrinſecam: ſed eliciens ſuam viſionem per ſpeciem ſibi impreſſam, ageret per formam ſibi intrinſecam; ergo magis connaturaliter ageret. Prob. min. nam eſſentia Dei eſt extrinſeca intellectui videnti; ergo ſi eſſentia ſola per ſe, & immediatè concurrat ad viſionem, intellectus aget per formam ſibi extrinſecam.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. prob. magis connaturaliter quoad ſe; & ea, quæ ſe tenent ex parte potentiæ, con. quoad ea, quæ ſe tenent ex parte objecti, neg. maj. & conſ. Nam ex parte potentiæ intellectus agit per ſe, & per lumen gloriæ ſibi intrinſecè unitum, ex parte verò objecti agit cum eſſentia ſe ipſam per ſe immediatè exhibente objectivè.

Objic. 3. repugnat eſſentiæ Dei ratio ſpeciei impreſſæ, ſic enim informaret; & inhæreret intellectui, quem

quem redderet ſimilem ſibi; ſed ſi per ſe immediatè videretur ſine ſpecie, haberet munus ſpeciei impreſſæ; ergo repugnat eſſentiæ Dei videri in ſe, & per ſe immediatè, Prob. min. nam faceret per ſe, quod alia objecta faciunt per ſpeciem impreſſam, ergo obiret munus ſpeciei impreſſæ.

Reſp. relicta maj. in qua poſſunt latere æquivocationes, diſt. min. quatenus per ſe præſtaret, quod alia objecta per ſe non valent, con. quatenus id faceret per modum ſpeciei, neg. min. & conſ. prob. Nam ſpecies concurrunt informando, inhærendo, repręſentando, quod non faceret eſſentia, ſicut nec alia objecta, quæ per ſe ſentiuntur, ut tactibilia, quæ non egent ſpeciebus ſui repręſentativis, & vicariis.

Concl. 2. *Non implicat ſpecies impreſſa Dei, per quam clarè agnoſcatur ejus eſſentia; non tamen intuitivè*. Ita Scotiſtæ cum aliis plurimis contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *Non videtur negandum, quin poſſit*, Angelus, *habere cognitionem Dei abſtractivam, hoc modo intelligendo, quòd ſpecies aliqua diſtinctè repræſentet iſtam eſſentiam, licèt non repræſentet, ut in ſe præſentialiter exiſtentem, &c.* Habes hìc totam concluſionem quoad utramque partem. Ubi notabis, talem ſpeciem dici à Scoto naturalem Angelo, prout naturale opponitur violento, aut purè gratuito, non autem prout naturale opponitur ſupernaturali.

Prob. 2. quoad 1. p. quia nulla apparet evidens implicantia, quin Deus poſſit producere aliquam talem ſpeciem ſui in intellectu creato, vel creabili, ut patebit ſolutione objectionum; ergo non implicat.

Prob. 3. ex eodem: [2] poſſibilis eſt ſpecies expreſſa Dei clarè viſi, aut cogniti; ergo & impreſſa, non enim magis implicat iſta, quàm illa, quia expreſſa tam eſt Dei repræſentatio clara, quam impreſſa, imò iſta debet eſſe perfectior, & poſſibilior, quia producitur ab ipſo objecto, ſeu Deo, à quo erit immediatè, & aliunde facilior, quia eſt tantùm ſimilitudo vir-

[1] *2. d. 3. q. 9. D. & H. n. 7. & 10.*
[2] *ib. K. n. 8.*

virtualis, expreſſa verò eſt ſimilitudo formalis, & in hoc difficilior, ſed producta ab intellectu partialiter cum objecto, vel in ſe, vel in ſpecie, & in hoc mediatior. Prob. ant. ſi quis in raptu videret tranſitoriè eſſentiam Dei, ceſſante hac viſione, poſſet habere memoriam objecti viſi. D. Paulus enim recordabatur eorum, quæ vidit in raptu; & quidem ſub eadem ratione, ſub qua videbantur, excepta præſentialitate reali, quæ ſupponitur ceſſaſſe; ergo tunc haberet ſpeciem expreſſam Dei, & diſtinctam; ergo hæc poſſibilis eſt.

Confir. 1. ex S. Auguſt. [1] *In quantum Deum novimus, ſimiles ſumus, ſed non ad æqualitatem ſimiles, quia non tantum ipſum novimus, quantum ipſe eſt noſcibilis;* ergo quælibet vera Dei cognitio eſt ejus ſimilitudo; ergo cognitio diſtincta, & clara Dei eſt ſpecies, ſeu ſimilitudo Dei diſtincta, & clara. Idem docet [2] de viſione perfecta: *in hac imagine tunc perfecta erit Dei ſimilitudo, quando Dei perfecta erit viſio, de qua dicit Apoſtolus*: [3] *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate, tunc autem facie ad faciem*. Item dicit: [4] *nos autem revelata facie gloriam Domini ſpeculantes in eamdem imaginem transformamur....* Apoſtolus autem Joannes [5].... *ſcimus, quia, cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quia videbimus eum, ſicuti eſt*. Hinc apparet, *tunc iſta imagine Dei fieri ejus plenam ſimilitudinem, quando ejus plenam perceperit viſionem*; ergo ex Auguſtino, per Dei viſionem producitur clara Dei ſpecies, & ſimilitudo.

Objic. 1. omnis cognitio diſtincta fit per ſpeciem immaterialiorem, aut ſaltem æquè immaterialem cum re cognita; ſed nulla eſt poſſibilis ſpecies immaterialior, vel æque immaterialis cum Deo; ergo non eſt poſſibilis ſpecies Dei impreſſa. Minor eſt certa. Prob. maj. inductione, nam ſpecies rei materialis recepta in ſenſu externo fit purior, & adhuc immaterialior, cùm recipitur in ſenſu interno, & denique fit ſpiritualis ea, quæ recipitur in intellectu; ergo quò viſio eſt perfectior, eò ſpecies eſt immaterialior. Reſp.

[1] *de Trin. c. 11.*
[2] 14. *de Trin. c. 17.*
[3] 1. *Cor. 13.* [4] 2. *Cor. 3.* [5] 1. *Jo. 3.*

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. nam ſpecies objecti accommodatur potiùs capacitati potentiæ, & ideò, ſi hæc non ſit immaterialior in ſua entitate, ita nec ſpecies, alioqui Angelus inferior non poſſet cognoſcere ſuperiorem, qui eſt purior.

Inſt. 1. ſpecies materialis non poteſt repræſentare rem ſpiritualem; ergo nec ſpecies minus materialis repræſentare poſſet rem immaterialiorem.

Reſp. neg. conſ. nam immaterialitas ſpeciei non attenditur per ordinem ad objectum, quod repræſentat, ſed ad potentiam, quam informat, unde ſi ſpecies materialis non poteſt repræſentare rem ſpiritualem, hoc venit aliunde. Et præterea idem facit contra ſpeciem expreſſam, quę eſt formalis ſimilitudo objecti.

Inſt. 2. Deus magis diſtat ab omni re creata, quàm ullum ſpirituale à materiali; ſed nullum materiale poteſt repræſentare ſpirituale; ergo nec ſpecies ulla creata Deum poterit repræſentare.

Reſp. diſt. maj. magis diſtat in ratione entis, con. in ratione cognoſcibilis, neg. maj. & conſ. alioqui Deus non poſſet ullo modo cognoſci à creatura, quod eſt contra adverſarios, & error in fide.

Objic. 2. ſpecies impreſſa ordinatur eſſentialiter ad expreſſam; ſed ſpecies expreſſa Dei implicat; ergo & impreſſa. Prob. min. ſpecies expreſſa debet repræſentare objectum in eſſe intentionali ſecundum omnem perfectionem, quam habet in eſſe reali; ſed nulla ſpecies expreſſa poteſt ſic Deum repræſentare, alioqui eſſet infinita, quod implicat; ergo implicat ſpecies expreſſa Dei. Prob. min. illa ſpecies, quæ repræſentaret Deum ſecundum omnes perfectiones ejus, tantæ eſſet perfectionis in repræſentando, & in eſſe reali intentionali, quantæ eſt ipſe Deus in eſſe reali; ſed Deus in eſſe reali eſt infinitus; ergo & illa ſpecies in eſſe intentionali eſſet infinita.

Reſp. 1. retorquendo arg. nam militat etiam contra notitiam claram, & intuitivam, ſolo nomine mutato, æque ac contra ullam ſpeciem: talis enim notitia debet æquè repræſentare Deum, ac ulla ſpecies ſecundum omnem perfectionem ejus; ergo quod dicetur de infinitate ſpeciei, dicetur de notitia intuitiva.

Reſp. 2. neg. min. 1. & 2. argum. & maj. 3. neque enim oportet, ut ſpecies, aut notitia elicita adæquet

totam cognoſcibilitatem Dei, nec illam cognoſcat infinitè, licèt ſit ipſe infinitus, cognitio, & ſpecies expreſſa creſcit quidem dignitate cum aliqua proportione ad dignitatem objecti, ſed non ad æqualitatem, erit quidem infinita terminativè, ſeu objectivè, & extrinſecè, propter infinitatem objecti: ſed non intrinſecè, ſeu entitativè, & certè idem objicitur contra viſionem.

Inſt. 1. eſſentia Dei continet omnes perfectiones poſſibiles, & ideo eſt infinita; ergo & ſpecies, omnia illa repræſentans, erit infinita, etiam intrinſecè, quia repræſentabit perfectiones infinitas, alioqui eſſet imperfecta, & limitata.

Reſp. 1. idem retorqueri, & dici poſſe contra viſionem intuitivam, & quidem à fortiori, quia talis viſio repræſentat eſſentiam Dei immediatius, quàm ulla ſpecies, quæ non repræſentat, niſi mediante actu intellectus, à quo producitur.

Reſp. 2. neg. conſ. nam licèt ſpecies (idem eſt de viſione) repræſentet eſſentiam infinitam, non tamen repræſentat infinitè.

Inſt. 2. ſpecies impreſſa Dei eſt adæquata ejus ſimilitudo; ergo non tantum repræſentat infinitam eſſentiam, ſed etiam infinitè, alioqui non eſſet adæquata ſimilitudo, ſed inadæquata.

Reſp. 1. retorq. argum. viſio Dei intuitiva eſt adæquata Dei expreſſio, & ſimilitudo in intellectu creato, & quidem à fortiori, nam cauſatur immediatè ab ipſa eſſentia, ſeſe per ſe manifeſtante ſine ſpecie media; ergo ſeſe manifeſtat infinitè. Quidquid dixeris ad iſtud de viſione, dicam de ſpecie.

Reſp. 2. diſt. ant. eſt adæquata ſecundum quid, con. abſolutè, & ſimpliciter, neg. ant. Nam repræſentat quidem totam eſſentiam, ſed non totaliter, & adæquatè, quia quoad hoc ſeſe accommodat capacitati potentiæ, quæ eſt finita.

Reſp. 3. diſt. ant. eſt adæquata comparativè ad potentiam, in qua recipitur, & cum qua concurrit ad viſionem, con. comparativè ad entitatem, cognoſcibilitatem, & repræſentabilitatem objecti, neg. ant. & conſ. nam hæc adæquatio non eſt poſſibilis, nec neceſſaria.

Inſt. 3. Relatio ſimilitudinis fundatur in unitate, vel

vel æqualitate relatorum in aliqua forma, ſed nulla talis unitas, vel æqualitas eſt poſſibilis inter Deum repræſentatum, & ſpeciem repræſentantem; ergo implicat omnis ſpecies, & ſimilitudo Dei.

Reſp.1. idem objici, & retorqueri de ſpecie expreſſa, & viſione Dei: Eſt enim ſimilitudo.

Reſp. 2. diſt. maj. relatio ſimilitudinis in eſſendo, con. ſimilitudinis in repræſentando intentionaliter, neg. mai. & min. In hoc ſenſu talis ſimilitudo non repugnat inter Deum, & creaturam, ut fatendum eſt de viſione intuitiva, & omni alia cognitione clara.

Inſt.4. ſpecies impreſſa venit ab objecto, quod ſe repræſentat, quantum eſt repræſentabile, agit enim tunc naturaliter, & neceſsariò, & quantum poteſt; ſed objectum, nempe eſſentia Dei, à qua veniret illa ſpecies, eſt infinitæ repræſentabilitatis; ergo & illa ſpecies deberet eſſe infinitè repræſentativa; ergo ſimilitudo illa eſſet abſolutè, & ſimpliciter adæquata.

Reſp.1. idem dicendum de viſione intuitiva, prout cauſatur immediatè ab eſſentia Dei, ut præſente. Dic ergo, unde eſt, quod viſio non ſit ſimpliciter adæquata objecti viſibilitati, & ego id dicam de ſpecie. De iſta.

Reſp.2. diſt. maj. ſi ſit objectum agens, & ſe manifeſtans naturaliter, & neceſſariò, con. ſi ſit ſe repræſentans liberè, & contingenter, neg. maj. & rationem ejus. Nam, ut ſæpe diximus, Deus ad extra eſt objectum voluntarium, & ſeſe oſtendit *quando, & quomodo vult*, inquit Auguſt. & ideo ſeſe accommodat capacitati potentiæ, imò & meritis videntis, ſive id faciat per eſſentiam ſuam immediatè, ſive per ſpeciem, utrobique enim agit liberè. Eſſentia igitur Dei non agit naturaliter, & neceſſariò ad ſui viſionem: *quia non eſt immediatè motiva alicujus intellectus, niſi primi*, ideſt Divini; unde *movere ad actum beatificum non eſt proprius actus eſſentiæ Divinæ, neque eſt prius actu voluntatis*; imò eſt propriè actus voluntatis, &c. inquit Scotus, ideo non eſt mirum, quòd non agat quantum poteſt, ſed commenſuratè ad intellectum creatum.

Inſt.5. ſpecies, cauſata ab objecto, repræſentat illud, ſicuti eſt; ſed Deus eſt infinitus; ergo ſpecies Dei repræſentaret eum infinitè.

Reſpondeo 1. idem dici de viſione ipſa Dei: nam *videbimus eum, ſicuti eſt*; ergo ſi argumentum hoc valeret, viſio Dei eſſet infinita, &c.

Reſp.2. diſt. maj. ſicuti eſt, ſeu ſecundum quod eſt à parte rei cum omnibus perfectionibus ſuis abſolutis, & ipſa infinitate, con. ſecundum omnem modum, quo eſt viſibilis, & repræſentabilis, neg. maj. & conſ. nec enim id neceſſarium eſt in ſpecie tam expreſsa, quàm impreſſa objecti moventis liberè, & per voluntatem ſeſe repræſentantis, ut Deus.

Inſt.6. hæc ſpecies manaret ab eſſentia Dei ſicuti eſt, & non ſicuti vult; ergo commenſuraretur ipſi eſſentiæ, & non voluntati; ergo eſſet intuitiva.

Reſp. diſt. ant. ſicuti eſt, objectivè, & terminativè, ita ut repræſentaret eam verè, ut talem; qualis eſt, con. non prout vult effectivè, ſeu non dependenter à voluntate, neg. ant. & conſ. Species illa repræſentaret eſſentiam Dei verè, & talem, qualis eſt, ſed pro menſura determinata per voluntatem.

Objic.3. ex Scoto, [1] ſpecies repræſentans infinita eſſet etiam infinita entitativè, & repræſentativè; ſed ſpecies impreſſa Dei repræſentaret infinita; ergo eſſet infinita utroque illo modo. Prob. min. eſſentia Divina continet infinitas perfectiones, & objecta; ergo, &c.

Reſp.1. idem eſſe à fortiori de viſione intuitiva eſſentiæ Dei.

Reſp.2. neg. min. & conſ. prob. ſicut enim non eſt neceſſe, ut intuitio repræſentet omnia explicitè, quæ ſunt in Deo formaliter, aut virtualiter neque eſt abſolutè comprehenſiva, ita eſſet de illa ſpecie impreſſa; ſufficeret illi, quod repræſentaret, quoad prædicata eſſentialia, & attributa abſoluta. Imo licet repræſentaret creaturas contentas in virtute Dei, adhuc non eſſet intuitiva intenſivè, ſed ad ſummum extenſivè, & extrinſecè; quia non propterea eſſet adhuc comprehenſiva, nec exhauriret repræſentabilitatem Dei totam.

Objic. 4. nulla ſpecies impreſſa Dei poſset habere munus talis ſpeciei; ergo eſt impoſſibilis, & implicans contradictionem, eſset enim & non eſset impreſsa, quia non exerceret ullum munus ſpeciei impreſ-

[1] 2. *d.*3.*q.*10. *A.n.*6.

preſsæ. Probatur ant. ſpecies impreſsa datur vel ad ſupplendam abſentiam objecti, quando eſt abſens, vel ad proportionandum illud potentiæ, quando de ſe eſt improportionatum; verbi gratia: quando illud eſt materiale, & potentia eſt ſpiritualis; ſed ſpecies illa Dei nullum præſtaret, ergo, &c. Prob. min. eſſentia Dei nec eſse poteſt diſtans, nec proportionatum objectum intellectus magis ſine ſpecie, quàm cum ſpecie.

Reſp. neg. ant. & prob. nam utrumque munus poſſet præſtare illa ſpecies. 1. applicando, & manifeſtando eſsentiam, quatenus Deus non vellet eam aliter manifeſtare, & videri; & 2. elevando intellectum, ſicut facit lumen gloriæ; nam ſicut regulariter, & de lege poſita, non vult Deus videri, niſi mediante lumine gloriæ, & per ſuam eſsentiam, immediatè ſe manifeſtantem, dato lumine, ita fieret per ſpeciem illam, quæ & determinaret, & elevaret intellectum, diſponeretque ad videndum Deum, qui ſic vellet videri, & manifeſtare, data illa ſpecie.

Inſt. Deus eſt intelligibilis per eſsentiam; ergo non poteſt intelligi, mediante ulla re creata, ut eſt ſpecies illa.

Reſp. diſt. ant. intelligibilitate intrinſeca, conc. ant. intelligibilitate accidentali, & extrinſeca, neg. ant. & idem eſt de quolibet ente, ea enim ratione, & proportione, qua aliquid eſt ens, ita eſt intelligibile in actu primo intrinſeco; ſed intelligibilitate extrinſeca, & in actu primo proximo fit intelligibilis, vel per lumen gloriæ, vel per ſpeciem, vel per concurſum, & manifeſtationem voluntariam, quæ ſit velut approximatio objecti ad potentiam, vel potentiæ ad objectum.

Inſt.2. de ratione ſpeciei impreſsæ eſt, quòd ſit vicaria objecti, & ſuppleat ejus abſentiam; ſed id non faceret ſpecies illa, ergo eſset ſuperflua. Prob. min. nam ſuppoſito lumine gloriæ, eſsentia ſe manifeſtat per ſe, & ſit per ſe præſens; ergo id non poſset ſupplere ſpecies ulla.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. ſuppoſito lumine gloriæ, & de lege poſita, conc. de via extraordinaria, & in caſu concluſionis, neg. ant. Nam in tali caſu vel non adeſset lumen illud, vel Deus nollet,

rum eo ſic concurrere ad viſionem per ſuam eſſentiam, niſi mediante ſpecie.

Objic. 5. ſequeretur Deum eſſe naturaliter cognoſcibilem diſtinctè, ut unum, & trinum; ſed conſ. eſt contra nos; ergo & ant. Prob. ſeq. intellectus habens talem ſpeciem cognoſceret in ea diſtinctè, & clarè totam eſſentiam, & licèt ea ſpecies ſit ſupernaturalis, tamen per actum reflexum cognoſceret id, quod in ea repræſentatur, ſicut in ſpeculo videmus rem, quam repræſentat ſpecies, in eo relucens, & quidem naturaliter; ergo, &c.

Reſp. 1. ſemper idem poſſe dici de ſpecie expreſſa, ſeu viſione, nam Angelus poteſt videre viſionem ſuam Dei.

Reſp. 2. neg. ſeq. maj. & ant. prob. nam talis ſpecies eſset ordinis ſupernaturalis, & ſic videri non poſſet naturaliter; 2. præterea ſpecies impreſſa non repræſentat objectum formaliter, ſicut expreſſa, ſed tantùm virtualiter, & ſic objectum non videtur in ea, ſicut in ſpecie expreſſa, & in ſpeculo, ſed per illam, & ut quo; 3. quia illud munus concurrendi activè, & per modum comprincipii viſionis Dei, non præſtaret, niſi in intellectu, in quo eſſet formaliter.

Objic. 6. illa ſpecies eſſet perfectior imago Dei, quàm homo, & Angelus; ſed hoc abſurdum eſt, & contra mentem Sanct. Patrum; ergo & illud. Probatur maj. quia duceret nos in perfectiorem Dei cognitionem, quàm homo, aut Angelus ducerentur.

Reſp. diſt. maj. perfectior in cognoſcendo, ſeu repræſentando, con. maj. & neg. min. in eſſendo, neg. maj. & conſ. Imago in eſſendo eſt ea, quæ prius cognita nos ducit in cognitionem alterius, & ſic Angelus, & homo ſunt perfectiores imagine ſecundum gradum intellectualem, in quo perfectiùs imitantur Deum in ſuis operationibus, & de hoc SS. PP. loquuntur in repræſentatione ſimplici, & ut quo, perfectius repræſentaret ſpecies, & præterea idem dici poſſet de viſione ipſa, & ſpecie expreſſa, & ſic retorqueri argumentum.

Alias objectiones afferunt, & doctè reſolvunt Cardinalis Laurea, [1] & Maſtrius. [2]

Concl. 3. Cognitio Dei, quæ haberetur per ſpeciem im-

[1] *D.4.nov.d.18.An.308.* [2] *Diſp.6. An.10.*

impreſſam ejus, non poſſet eſſe, niſi abſtractiva, ita Scotiſtæ potiores contra quoſdam alios, & contra Recentiores.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſemper, & ubique docet, cognitionem, quæ eſt de re præſenti, ut præſenti, vel ſecundum actualem exiſtentiam, eſſe intuitivam, eam verò, quæ poſſet haberi de Deo ipſo per impoſſibile non exiſtente, vel non præſente per eſſentiam, dici abſtractivam, & hanc non eſſe illam, quam expectamus, ſed expectamus intuitivam, quæ dicitur facie ad faciem; quia ſicut ſenſitiva eſt facialis, ſcilicet rei, ſecundum quod eſt præſentialiter exiſtens, ita & illa, quam expectamus; ergo, ex Scoto, cognitio, quæ habetur de Deo per ſpeciem, per quam æquè cognoſceretur abſens, ac præſens, eſt abſtractiva, non intuitiva, unde concludit, quòd cognitio, quam haberet Angelus per ſpeciem, eſſet abſtractiva.

Prob. 2. ratione ex eodem, cognitio intuitiva neceſſariò debet cauſari ab objecto, ut præſente, in ſe, vel in alio, in quo contineatur eminenter; ſed cognitio, quæ haberetur de Deo per ſpeciem impreſſam, non cauſaretur à Deo, ut præſente, nec in ſe, nec in alio, in quo contineri poſſit eminenter; ergo non eſſet intuitiva, ſed abſtractiva. Maj. continet definitionem receptam ab omnibus. Prob. min. quia illa ſpecies ſic exhiberet Deum, ut eodem modo per illam cognoſceretur, ſi per impoſſibile non exiſteret, aut non eſſet præſens, & Deus non poteſt contineri, nec virtualiter, nec eminenter in re ulla creata, ut patet; ergo, &c.

Confir. quia talis cognitio per ſpeciem illam eſſet intuitiva, & abſtractiva; ſed hoc repugnat; ergo, &c. Prob. maj. eſſet intuitiva, ut ſupponitur, non eſſet, quia non cauſaretur immediatè ab eſſentia, ut præſente, ſed per ſpeciem præſcindentem ab exiſtentia, unde quia omnes Theologi, & Patres docent, quòd viſio beata erit intuitiva, diximus in concluſione, illam immediatè cauſari, & terminari ab eſſentia, quæ ſe ipſam liberè, & immediatè manifeſtat intellectui illuſtrato, & elevato lumine gloriæ.

Objic. 1. ſpecies Dei diſtincta non præſcindit ab exiſtentia, ſed repræſentat eam, ut exiſtentem; ergo

[1] *2. d. 3. q. 9. C. n. 6. & 7.*

cauſat cognitionem intuitivam. Prob. ant. nam ſpecies diſtincta repræſentat rem ſecundum totam quidditatem rei; ſed exiſtentia eſt de quidditate Dei per nos; ergo ſpecies illa non poſset præſcindere ab exiſtentia Dei, ſed repræſentaret illum, ut exiſtentem.

Reſp. diſt. ant. non præſcindit, ſed repræſentat Deum exiſtentem objectivè, terminativè, & materialiter, con. ant. motivè, cauſaliter, & effectivè, neg. ant. & conſ. Aliud eſt, Deum cognoſci exiſtentem, aliud eſt cognoſci intuitivè, & per ſpeciem impreſsam Dei, repræſentatur objectivè, & terminativè, ſeu materialiter exiſtentia Dei, quæ eſt objectum ejus cognitionis, quam illa ſpecies cauſat, ſicut eſt objectum, & materia, & terminus cognitionis meæ præſentis, cum hæc ſcribo, quam tamen nullus dixerit intuitivam, hoc ſenſu verum eſt totum 2. argumentum, ſed non eſt ad rem, nam cùm dicimus intuitionem eſse de re præſenti, ut præſenti, volumus illam non ſolùm terminari ad exiſtentiam, etiam actualem rei, ſed & ipſam cauſari, moveri, ſeu effici ab ipſa eſsentia Dei, ut præſente, & per ſe, quod valde notandum ad evitandam æquivocationem omnem. Vide quæ diximus de cognitione abſtractiva, & intuitiva in Philoſophia. [1]

Inſt. licèt objecta materialia videantur per ſpecies, à ſe diffuſas, cognitio non deſinit eſſe intuitiva; ergo ita eſset de cognitione Dei per ſpeciem impreſſam. Patet ant. quia talia objecta ſic cognoſcuntur, ut præſentia.

Reſp. diſt. ant. ſi ſpecies ſic repræſentent objecta præſentia, ut non ſic repræſentarentur, ſi eſsent abſentia, con. ſi eodem modo poſsent repræſentare abſentia, neg. ant. & conſ. nam tunc præſentia objecti nihil juvat. In ſenſibus externis objecta materialia emittunt ſpecies, quæ ab eis pendent in eſse, & conſervari, & ideo cùm oculus intuetur per illas objecta ſua, viſio illa eſt intuitio, ſed non ita eſt de ſenſibus internis, & de intellectu, in quibus ſpecies conſervantur, de abſentibus objectis æquè, ac de præſentibus, ideo cognitiones iſtæ per ſpecies ſunt abſtractivæ.

Inſt. 2. hæc ſpecies de Deo repræſentat non ſolum exi-

[1] *T.4.t.13.q.10.*

exiſtentiam ejus, ſed & præſentiam actualem, nam repræſentat eum, ut exiſtentem, & immenſum; ergo habet totum, quod requiritur ad intuitionem.

Reſp. diſt. ant. repræſentat præſentiam, immenſitatem, &c. ut objecta terminativa, conc. ant. ut objecta motiva, & rationes cognoſcendi, neg. ant. ut patet ex dictis.

Objic. 3. ex Scoto [1] magis neceſsaria eſt ſpecies ad viſionem Dei, quàm lumen: ſed lumen non impedit, ne ſit viſio intuitiva; ergo nec ſpecies.

Reſp. neg. conſ. non enim abſolutè dicit, ſpeciem poni propter operationem, neque ibidem loquitur de ſpecie reſpectu cognitionis intuitivæ, vel abſtractivæ, ſed indeterminatè, ideo nihil inde colligi poteſt contra nos. Habes ex hac quæſtione, viſionem Dei eſse de facto intuitivam, ſcilicet terminatam ad eſſentiam Dei, ſeſe in ſe immediatè, & liberè manifeſtantis abſque media ulla imagine, vel ſpecie impreſsa, non tamen implicare, illam videri per aliquam talem ſpeciem, illam diſtinctiſſimè repræſentantem, ſed talis viſio, ſeu notitia Dei non eſset propriè intuitiva. De ſpecie dicemus infra.

QUÆSTIO X.

De lumine Gloriæ, an ſit, quid ſit, & quotuplex.

Jam ſæpiùs locuti ſumus de lumine gloriæ, quod ſupponimus concurrere ex parte intellectus Angelici, vel humani ad viſionem Dei, ſicut ſpecies concurrit ex parte objecti. Videndum hìc, an detur tale lumen, an ſit neceſsarium, & in quo conſiſtat ejus natura, & eo magis hìc agendum de illo poſt quæſtionem de ſpecie impreſsa, quia plures illud cum iſta confundunt; ut dicemus.

Per *lumen* autem *gloriæ* intelligimus qualitatem, vel auxilium aliquod ſupernaturale, ſe tenens ex parte intellectus, quem elevat, & corroborat ad attingendum Deum in ſe per viſionem, nam cùm Dei eſsentia ſit objectum ſummè elevatum, & inacceſſibili circumfuſum ſplendore, quo intuentes

[1] 4. d. 39. q. 21. H.

opprimeret, niſi divinitus elevarentur, ideo mentis oculi ſunt elevandi, ut eo pertingant, & juvandi, ac roborandi, ut eos ſplendores ſuſtineant. Porrò dicitur *lumen*, quia debet perficere, & juvare lumen naturale intellectus, & irradiare oculos mentis noſtræ debiles, & tenebricoſos, ſicut oculi noctuæ ad ſolem, & item *gloriæ*, quia juvat ad videndum gloriam Dei, & glorioſum, ac beatum reddit videntem.

Illud autem triplex diſtingui poteſt 1. *objectivum*, quod eſt ipſamet natura Dei, qui *lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ*, & *eſt lux vera, quæ illuminat omnem hominem*, & concurrit ad ſui viſionem per modum objecti. 2. *habituale*, quod eſt qualitas quædam permanens, & ſupernaturalis, recepta in intellectu creato, elevans, perficiens, & corroborans illum ad attingendum illud objectum increatum, & eliciendam ejus viſionem, ſicut dicitur de habitu charitatis in voluntate ad eliciendum amorem beatificum, & 3. *actuale*, quod eſt vel ipſe actus viſionis, vel qualitas ſupernaturalis in intellectu recepta, & tranſiens, elevans, & perficiens eum in actu primo proximo ad eliciendam eamdem viſionem, & ſe habet ad intellectum velut gratia actualis in eodem, vel in voluntate in ordine ad actus fidei, & charitatis in via, addunt 4. *potentiale*, eſtque ipſemet intellectus, ſeu potentia viſiva, & intellectiva: quæſtio autem procedit de lumine *actuali*, & *habituali*, nam de objectivo jam diximus plura, & iterùm dicemus.

Concl. 1. *Datur lumen aliquod gloriæ, & illud eſt neceſſarium intellectui creato ad eliciendum actum viſionis*. Eſt de fide contra Beguardos, & Beguinas, inter quorum errores erat iſte, quod *quælibet natura intellectualis in ſe naturaliter eſt Beata, & quod non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum*, & hunc errorem dicit Scotus, majorem, & pejorem eſſe errore Pelagianorum, qui negabant neceſſitatem gratiæ ſupernaturalis ad opera ſalutis.

Prob. 1. ex Scoto: [1] *nemo negat communiter in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu, & iſte ex parte intellectus poteſt poni correſpondere charitati ex* parte

[1] 1. *d.* 17. *q.* 2. *Q. Q. n.* 37. *fin.*

parte voluntatis. Et alibi docet, [1] quod *natura humana non eſt ſufficienter activa ex puris naturalibus ad videndum Deum viſione beata*. Et infra dicit, quòd *ponuntur tres formæ ſupernaturales, præcedentes operationem. 1. correſpondens objecto, ſcilicet ſpecies intelligibilis in memoria; 2. ex parte intellectus, quod dicitur lumen gloriæ; & 3. ex parte voluntatis, quæ dicitur charitas*. Dicit autem hoc propter operationem, ſeu ad eliciendam viſionem, non verò ad eam recipiendam; quod valdè notandum eſt.

Prob. 2. ex Script. [2] *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen, id eſt*, inquit Lyran. *in lumine creato gloriæ videbimus lumen tuæ eſſentiæ, quod videri non poteſt ab intellectu creato, niſi ad hoc elevetur per lumen gloriæ, fortificans lumen naturale intellectus*. Item Joannes [3] in Apocalypſi dicit, quod, *Videbunt faciem ejus, & non egebunt lumine Solis, quia Dominus illuminabit illos*, &c.

Prob. 3. ex definitione Concilii Viennenſis ſub Clemente V. ad noſtrum, ubi damnati ſunt errores prædictorum Hæreticorum. Notat autem Card. Laurea, [4] quòd ante Concilium iſtud non conſtabat in Eccleſia, an lumen iſtud eſſet *objectivale*, ſcilicet ſe tenens ex parte Dei, *an formale*, & ſe tenens ex parte intellectus; ſed tamen ita cenſerunt Theologi Scholaſtici ante illud, ut Magiſter, S. Tho. S. Bonaventura, Scotus, Alenſis; ſed magna pars Sanct. Patrum loquuntur de lumine increato ipſius Dei, quo lumine illuſtratur anima, ut omnia vel in ſe, vel in ipſo intellectu veraciter conſpiciat, *nam illud eſt ipſe Deus: hoc autem creatura*, inquit Auguſt. [5] Et iterum, [6] *Videbimus lumen in lumine ſuo, quale autem lumen? lumen immenſum, incomprehenſibile, lumen increatum, quod eſt lumen luminum, quod es tu, Domine Deus meus*. Et ita paſſim apud alios Sanct. Patres, imo & aliquando videtur ita loqui Doctor. [7]

Prob. 4. ex SS. Patribus, qui omnes agnoſcunt ne-

R 6

[1] 4. *d.49. q.11. E. & G. n.30.*
[2] *Pſ.55.* [3] *Apoc.22.*
[4] *De Hær.* [5] 12. *Gen. ad lit. C.31.*
[6] *Epiſt.6.* [7] 3. *d.31. B. n.3.*

neceſſitatem luminis ſupernaturalis ad viſionem Dei, v.g. ex Dionyſio[1] dicente, quòd *beatæ mentes elevantur, illuminantur, irradiantur, illuſtrantur.* Et Origenes explicans citata verba Pſal. *in lumine tuo videbimus lumen*, inquit, hoc eſt *in verbo, & ſapientia tua, in ipſa te videbimus Patrem*, &c.

Prob. denique ratione ex dictis de impoſſibilitate viſionis, ex viribus naturæ, nam conſtat, hominem ſine auxilio ſupernaturali non poſse attingere viſione Deum; ſed illud auxilium vocamus lumen gloriæ; ergo datur, & neceſsarium eſt. Id confirmatur adhuc fortius ex dictis de neceſſitate ſcientiæ ſupernaturalis, & certè ſi nobis neceſsarium ſit lumen aut gratia ſupernaturalis ad cognitionem diſtinctam abſtractivam naturæ Dei, quantò magis ad intuitivam?

Objic. 1. ideo requireretur illud lumen, ut intellectus proportionetur ad Dei viſionem; ſed hæc ratio nulla eſt; ergo non datur, nec eſt neceſsarium. Prob. min. nam intellectus cum quovis lumine adhuc infinitè diſtat à Deo, & ejus viſioni eſt improportionatus; ergo, &c. Prob. ant. ſemper enim Deus eſt incomprehenſibilis, & infinitus.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. diſtat, & eſt improportionatus quoad entitatem, & eſse, con. quoad cognoſcere, & cognoſci, neg. ant. & conſ. Nam inter intellectum, ut cognoſcitivum, & viſivum, & Deum, ut cognoſcibilem, & viſibilem, non eſt improportio, nec diſtantia infinita, ſed ſola diſtantia ordinis; quia intellectus eſt potentia ordinis naturalis, & Deus objectum ordinis ſupernaturalis, ad quem intellectus eget elevari, & roborari.

Inſt. quod perficit, & complet intellectum ad viſionem eliciendam, debet eſse ejuſdem rationis, & ſimile intellectui; ſed lumen gloriæ, qualecumque ſit, non poteſt eſſe ſimile intellectui, quia iſte eſt potentia vitalis, non verò illud; ergo non poteſt perficere intellectum ad eliciendam viſionem Dei, quæ eſt actus vitalis.

Reſp. neg. maj. nec enim illa ſimilitudo eſt neceſſaria in habitibus tam naturalibus, quàm ſupernaturalibus, ſufficit, quod poſſint uniri, & informa-

re

[1] *de Div. Nom. c.*

re potentias vitales, & cum illis concurrere, *ut quo*, ad actus earum.

Objic. 2. quando objectum eſt de ſe ſufficienter illuminatum, aut luminoſum, non requiritur ex parte potentiæ aliud lumen præter objectivum, quod poteſt, ſe ſolo, cauſare viſionem in potentia, ſed talis eſt Deus; ergo ad viſionem Dei non requiritur lumen ullum ex parte intellectus.

Reſp. diſt. maj. ſi potentia ſit capax de ſe attingendi tale objectum, & cum eo eliciendi viſionem; conc. maj. ſi non ſit capax: neg. maj. & ſimiliter dico ad minorem; nam præter nimium ſplendorem, & elevationem Dei, eget intellectus elevatione, & corroboratione, ad ſuſtinendum ſplendorem, & attingendum ad illud objectum, & præſentiam ejus.

Objic. 3. Concilium Viennenſe non definit, lumen illud eſſe habitum ſe tenentem ex parte potentiæ, nec illi inhærere; ergo ex ſenſu Eccleſiæ, lumen illud *habituale* non eſt neceſſarium; ſed ſufficit, vel *objectivale*, vel auxilium quodvis aliud ſupernaturale, aut quòd viſio producatur totaliter à Deo in intellectu merè paſſivè ſe habente. Prob. conſ. nam intellectus ſatis elevatur per illud auxilium.

Reſp. quidquid ſit de ant. de quo infra; neg. conſ. Nam, ut dicemus, intellectus debet concurrere activè ad viſionem beatam, & ut ſic concurrat, magis convenit modo, & naturæ talis potentiæ, ut lumen ſe teneat ex parte illius, & ſic eliciat viſionem; an autem lumen ſit aut quædam ſpecies impreſſa, aut auxilium, ſeu lumen actuale, an aliquid aliud, videndum eſt concl. ſeq.

Objic. denique, Scotum videri negaſſe tale lumen in multis locis; ergo ex Scoto non eſt admittendum. Prob. ant. tùm ex multorum ſententia, qui hoc aſſerunt de mente Scoti; inter alios Ægidius Luſitanus, apud Maſtrium; [1] tùm quia dicit, quòd, licèt *neceſſe ſit, ponere charitatem in Beato propter operationem*, ſcilicet amorem, *eliciendam; lumen autem gloriæ non mihi videtur neceſſe poni ad viſionem: quantò enim objectum eſt magis in ſe lux, multò minus, propter ipſum, requiritur de lumi-*

[1] *Diſp.* 6. *q.* 3. *n.* 96. 4. *d.* 49. *q.* 11. *H. n.* 10. 3. *d.* 31. *B. n.* 3.

lumine. Et alibi docet,[1] quòd, *non eſt neceſſarium ponere aliquem habitum in patria creatum in ipſa anima, qui ſit principium videndi, vel tendendi in objectum, ſaltem alium, niſi charitatem*. Item docet, quòd ſi intellectus non concurrit activè ad viſionem, ſed eam recipiat, merè paſſivè ſe habens, non requiritur ullus habitus ex parte ejus ad illam viſionem. *Eſſentia*, inquit, *divina eſt ſumma lux ex ſe, & de ſe intelligibilis, & de ſe perfectiſſimè motiva intellectus; ergo nullum lumen requiritur cooperativum ſibi, &c.* Et in quodlibetis dicit, quòd *ſola eſſentia, mediante voluntate, eſt motivum viſionis beatæ, nec quidquam habet de lumine gloriæ*; ergo, ex Scoto, non datur, nec requiritur lumen gloriæ diſtinctum ab ipſo lumine objectivali.

Reſp. diſt. conſ. de via extraordinaria, & ex ſuppoſitione, quod viſio beata producatur totaliter à ſola eſſentia, intellectu merè paſſivè ſe habente, conc. de via ordinaria, ex ſuppoſitione, quòd intellectus ad viſionem illam activè concurrat: neg. conſ. Nam in hac ſuppoſitione, intellectus de ſe, & ex puris naturalibus, non valet attingere objectum illud, nec elicere actum viſionis intuitivæ.

Supponit Doctor, intellectum duplici modo ſe habere ad viſionem, 1. activè, & efficienter, 2. paſſivè, & formaliter. Ad actionem, ſeu productionem viſionis requirit in eo, de via ordinaria, auxilium ſupernaturale, actuale, aut habituale, per quod elevetur, & perficiatur in actu primo, & proximo ad illam actionem, & id probant evidenter textus à nobis adducti pro concluſione, & alii plures, qui occurrunt paſſim in ejus ſcriptis, ſed ad receptionem viſionis formaliter, & quocumque modo producatur, aſſerit, non requiri habitum, aut formam ullam præviam, per quam ex parte ſua intellectus diſponatur, ut volunt Thomiſtæ, & alii quidam, quaſi verò intellectus, nudè conſideratus, non poſſit in ſe recipere immediatè quamcumque formam ſupernaturalem, ſed egeat aliqua forma media, velut diſpoſitione, quod Scotus rationabiliſſimè negat, ut videmus, & ſic illum intelligunt omnes ejus diſcipuli, qui mirantur aliquos, qui vel non legerunt, vel

[1] *d. 14. q. 2. B. n. 3.*

vel non intellexerunt Scotum, ipſi imponere, quòd neget lumen gloriæ.

Et certè ſi quis attentè legat textus, in quibus videtur negare lumen illud, videbit, quòd ubique loquitur de intellectu merè paſſivo. Ut cum habet: [1] *ſi intellectus ſit merè paſſivus ... poteſt dici, quòd intellectus Animæ Chriſti poteſt paſſivè recipere viſionem ..... ſimiliter ad recipiendam ipſam viſionem non requiritur habitus*. Vel loquitur de via extraordinaria, in qua Deus per concurſum extraordinarium ſuppleret concurſum luminis, vel de intellectu comparativè ad oculum corporeum, qui exigit objectum illuminari propter imperfectionem utriuſque, & non ita eſt de intellectu, & eſſentia Divina, quæ ex eo capite non debet illuminari, ſicut coloratum, quia ipſa eſt lucidiſſima. [2] *Quod dicitur, ait, de lumine naturali corporali, quod requiritur, non ſolum propter objectum, ſed propter oculum*, &c. Vide Vulpem, Maſtrium, Card. Lauream; Fabrum, Poncium, & alios Scotiſtas, qui mentem Doctoris examinant diligenter, & eruditè, nobis verò, qui brevitati ſtudemus, hæc indigitaſſe ſufficiat.

Addo cum multis, quod etſi non admiſiſſet neceſſitatem luminis gloriæ, ex parte intellectus, adhuc non eſſet arguendus, nec ullam incurreret cenſuram; quippe ſcribebat ante definitionem Concilii Viennenſis. Obiit enim circa annum 1308. Concilium autem, & Clementinæ publicatæ ſunt à Joanne XXII. anno 1318. Imo Scriptores vitæ ejus notant Scotum è ferventi diſputatione contra Beguardos mortuum; tantum abeſt, ut eorum erroribus adhæſerit.

Concl. 2. *Lumen gloriæ eſt habitus ſupernaturalis, infuſus intellectui beato, dans illi jus, & vires, ad eliciendam viſionem eſſentiæ Dei: id tamen non eſt de fide*. Eſt communis poſt Concil. Viennenſe cit.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto citato, dicit enim, quòd *communiter nullus negat in gloria habitum luminis gloriæ in intellectu*.

Prob. 2. quia videtur magis conforme Concilio Viennenſi, quòd id, per quod intellectus creatus elevatur

[1] *3. Cit.*
[2] *4. d. 49. cit.*

vatur ad viſionem Dei, ſe teneat ex parte illius per modum formæ inhærentis, & perficientis, & complentis illum, in actu primo proximo, in ratione principii, ad eliciendam viſionem; ergo ita eſse dicendum eſt. Prob. ant. nam Concilium damnat errorem Beguardorum, quo dicebant, quòd *anima non indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad Deum videndum, & eo beatè fruendum*; ergo definit, animam *egere lumine gloriæ ipſam elevante*, ad videndum Deum; ſed viſio erit perſeverans, & quaſi per modum habitus, ſemper quidem actualis, ſed ſemper durans, & numquam tranſiens; ergo ita & lumen, quo anima elevatur ad illam viſionem, debet eſse quid permanens, per modum habitus, inhærentis animæ, non verò tantùm per modum actus tranſeuntis.

Prob. 2. ex Scoto citato; nam lumen illud ponitur in intellectu ad viſionem, ſicut charitas in voluntate ad amorem, & fruitionem; ait enim: *tres formæ ſupernaturales ponendæ in beato præcedentes operationem ... 2. ex parte intellectus, quæ dicitur lumen gloriæ, &c.* ſed claritas eſt quid habituale in voluntate; ergo & lumen illud eſt habituale in intellectu.

Confir. quia lumen illud ſuccedit fidei, quæ evacuatur, & ceſsat in patria, quia tunc elevabit ad viſionem, ſicut fides nunc ad credendum, ſed fides iſta concurrit, & elevat per modum habitus ad credendum; ergo & lumen ad videndum.

Prob. denique, quia ſic cenſent communiter Theologi Catholici, non ſolùm poſt Concil. Vien. ſed etiam ante illud, ut SS. Thomas, Bonaventura, Scotus, &c.

Prob. 2. p. quia de fide ſufficit credere, quòd anima, ſe ipſa, non eſt naturaliter beata, & quòd indiget lumine gloriæ ipſam elevante ad videndum Deum, quæ eſt veritas oppoſita errori Beguardorum, quem damnat Concilium, ſed in rigore Scholaſtico, hæc veritas ſalvaretur, quamvis illud lumen non eſſet quid habituale, inhærens intellectui, vel animæ, ſed concurſus Dei ſupernaturalis, vel aliquid aliud item ſupernaturale, illuminans, & elevans animam ab extrinſeco; ergo non eſt de fide, quòd lumen illud ſit quid habituale, infuſum intellectui, eique inhærens, nam ſalvatur mens Concilii, modo dicatur, animam egere auxilio ſupernaturali ad videndū Deum.

Con-

Confir. nam per auxilium, vel per concurſum ſupernaturalem Dei, homo ſufficienter elevari poteſt ad actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis in hac vita; ergo & ad viſionẽ ſupernaturalem in patria.

Objic. 1. contra 1. p. lumen ex parte intellectus eſt ſuperfluum; ergo non ſe tenet ex parte intellectus per modum habitus. Prob. ant. objectum, quod de ſe eſt lux, non eget alio lumine, ut videatur; ut patet de ſole; ſed objectum viſionis beatæ, ſcilicet Deus, eſt de ſe lux; ergo ſuperfluit omne aliud lumen.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. prob. non eget alio lumine, ex parte objecti, & ut illuminet; con. ex parte potentiæ, & per modum elevantis, & roborantis: neg. maj. & conſ. Neceſſitas luminis non venit ex obſcuritate objecti, ſed ex infirmitate potentiæ, quę eget elevatione, & robore; ſicut oculus noctuæ non poſſet videre ſolem, niſi roboraretur, & elevaretur; ita eſt de intellectu creato reſpectu ſplendoris divini.

Objic. 2. SS. Patres non utuntur nomine habitus loquẽtes de lumine glorię; ergo nec ea fuit mens Concilii, nec id aſſerendum, quia novum eſt in Theologia.

Reſp. neg. conſ. Nam licèt non uſi ſint illis vocabulis *habitus*, vel *formæ inhærentis*; tamen ſatis apertè innuerunt, eſſe aliquid ſupernaturale, quod elevat & roborat intellectum ad videndum illud divinum lumen, & ſic innuunt inhærere eo modo, quo inhærent habitus potentiis noſtris, & rationem id aſſerendi habuerunt Patres, & Eccleſia ex Scriptura, locis citatis in præcedenti concluſione, & aliis.

Inſt. ſufficeret ad ſalvandum ſenſum Scripturæ, & Patrum lumen, quod venit ex parte objecti, ſeu Dei, ſe ſe liberè manifeſtantis, & per hoc ſalvaretur etiam doctrina Concilii; ergo ſuperfluit omne aliud lumen ex parte intellectus.

Reſp. neg. ant. Nam ex terminis, quibus Concil. & SS. Patres utuntur, patet, quòd lumen illud ſe tenet non ex parte ſolius objecti, ſed etiam ex parte animæ, quia hæc debet elevari, & roborari, & perfici, ad eliciendam viſionem, ſicut voluntas ad eliciendos actus amoris, & fruitionis; ille per lumen, iſta per charitatem, qua inflammetur, & maximè quia Deus non decrevit, ſe manifeſtare videndum, niſi intellectui ſic elevato.

Objic.

Objic.1. contra 2. p. concl. decernit, animam agere lumine elevante, ſed lumen eſt quid habituale; ergo ex mente concilii, & de fide eſt, quòd lumen ſit habituale. Prob. maj. Concilium loquitur de lumine in ſenſu ſcholaſtico; ſed Scholaſtici omnes, per lumen intelligunt quid habituale; ergo & Concilium.

Reſp. 1. retorquendo argumentum: concilium loquitur de lumine in ſenſu Patrum, & Theologorum, ſed iſti per lumen intelligunt vel lumen *objectivale*, ut vidimus de Auguſtino, & aliis, vel *actuale*, ſeu aliquod auxilium ſupernaturale, & extrinſecum intellectui, ergo in eorum ſenſu loquitur Concilium. Unde in forma; neg.min.1.& diſt.2.Scholaſtici, & Patres poſteriores, tranſeat; anteriores, aut contemporanei, neg. min. nam nec Patres, nec Scholaſtici ſic loquebantur ante Concilium.

Inſt. 2. Patres, & Theologi antiqui per lumen intelligebant aliquid prævium ad viſionem Dei, ſicut lux corporalis ad viſionem corporalem, ſed lumen habituale eſt quid prævium, non verò concurſus extraordinarius, aut quidquam aliud actuale, quæ non ſunt quid prævium, ſed ad ſummum quid concomitans viſionem Dei; ergo de ſolo lumine habituali locuti ſunt Patres, & Concil. Prob. maj. nam loquuntur de eo, per quod elevatur anima, & completur in actu primo, ut principio viſionis; ergo intelligunt quid prævium ad viſionem.

Reſp.neg. min. Nam concurſus ſpecialis, & extraordinarius Dei tam eſt quid prævium ad viſionem, quàm ipſa potentia viſiva, aut intellectiva: eſt enim comprincipium ejus, licèt non ſe teneat ex parte animæ, ſed Dei, & hi potuerunt loqui, ut locuti ſunt, de lumine, quamvis non ſit formaliter inhærens intellectui.

Objic. 2. Concil. duo definit 1. viſionem non eſſe naturalem, & 2. ad eam requiri lumen; ergo cenſet, quòd, præter concurſum extraordinarium, qui ſufficeret ad ſupernaturalitatem viſionis, requiritur ex parte intellectus lumen intrinſecè inhærens, & illum elevans, quod enim eſt extrinſecum non elevat.

Reſp. 1. neg. ant. nam Concil. non diſtinguit illas proportiones, ut patet ex ipſo textu: ſicut ergo hæretici non diſtinguebant, ſed dicebant, viſionem eſſe natura-

turalem animæ, ut non egeat lumine, vel adjutorio ullo ſupernaturali elevante; ita & Concil. propoſitionem illam ſimpliciter damnat, ut hæreticam.

Reſp. 2. neg. conſ. nam ſive diſtinguat, ſive non ſufficit, quod per lumen illud, quod negabant Begardi, eſſe neceſſarium ad viſionem, poterat intelligere lumen objectivale, aut concurſum aliquem extrinſecum ſupernaturalem ex parte Dei, & hunc aſſerebant, & aſſerunt neceſſarium Catholici omnes.

Objic. 3. in via dantur habitus ſupernaturales ad actus fidei, ſpei, & charitatis; ergo & in patria dantur ad viſionem, & fruitionem, & hoc tam certum eſt, quàm illud.

Reſp. etiam hoc argumentum poſse retorqueri, nam cum auxilio ſupernaturali, & abſque habitibus, & ſaltem antequam infundantur, poſſumus elicere actus ſupernaturales fidei, ſpei, & charitatis; ergo & actus viſionis, & fruitionis in patria, unde in forma; diſt. ant. dantur, ſed ita, ut poſſint ſuppleri per auxilia ſupernaturalia: conc. ita, ut non poſſint elici, nec unquam eliciantur de facto ſine illis habitibus neg. ant. & conſ.

Colligis igitur, ad viſionem Dei, ex parte intellectus, concurrere de facto lumen, quod dicitur gloriæ, & quod deſcribitur, *qualitas ſupernaturalis, per quam intellectus informatur, elevatur, & perficitur, & in actu primo conſtituitur principium viſionis intuitivæ eſſentiæ Dei*, & quod fides quidem docet, dari aliquale hujuſmodi lumen ſupernaturale, elevans, & perficiens intellectum creatum, quia id fuit definitum in Concilio Viennenſi, ſed an ſit lumen intrinſecè infuſum intellectui, & illi inhærens per modum habitus, an verò ſit quid actuale, & extrinſecum, ſe tenens ex parte Dei, concurrentis ſpecialiter, & ſupernaturaliter cum intellectu naturali, aut per modum ſpeciei, non eſt ita certum de mente Concilii, & ita, qui negaret illud lumen habituale, non videretur hæreticus, benè verò temerarius, quia opponeret ſe torrenti, & communi doctrinæ Theologorum.

Colligis 2. quòd qui ante definitionem Concilii docuerunt, aut docuiſsent, non dari aliud lumen ad viſionem Dei præter objectivale, quod manat ab ipſa eſsentia Dei, non fuerunt, aut fuiſsent hæretici.

QUÆ-

QUÆSTIO XI.

Quid præſtet lumen gloriæ in viſione Dei.

VAriæ ſunt ſententiæ de efficientia hujus luminis circa viſionem. 1. quidam volunt, illud tribuere aliquem decorem, & ornatum intellectui, quo dignificatur ad recipiendam viſionem. 2. alii diſponere, & elevare ad recipiendam eamdem viſionem, ita ut lumen ſit ſubjectum ejus immediatum, &, *ut quo*. 3. alii diſponere materialiter intellectum, ut uniatur cum eſſentia Dei, vice ſpeciei intelligibilis, ut concurrat cum ipſa ad viſionem. 4. exercere vicem, & munus ſpeciei impreſſæ, per quam eſſentia redditur præſens intellectui; 5. concurrere moraliter ad reddendam eſſentiam ſic præſentem, quatenùs, ex lege poſita, Deus movetur ad manifeſtandam ſuam eſſentiam intellectui creato, ſtatim atque habet hoc lumen, quod præterea roborat illum ad eliciendam viſionem intenſiorem, & perfectiorem; 6. alii volunt, illud eſſe totam rationem productivam viſionis, ita ut intellectus nihil acti è faciat. Nos, quid in via Scoti dicendum ſit, aperiemus. Interim moneo, quod circa efficientiam, & concurſum luminis, ad viſionem Dei, eadem eſt ratio, ac de concurſu voluntatis cum auxiliis ſupernaturalibus gratiæ actualis, vel habitualis ad actus fidei, ſpei, & charitatis.

Concl. 1. *Lumen gloriæ non ſe habet ad viſionem beatam, neque ut decor, vel ornatus, neque ut diſpoſitio ad recipiendam viſionem, neque ad unionem cum eſſentia, neque ut ſpecies impreſſa; neque ut cauſa pure moralis.* Ita Scotiſtæ cum aliis magis communiter.

Prob. 1. quoad 1. & 2. & 3. p. ex Scoto [1] dicente, quòd *intellectus animæ Chriſti poteſt paſſivè recipere viſionem primò, & immediatè, ita quòd non perficiatur priùs aliquo lumine, tanquam forma alia abſoluta à viſione, & quod, ſi aliquid ſupernaturale ponitur in Beato prius operationibus viſionis, & fruitionis, hoc non eſt propter receptionem; ſed propter actionem, ut eliciatur operatio in Beato, qua attingit Deum. Non enim poteſt poni aliqua forma in Beato,* *ſolùm*

[1] 3. d. 14. q. 2. B. n. 3.

ſolùm ad decorem, & pulchritudinem, & quæ non ordinetur ad actionem, &c. ergo ex Scoto lumen gloriæ non habet nec 1. nec 2. nec 3. munus, quod illi attribuitur, ſcilicet ad decorem, vel ad receptionem viſionis, aut eſſentiæ, & jam dixerat, quòd *anima humana in puris naturalibus eſt immediatum ſuſceptivum beatitudinis*, quoad 4. verò partem patet ex dictis ſupra, ubi probavimus viſionem terminari immediatè ad eſſentiam ſine concurſu ſpeciei impreſſæ; *quia eſſentiæ eſt ſumma lux, de ſe, & per ſe intelligibilis, & de ſe perfectiſſimè motiva intellectus;* ideo fruſtra eſſet recurſus ad ullam ſpeciem, & lumen ſub illo munere eſſet abſolutè ſuperfluum.

Prob. 2. per partes & 1. quoad 1. quia Concilium Viennenſe non aſſerit neceſſitatem luminis in anima ad decorem, vel ornatum, ſed ad videndum; ergo ad operationem.

Prob. quoad 2.p.1. eodem modo ex eodem Concilio, quia videre Deum, in ſenſu Concilii, & Theologorum, non ſonat puram receptionem viſionis, ſed ejus operationem, ſeu productionem, 2. quia ſi intellectus egeret forma abſoluta, & ſupernaturali luminis ad receptionem viſionis, ita ad receptionem luminis ipſius, quia iſtud tam eſt ſupernaturale, quàm ipſa viſio; ergo tam intellectus eſſet improportionatus, & indiſpoſitus ad lumen immediatè recipiendum, quàm ad viſionem, & ſic daretur proceſſus in infinitum, quod abſurdum eſt.

Prob. 3. eadem p. nam viſio eſt actus vitalis, ergo debet recipi immediatè in potentia vitali, ſed lumen non eſt potentia vitalis; ergo non poteſt eſſe ſubjectum immediatum viſionis.

Confir. nam, cùm lumen ſit forma abſoluta, non implicat, illud ſeparari, & conſervari ſeparatum ab intellectu, & tunc ſuſtentaret viſionem in ſe receptam, ſed hoc proprium eſt ſubſtantiæ; ergo non debet tribui lumini.

Prob. 3.p. de unione intellectus cum eſſentia Dei, quæ obit munus ſpeciei. 1. quia gratis, & ſine ratione dicitur, eſſentiam ſe habere ut ſpeciem ſui ipſius, nam dicere ſolent Philoſophi ſpeciem eſſe vicariam objecti, non verò objectum eſſe vicarium ſpe-

ſpeciei; neque ſupplet defectum ſpeciei, ſed ſpecies objecti; nam iſtud non indiget ſpecie, quando per ſe ipſum poteſt movere, & determinare potentiam ad ſui viſionem, ut fit in viſione intuitiva. 2. quia impropriiſſimè dicitur, eſſentiam Dei uniri intellectui creato per modum formæ, qualiter unitur illi ſpecies impreſſa in cognitionibus abſtractivis; talis enim unio repugnat omni enti ſubſtantiali completo, & à fortiori eſſentiæ Dei; objectum autem non ſolet, nec dicitur uniri potentiæ, niſi extrinſecè, & per modum aſſiſtentis, & præſentis, non autem informantis, & ſic unitur eſſentia Dei cum intellectu, ut cum illo conſtituat unum totale principium viſionis, & ambo coagant in ſuo quique ordine; ergo lumen non ſe habet, ut diſpoſitio ad receptionem eſſentiæ, vel alrerius formæ.

Prob. 4. p. ex dictis de viſionis quidditate; tùm quia terminatur immediatè ad eſſentiam in ſe, & per ſe viſam, mediante libera volitione Dei: tum quia, ſi fieret viſio mediante ſpecie, non eſſet intuitiva.

Prob. 2. ex Concilio Vienneſi volente, quod lumen requiritur ex parte animæ, ut elevet ad videndum; ſed munus ſpeciei impreſſæ non eſt elevare, ſed fœcundare potentiam, & ſupplere vices objecti, nec ſe tenet ex parte objecti, quod ſupplet, & repræſentat; ergo munus luminis in viſione Dei non eſt ſe habere, ut ſpeciem impreſſam eſſentiæ.

Confir. quia munus habituum non eſt repræſentare objecta, ſed facilitare ad actus circa illa; v. g. munus fidei habitualis non eſt proponere myſteria credenda, ſed elevare, & juvare ad ea credenda, cum proponuntur, ergo ſimiliter munus luminis hujus habitualis non eſt, repræſentare eſſentiam Dei, nec facere illam præſentem; ſed elevare, & juvare intellectum, ad illam intuendam præſentem. Prob. ant. ex Apoſtolo, *fides ex auditu*, & de ratione habitus non eſt, quod ſit imago objecti; ergo nec obire munus ſpeciei.

Prob. 5. p. nam ſi lumen gloriæ non haberet aliud munus, quàm moraliter movere Deum, ad ſe exhibendum intellectui, ſtatim atque anima habet lumen, iſtud præſtaret munus ſpeciei impreſſæ, non quidem phyſicè, ut ſpecies, quæ phyſice id facit, ſed tantùm moraliter; ſed hoc eſt falſum, & contra men-

mentem Eccleſiæ; ergo lumen gloriæ non ſic concurrit ad viſionem. Prob. min. nam Eccleſia in Concilio Viennenſi vult, quòd lumen concurrat ex parte intellectus, eumque elevet ad videndum, ſed ſic movere Deum, ut ſe oſtendat intellectui, non eſt elevare intellectum ad videndum Deum, ſed tantùm ad exigendum, ut Deus ſe manifeſtet, quæ manifeſtatio pendet ab objecto; ergo illa explicatio muneris in lumine non eſt ad mentem Eccleſiæ. Poteſt quidem fieri, ut Deus non velit ſe manifeſtare, & præbere videndum intellectui, niſi prius ſit informatus, & elevatus per lumen gloriæ, ſed falſum eſt, quòd non aliter lumen concurrat ad actum viſionis.

Prob. 2. quia ſi non aliter concurreret, lumen ſe haberet potiùs, ut diſpoſitio quædam moralis, dignificans, & ornans intellectum, quàm ut vera cauſa; ſed hoc eſt contra Scotum, & ſenſum Eccleſiæ, ut vidimus; ergo malè ſic explicatur. Prob. maj. quia non aliter concurreret ad viſionem, quàm ponendo intellectum in ſtatu, in quo, ex pacto, Deus deberet cauſare in eo viſionem, ſe manifeſtando illi; ergo ut pura diſpoſitio, & quidem moralis, ut volunt Auctores iſtius opinionis.

Dices lumen non id ſolùm præſtare, ſed hoc efficere, ut intellectus eliciat perfectiorem, & intenſiorem viſionem: ſed

Contra 1. quia ſi lumen id facit, vel facit per influxum phyſicum in viſionem in genere cauſæ efficientis, aut materialis, aut formalis; vel per influxum moralem: ſi in genere cauſæ phyſicè efficientis habemus intentum, nam tunc verè elevat ad videndum: ſi in genere cauſæ materialis, recidit in tres primas opiniones confutatas, & contra Scotum, nolentem, quidquam prærequiri ex parte intellectus, ad recipiendam viſionem: ſi in genere cauſæ formalis, erit ipſa viſio, quod nemo dixerit, denique ſi per influxum moralem, redit argumentum. 2. neque adhuc benè dicitur, quòd concurrit ad faciendam viſionem intenſiorem, & perfectiorem; nam ex dicendis de habitibus ſupernaturalibus, in hoc differunt à naturalibus, quia iſti dant ſolùm agere faciliùs, & perfectiùs; illi verò ad ſimpliciter poſſe agere, ita ut intellectus, & voluntas non poſſint elicere ul-

re ullos tales actus in eodem ordine, & genere, ſine illis habitibus; v. g. voluntas non poteſt, ſine charitate ſupernaturali, elicere actum charitatis propriè ſupernaturalis, ne ut quidem unum, vel duo, ita de actibus fidei, & ſpei. Unde Scotus docet, quòd ſine lumine iſto intellectus non eſt potentia proxima, elicitiva viſionis, ſed tantùm remota. Dico, *in eodem ordine*, ſcilicet, ſupernaturali; neque enim dubium eſt, quin habere poſſit aliquos actus imperfectos circa eadem objecta, ſed in ordine naturali, & hoc ſenſu dicitur, habitus ſupernaturales dare ſimpliciter poſſe, ſcilicet reſpectu ſupernaturalitatis.

Denique non tam verum eſt, Deum velle videri, quia id exigit lumen, aut quia adeſt lumen, quàm Deum dare lumen, quia vult videri, & ut videatur; ſic non ideo Deus ſe vult manifeſtare, & reddere præſentem intellectui, quia dedit lumen, ſed ideo dat lumen, quia vult ſe reddere viſibilem, & præſentem, & ad hoc perficit potentiam.

Objic. 1. contra 1. partem omnis forma requirit aptitudinem in ſubjecto ſuo, *quidquid enim recipitur, ad modum recipientis recipitur*, ſed intellectus in puris naturalibus non eſt aptus ad recipiendam viſionem Dei, quia iſta eſt ſupernaturalis, & ille eſt ſubjectum naturale; ergo requiritur aliqua diſpoſitio in intellectu creato ad viſionem Dei recipiendam, ſed nulla eſt aptior diſpoſitio, quàm lumen gloriæ; ergo lumen gloriæ ſe habet, ut diſpoſitio ad recipiendam vel viſionem, vel eſſentiam Dei viſam.

Reſp. neg. min. nam, ut diximus, intellectus in puris naturalibus non eſt minùs aptus, recipere viſionem, licèt ſupernaturalem, quàm lumen gloriæ, quod eſt etiam ſupernaturale.

Inſt. de fide eſt, quòd in anima requirantur diſpoſitiones ſupernaturales ad recipiendam gratiam per Sacramenta; ergo à fortiori requiruntur in intellectu ad recipiendam viſionem, quia hæc eſt altioris longè ordinis, & magis ſupernaturalis, quàm gratia.

Reſp. diſt. ant. requiruntur diſpoſitiones, ut cauſæ morales quaſi effectivæ, & quaſi meritoriæ de congruo; conc. ut cauſæ ſubjectivæ, & materiales; neg. ant. & conſ. Actus ſupernaturales fidei, ſpei, & cha-

rita-

ritatis, aut pœnitentiæ, prærequiſiti ad Sacramentalem gratiam, movent Deum ad dandam gratiam per modum aliqualis meriti de congruo, nec ſe habent ut qualitates permanentes, & habituales in anima; nec in eis recipitur gratia; ſed ſunt actus tranſeuntes: non itaeſt de lumine reſpectu viſionis, ut patet.

Objic. 2. viſio Dei recipitur in intellectu videntis; nam intelligere eſt quoddam pati, ex Scoto, & Philoſopho; ergo exigit diſpoſitionem in intellectu; ergo lumen id præſtat.

Reſp. Quidquid ſit de antecedente, de quo in Philoſophia; diſt.conſ. viſio, ut verbum mentis, & ut terminus dictionis, recipitur in intellectu diſpoſito per ipſam actionem, & alia, quæ ad illam requiruntur in ratione principii elicitivi: conc. per aliam qualitatem, qua conſtituatur in ratione principii paſſivi neg. conſ. Lumen autem requiritur ex parte principii activi, non verò paſſivi. Quid autem ſit, formaliter videre, ſeu intelligere, vidimus in tract. de anima.

Objic. contra 4. par. quod ſcilicet lumen gerat munus ſpeciei impreſſæ Dei; non poteſt aſſignari aliud munus lumini, niſi quod reddat eſſentiam intelligibilem proximè; ſed hoc eſt munus ſpeciei; ergo lumen obit munus ſpeciei:

Reſp. diſt. maj. quod reddat eſſentiam proximè intelligibilem ex parte intellectus, quem complet in ratione principii elicitivi viſionis; conc. ex parte eſſentiæ, quaſi verò ſuppleat aliquid pro illa, repræſentans illam, ſeu faciens illam formaliter præſentem: neg. maj. & conſ. Nam lumen nihil tale preſtat, ut patet ex dictis; & tamen totum munus ſpeciei eſt, ſic repreſentare objectum abſens, vel improportionatum potentiæ.

Objic. 2. munus ſpeciei eſt, unire objectum cum potentia: ſed id præſtat lumen; ergo facit munus ſpeciei. Prob. min. nam unit Deum cum intellectu beati; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. unire objectum per modum formę, & imaginis ejus: conc. maj. & neg. min. unire ex parte potentiæ, perficiendo illam, ut poſſit attingere objectum: neg. maj. & conſ. nam hoc ultimum facit lumen, & non pertinet ad ſpeciem.

Concl. 2. *lumen gloriæ concurrit activè ad viſionem Dei, non ut cauſa totalis, ſive ut tota ratio videndi, ſed ut concauſa partialis, & quidem minus principalis.* [1] Ita Scotiſtæ omnes cum aliis communiter.

Prob. 1. ex Scoto jam citato; dicit enim, quòd, *ſi aliquid ſupernaturale requiritur in Beato prius operationibus, hoc non erit propter receptionem, ſed propter actionem, ut eliciatur operatio in Beato, quæ attingit Deum; non enim poteſt poni aliqua forma in Beato, quæ non ordinetur ad actionem.*

Prob. 2. ex Concil. Vien. citato, quod vult, quòd lumen gloriæ elevet animam ad videndum; ergo agit cum illa viſionem, adjuvans eam.

Prob. 3. quoad 1. par. ratione; nam, ex dictis, lumen gloriæ concurrit ex parte intellectus per modum habitus; ſed de ratione habituum eſt concurrere activè ad operationes; ergo ita eſt de hoc lumine. Prob. min. nam habitus deſcribitur, *qualitas de difficili mobilis, inhærens potentiæ, eamque adjuvans ad certas quaſdam operationes;* ergo de ratione habituum eſt concurrere activè ad operationes potentiarum; & ſic dicetur de habitibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis; & de habitibus naturalibus acquiſitis ſcientiæ, & artis.

Prob. 4. quia non poteſt meliùs explicari munus iſtius luminis, quàm per efficientiam, & activitatem illam, ut patet ex 1. concluſione.

Prob. 5. quia niſi lumen ſic concurrat ad viſionem; non poſſet rectè ſalvari, quòd illa ſit intrinſecè ſupernaturalis; nam in aliis modis explicandi concurſum ejus, ſequitur tantùm ſupernaturalitas extrinſeca, & materialis, quatenus ſcilicet viſio eliciatur, & recipiatur ab anima exiſtente in ſtatu, & elevatione ſupernaturali.

Prob. 2. par. 1. ex Scoto, [2] *quia ſi habitus ſupernaturalis, v. g. lumen, eſſet ſimpliciter principium, ſeu cauſa totalis actus; ſequeretur, quòd ipſemet habitus eſſet potentia;* ſed conſ. eſt falſum, &c. ergo & falſum eſt, quod lumen ſit totalis cauſa viſionis. Prob. maj. potentia eſt, qua ſimpliciter, & primo poſſumus;

[1] 4. *Cit. n.* 9.
[2] 1. *d.* 17. *q.* 2. *E. n.* 4.

mus; ſed tale eſſet lumen reſpectu viſionis; ergo eſſet vera potentia.

Prob. 2. ex Concil. Trid. dicente, [1] *hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum verè cooperari gratiæ, &c.* nam eadem eſt ratio de intellectu cum lumine circa viſionem; ac de voluntate cum gratia excitante, & juvante reſpectu operis boni; unde dicitur ex Scriptura, [2] *non ego, ſed gratia Dei mecum*. Et certè, ut dicetur alias, ſi gratia eſſet totalis cauſa operis, voluntas non eſſet magis laudanda ex actibus charitatis elicitis ex habitu ſupernaturali charitatis, quàm lignum, quando calefacit per calorem ſibi inexiſtentem; quia non plus voluntas ageret ad amorem Dei, quàm lignum ad calefactionem; & habitus charitatis ſe ſolo produceret amorem, ſicut calor ligni calefactionem; ſed hoc eſt abſurdiſſimum, & erroneum in fide; ergo &c.

Prob. 3. quia, ſicut calor ſeparatus, aut in quocumque ſubjecto poſitus, æque calefaceret, quia eſt cauſa totalis, & naturalis calefactionis; ita charitas, & lumen gloriæ poſita in oculo bruti, aut alio ſubjecto, produceret eoſdem actus ob eamdem rationem. 4. item ſequeretur, quòd actus elicitus ex charitate ſupernaturali non eſſet liber; quia principium totale, & elicitivum, nempe habitus ille, non eſt agens liberum, ſed naturale. 5. item ſequeretur, quòd habens illum habitum charitatis non poſſet peccare, quia ſemper, & neceſſariò eliceret actus amoris Dei, ſicut calidum ſemper calefacit, quantùm eſt de ſe. 6. Deniqiue actus charitatis in via non eſſet in poteſtate hominis, nec poſſet per illum mereri; ſed hæc omnia ſunt abſurdiſſima, & falſa in fide; ergo & falſum eſt, quòd habitus ſupernaturales, ut eſt lumen gloriæ, ſint cauſæ totales actuum viſionis, aut charitatis, &c. nam eadem eſt ratio de utriſque quoad hoc.

Prob. denique 3. par. quòd ſcilicet lumen ſit cauſa minùs principalis viſionis: quando plures cauſæ concurrunt ad aliquem effectum, illa eſt principalior, quæ ſic concurrit, ut ſine illa non poſſit eſſe effectus; & illa minùs principalis, ſine qua poſſet eſſe, ſaltem divinitùs; ſed viſio beata non poſſet eſſe ſine

[1] *Seſ.6.can.3.* [2] *1.Cor. 15.*

intellectu, benè verò ſine lumine; ergo ille eſt cauſa principalior viſionis, iſtud verò minus principalis. Major negari non poteſt: prob. min. viſio illa eſt eſſentialiter vitalis; ſed ſolus intellectus, non verò lumen eſt principium vitale; ergo viſio non poteſt eſſe ſine intellectu, benè verò ſine lumine; hoc poſterius patebit infra; ubi videbimus influxum luminis poſſe ſuppleri à Deo per concurſum extraordinarium; aut alio modo.

Dices, per nos, & ex Scoto, Deus etiam poteſt ſupplere per ſe influxum intellectus, & producere ſe ſolo viſionem, ſeu intellectionem; ergo ſi major illa eſt vera, intellectus non eſt cauſa principalis viſionis.

Contra; nam licèt id fateamur, tamen per illam intellectionem, à Deo ſolo productam, nullum aliud ſubjectum, præter intellectum, fiet per illam intelligens vitaliter; ergo replica non facit ad rem.

Prob. 2. eadem par. in actibus voluntatis, & aliarum potentiarum, cum quibus concurrunt habitus, potentiæ dicuntur cauſæ magis principales; & ab ipſis principaliter denominantur, & ſpecificantur actus; ut patet de actibus meritoriis, & bonis, aut malis, qui ſunt à voluntate, & ipſis magis aſſimilantur effectus, ergo idem eſt de viſione reſpectu intellectus, & luminis.

Objic. 1. contra 1. par. quod non eſt vitale, non poteſt concurrere activè ad actum vitalem; ſed *lumen* non eſt quid vitale, & viſio eſt vitalis; *ergo lumen* non cauſat effectivè viſionem.

Reſp. diſt. maj. non poteſt concurrere effectivè, ut cauſa principalis; conc. maj. ut minùs principalis, vel inſtrumentalis: neg. maj. & conſ. Alioqui nec ipſum objectum, nec ullus habitus concurrere poſſet activè ad actus vitales.

Inſt. Lumen materiale non cauſat effectivè viſionem in oculo corporeo; ergo nec iſtud cauſabit illam in intellectu.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia lumen materiale ſe tenet ex parte objecti, vel medii; iſtud verò intrinſecè ineſt intellectui, & quidem totaliter, & adjuvat illum.

Objic. 2. vel lumen concurrit effectivè cum intellectu, ut agens univocum, vel æquivocum; ſed neutrum

trum dici poteſt; ergo lumen non concurrit effectivè. Prob. min. 1. non ut univocum, quia lumen non eſt vitale, ut intellectus; nam poſſet ſe ſolo efficere viſionem ſine intellectu; ſicut & iſte ſine illo; ſicut duobus equis trahentibus currum unus cum majori conatu poſſet trahere ſine alio. 2. non ut æquivocum, quia deberet apparere in effectu aliqua formalitas correſpondens illi; effectus quippe habet aliquid de cauſa ſua; ſed nihil tale apparet in viſione correſpondens lumini; ergo iſtud non efficit viſionem, ut cauſa ejus æquivoca.

Reſp. neg. min. nam lumen concurrit, ut cauſa æquivoca, & neg. maj. prob. nec enim id ſemper neceſſarium eſt, ut patet de habitibus ſupernaturalibus fidei, ſpei, & charitatis in via, quando concurrunt ad proprios actus; item ſi equus cum bove, aut aſino trahat currum, quid peculiare in tractione apparebit correſpondens ſingulis? uno verbo, id quidem poteſt eſſe verum, quando cauſæ ſunt partiales partialitate tam cauſæ, quàm effectus; non verò quando agunt indiviſim circa effectum, ut iſtæ. 3. negari etiam poſſet min. ejuſdem argumenti; nam ſupernaturalitas venit à lumine.

Inſt. vel lumen ſolùm auget vires intellectus; vel ei tribuit aliquam vim ſpecialem; ſi 1. ergo non eſſet neceſſarium; nec daret eſſe ſupernaturale ſimpliciter, & in ſubſtantia viſioni, ſed ſecundum quid tantum; nam vel per majorem conatum, vel perfectiorem intellectum suppleretur illud auxilium luminis. Si 2. ergo adderet etiam propriam qualitatem, & numquam poſſet illa vis ſuppleri: ſicut vis intellectiva non poteſt ſuppleri; ſed utrumque falſum eſt, & abſurdum; ergo & quod lumen compleat vires intellectus, & ſpecialem vim conferat illi.

Reſp. luminis effectum eſſe non tantùm augere vires intellectus ad perfectiorem actum viſionis eliciendum, ſed principaliter conſiſtit in hoc, quòd transfert intellectum de ſtatu naturali ad ſupernaturalem, ut compleatur in ratione principii magis proportionati, & connaturalis ad viſionem; & ſic corruit tota inſtantia; nam ſic patet, quòd abſolutè requiritur lumen illud, vel quid æquivalens, ad ele-

vandum intellectum; & quod influxus ille luminis poteſt ſuppleri per aliquem concurſum ſupernaturalem extraordinarium; ut patebit infra.

Objic. contra 2. par. viſio Dei eſt actus ſimpliciter ſupernaturalis; ergo nihil habet à cauſa naturali, qualis eſt intellectus; ſed totaliter pendet à cauſa ſupernaturali, quale eſt lumen.

Reſp. ut jam dixi, diſt. ant. eſt ſimpliciter ſupernaturalis, ita ut non poſſit produci purè naturaliter, & ſine concurſu aliquo ſupernaturali: conc. ant. ita ut nulla cauſa naturalis ad eam phyſicè, & effectivè concurrat neg. ant. & conſ. Nam intellectus per vires, & facultatem ſuam naturalem concurrit.

Inſt. accipit virtutem influendi in viſionem à lumine, ita ut ſine ipſo non poſſet in eam influere; ergo tota virtus agendi in viſione eſt à lumine. Prob. ant. nam, ex Scoto, intellectus ſine lumine eſt tantùm cauſa remota viſionis; ergo ut ſit cauſa proxima, & influat in viſionem, accipit à lumine.

Reſp. neg. abſolutè ant. nam intellectus ex ſe habet totam illam virtutem, per quam in ſuo ordine, & genere influit in lumen; licèt eam virtutem non poſſit exercere ſine concurſu prævio luminis, quo illa virtus elevetur, & roboretur; ſicut in viſione naturali oculus habet ex ſe totam vim, per quam influit in viſionem, licèt non poſſit elicere viſionem ſine objecto concurrente, vel per ſe, vel per ſpeciem: idem eſt de voluntate, cum gratiæ excitanti, & adjuvanti cooperatur.

Inſt. 2. ergo intellectus ex ſe haberet totam virtutem ad viſionem producendam; & ſic lumen nihil faceret, aut ſaltem ſi ageret, id eſſet ſuperfluum; aut per accidens; ſed hoc conſequens eſt falſum, & contra nos; ergo & falſum eſt, quòd intellectus per eamdem vim agat cum lumine, atque ſine lumine.

Reſp. diſt. conſ. totam vim in ſuo ordine: conc. conſ. totam vim totalitate cauſæ; neg. conſ. Nam cum lumine concurrit per vim ſuam naturalem, quantùm eſt de ſe; per illam tamen non poteſt influere in viſionem ſine lumine, tanquam cum ſua concauſa partiali.

Objic. 2. ex Concilio Vienn. anima non videt Deum, niſi ut elevata per lumen; ergo elevatio illa eſt totalis ratio videndi. Prob. conſ. nam elevatio conſiſtit

ſiſtit in hoc, quòd dat agenti elevato virtutem, quam ante non habebat; ergo ante elevationem intellectus non habet virtutem ad viſionem Dei eliciendam.

Reſp. 1. neg. conſ. & diſt. 2. non habet totalem virtutem ad viſionem: conc. non habet partialem, & pincipalem neg. conſ. Nam ante elevationem habet naturalem ſuam virtutem intellectivam, quæ ſibi ex parte ſua competit, & requiritur; ſed illa non ſufficit ad hunc actum; & ideò neceſſariò expectat elevationem, per quam compleatur in ratione cauſæ totalis ad viſionem; & cùm adeſt lumen, tunc adeſt id, quod ei deerat, ut poſſit exire in actum ſecundum.

Alia argumenta ſolventur, cùm agemus de influxu intellectus, & voluntatis ad actus ſupernaturales, cum habitibus ſupernaturalibus gratiæ, fidei, ſpei, & charitatis; nam quoad influxum illum eadem eſt prorſus ratio de intellectu cum lumine gloriæ circa viſionem, ac de voluntate circa amorem beatificum, & alios actus illarum virtutum.

Quando autem dico in concluſione prima, lumen gloriæ non habere rationem puræ diſpoſitionis materialis in anima, ad recipiendam viſionem, neque puri ornatus, ac decoris, nec cauſæ purè moralis, non excludo penitus tales effectus, & munia; nam fateor, hæc omnia poſſe aliquo modo convenire lumini huic; ſed tantùm dico, illud non ob ullum ex his præcisè, & principaliter requiri; ſed ad concurſum efficientem, cum intellectu ad viſionem; illa verò concomitanter, & per accidens tantùm ei tribui.

Non diffiteor etiam, quin habeat etiam rationem cauſæ moralis, qua, ex lege poſita, movetur Deus ad manifeſtandum ſe objectivè intellectui per illud elevato, informato, & decorato; & ſine qua manifeſtatione, quæ eſt ei libera, ut ſæpe dicemus, non poſſet elicere viſionem, etiam cum illo lumine.

QUÆSTIO XII.

An poſſibilis ſit viſio Dei ſine lumine intrinſeco; ſeu, an poſſit ſuppleri concurſus luminis in viſione Dei.

Ex hujus quæſtionis deciſione patebit, quæ, & quanta ſit hujus luminis efficacia, & neceſſitas,

tas, & uſus; nam ſi ſuppleri non poteſt ejus influxus, ſequitur, quòd illud eſt tota, & abſoluta ratio videndi Deum; & quod influit per modum cauſæ formalis, aut materialis, cujus munus repugnat Deo; ſi verò poteſt ſuppleri, contrarium eſt inferendum. Senſus ergo eſt, an tanta ſit hujus luminis neceſſitas, ut ſi Deus vellet videri aliter, quàm per illud, poſſet id fieri; & caſu, quo id fieri poſſit, quæritur quomodo, an ſcilicet per aliquid aliud creatum, quod Deus immitteret in intellectum, loco luminis; an verò per ſe ipſum immediatè præſtando id, quod mediatè, & per lumen efficit in viſione, ſcilicet voluntate ſua abſoluta? Idem ſolet quæri de aliis actibus Fidei, Spei, & Charitatis; nam eadem eſt ratio de omnibus quo ad hoc, an ſcilicet poſſit ſuppleri à Deo concurſus donorum illorum ſupernaturalium. Pro nunc reſolvemus quæſtionem de lumine, quale illud deſcripſimus, & ſuppoſuimus eſſe neceſſarium ex Concil. Vien.

Concl. *De potentia Dei abſoluta poſſet Deus videri ſine iſto lumine.* Eſt Scotiſtarum, & aliorum communiter contra Thomiſtas quoſdam.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia, *independenter ab illa forma* (ſcilicet lumine) *Deus poſſet ſe manifeſtare, ſeu reddere ſe præſentem objectivè intellectui, ſicut illa poſita, non eſt abſolutè præſens, niſi velit, quia ſi vult, videtur, ſi non vult, non videtur.* Et prætereа, inquit, *vel illa forma, ſeu lumen, ſe habet ad viſionem in ratione cauſæ efficientis, aut in ratione cauſæ materialis, ut proprium receptivum, ſicut ſuperficies in ſubſtantia eſt propria ratio receptiva coloris.* Si autem ſe habet primo modo; ſcilicet in ratione cauſæ efficientis, ut docuimus, ergo ſine illa poſſet viſio ineſſe intellectui: quidquid enim poteſt Deus per cauſam efficientem mediam, poteſt etiam immediatè, & ſe ſolo; ergo cum doceat Scotus, lumen concurrere effectivè ad viſionem, docet etiam conſequenter illud poſſe ſuppleri.

Confir. ex ipſo S. Thoma [2] dicente, quòd *Paulus in raptu non fuit beatus habitualiter* (*ſupponit ipſum vidiſſe eſſentiam Dei*) ſed habuit actum bea-

[1] 3. *d.* 14. *q.* 2. *A. n.* 2.
[2] 2. 2. *q.* 175. *a.* 3. & *q.* 10. *de verit. a.* 11.

beatificum. Et *alibi dicit*, *quod Deus* ſicut fecit Petrum ſuper aquas ambulare ſine hoc, quod ei dotem agilitatis tribueret, ita poteſt mentem ad hoc perducere, ut divinæ eſſentiæ uniatur illo modo, quo ſibi unitur in patria ſine hoc, quòd lumine gloriæ perfundatur; ergo ex ipſo Thoma poteſt Deus videri ſine lumine gloriæ.

Prob. 2. ratione Scoti, & D. Thomæ; nam, inquit iſte, erroneum eſt, dicere, non poſſe Deum facere per ſe ipſum omnes determinatos effectus, qui fiunt per quamcumque cauſam creatam; ſcil. Deus per ſe ipſum facere poteſt, quidquid facit per omnem aliam cauſam efficientem; ſed lumen non concurrit, niſi efficienter ad viſionem; ergo Deus poſſet eam, ſe ſolo, efficere, ſupplendo cōcurſum luminis.

Dicunt adverſarii, concurſum luminis eſſe vitalem; Deus verò non poteſt ſupplere efficientiam vitalem.

Contra 1. quia lumen eſt minùs vitale, quàm quævis actio, vel volitio Dei; imò non eſt in ſe vitale, ſed tantùm dicitur concurrere vitaliter, quia unitur potentiæ vitali; ſcilicet intellectui, ad viſionem, quæ eſt vitalis. 2. quia falſum eſt, Deum non poſſe ſupplere concurſum vitalem effectivum; ut patet ex tract. de anima. Unde

Prob. 3. virtus luminis non eſt magis vitalis, & neceſſaria ad viſionem Dei, quàm virtus intellectiva; ſed hæc poteſt ſuppleri à Deo; ergo & illa, & quidem à fortiori. Maj. patet; nam viſio Dei eſt eſſentialiter actus intellectualis. Prob. min. nam Deus, ſe ſolo, poſſet producere viſionem in intellectu noſtro, merè paſſivè ſe habente, ſicut & alios actus vitales in aliis potentiis, ut diximus in Philoſophia.

Prob. 4. quia lumen iſtud non eſt magis neceſſarium ad viſionem Dei, quàm gratia interior actualis, vel habitualis ad pias cogitationes; aut quàm habitus Fidei, Spei, & Charitatis ad actus ſupernaturales illarum virtutum, & maximè ad meritorios, ſine quibus de via ordinaria non habentur illi actus; ſed Deus poteſt ſupplere concurſum gratiæ, & habituum illorum ad omnes actus; ergo & luminis gloriæ. Maj. patet; non enim minùs illi actus, & habitus gratiæ ſunt ſupernaturales, & neceſſarii de

lege poſita. Prob. min. in adultis, qui convertuntur ante baptiſmum, & ante infuſionem illorum habituum; habent enim actus ſupernaturales, quibus diſponuntur ad juſtificationem.

Prob. denique, quia nihil dicendum eſt impoſſibile Deo, niſi quod manifeſtam involvit implicantiam; ſed in hoc nulla talis implicãtia poteſt adduci;ergo &c. Prob. min. per reſponſionem ad illa, quæ conantur probare Adverſarii.

Obj'c. 1. intellectus non eſt in actu primo proximo, ad videndum Deum, niſi elevetur; ſed non poteſt elevari ſine lumine intrinſeco; ergo nec videri; Maj. patet,quia talem actum primum in ſe non habet. Probatur min. ideo lumen dicitur elevare, & roborare intellectum ad viſionem Dei, quia de ſe, & in ſe, eſt inſufficiens, & debilis ad viſionem eliciendam; ergo in ſe intrinſecè, & per aliquid intrinſecum debet elevari, & roborari.

Reſp neg. min. & conſ. probationis, quia licèt ordinariè id eſſet ita neceſſarium, de quo dubito, adhuc de via extraordinaria ſufficienter elevaretur, & ſuppleretur ejus infirmitas per auxilium extrinſecum, v. g. per concurſum extraordinarium. Dubito, inquam, an de via ordinaria id neceſſe ſit; nam quando unus equus non ſufficit trahendo currui, ſi alius addatur, ſufficiet cum alio; ſic in propoſito, intellectus non habet de ſe vires ſufficientes ad eliciendam viſionem, cum concurſu Dei ordinario, & cum præſentia objecti ſit ſufficiens, & elevabitur virtus ejus per concurſum extraordinarium.

Inſt. virtus intellectiva debet eſſe intrinſeca intellectui, ut videat; ergo auxilium ſupernaturale, per quod elevatur, debet illi eſſe intrinſecum.

Reſp.diſt.ant.virtus naturalis,& inchoata: cõc.totalis,& completa neg.ant.& conſ. ut patet ex mox dictis.

Inſt. 2. in actibus vitalibus naturalibus, virtus totalis eſt intrinſeca; ergo & in vitalibus ſupernaturalibus, ut eſt viſio.

Reſp. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia actus vitales naturales ſunt proportionati potentiis, & ſic iſtæ habent totam virtutem illorum elicitivam; non ita eſt de ſupernaturalibus, ad quos potentiæ exigunt comprincipium, & auxilium ſuperioris ordinis; &

non refert, quòd iſtud ſit intrinſecum, vel extrinſecum potentiæ.

Inſt. 3. ut potentia eliciat in actu 2. operationem ſupernaturalem vitalem, debet eſſe in actu primo vitalis ſupernaturalis; ſed non poteſt eſſe in actu primo vitalis ſupernaturalis, niſi per formam elevantem intrinſecè; ergo &c. Prob. min. nam aliter potentia erit ſemper in ſe vitalis naturalis tantùm, & in ſe non habebit majorem virtutem cum auxilio extrinſeco, quàm ſine illo; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. ant. prob. in ſe, & præciſo auxilio ſupernaturali: conc. cum auxilio, & concurſu ſupernaturali, neg. ant. & conſ. Nam habebit majorem virtutem ſimul cum illo auxilio, quod ſufficit. Et certè quando lumen inhæret intellectui, non ideò iſte habet majorem virtutem de ſe, & innatam, ſed augmentum venit illi à lumine, & ſive iſtud juvet eum ab intrinſeco illi inhærendo, ſive aſſiſtendo ab extrinſeco, ſemper eodem influxu concurrit ad viſionem.

Objic. 2. intellectus concurrit ad viſionem, ut cauſa efficiens principalis, non verò inſtrumentalis; ergo concurrit per virtutem ſibi intrinſecam. Ant. patet ex nobis. Prob. conſ. nam cauſa principalis agit per virtutem propriam, & intrinſecam, & proportionatam effectui; inſtrumentalis verò eſt improportionata, & agit in virtute extrinſeca, & aliena; ſed intellectus non eſt cauſa principalis, nec proportionata ſine lumine ſupernaturali ſibi exiſtente, ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ut cauſa efficiens partialis partialitate cauſæ: conc. ut cauſa totalis, & totalitate cauſæ efficientis principalis: neg. ant. & ſimiliter diſt. conſ. per virtutem ſibi intrinſecam, in ſuo ordine cauſandi partialiter: conc. in ratione cauſæ principalis totalis; neg. conſ. & ſimil. ad prob. nam intellectus, in caſu concurſus extraordinarii ſupplentis lumen, erit quidem cauſa principalis, ſed non totalis; imò & minus principalis, reſpectu Dei concurrentis extraordinariè, nam ſinguli agent per proprias virtutes partiales, quę unam totalem conflabunt, ſicut cum duo trahunt navim, aut cum mas cum fœmina generat.

Inſt. qui agit, ut motus ab alio extrinſeco, & ele-

vante, agit ut inſtrumentum; ſed intellectus ſic ageret; nam ageret ut motus, & elevatus à Deo; ergo ageret ut cauſa inſtrumentalis, non verò ut principalis.

Reſp. diſt. maj. ſi non agat ullo modo per propriam virtutem: conc. maj. & neg. ſi agat etiam pro parte ſua per propriam virtutem, neg. maj. & conſ. Nam intellectus etiam tunc, ſicut & de facto cum lumine agit ex parte ſua per innatam virtutem.

Inſt. 2. ut agens agat, ut cauſa principalis, debet eſſe proportionatum actui ſecundum virtutem, per quam agit; ſed intellectus non eſt proportionatus viſioni Dei ſecundum virtutem ſibi innatam; ergo non poteſt ſic agere, ut cauſa principalis viſionis. Probat. min. nam virtus innata intellectui eſt ordinis naturalis, & viſio eſt ſupernaturalis.

Reſp. diſt. maj. debet agere per virtutem totalem proportionatam: conc. per virtutem partialem: neg. maj. & conſ. nam ſufficit, quòd virtus illa innata, quæ eſt tantùm partialis imperfectè, compleatur per aliam concauſam ordinis ſupernaturalis; nam proportio cauſæ ad effectum debet ſumi à cauſa totali, non à partiali, quando effectus pendet à pluribus concauſis partialibus partialitate cauſæ, non verò effectus; ut accidit in viſione, quæ indiviſibiliter pendet ab utroque, ſcilicet à Deo, & ab homine, tanquam à duabus concauſis partialibus efficientibus diverſi ordinis.

Objic. 3. intellectus non poteſt videre Deum ſine virtute videndi; ſed ſine lumine intrinſeco gloriæ non habet virtutem videndi: ergo non poteſt videre; Prob. min. nam ſi haberet virtutem videndi, non diceret Concil. Viennenſe, quòd eget lumine elevante ipſum ad videndum.

Reſp. diſt. min. ſine lumine, aut æquivalenti concurſu non habet virtutem completam in actu 1. proximo; conc. incompletam, & remotam: neg. min. & prob. ejus. Nam parum intereſt intento Concilii, quòd elevetur intellectus per lumen intrinſecum, vel extrinſecum æquivalenter, modo non dicatur eum ex propriis viribus innatis poſſe videre; in caſu autem concluſionis, virtus intellectus incompleta, & im-

imperfecta elevaretur, & compleretur per quid æquivalens lumini.

Inſt. virtus propria intellectus ſine lumine intrinſeco remanet eadem intrinſecè; ergo non elevatur ſine lumine intrinſeco, & poſito qualicumque concurſu extrinſeco; ergo, ſine lumine intrinſeco, numquam eſt ſufficiens ad viſionem.

Reſpond. diſt. ant. remanet eadem in entitate, & intrinſecè; conc. extrinſecè, & relativè ad concauſam; neg. ant. & conſ. Nam unitur alteri concauſæ, & per eam unionem, & relationem ſufficienter mutatur ſtatus ejus, ut poſſit in actu 2. elicere viſionem. Certè per receptionem intrinſecam luminis non mutatur natura intellectus, ſicut nec per unionem concurſus ejus cum concurſu Dei extraordinario.

Inſt. 2. non poteſt intellectus tranſire de actu 1. ad 2. viſionis Dei, & fieri de non vidente videns ſine aliqua mutatione ſui intrinſeca: ſed non mutaretur intrinſecè per concurſum Dei extraordinarium: quia eſſet illi extrinſecus, ergo non poſſet fieri de non vidente videns.

Reſp. diſt. min. per ſolum concurſum: conc. per concurſum Dei cum propria ſua operatione, & concurſu, ſeu cauſalitate partiali ad viſionem: neg. min. Certè per ſolum concurſum extrinſecum non mutatur intrinſecè; ſed adveniente hoc concurſu extraordinario ſupplente vices, & cauſalitatem luminis fit intellectus proximè potens exercere vim ſuam viſivam, & illam de facto exercet, & de non vidente fit videns.

Inſt. 3. per illum tranſitum de actu 1. ad 2. nihil habet in iſto, quod non haberet in illo; ergo non poſſet ſic tranſire.

Reſp. neg. ant. Nam in actu remoto non habebat niſi nudam ſuam facultatem viſivam, quæ, ut talis, erat imperfecta, & inſufficiens; in actu 1. proximo habet concurſum illum extraordinarium, paratum, & in actu 2. habet illum concurſum exhibitum ſimul cum exercitio ſuæ virtutis, & concurſus proprii.

Objic. denique ut concurſus extrinſecus ſine lumine ſufficiat, debet ſupplere cauſalitatem luminis, ſed hoc repugnat Deo; ergo & viſio ſine lumi-

ne

ne. Prob. min. lumen duo facit ad viſionem, 1. informat intellectum, elevat, & corroborat intrinſecè, & 2. influit efficienter in viſionem ipſam; ſed hoc primum repugnat Deo; quia illud pertinet ad cauſalitatem cauſæ formalis, quam ſupplere non poteſt Deus; ergo.

Reſp. neg. 1. min. & diſt. 2. hoc primum repugnat Deo, & poteſt præſtare, & ſupplere ſecundum ſine primo, conc. min. & non poteſt præſtare ſecundum ſine primo neg. min. & conſ. Calor in aqua 1. informat aquam, 2. agit in aqua, & calefacit meam manum. Deus poteſt ſe ſolo cauſare illum effectum, & cauſalitatem effectivam, non verò formalem caloris; ſic in fornace Babylonica refrigerat tres pueros per ignem, quamvis nec frigus, nec Deus inhæreat igni.

Quæres, *quid ergo, & quomodo Deus ſuppleret in illo caſu?* nam de facto, & de via ordinaria Deus activè concurrit cum intellectu, & lumine, & ille concurſus cum ſolo intellectu, ſine lumine, non ſufficeret.

Reſp. ſupplere cauſalitatem activam luminis in viſionem, per concurſum fortiorem, & extraordinarium, non entitativè; quia eſt eadem Dei formaliter voluntas, & potentia; ſed terminativè; quatenus vult, *ſe ſolo*, per illum concurſum præſtare cum intellectu nudo, quod præſtaret cum intellectu informato, & elevato per lumen gloriæ.

QUÆSTIO XIII.

De concurſu intellectus creati ad viſionem.

Mox dicebamus, intellectum eſſe concauſam, & comprincipium effectivum viſionis cum lumine gloriæ; & iſtud non eſſe cauſam totalem viſionis; & intellectum dici cauſam ejus principaliorem, & hæc conſtant ex dictis in diſputando de influxu luminis; & quidem jam conſtat 1. intellectum ſe ſolo, & ex puris naturalibus eſſe inſufficientem ad eliciendam viſionem, etiam de poſſibi-

li à Deo, ut non poſſet creari intellectus tantæ virtutis naturalis, ut ex ſe, & ſine ſupernaturali auxilio illi connaturalis ſit Dei intuitio. 2. quòd ſolius intellectus, non autem corporis oculis ſit poſſibilis: 3. quòd innatum habeat ad illam appetitum: 4. quòd non indigeat lumine, aut alia diſpoſitione ſupernaturali ad recipiendam in ſe viſionem illam in ratione potentiæ ſubjectivæ; & 5. jam videbamus, lumen non eſſe totam rationem videndi, ſed intellectum ad viſionem concurrere per vires ſuas naturales, quamvis elevatas, & quidem ut cauſam non inſtrumentalem, ſed principalem, & magis principalem reſpectu luminis gloriæ; & denique 6. iſtud non eſſe adeo neceſſarium, quin poſſet ſuppleri à Deo per concurſum extraordinarium.

Reſtat videre majoris claritatis gratia, & directè, 1. an verè concurrat activè; nam de concurſu paſſivo nullus dubitat; 2. an per virtutem innatam, adeo ut viſio inde recipiat aliquam perfectionem majorem, aut minorem, cæteris paribus; ſeu an ex duobus intellectibus inæqualis perfectionis cum æquali lumine perfectior ſit viſio in uno, quàm in alio, modo ſinantur agere ſecundum innatam activitatem, ſuppono autem pro nunc beatitudinem, & per conſequens viſionem eſſe, vel eſſe poſſe inæqualem; de quo aliàs.

Suppono autem, ut ſæpe monui, viſionem poſſe à Deo ſolo cauſari totaliter in intellectu creato, merè paſſivè ſe habente; ut diximus de actibus vitalibus in Philoſophia; unde, inquit Doctor, aliquod objectum excedens multùm facultatem partis intellectivæ, ut objectum beatificum clarè viſum, poſſet poni, habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis &c. & idem ſupponit de actu fruitionis, quòd poſſit cauſari totaliter in voluntate, vel à voluntate partialiter, &c. & tunc tota æqualitas, vel inæqualitas viſionis penderet à Deo, non ab intellectu.

Concl. 1. *Intellectus non ſe habet merè paſſivè ad viſionem Dei, ſed de facto ad eam concurrit activè, & phyſicè, & quidem ut cauſa principalis, non verò ut cauſa inſtrumentalis.*

Prob. 1. ex Scoto,[1] qui ſupponit tanquam certum, quòd

[1] 3.*d*.14.*q*.2.*C*.*n*.5.

quòd *intellectus poſſit ſe habere activè reſpectu viſionis, ſicut & activè ſe habet, reſpectu intellectionis naturalis; ſcilicet eadem potentia beatificatur, quæ eſt principium intellectionis naturalis; & ita in quantum habens eamdem rationem operandi circa utrumque objectum*, quod docet etiam alibi; ſupponens opinionem, quæ tenet, *intellectum eſſe cauſam activam* viſionis; *Dico quod modo (* ſcilicet præciſo lumine *) habet poteſtatem remotam; tunc autem* (cum lumen habet) *propinquam; unde ſicut intellectus eſt hic* (in via) *& ibi* (in patria, ubi videt Deum) *eadem natura; ita poſſe videre eſt hic, & ibi eadem potentia*, ſed addit, quod ſi eſt potentia, *pure paſſiva*, reſpectu viſionis, *& receptiva, tunc non requiritur lumen gloriæ*; ergo ex Scoto intellectus activè concurrit ad viſionem beatam, & ad naturalem intellectionem.

Prob. 2. ex Philoſopho, & Auguſtino, [1] dicentibus, quòd *ab objecto, & potentia paritur notitia*; & [2] *ex viſibili, & vidente gignitur viſio*; & quod ipſa mens quaſi parens eſt, & notitia ejus, quaſi proles ejus.

Confir. nam Concil. Viennenſe non dicit, requiri lumen gloriæ, quo elevetur intellectus ad recipiendam viſionem, ſed ad videndum.

Prob. 3. ex dictis in Philoſophia de activitate intellectus, & voluntatis circa ſuos actus. Certè, ſi potentiæ ſenſitivæ ſunt principia phyſicè activa ſuorum actuum, non debet hoc denegari ſpiritualibus, quæ ſunt nobiliores. 4. Quia voluntas activè, & Phyſicè concurrit ad actus charitatis, & virtutum ſupernaturalium in via, & ad actum fruitionis in patria; ergo & intellectus ad actus fidei, & viſionis; eſt enim eadem ratio de utriſque. 5. quia viſio eſt actus vitalis; ergo regulariter debet eſſe ab aliqua potentia, & principio vitali ab intrinſeco; ergo ab intellectu, qui ſolus hìc vitaliter agit. Dico, *regulariter*; nam licèt, ut dicebamus, poſſet viſio produci à Deo ſolo, in intellectu paſſivè ſe habente, tamen ordinariè, & connaturaliter non ſolet ita fieri, nec multiplicanda ſunt miracula ſine neceſſitate.

Prob. 2. par. 1. ex dictis ſupra, nam cauſa principalis illa dicitur, quæ agit, & attingit immediatè ef-

[1] 9 *Tr. c. ult.* [2] 2. *Tr. c. 2.*

fe-

fectum per virtutem ſibi ab intrinſeco convenientem; ſed intellectus ſic attingit viſionem Dei; ergo &c. Min. patet ex dictis, nam probatum eſt, quòd lumen non eſt tota ratio agendi,& quòd intellectus concurrit, ut concauſa partialis, & vitalis, & per conſequẽs per virtutem ſibi ab intrinſeco convenientem, ut vitalitas. Maj. etiam admittitur communiter; nam inſtrumentum differt à cauſa principali, quòd vel non attingit effectum immediatè, ſed tantum producit aliquam diſpoſitionem præviam, vel illum attingit per virtutem extrinſecam, vel ab extrinſeco provenientem, ut ſecuris, quæ non ſcindit lignum, niſi in virtute moventis, & vibrantis eam.

Prob. 2. nam ut loquitur S. Thomas, non poteſt dici, quòd Spiritus S. ſic moveat voluntatem ad actum diligendi, ſicut movetur inſtrumentum, ergo ſicut voluntas non dicitur cauſa purè inſtrumentalis actuum charitatis ſupernaturalis, licèt ad illos concurrat, ut mota, & elevata, ita & de intellectu, reſpectu actuum ſupernaturalium fidei, & viſionis, & certè nulla potentia dicitur inſtrumentum reſpectu habituum, quibus juvatur ad agendum.

Objic. intellectus non concurrit activè, phyſicè ad ſupernaturalitatem viſionis, hæc enim tota eſt à lumine, & objecto, vel concurſu; ergo nec ad entitatem, aut vitalitatem; ergo nec ad viſionem. Prob. 1. conſ. hæc enim ſeparabilia non ſunt, & ipſa vitalitas eſt ſupernaturalis, ſicut entitas.

Reſp. diſt. ant. non concurrit diviſim, & ex ſe præciſè, con. conjunctim, & ut concauſa indiviſibiliter cum lumine, neg. ant. & conſ. Nam licèt intellectus ſecundum ſe formaliter, & præciſè non cauſet ſupernaturalitatem, nec lumen vitalitatem, tamen quia ex utroque ſimul coaleſcit unica cauſa totalis reſpectu viſionis; quæ indiviſim ab utroque cauſatur, ſic intellectus, pro ut elevatus lumine gloriæ, concurrit etiam ad ſupernaturalitatem, ſicut & lumen, prout informans,& elevans intellectum concurrit ad vitalitatem.

Inſt. intellectus ibi agit per virtutem ſibi innatam; ſed hæc virtus eſt purè naturalis; ergo nihil præſtat in viſionem, ut ſupernaturalem.

Reſp. diſt. maj. per virtutem innatam, & ut elevatam, con. innatam ſimpliciter, neg. maj. & conſ. Nã agit

per

per virtutem propriam, ut elevatam, & conjunctam cum virtute ſupernaturalis luminis.

Objic.2. Scotus cenſet, intellectum ſe habere purè paſſivè, & totam viſionem eſſe ab objecto, ſcilicet ab eſſentia Dei; ergo hæc concluſio eſt contra Scotum; nam inde ſequitur, intellectum non influere activè Phyſicè in viſionem. Ant. patet ex hoc textu, ubi, cum dixiſſet, [1] quòd, *intellectu noſtro agente ad intellectionem, objectum in ſe, vel in ſua ſpecie coagit;* addit, quòd *aliquod objectum excedens multùm facultatem partis intellectivæ, puta objectum beatificum, ut clare viſum, poſſet poni, habere totam cauſalitatem reſpectu viſionis, aut principaliorem, quàm pars intellectiva, & hoc propter excellentiam talis objecti, & propter defectum partis intellectivæ;* ergo, ex Scoto, intellectus non agit, ut cauſa principalis efficiens viſionem.

Reſp.neg.ant.& ad prob.dico, [2] Scotum revera videri aliquando inclinare in eam opinionem, quòd viſio Dei ſit tota à Deo; ſed hoc dicit tantùm ex ſuppoſitione aliqua probabili, aut de poſſibili; poſitivè autem, & de facto docet, eam etiam pendere ab intellectu, activè concurrente cum objecto, & id aſſerit generaliter de omni intellectione: *Dico, quòd intellectionis iſtius non eſt totalis cauſa objectum: nec in ſe, nec in ſua ſpecie..... ſi ergo nec anima ſola, nec ſolum objectum ſit cauſa totalis intellectionis actualis; ſequitur, quòd iſta duo ſunt una cauſa integra reſpectu notitiæ genitæ, &* quod utrumque concurrit in ratione principii activi reſpectu intellectionis; ſcilicet tam intellectus, quàm objectum; & in particulari de viſione beata apertè ſupponit, quòd *intellectus poſſit ſe habere activè reſpectu viſionis verbi:* & in 4. ſent.[3] reſpondet ſecundum opinionem, quæ ponit, intellectum eſſe cauſam activam viſionis beatæ, &c. & dicit, quòd *ſine lumine eſt tantùm cauſa remota, &* in cœlo *cum lumine erit propinqua, & ſicut utrobique eſt eadem natura, ita poſſe videre eſt hic, & ibi eadem potentia:* & hinc neceſſitatem luminis infert, Denique mox patebit, quòd ſi cum æquali lumine

[1] 1.*d.*3.*q.*8. *A. n.*2. [2] *q.*7.*n.*20.*K. & quodl.*15.*n.*8. [3] *d.*49. *q.*11. *cit.*

ne poteſt eſſe inæqualis viſio, non potuit negare, quin ea inæqualitas veniat ab inæquali actione intellectus. Videtur ergo Scotus in hoc problematicus, quia non improbat opinionem quorumdam antiquorum, qui docuerant, in viſione Dei intellectum creatum merè paſſivè ſe habere, ut notat Card. Laurea noſter.

Objic. 1. contra 2. par. cauſa ignobilior ſuo effectu dicitur inſtrumentalis: ſed intellectus eſt ignobilior viſione Dei; ergo eſt ejus cauſa tantùm inſtrumentalis. Maj. patet ex dictis in Phyſica. Prob. min. nam viſio eſt entitas vitalis;& adæquatè ſupernaturalis; intellectus verò naturalis; & cum lumine gloriæ eſt tantùm ſupernaturalis indæquate; & ipſum lumen non eſt vitale; ergo viſio eſt utroque nobilior.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam licèt, ex ſupernaturalitate, viſio ſuperet intellectum, iſte eſt entitas ſubſtantialis, illa verò eſt accidens; & in hoc ſuperatur ab intellectu.

Objic. 2. quod agit, ut elevatum, & per potentiam obedientialem, eſt tantùm cauſa inſtrumentalis; ſed ſic agit intellectus ad viſionem; ergo ut cauſa inſtrumentalis.

Reſp. diſt. maj. ſi de propria virtute nihil conferat ad effectum: conc. maj. & neg. min ſi conferat neg. maj. & conſ. Nam licèt intellectus agat in viſionem Dei, ut elevatus per lumen gloriæ, tamen id facit per propriam virtutem, per quam habet inchoatam proportionem cum viſione, quæ in hac ei aſſimilatur. Alias objectiones propoſuimus ſupra.

Concl. 2. *intellectus concurrit cum lumine ad viſionem per propriam virtutem naturalem*. Hæc ſequitur ex præcedentibus; & videtur maximè contra Hæreticos, qui nolunt, nos quidquam de noſtro operari cum gratia, ut Calvinus; & etiam contra Thomiſtas recentiores, qui, ut diximus ſupra, volunt, quòd lumen ſit tota ratio videndi.

Prob. 1. ex Scoto mox citato, [1] dicit enim, quòd intellectus eſt eadem potentia hic, & ibi, & nulla eſt differentia, niſi quòd in hac vita reſpectu viſionis Dei, ſe habet, *ut potentia remota*, *tunc autem*, ſcilicet in cœlo, *erit potentia propinqua*; ergo per ean-

[1] *Ibid.*

eamdem facultatem, & virtutem ibi videt cum ea differentia, quòd tunc elevabitur ſupernaturaliter per lumen, & virtus ejus ſola non ſufficit; quod etiam colligitur ex eo, quod docet, inæqualitatem beatitudinis poſſe venire ex parte potentiæ, v. g. voluntatis; *voluntas enim, & charitas in diverſis poſſunt eſſe inæquales*, unde concludit, [1] *quòd ſi voluntas eſt cauſa inæqualitatis, quia eſt principium activum inæquale, tunc erit inæqualitas in beatitudine in naturalibus*. Sicut autem ſe habet voluntas cum charitate ad actum fruitionis, ita intellectus cum lumine ad actum viſionis.

Prob.2. ex Scriptura, & patribus, qui docent, intellectum, & voluntatem verè operari cum lumine, & gratia ſupernaturali, ſed non operantur per aliud, niſi per innatas ſibi facultates; ergo ita operatur intellectus ad viſionem. Prob. maj. ex illo Sapientis: *Mitte illam* (ſapientiam) [2] *de ſede magnitudinis tuæ, ut mecum ſit, & mecum laboret*; non dicit, *ut in me*, aut *per me*, quaſi per inſtrumentum mortuum, ſed *mecum*, velut ſocia, & concauſa, ſic loquitur Paulus de Gratia: [3] *Abundantius laboravi; non ego autem, ſed gratia Dei mecum*; ergo ex Scriptura intellectus, & voluntas verè aliquid operantur, & influunt in actus ſupernaturales cum lumine ſapientiæ, & auxilio gratiæ; ergo ita eſt de intellectu reſpectu viſionis Dei cum lumine gloriæ.

Confir. ex SS. Patribus, qui illos textus Scripturæ ſic explicant: *non ego, ſed gratia Dei mecum, id eſt, non ſolus*, inquit Auguſt. [4] *ſed gratia Dei mecum, ac per hoc, nec gratia Dei ſola, nec ipſe ſolus, ſed gratia Dei cum illo*. Idem dicit Bernardus, *mavult dicere mecum, præſumens, ſe non ſolum operis eſſe miniſtrum per effectum, ſed operantis quodammodo ſocium per conſenſum*, ergo ex Script. & PP. intellectus, & voluntas per ſe phyſicè attingunt actus ſupernaturales; ergo & viſionem, nam eadem eſt ratio de illa, ac de actibus fidei, & charitatis.

Confir.2. ex Conciliis, quæ decernunt, hominem verè, & phyſicè de ſuo cooperari ad actus ſalutis, ut probabimus ex profeſſo tract. de gratia, & maximè

[1] *d.50.q.6.F.n.7.* [2] *Sap 9.*
[3] *1.Cor.15.* [4] *de Grat. & lib.ar.c.5.*

mè ex Trid. [1] id ſub anathemate definiente, unde Auguſt. [2] docet, *non ideo tantùm iſtam voluntatem divino muneri tribuendam, quòd ex libero arbitrio eſt, quod nobis naturaliter concreatum eſt*. Unde actus charitatis ſupernaturalis eſt à voluntate, quæ in illum influit per ſuam naturalem virtutem, licèt elevatam, & adjutam per gratiam, aut habitum ſupernaturalem charitatis.

Prob. 3. nam vitalitas viſionis Dei, & ratio ſpecifica talis actus, prout diſtinguitur ab aliis actibus, v. g. fruitionis, & amoris non venit præcisè à lumine; ergo venit à ſolo intellectu ſecundum vitalitatem, & modum ejus agendi naturalem, ergo intellectus phyſicè, & immediatè influit in illum actum.

Prob. 4. quia, ut dicebamus, voluntas ſic immediatè concurrit ad actus ſupernaturales charitatis, tùm in patria, tùm in via; ergo & intellectus ad viſionem, eſt enim eadem ratio, denique nulla eſt ratio denegandi intellectui talem influxum in tales actus; ut patet ex objectionum ſolutione.

Objic. 1. nulla virtus purè naturalis poteſt attingere effectum purè ſupernaturalem; ſed virtus innata intellectui, ſicut & ipſe intellectus, & ipſa anima, eſt purè naturalis, viſio autem Dei eſt purè ſupernaturalis; ergo non poteſt cauſari viſio Dei per potentiam naturalem intellectus, ſed per obedientialem.

Reſp. diſt. maj. ſe ſola, & ſine auxilio ſupernaturali, conc. maj. elevata, & cum auxilio ſupernaturali, neg. maj. & conſ. alioqui voluntas non cauſaret phyſicè actus ſupernaturales charitatis, & alios actus meritorios, quod periculoſum eſt in fide.

Inſt. potentia dicitur naturalis, quia dicitur limitata ad actus purè naturales ex natura ſua; ergo non poteſt exire extra illos limites, concurrendo per eumdem ad actus ſupernaturales.

Reſp. diſt. ant. eodem modo, limitata ex ſe, & præciſa quacumque elevatione, conc. cum elevatione, neg. ant. & conſ. potentia naturalis, ut naturalis, non poteſt attingere actus ſupernaturales, bene verò ut elevata.

Objic. 2. Si intellectus concurrat ad viſionem, per virtu-

[1] *ſeſſ. 6. can. 4.*
[2] *de ſpir. & lit. C. 35.*

tutem ſuam naturalem, dicit ordinem ad illam, ut cauſa principalis, vel inſtrumentalis; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec quod agat per virtutem naturalem. Prob. min. non ut cauſa inſtrumentalis, quod eſt contra nos: non principalis, quia ſic deberet continere in ſe viſionem; ſed hoc eſt impoſſibile; ergo & quod illam poſſit reſpicere, ut cauſa principalis. Prob. min. nam ſi intellectus, ſecundum virtutem ſuam naturalem, contineret viſionem Dei, hæc eſſet pàrè naturalis.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. deberet eam continere ſimul, & ut elevatus conc. maj. & neg. min. præciſa elevatione: neg. maj. & conſ. & ant. prob. Nam virtus innata intellectus, ut elevata, verè continet virtualiter viſionem cum ſua ſupernaturalitate; quia cum illa elevatione eſt cauſa ſupernaturalis, ſicut habitus, & ſpecies non vitales continent virtualiter actus vitales, ad quos concurrunt, non quidem ſeorſim, ſed ſimul cum potentiis vitalibus, quas informant; ita eſt de lumine reſpectu viſionis.

Inſt. potentia naturalis, ut naturalis, non concurrit, niſi ad actus, ad quos dicit ordinem eſſentialem; ſed non dicit ordinem eſſentialem ad actus ſupernaturales; ergo nec ad eos concurrit, ut naturalis.

Reſp. diſt. maj. niſi ad actus, ad quos dicit ordinem eſſentialem, proximum, & completum, vel remotum, & incompletum: conc. maj. & neg. min. proximum & completum; neg. maj. & conſ. Nam ſufficit, ut dicat ordinem, ſeu habitudinem, ſaltem inchoatam, incompletam, & remotam; & talem dicit potentia naturalis ad actus ſupernaturales, ad quos eſt elevabilis, ut intellectus ad viſionem Dei, per lumen gloriæ, per quod completur, & cum quo dicit ad illum ordinem completum.

Obj. 3. ſi intellectus eſſet potentia activa naturaliter viſionis Dei, eſſet & paſſiva; ſed falſum conſ. ergo & ant: Prob. maj. nam cuilibet potentiæ activæ reſpondet paſſiva ejuſdem ordinis.

Reſp. neg. min. nam, ut diximus ſæpè, intellectus eſt verè potentia, naturaliter paſſiva reſpectu viſionis, licèt non ſit activa naturalis completa; nam ad potentiam naturalem paſſivā ſufficit, quòd forma non repugnet inclinationi, ſeu appetitui ſubjecti; ut viſio

non

non repugnat appetitui naturali intellectus, nec requiritur, ut adſit potentia activa ejuſdem ordinis, ſcilicet naturalis.

Objic. 4. potentia ut elevata non eſt naturalis; ſed intellectus non videt Deum, niſi ut elevatus; ergo non concurrit ad viſionem per virtutem naturalem. Prob. maj. quia potentia elevata eſt potentia obedientialis, non autem naturalis.

Reſp. diſt. maj. non eſt naturalis purè, ſeu nudè; con. non eſt naturalis elevata: neg. maj. & conſ. & idem dico ad prob. majoris; Nam potentia obedientialis, in hoc ſenſu, nihil eſt aliud, quàm potentia naturalis elevata; & elevatio non tollit naturalem virtutem, ſed elevat eam, & roborat, & complet, ut poſſit cum elevatione agere id, ad quod ſe ſola erat inſufficiens, & incompleta.

QUÆSTIO XIV.

An viſiones Dei poſſint eſſe inæquales, Et unde venire poſsit inæqualitas, an ex lumine, an ex intellectu.

HÆc quæſtio illuſtrabit præcedentes, & doctrinam in eis traditam; nam ſi inæqualitas aliqua venire poſſet ex parte videntium, magis patebit influxus intellectus creati; & quod viſio aliquem gradum perfectionis accipit ab ejus activitate innata; nam inæqualitas, ſi qua eſt, moraliter quidem venire poterit ab inæqualitate meritorum, ad menſuram quorum datur lumen, & conceditur viſio ex parte Dei; ſed Phyſicè venire non poteſt, niſi vel ex parte objecti, quod non ſe manifeſtat æqualiter; vel ex parte luminis; vel ex parte intellectus, qui poteſt eſſe magis, vel minus perfectus, & perſpicax; vel ex parte concurſus Dei, quo concurrit effectivè cum utroque.

Quoad cauſam moralem 1. nulli dubium eſt, quin illa ſit inæqualis, quia non omnes beati æqualis ſunt ſanctitatis, & meriti; & viſio, ſicut & tota beatitudo, datur ut merces, & præmium, & ſub

ſub hoc reſpectu commenſuratur meritis. 2. quoad objectivam etiam certum eſt, quòd omnes vident idem objectum eſſentiale, ſcilicet Dei eſſentiam clarè, & immediatè, ut dictum eſt: dico *eſſentiale*; nam quoad acceſſoria, ſcilicet plura, quæ in Deo videri poſſunt, magis, aut minùs explicitè, id examinabitur infra 3. quoad lumen, ſupponitur etiam, quod regulatiter datur ad menſuram meritorum; & certum eſt, quòd ſicut concurrit efficienter ad viſionem, ſic etiam cauſat illam intenſiorem, aut remiſſiotem, prout illud datur intenſius, aut remiſſius. 4. de concurſu Dei, certum etiam eſt, quod Deus poteſt per illum retardare, & modificare viſionem, vel augere ſi velit; ſed tamen de via ordinaria exhibet illum accommodatè ad exigentiam, & diſpoſitionem, & activitatem cauſæ ſecundæ; & per conſequens luminis cum intellectu, quæ cauſant efficienter viſionem.

Tota, & ſpecialis difficultas eſt de intellectu, an ſcilicet, ſuppoſito, quod dentur intellectus alii aliis perfectiores, & imperfectiores, alii aliis acutiores, & imbecilliores ſecundùm vires ſuas Phyſicas, & naturales, ut ſunt intellectus Angelici, & humani; an, inquam, viſio accipiat incrementum, vel decrementum gradualem ex perfectione, aut debilitatè naturali intellectus: uno verbo, an duo intellectus inæqualis activitatis naturalis cum æquali lumine,ac cæteris paribus eliciant inæqualem viſionem.

Sed prius videndum, an viſiones beatorum ſint de facto inæquales: nam de hoc diſputandum eſt contra Hæreticos, quorum antiquior Jovinianus dicebat; teſte S. Hieron. duos eſſe tantùm ordines ovium, & hircorum; alterum juſtorum, alterum peccatorum; alios extare à dextris, alios à ſiniſtris; & ſicut omnia peccata dicebat æqualia, ita & merita; adeo ut inter Joannem, & ultimum pœnitentem nulla ſit diſtantia; in quem errorem, ex alio fundamento, inciderunt Lutherus, & Calvinus; quia putant Chriſti juſtitiam nobis imputari, & applicari per fidem, & quidem æqualiter, ideo æqualis eſt viſio, & beatitudo illi juſtitiæ Chriſti nobis extrinſecè imputatæ correſpondens.

Concl. 1. *Viſio Dei, ſicut & beatitudo formalis eſt*

eſt de facto inæqualis pro inæqualitate meritorum. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui putat „quod voluntas creata, cæteris paribus, imperfectior *non poſſit tantam vim activam habere ad fruitionem eliciendam*, & quòd fruitio Chriſti erit major, quàm Angeli, & quòd *inæqualitas poteſt ſtare cum beatitudine in eadem ſpecie, & probat, quia*, licèt appetitus naturalis inclinet naturaliter ad ſummam perfectionem, juſtitia tamen diſtributiva in Deo, quæ ordinat omnia propter ſe ipſum, ordinat ſic homines ad beatitudinem, ut hæc perfectio detur propter meritum, non propter appetitum naturalem, & quia inæqualia poſſunt eſſe merita in eadem ſpecie hominum, per conſequens & perfectio (*beatitudinis*) poteſt eſſe inæqualis.

Prob.2. ex Script. [2] *reddet unicuique juxta opera ſua*. Et: [3] *in domo patris mei manſiones multæ ſunt.* Et: *ſtella à ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum, & unuſquiſque propriam mercedem recipiet ſecundum ſuum laborem*; labor verò eſt inæqualis; ergo & merces, quæ in viſione, ſaltem partialiter, ſeu fundamentaliter. Idem docetur alibi, ut [4] *referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit.* Et: *qui parce ſeminat, parcè & metet*, &c.

Prob.ex Conciliis nam Florentinum decernit, *Beatos intueri clarè ipſum Deum, trinum, & unum, ſicuti eſt, pro meritorum tamen diverſitate, alium alio perfectiùs.* Et Trid. [5] *juſtificatum per bona opera creſcere poſſe ſanctitate, & meritis, nec ſolum verè mereri augmentum gratiæ, & ipſius vitæ æternæ, ſi in gratia diſceſſerit, conſecutionem; ſed etiam gloriæ augmentum.*

Prob. 4. ex Sanct. PP. qui de hac inæqualitate explicant allatos textus Script. Ut Fulgent. [6] *una per fidem veram renatis vita cæleſtis regni promittitur, quamvis differens regnaturis gloria tribuatur, Paulo dicente, alia claritas ſolis*, &c. [7] Et Tertullianus, *quomodo manſiones multæ ad Patrem, ſi non*

[1] 3.d.13.q.3.*aut* 4.0.4.d.50.q.6.*A.n.*2. [2] *Matth.*16.
[3] *Jo.*14. [4] 1.*Cor.*15.
[5] *Seſſ.*6.*c.*10.*&* 16.*can.*24.*&* 32. [6] *L.*3.*ad Traſim.*
[7] *In Scorpiaco*

ſi non pro varietate meritorum, quomodo ſtella diſtabit à ſtella in gloria, niſi pro diverſitate rad orum? Et S. Greg. [1] *apud Patrem manſiones multæ ſunt, quia, in illa beatitudinis vita non diſpari unuſquiſque, juxta diſpar meritum, locum diſparem percipit, ſed ejuſdem diſparilitatis damna non ſentit, qua tantum ſibi, quantum perceperit*, ſufficit, &c.

Probatur denique ratione, quia viſio, ſicut & tota gloria, datur ut merces, & ut corona, & quidem *juſtitiæ*, ut loquitur D. Paulus; ergo datur ad menſuram meritorum, ſed iſta ſunt inæqualia; ergo & viſio. Prob. ſubſumptum, quis enim vellet æquare merita Latronis cum meritis Apoſtolorum, & Martyrum? quis merita infantium decedentium poſt baptiſmum cum meritis eorumdem Martyrum, & Confeſſorum, & Anacoretarum? &c.

Objic. 1. Parabolam Euangelii de Patre familias, & operariis vineæ, quibus ille dat æqualem mercedem, quamvis alii ab hora 1. alii ab hora 5. alii ab ultima, ſeu una tantum hora laborant: acceperunt enim ſinguli denarium unum, de quo convenerat cum illis, & cùm murmurarent primi, quòd eos noviſſimis pares feciſſet, reſpondit, *num ex denario diurno conveniſtis mecum? &c.* ergo æqualis pro illis erat merces, viſio, & beatitudo. Hoc eſt præcipuum fundamentum Joviniani, & multi multa circa hunc textum dicunt.

Reſp. breviter, ex Scoto: [2] neg. conſ. nec enim eò tendit ſenſus parabolæ; intelligendus eſt de beatitudine eſſentiali formali, aut objectiva principali, & utraque eſt una, & eadem, & per conſequens æqualis. *Singuli recipiunt ſingulos denarios, dicitur, quia verum eſt, & accipiendum eſt de vita æterna, quam quilibet accipit. Aliter expono, quia ille denarius eſt eſſentia divina, quæ eſt idem objectum omnium Beatorum, & datur omnibus ſub æquali ratione, quia infinita ex parte objecti*, & hæc reſponſio conformis eſt Auguſtino; [3] *Denarius quidem æqualis eſt omnibus, quo utique denario vita ſignificatur æterna, ubi amplius alio nemo vivit, quia vivendi non eſt diver-* *ſa;*

[1] *35. mor. c. 14.*
[2] *4. d. 50. q. 6. l. n. 10.*
[3] *Tr. 67. in Jo.*

ſit in æternitate menſura, ſed manſiones multæ diverſas meritorum in vita æterna ſignificant dignitates. Idem ſentit Hieron. *unus denarius non unum eſt præmium, ſed una vita, & una de gehenna liberatio*. Item Ambroſ. *undecima conducis hora, & æqualem dignaris mercedem ſolvere, æqualem mercedem vitæ, non gloriæ*. Igitur æqualitas ſignificata per unitatem denarii attenditur penes ſubſtantiam viſionis, quæ eſt æterna, & Deum clarè videt in ſe, *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, &c.* ſed gloria, ſcilicet beatitudo, & viſio quoad accidentalia, & acceſſoria erit inæqualis; cætera videbimus de beatitudine.

Concl. 2. *Inæqualitas viſionis Dei venire poteſt Phyſicè ab intellectu, ita ut ex duobus intellectibus, æquali lumine adjutis, perfectior perfectiorem eliciat viſionem, cæteris paribus*; eſt Scotiſtarum, & aliorum contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *in effectu poteſt eſſe aliqua perfectio non ſolum à prima cauſa, ſed etiam à ſecunda*, ut eſt intellectus, & de Chriſti fruitione, ac beatitudine dicit, quod *cùm voluntas ejus non poſſit tantam vitam activam habere, quantam voluntas ... Angelica, non poteſt ita perfectam elicere fruitionem, ſicut alia voluntas poteſt* (cæteris paribus) *licèt enim voluntas* (Chriſti) *poteſt ſummam gratiam habere, quæ eſt cauſa partialis reſpectu fruitionis, æquè cauſaret fruitionem in ipſa*, &c. ergo ex Scoto [2] voluntas Angeli, cum ſumma gratia, cauſaret perfectiorem actum amoris Dei in cœlo, quàm voluntas humana Chriſti cum gratia pari, propter ſuam majorem perfectionem naturalem; ergo idem eſt de intellectu, reſpectu viſionis, cum æquali lumine.

Prob. 2. quoties plures cauſæ agunt in eumdem effectum, iſte eſt eò perfectior, quò major eſt virtus ſingularum, vel alterius earum; ergo quando intellectus cum lumine gloriæ concurrit ad viſionem Dei; hæc erit eò perfectior, quò major erit virtus naturalis intellectus; Probatur, nam cauſa totalis viſionis erit perfectior propter intellectum; ergo & actus ad

[1] 4.cit.F n.7.
[2] 3.d.13.q.4.O.n.18.

idem erit perfectior; ergo duo videntes cum æquali lumine, & inæquali intellectu inæqualiter videbunt, & inæqualitas veniet ab intellectu, quia intellectus tam Phyſicè concurrit ad viſionem, quàm lumen.

Confirm. potentia naturalis cum habitu naturali elicit perfectiorem actum, ſi ſit perfectior; ergo & cum habitu ſupernaturali. Probatur conſ. nam habitus ſupernaturalis non magis impedit activitatem virtutis naturalis potentiæ, nec minùs eam juvat, quàm ſupernaturalis; ergo tam creſcit perfectio actus ſupernaturalis ex virtute potentiæ naturalis, quàm actus naturalis.

Prob. 3. quò perſpicacia perfectior eſt, & vis intellectus, & applicatio, eò perfectior eſt actus fidei ſupernaturalis; idem eſt de voluntate pro actu voluntatis; ergo idem eſt de viſione Dei. Ant. negari non poteſt: quia patet experientia. Prob. conſ. nam ſicut ſe habent in cœlo intellectus, & lumen gloriæ ad viſionem, ita in via ſe habent intellectus, & habitus fidei, vel gratia actualis ad actum fidei, & charitas cum voluntate ad actum charitatis; ergo ſi ex majori perfectione, & conatu intellectus, & voluntatis cum æquali habitu, vel auxilio Dei eliciuntur perfectiores actus fidei, & charitatis, ita erit de viſione in patria.

Prob.4. quia fundamentum adverſariorum eſt, vel quòd lumen eſt tota ratio videndi, vel quòd gradus majoris intenſionis venientes à virtute potentiæ eſſent naturales; ſed utrumque eſt falſum, ergo concluſio eſt vera. Probat. min. ex dictis tùm de concurſu luminis, & intellectus, quòd ſcilicet concurrant ambo effectivè, ut cauſæ partiales; tùm de neceſſitate luminis, vel auxilii ſupernaturalis, ſine quibus non poteſt umquam intellectus exercere ſuam virtutem intellectivam naturalem circa eſſentiam Dei ad eam intuendam: hinc enim ſequitur totam viſionem eſſe ſupernaturalem. Hinc ſolutas habes præcipuas objectiones, quæ ex his duobus capitibus petuntur.

Objic. præterea: illa viſio eſſet partim naturalis, & partim ſupernaturalis; ſed hoc implicat; ergo & quod majorem perfectionem habeat à virtute natu-

naturali intellectus. Probatur maj. illi gradus, in quibus viſio perfectioris intellectus excederet viſionem imperfectioris, eſſent à cauſa purè naturali, & excederent virtutem luminis, & cauſæ ſupernaturalis; ergo eſſent naturales, alii verò ſupernaturales.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus; alioqui hoc diceretur etiam de quacumque viſione; nam in omnibus concurrit intellectus cum lumine per vim ſuam naturalem, ut probatum eſt; igitur tota viſio indiviſibiliter eſſet à duabus concauſis, ſeu à cauſa totali ex duabus partialibus conſtante, nec eſſet pars in viſione, correſpondens uni, & alia alteri; ſicut de præſenti non adeſt illa partialitas in viſionibus æqualibus.

Inſt. naturale non producit ſupernaturale; ſed gradus augmenti eſſent à cauſa naturali, ſcilicet à majori perfectione naturali intellectus; ergo non eſſent ſupernaturales.

Reſp. diſt. min. eſſent à cauſa naturali elevata, & concurrente cum ſupernaturali: conc. min. à cauſa naturali, ſola, & per ſe agente; neg. min. & conſ. Semper enim intellectus ageret, ut elevatus, etiam perfectior, ſicut imperfectior, & tota viſio eſſet ab utraque concauſa indiviſim.

Inſt. in intellectu perfectiori lumen illud æquale non eſſet, & proportionatum, ſicut eſt in imperfectiori; ergo non eodem modo ageret cum illo, ſicut agit cum iſto. Prob. ant. quia perfectior ageret minori auxilio, & imperfectior majori, quia plus deberet elevari, & quod ſufficeret uni, non ſufficeret alteri; ergo vel impoſſibilis eſt ſuppoſitio, vel concluſio.

Reſp. diſt. ant. non eſſet proportionatum, id eſt commenſuratum activitati naturali potentiæ; conc. non eſſet proportionatum ratione effectus: neg. ant. & conſ. prob. In tantum lumen eſſet proportionatum intellectui perfectiori, in quantum ſufficienter elevaret illum ad attingendam eſſentiam Dei, ut exerceret activitatem ſuam circa illam, & ita eſſet de imperfectiori; non eſſet autem proportionatum quoad entitatem ejus Phyſicam, quæ forte eſſet capax majoris, aut mino-

ris elevationis, & luminis; ſed hoc nihil ad rem.

Objic. 2. viſio, & lumen proportionantur merito; ergo non creſcit ex perfectione naturali potentiæ. Prob. conſ. nam ſi ſic creſceret, poſſet accidere, ut habens minùs meriti haberet perfectiorem viſionem.

Reſp. diſt. ant. & conſeq. viſio proportionatur merito in ratione præmii, conc. in ratione actus Phyſici: neg. ant. & conſ. & idem dico ad probationem; nam ſemper viſio in ratione præmii correſponderet merito, licèt aliunde. & in ratione effectus Phyſici correſponderet activitati, ac perfectioni cauſæ, quid inde, nulli fieret injuria; nec enim debet manere otioſa virtus illa naturalis.

Inſt. 1. ex Script. ex Concil. & PP. viſio datur ut merces correſpondens meritis; [1] *unicuique ſecundum proprium laborem*, inquit Paulus; & Eccleſia damnat Pelagianos, & Beguardos, tribuentes beatitudinem operibus ex natura, ſed ille exceſſus viſionis eſſet purè ex natura intellectus, (ita eſt de voluntate quoad fruitionem;) ergo viſio non poteſt creſcere ex perfectione naturali potentiæ.

Reſp. neg. min. nam licèt dicamus, viſionis perfectionem intenſivam poſſe creſcere ex naturali virtute intellectus, non ſequitur, illam eſſe naturalem etiam quoad augmentum, quia procedit indiviſibiliter, indiviſibilitate effectus tam à lumine, quàm ab intellectu; & illa perſpicacia, & perfectio major intellectus eſt donum Dei, ad cujus menſuram ex meritis Chriſti datur gratia, & fundamentum meriti, & prædeſtinatio ad tantam, vel tantam viſionem, & ſic non tantùm ipſa viſio quoad ſubſtantiam, ſed etiam quoad exceſſum illum, & majoritatem fundatur in gratia, & meritis Chriſti, & venit à lumine ſupernaturali, & ab eo habet ſupernaturalitatem; in quo longe diſtamus ab errore Pelagii, & Beguardorum.

Inſt. in via actus unus nullum accipit augmentum ex naturali perfectione voluntatis; ergo nec viſio in Patria ex perfectione intellectus. Prob. ant. nam ex Script. & PP. tota dignitas meriti menſuratur ex gratia.

Reſp.

[1] 1. *Cor.* 3.

Reſp. neg. ant. imò contrarium magis conforme eſt Scripturæ, & PP. quòd ſcilicet, qui cum minori, vel æquali gratia operatur cum majori applicatione, & fervore, plus mereatur, quamvis tota ſubſtantia meriti fundatur in gratia, ut dicemus ſuo loco.

Inſt. 3. in via poſſumus quidem operari remiſſiùs, quàm gratia exigat, non verò intenſiùs: ergo nulla reſponſio. Prob. ant. quia licèt propter libertatem arbitrii poſſimus aut non cooperari gratiæ, aut cooperari remiſsè, ac negligenter, non tamen eam ſuperare, quia non poſſumus agere ultra vires à Deo datas.

Reſp. neg. ant. quoad 2.p.& diſt. ultimum probatum, ultra vires datas abſolutè; conc. ultra vires, & intenſionem habitus, vel auxilii ſupernaturalis; quod propriè dicitur gratia; neg. ant. non enim jubemur diligere, verbi gratia, juxta menſuram gratiæ, & auxilii divini, ſed juxta vires totas potentiæ, *ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & totis viribus*, quæ vires etiam datæ ſunt, non ſolùm in creatione, ſed etiam hìc, & nunc, dum agimus, quatenus non agimus per eas, niſi cum gratia excitante, & operante, & elevante.

Objic. 4. intellectus non poteſt abſolutè videre Deum ſine lumine; ergo neque videre intenſius ſine intenſiori lumine. Probatur conſ. *Sicut ſe habet ſimpliciter ad eſſe ſimpliciter, ita ſe habet magis ad magis*, ſed per nos intellectus non poteſt ſimpliciter videre Deum ſine lumine; ergo nec magis videre ſine majori lumine.

Reſp. neg. conſ. & diſt.maj. probationis in cauſis præciſis, & totalibus; conc. in cauſis particularibus: neg.maj. lumen autem non eſt cauſa totalis viſionis, ſed partialis. Unde valet iſtud aliud axioma Scotiſticum: *una cauſa partiali exiſtente æquali, ſi reliqua eſt major, poteſt ſequi perfectior effectus.*

Objic. 5. ponamus duos intellectus, unum perfectum ut ſex, alterum ut quatuor, & detur ſingulis lumen, ut quatuor, vel iſte ſecundus non eliciet viſionem ut quatuor, vel iſte primus eliciet viſionem ut 5. vel 6. ſed neutrum dici poteſt: ergo tota intenſio viſionis pendet à menſura lumi-

nis, non verò ab activitate intellectus. Probatur min. primò non poteſt dici, quod ſecundus eliciat minorem viſionem, quia derogaretur activitati luminis, imò & intellectus: ſecundò non poteſt dici, quòd primus eliciat perfectiorem ut 5. vel ſex; nam ſic lumen concurreret ad actum intenſiorem ſe ipſo; ſed hoc repugnat; quia effectus non ſuperat cauſam ſuam; ergo &c.

Reſp. neg. min. utramque; nam ſecundus verè haberet perfectiorem viſionem cum proportione ad ſuam virtutem majorem, & diſt. prob. non ſuperat cauſam ſuam totalem, eſto; cauſam partialem; neg. ut jam dictum eſt. Viſio enim v.g. ſenſitiva ſuperat perfectionem ſpeciei impreſſæ, quæ ad eam concurrit partialiter cum oculo, & eadem viſio cum eadem ſpecie poteſt eſſe clarior in uno oculo, quàm in alio, ſi ille ſit acutior.

Inſt. 1. ergo oculus non elevaretur per lumen gloriæ, ſed lumen per intellectum, quia cum eo eliceret viſionem intenſiorem ſe; ſed conſ. eſt abſurdum, & contra ſenſum Eccleſiæ, & omnium Theologorum, qui docent intellectum elevari per lumen; ergo, &c.

Reſp. diſt. ſeq. elevaretur, id eſt, ſic juvaretur, ut poſſet concurrere ad intenſiorem actum, quàm ſe ſolo, ſeu quam ſit ipſum; con. ſeq. & neg. ſubſumptum; id eſt transferret lumen de uno inferiori ad ſuperiorem; ſicut lumen facit in potentia, quam elevat à ſtatu naturali ad ſupernaturalem; neg. ſeq. & conſ. prob. quæ enim in hoc abſurditas, vel repugnantia? Concilia, & PP. & Theologi loquuntur de elevatione hac ſecunda, quæ eſt propria elevatio; certè quoties duæ cauſæ ſeſe mutuò juvant ad unum effectum, ad quem nulla ſeorſim ſufficit, ſeſe mutuò elevant.

Inſt. 2. non poteſt una qualitas per concurſum alterius producere aliam ſe ipſa intenſiorem; ergo lumen ut quatuor, cum intellectu perfectiori, viſionem ut quinque, vel ſex non poterit producere.

Reſp. neg. ant. Nam duæ candelæ, lucentes ut quatuor, ſi luceant in eodem loco, majorem lucem efficient, quàm ſingulæ ſeorſim. Pondus unius libræ additum alteri auget gravitatem.

Inſt. 3. Intellectus eſt de ſe indifferens ad tantam, vel

vel tantam viſionem; ergo tota determinatio intenſioris, vel remiſſioris viſionis venit à lumine, & illi debet commenſurari, non verò intellectui.

Reſp. diſt. ant. eſt indifferens paſſivè, & quoad ſupernaturalitatem; conc. activè, & quoad perfectionem entitativam naturalem; neg. ant. & conſ. Nam per lumen determinatur potentia ad viſionem ſupernaturalem, & quidem intenſiorem, vel remiſſiorem, quantùm eſt ex parte ſua ſecundum propriam intenſionem, ſed juvatur, & augetur illa virtus per potentiam, cum qua concurrit in unitatem cauſæ totalis.

Inſt. 4. non poteſt intendi intellectio ſecundum rationem genericam intellectionis, niſi augeatur ſecundum rationem ſpecificam ſupernaturalitatis; ſed non poteſt augeri quoad ſupernaturalitatem, niſi per lumen; ergo nec quoad rationem genericam intellectionis.

Reſp. neg. abſolutè majorem; nam intellectus perfectior cum æquali ſpecie perfectiorem elicit intellectionem, quàm imbecillior, & tamen ambæ conveniunt in ratione generica intellectionis.

Argumentum ſupponit duo falſa. 1. quod intellectus, & lumen (idem eſt de ſpecie, vel habitu) concurrāt ad viſionem, ut duæ cauſæ partiales, partialitate effectus, ita ut una pars, vel gradus viſionis ſit præciſè ab intellectu, & alia à lumine, quod falſum eſt. 2. quòd perfectio gradualis mutet ſpeciem; hìc verò intellectus & lumen concurrunt ad viſionem, ut partiales partialitate cauſæ, non autem effectus, & tota differentia viſionis intenſioris à remiſſiori non eſt penes naturalitatem, aut ſupernaturalitatem, ſed penes intenſionem gradualem. Utraq; eſt æquè ſupernaturalis, ſed nō eſt æque intenſa, & tota eſt indiviſibiliter ab utroque ſimul.

Concl. 3. *Probabilius eſt, quòd de facto in beatis perfectior intellectus eliciat perfectiorem viſionem cum æquali lumine, & cæteris paribus.*

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *ſicut intellectus eſt hic, & ibi eadem natura, ita poſſe videre eſt hic, & ibi eadem potentia; ſed modo eſt remota, & tunc erit propinqua*; ſed hic perfectior intellectus cum æquali habitu, vel auxilio elicit

[1] 4. d. 49. q. 11. K. n. 11.

perfectiorem actum ſcientiæ, aut fidei, quàm imperfectior; ergo & ibi.

Prob. 2. ex dictis, nam lumen gloriæ non aufert ab intellectu virtutem naturalem agendi, ſed potiùs elevat, & auget; ergo non impedit, quin agat circa objectum beatificum ex totis viribus ſuis naturalibus; ergo de facto qui majores habet vires, efficaciùs agit, & perfectiùs videt, cæteris paribus.

Prob. 3. nam licèt poſſit fieri, quòd Deus non concurrat cum intellectu creato ad ſui viſionem, niſi pro menſura luminis, & meriti, tamen de facto probabilius eſt, quòd ita concurrit, ut omnes agant connaturaliter, & ſine impedimento, & violentia: ſed niſi permitteret, ut perfectior intellectus, cum æquali lumine, perfectiorem eliceret viſionem, intellectus non ageret connaturaliter, ſed fieret aliqua violentia, & impedimentum; ergo probabilius eſt, quòd perfectiorem habeat viſionem. Prob. maj. ſi quid impediret, ne ſic Deus, & lumen concurrerent, id eſſet, ut ſervetur in viſione proportio meriti, ſed hæc ratio non impedit; ergo &c. Prob. min. nam totus rigor juſtitiæ in præmiando conſiſtit, ut ſingulis tantum detur præmii, ac mercedis, quantum congruit ſingulis, ex pacto, juxta operum valorem, ſed hæc juſtitia ſervaretur, dando æqualiter dignis æquale lumen; ergo &c. Maj. patet ex Euangelio, in quo paterfamilias denarium promiſſum dedit tam iis, qui noviſſima hora venerunt, quàm qui prima, dicens, [1] *non ne ex denario diurno conveniſtis mecum? tolle quod tuum eſt*: & in parabola ſervorum cum talentis, datur talentum ſervi otioſi ei, qui jam decem habebat, habenti dabitur; ergo Deus non aufert à ſervis ſuis talenta naturæ, nec illa impedit, ne agant, ſed potiùs auget per dona gratiæ.

Dixi autem, *probabilius*; nam nullibi eſt revelatum, vel definitum, an ita ſit, necne, an ſcilicet permittatur animabus, ut ſecundum totam ſuam virtutem innatam agant, an verò tantùm ſecundum menſuram luminis, & meriti.

Objic. ex Scoto, [2] qui docet, quòd anima Chriſti perfectius fruitur Deo, quàm Angeli: *licet voluntas ejus non ſit ita perfectè activa, ſicut voluntas Angeli;*

[1] *Mat.* 20. [2] 3. *d.* 13. *q.* 4. *O. n.* 18.

geli; ergo idem eſt in beatis; Item docet, [1] quòd beati æqualis meriti habebunt æqualem gloriam, quia *inferior voluntas* (idem eſt de intellectu) *agit ſecundum totum ſuum conatum, ſed voluntas nobilior non ſic agit*; ergo cenſet, quod potentiæ naturalis actio erit commenſurata lumini, & charitati, & ſic perfectior non videbit meliùs, quàm debilior; ergo ex Scoto de facto perfectior potentia, cæteris paribus, non elicit perfectiorem actum beatificum.

Reſp. neg. conſ. nam quoad 1. text. patet potiùs contrarium; nam doctor non dicit, quòd perfectior erit viſio Chriſti, quàm Angeli, quia Deus non permittit, intellectum Angeli agere toto ſuo conatu, & virtute, ſed quia anima Chriſti agit cum gratia ſumma, & ſummo lumine, & voluntas Angeli cum minori gratia, & lumine, & *excedentia gratiæ excedit in ea efficientiam voluntatis Angeli*, & ſupplet imperfectionem naturalem animæ humanæ; ergo potiùs ibi nobis favet: ex 2. etiam textu ſequitur tantùm, quòd ſicut in via, qui habet æqualem gratiam cum inferiori potentia, poſſet per majorem conatum plus mereri, quàm ille, qui habens perfectiorem potentiam ageret remiſſiùs; ſic ille acciperet majorem gloriam in quantitate, ſed beatitudo eſſentialiter erit æqualis, quia quod uni deeſt ex parte potentiæ, ſuppletur ex parte gratiæ, ac meriti. Unde ſemper ſupponit Scotus, quòd cum uterque ageret ſecundum totum conatum potentiæ, ſicut habens æqualem charitatem cum perfectiore potentia, elicit perfectiorem actum, & plus meretur; ita & plus accipit mercedis, & gloriæ; ergo & quòd ita erit in cœlo reſpectu viſionis, & fruitionis, cæteris paribus.

Objic. 2. Beatitudo non commenſuratur potentiæ naturali, ſed divinæ diſpoſitioni, ac merito beatorum; ergo tam perfecta erit viſio infirmioris potentiæ, quàm perfectioris.

Reſp diſt. ant. beatitudo commenſuratur merito in ratione mercedis, & præmii; conc. in ratione doni, ac beneficii, aut conſequentis ad dona, & beneficia, data à Deo cuique, ex diſpoſitione providentiæ altioris; neg. ant. & conſ. Nam ſicut placuit Deo, dare aliquibus perfectiores potentias, & majora dona,

[1] 4. d. 50. q. 6. F. n. 7.

ac beneficia naturæ, vel ex puro beneplacito, vel ex meritis Chriſti, ſic & eadem providentia, & diſpoſitione vult, alia conferre, quæ ad illa ſequuntur, ut ſunt concurſus ad perfectiores viſiones, & fruitionem præter menſuram proportionatam meritis; nec enim vult, illa priora dona naturæ otioſa eſſe in cœlo potiùs, quàm in via.

QUÆSTIO XV.

An viſio Dei ſit Scientia, An ſpeculativa, vel practica, an comprehenſiva Dei, An verbum mentis, an ejuſdem ſpeciei in omnibus.

PRo deciſione omnium iſtarum quæſtionum, vide quæ diximus in Philoſophia de his qualitatibus cognitionis creatæ, ſcilicet de ſcientia, de comprehenſione, & de verbo mentis. Sunt autem potiùs Philoſophicæ, quàm Theologicæ quæſtiones, ideo breviter ab his me expediam.

Concl. 1. *viſio Beata Dei dici poteſt ſatis propriè ſcientia, & quidem virtualiter diſcurſiva, ſaltem quoad aliqua objecta ſecundaria; non repugnat tamen formalis diſcurſus.*

Hæc concluſio probata manet quoad 1. p. ex dictis de Theologia beatorum, quoad 2. & 3. patet ex textu Scoti, ibid. cit. nam cum dixerit, *Theologiam beatorum habere omnes eruditiones ſcientiæ*, addit, *quòd quando Auguſtinus dicit, quòd in cœlo non erunt volubiles noſtræ cogitationes, ab aliis in alia euntes, & redeuntes,* ut ſit in diſcurſu formali; *ſed ſcientiam noſtram unico intuitu videbimus;* ad hoc reſpondet, *quòd poteſt exponi auctoritas Auguſtini de viſione beata, quæ reſpicit tantũ eſſentialia in Deo;* ergo ex Scoto [1] Viſio Dei nõ eſt formaliter diſcurſiva, & ſcientifica niſi quoad aliquot objecta. Prob. conſ. nam quarta conditio, quam Scotus requirit ad veram ſcientiam ſtrictè ſumptam, eſt, quòd ſit cognitio applicata ad cognitum per diſcurſum ſyllogiſticum. Denique anima beata in objecto beatifico non diſcurrit circa illud; ergo &c.

Prob.

[1] *2.d.1.qu.5.B.n.3.*

Prob.2. ex Aug. [1] citato quoad 3. p. nam eſſentialia, & objecta primaria viſionis cognoſcuntur unico, & ſimpliciſſimo formaliter intuitu, non autem unum ex alio per diſcurſum formalem; ergo illa viſio non eſt formaliter diſcurſiva; nam diſcurſus formalis fit per tranſitum ab uno judicio ad alium, quo unum inferatur, & cognoſcatur per aliud, ille autem tranſitus formalis aut inutilis eſt in viſione clariſſima, & intuitiva, aut etiam impoſſibilis, quia in æternitate nihil eſt formaliter ſucceſſivum, & æternitas eſt duratio tota ſimul, & indiviſibilis, & eſt de eſſentia viſionis beatæ; ergo in hoc ſenſu non poteſt eſſe formaliter diſcurſiva.

Prob.3. p. nam, inquit Scotus, quidditas ſubjecti, ſeu eſſentia divina eſſentialiter, & virtualiter continet omnes virtutes, quas poteſt manifeſtare intellectui capaci viſionis; ergo viſio, qua per eſſentiam cognoſcuntur ea, quæ manant ab illo, eſt cognitio veritatum contentarum in eſſentia, ſicut paſſiones in eſſentia cognoſcuntur; ſed talis cognitio paſſionum, ſeu proprietatum in ſubjecto, eſt ſaltem virtualiter diſcurſiva, nam æquivalet diſcurſui, quo per plures actus demonſtratur proprietas ex ſuo ſubjecto, ſi enim id fiat per plures actus, eſt diſcurſus formalis, ſi verò per unicum æquivalentem pluribus dicitur virtualis.

Prob.4. p. ſcilicet, quòd non repugnet diſcurſus formalis, nam intellectus videns clarè eſſentiam, & infinitatem Dei, & alia, quæ per fidem de illo credidit in via, poteſt illi aſſentiri, per actum, quo dicat, vera eſſe, quæ credidit, & Deum eſſe perfectiorem ſupra omnem cogitationem, quam de illo habuit in via: quæ enim in hoc repugnantia? ſed tales actus ſunt verè, & formaliter compoſitivi, & diſcurſivi; ergo non repugnat in viſione Dei diſcurſus formalis, non enim repugnat intellectui beato dicere: verè Pater eſt ingenitus, ſicut credidi, verè Filius eſt à Patre: Spiritus Sanctus ab utroque, &c.

Prob. 2. Si repugnaret, maximè quia viſio Dei eſt inſtructiva, & unus ſimplex actus directus intuitionis; ſed ex hoc capite non repugnat; ergo nullo modo repugnat. Prob. min. nam intuitio non im-

pe-

[1] 15. *de Trin. c.* 16. & 41.

pedit, quin intellectus ſit potentia finita, nec facit, quod neceſſariò videat prorsùs omnia intelligibilia; ergo nec impedit, quin ex iis, quæ videt, poſſit inferre alia, quæ illi non dantur videnda intuitivè. Quod autem non omnia prorſus intelligibilia videat actu, probatur infra.

Confir. quia, ut videbimus, nõn implicat videri eſſentiam ſine perſonis, aut aliquot attributis, non contentis formaliter in eſſentia; ergo tunc intellectus poſſet cognoſcere per illationem ea, quæ non attingeret per intuitionem. Ant. patebit brevi, conſ. non videtur negari poſſe, non enim intellectus in patria erit deterioris conditionis, quàm in via; ſed in via poteſt cognoſcere proprietates non viſas ex objectis, quæ videt, verbi gratia ignem ex fumo; ergo, &c.

Dixi autem 1. quòd *viſio ſatis propriè eſt ſcientia*; quia in rigore Philoſophico ſcientia paritur per diſcurſum formalem; ſed aliunde ſuperat ſcientiam omnem humanam tum claritate, tum certitudine, tum in modo, quo ſe manifeſtat objectum, & certitudine medii, quod eſt lumen gloriæ.

Dixi, ſaltem 2. *virtualiter diſcurſiva*, nam abſolutè eſt ſimpliciſſimus, & directus actus intuitionis ſine ulla formali compoſitione, licèt æquivaleat judiciis, & diſcurſibus formaliſſimis, & reflexis, nam eodem actu, quo videt, ſcit ſe videre, alioqui non eſſet perfectè beatus ex viſione.

Dixi 3. *quoad aliqua objecta*, nam quoad eſſentiam, & prædicata eſſentialia, & quæ ſe tenent ex parte *objecti* primarii, de quo infra, certum eſt, quod circa illa non diſcurrit, ſed uno ſimpliciſſimo intuitu percipit, nam eſſentia, cum tota quidditate ſua, eſt clarè, & diſtinctè, & ſicuti eſt in ſe objectum eſſentiale viſionis; ſed quoad aliqua ſecundaria, quæ in eſſentia, & ex eſſentia videntur, & poſſent non videri: poteſt reperiri non ſolùm diſcurſus virtualis, ut diximus; ſed non repugnat formalis.

Objic. contra ult. par. Diſcurſus eſt proceſſus à noto ad ignotum; ſed ille proceſſus repugnat cum viſione beata; ergo hæc non poteſt eſſe diſcurſiva, ſaltem formaliter. Prob. min. nam ignorantia repugnat illi viſioni; ergo & ille proceſſus, qui ſupponit igno-

ran-

rantiam illius, quod ex noto cognoſcitur.

Reſp.1. diſt. maj. in abſtractivis, conc. maj, & neg. min. in intuitivis, & comprehenſoribus, neg. maj. & conſ. Nam in his ſufficit, quod cognoſcatur, & judicetur continentia, vel connexio unius cum alio, ſive per plures actus formales, ut in diſcurſu formali, ſive per unum æquivalentem pluribus, ut in diſcurſu virtuali.

Reſp.2. diſt. min. de via ordinaria, qua Deus ſtatuit ſimul, & ſemel omnia manifeſtare beatis, con. min. de poſſibili, & via extraordinaria, qua Deus nollet manifeſtare ſuas perfectiones, niſi ſucceſſivè, neg. min. nihil enim repugnat, quin Deus ſic potuiſſet velle, & ſtatuere, ſaltem quoad objecta ſecundaria viſionis.

Concl.2. *viſio beata eſt practica, ſaltem virtualiter,* ita Scotiſtæ.

Prob.1. ex Scoto [1] citato in eadem diſp. de Theologia, ubi jam hoc quæſitum reſolvimus, nam de tota Theologia creata, ſcilicet tam de noſtra, quàm de beata dic t, quòd *tota Theologia, neceſſaria in intellectu creato, eſt ſic conformis actui voluntatis creatæ, & prior ea, quia primum ſubjectum Theologiæ eſt virtualiter conforme viſioni rectæ, quia à ratione ejus ſumuntur principia prima rectitudinis in volitione, ipſum etiam determinat intellectum creatum ad notitiam rectitudinis, & determinatæ ipſius praxis, quoad omnia Theologicalia neceſſaria, prius naturaliter, quàm aliqua voluntas creata velit, aliàs non eſſet neceſſaria; ergo ex primo ſubjecto ſequitur tam conformitas, quàm prioritas Theologiæ ad volitionem, & ita extenſio ad praxim, à qua extenſione ipſa cognitio dicenda eſt practica.*

Igitur, ex Scoto, omnis cognitio de objecto, quæ prior eſt, & apta dirigere actus voluntatis, eſt practica; ſed talis eſt Theologia beatorum, quæ conſiſtit in viſione Dei; ergo eſt practica. Maj. patet ex dictis in Logica. Prob. min. nam Beati vident Deum, ſummè bonum, & diligendum, & ut talem ſummè diligunt, & ex menſura viſionis menſuratur dilectio illorum, & fruitio, & gaudium; ergo, &c.

Prob.2. ex Script. quæ docet, occupationem ſancto-

[1] *q 4. prol. O. n. 31.*

ctorum eſſe laudare, & benedicere Deum: [1] *beati qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te*; ſcilicet, *hoc totum negotium eſt ſanctorum*, inquit gloſſa ordin. [2] *hoc totum erit negotium noſtrum, ſine defectu alleluja* . . . *ſi tanta alacritate in ipſa menſura, & fragilitate carnis laudamus, quod credimus, quomodo laudabimus, quod videbimus*, inquit Auguſt. Item, [3] *exultabunt ſancti in gloria, lætabuntur*, &c. quia, inquit gloſſa, *in corde, & in lingua non deſinunt laudare Deum*, &c. Unde Joannes [4] audivit quaſi *turbarum vocem dicentium alleluja, laus, & gloria, & virtus Deo noſtro*. Et Iſaias audivit eoſdem cantantes, *Sanctus*, &c. ergo ex Script. ex PP. conſtat, viſionem Dei dirigere, & accendere beatos ad amorem, & laudes æternas Dei; ergo viſio eſt practica.

Objic. Deus non eſt objectum operabile; ergo viſio ejus non eſt practica, quia objectum practicæ eſt opus.

Reſp. neg. conſ. & prob. ejus, objectum enim practicæ eſt illud, circa quod habetur opus, & opus eſt finis, non verò objectum practicæ, Deus eſt objectum viſionis, & eſt operabilis, quatenus circa illum exercentur operationes amoris, reverentiæ, laudis, & ſicut corpus ſanabile, quod eſt objectum medicinæ, & hæc dicitur practica, quia dirigit operationes medicas circa illud.

Objic. 2. viſio beata ad prædicata, & perfectiones Dei terminatur, & eorum, quæ in illa relucent; ergò non terminatur ad opus; ergo non eſt practica.

Reſp. diſt. ant. terminatur, ut viſio, quatenus nihil videt aliud, nec habet aliud objectum, conc. ant. quatenus non ordinatur ad directionem voluntatis, ad amandum, & laudandum Deum, neg. maj. & conſ. Nam quis auderet dicere, viſionem ſiſtere purè in Dei ſpeculatione, nec ordinari ad amorem, & laudes Dei, quem oſtendit infinitè bonum, & laudabilem?

Inſt. directio, quæ conſtituit praxim, eſt per modum præcepti, & regulæ, ſeu artis; ſed id non præſtat viſio; ergo non eſt praxis. Prob. min. quia amor in beatis, ſuppoſita viſione, eſt neceſſarius; ergo non

[1] *pſ.* 83. [2] *Ibid.* [3] *pſal.* 149. [4] *Apoc.* 19.

non eſt regulabilis, quia, quod eſt neceſſarium, non poteſt non eſſe, nec malè, vel benè fieri.

Reſp. neg. min. nam hæc viſio verè dirigit voluntatem beatam ad amorem, quia cùm ſit cæca de ſe, non fertur in incognitum, nec amaret, niſi videret, & quidem amat ſummè, quia videt ſummè bonum, &, ut dicebam, amoris menſura ſequitur dictamen viſionis. Ad prob. diſt. ant. eſt neceſſaria extrinſecè, & proximè, conc. intrinſecè, & radicaliter, neg. ant. & conſ. Nam, licèt, ſuppoſita viſione, voluntas non poſſit non amare, tamen eget viſionis directione, ut poſſit amare, & ut amet, ita ut non poſſet nec amare, nec odiſſe, niſi per viſionem oſtenderetur illi Deus, ut amandus.

Inſt. 2. viſio, qua Deus ſe videt, non eſt practica, ergo nec ea, qua beati vident illum.

Reſp. 1. neg. ant. nam ex natura intellectus divini, & voluntatis ejus ſic ſe habent, ut iſta non amet, nec oderit, niſi quæ per ſcientiam oſtenduntur amanda, vel odienda. Reſp. 2. neg. conſ. & diſparitas eſt, quia voluntas Dei eſt eſſentialiter recta, & inobliquabilis, non ita eſt de voluntate creata, quæ eſt defectibilis, & ideo regulabilis.

Concl. 3. *Viſio beata non eſt propriè comprehenſiva, ſed tantùm impropriè.*

Prob. 1. p. ex Scoto, [1] qui ſic comprehenſionem rigoroſam explicat cum Auguſtino, & inde concludit, nullum intellectum creatum poſſe Deum comprehendere. *Auguſt. dicit, quòd quidquid ſcientia comprehendit, ſcientis cognitione finitur, id eſt ille, ſolus intellectus cōprehendere poteſt aliquid intelligibile, cujus tanta eſt perfectio in intellectualitate, quanta eſt perfectio, vel intelligibilitas intelligibilis, & ideo ibi eſt commenſuratio, & adæquatio, & propter hoc neutrum eſt reſpectu alterius excedens, & ita utrumque eſt quaſi finitum alteri, quia ſimpliciter adæquatum; quia ergo nullus intellectus creatus poteſt habere tantam intellectualitatem, neque in actu primo, neque in actu ſecundo, quanta eſt intelligibilitas Dei, ut objecti, imo in infinitum excedit, ideo nullus talis intellectus creatus, & ſi videat quodcumque viſibile ex parte Dei, poteſt ipſum comprehen-*

[1] 3. d. 14. q. 2. F. n. 7.

hendere , quia non eſt commenſuratio hinc inde .

Prob. ergo 1. p. quia comprehenſio in rigore, & propriè, eſt talis cognitio objecti, ut adæquet totam ejus cognoſcibilitatem , & illam exhauriat, hoc vocat Aug. *finiri cognitione ſcientis* ; ſed nulla cognitione creata poteſt Deus ſic finiri , vel adæquari , ergo nec comprehendi . Prob. min. nam Deus eſt ſimpliciter infinitus ; ergo & infinitè intelligibilis ; ſed omnis cognitio creata eſt finita ; ergo &c. plura videbimus de incomprehenſibilitate Dei ; vide quæ diximus de cognitione comprehenſiva in Philoſophia . [1]

Prob.2. par. nam comprehenſio largè, & minus propriè, ut dicebamus in Philoſophia , venit à tentione per cognitionem claram , juxta illud [2] *ſic currite, ut comprehendatis:* & [3] *ſequor ſi quo modo comprehendam* , & opponitur inſecutioni , & cognitioni abſtractivæ, & obſcuræ, & ideo comprehenſores dicuntur ſancti, qui ſunt in termino, & tenent, & poſſident ſummum finem , & *currentes* , ſeu viatores, qui hìc vivunt, & ſunt in ſtatu viæ ; ſed viſio beata eſt tentio Dei tam perfecta, & realis, quam poteſt haberi ; ergo hoc ſenſu viſio dicitur comprehenſiva .

Confir. ex Script. citata ; nam per viſionem jam tenetur bravium , propter quod currebamus , *currite , ut comprehendatis* , & ſic tenetur ,ut clarè, & diſtinctiſſimè intueamur, quæ credebamus, & quærebamus in hac vita , nec poteramus videre .

Confir.2. ex PP. nam , inquit Clemens Alex. [4] *nemo poteſt , quandiu vivit , Deum perſpicuè comprehendere* ; & Aug. [5] *totum autem comprehenditur videndo , quod ita videtur , ut nihil ejus lateat videntem , aut cujus fines circumſpici poſſint .*

Hoc igitur ſenſu beati dicuntur comprehenſores , quia tenent,& poſſident ultimum finem, & ſummum bonum tam per claram, & intuitivam viſionem, quàm per conſummatam charitatem , & fruitionem ; & gaudium : nos autem viatores , quia poſt illum terminum currimus, & utinam benè, ac feliciter, & utiliter curramus .

Objic.

[1] *T.4. ad 13.q.10.* [2] *1.Cor.9.* [3] *Philip.3.*
[4] *5. Stro.* [5] *De vid. Deo.c.7.*

Objic. 1. cont. 1. p. ex Aug. [1] tunc objectum comprehenditur, cùm nihil ejus latet videntem, ſed nihil Dei latet beatos; ergo viſio illorum eſt comprehenſiva. Prob. min. nam [2] *vident eum, ſicuti eſt:* & *cognoſcam*, inquit Paulus, [3] *ſicut & cognitus ſum:* & id conſtat ex Concil. Flor. [4] quod *parvuli, qui ſuſcepto baptiſmate in gratia deceſſerunt, Deum unum, & trinum, ſicuti eſt, videbunt;* ergo nihil Dei latebit videntes.

Reſp. diſt. maj. ſi videant totum, & perfectiſſimè ita, ut viſio adæquatè objecto commenſuretur, conc. ſi videant totum, ſcilicet quoad eſſentialia, & intrinſeca; ſed viſione minus perfecta, quàm ſint viſibilia, neg. maj. & conſ. ſimiliter diſt. min. Nam viſio, ut dicemus, attingit quidem clarè prædicata quidditativa, & intrinſeca eſſentiæ Dei, actu longè inferiori, & imperfectiori, quàm ipſe ſit viſibilis, nec omnibus modis, quibus eſt viſibilis, & ita ſunt intelligenda loca Scripturæ, & Concil. & PP. dum vocant viſionem hanc comprehenſivam.

Objectiones contra 2. p. videbuntur de incomprehenſibilitate Dei. Auctoritates autem Script. & PP. qui hanc comprehenſionem videntur negare, explicantur de comprehenſione perfecta, & rigoroſa, vel pro hac vita.

Concl 4. *viſio Dei eſt vera, & formalis ſimilitudo expreſſa Dei, & hoc ſenſu dici poteſt verbum de Deo aliquo modo, non tamen in rigore;* ita Scotiſtæ contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [5] qui dicit, quòd, licet viſio, qua beatus videt Deum, *ſit imago divinæ eſſentiæ, ipſam naturaliter repræſentans, non tamen eſt imago naturalis naturaliter ab ipſo procedens*, & hoc ſoli Verbo æterno convenit, quia non ſolum eſſentiam naturaliter repræſentat, ſed etiam naturaliter producitur; ergo, ex Scoto, actus viſionis Dei habet rationem ſpeciei expreſſæ Dei, quia eſt imago ejus producta per intellectum, ſed non eſt propriè *verbum*, quia non producitur ex parte objecti, ſed liberè, & mediante actu libero voluntatis, quo placet illi, ſeſe intellectui creato manifeſtare.

Prob.

[1] *Ibid.* [2] *1. Jo. 3.* [3] *1. Cor. 13.* [4] *Decr. unic.* [5] *quodlib. 14. qq. B. B. n. 19.*

Prob. hinc 2. quoad 1. p. nam, ut patet ex Philoſophia, ſpecies expreſſa eſt imago objecti ab ipſomet intellectu producta, per quam conſtituitur formaliter intelligens; ſed talis eſt viſio beata, qua Deus videtur; ergo verè eſt ſpecies expreſſa Dei. Maj. conſtat ex dictis ibi, & ex omnium conſenſu. Min. etiam videtur, negari non poſſe ab his, qui admittunt intellectum activè elicere viſionem illam.

Confir. ex Script. & PP. dicentibus, quòd per viſionem [1] *ſcimus, quoniam cùm apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*. Tunc inquit Aug. [2] *perfecta erit Dei ſimilitudo, quando perfecta erit Dei viſio*. Et infra: *cùm Deum novimus, illa notitia verbum eſt, & fit aliqua Dei ſimilitudo*. S. ipſe Thomas: *quicumque intelligit, ex hoc ipſo, quod intelligit, procedit aliquid infra ipſum, quod eſt conceptio rei intellectæ, & dicitur verbum cordis*.

Dices, id verum eſſe, quando objectum eſt abſens, & non videtur per ſe ipſum, ut videtur eſſentia Dei.

Contra. Deus non magis eſt præſens videnti, quàm ipſa anima ſibi, dum ſe intelligit, aut videt; ſed tunc etiam habet ſpeciem ſui expreſſam, & verbum; ergo & in viſione Dei. Prob. min. ex Anſelmo: *nulla ratione negari poteſt, cùm mens rationalis, ſe ipſam cogitando, intelligit, imaginem ipſius naſci in ſua cogitatione, imo ipſam cogitationem ſui eſſe imaginem ad ſui ſimilitudinem, tanquam ex ejus impreſſione formatã*, &c.

Item 2. eſſentia Dei non eſt magis præſens, & intima intellectui videntis, quàm ipſi intellectui divino Patris, ſed hæc præſentia intima per identitatem non impedit, ne intellectus Patris producat ſpeciem expreſſam, ſeu *verbum*; ergo nec in intellectu creato.

3. Quia non eſt potior ratio, cur cognitio rei abſentis ſit potius ſimilitudo expreſſa ejus, quàm rei præſentis, ſed cognitio rei abſentis per adverſarios eſt formalis, & expreſſa rei ſimilitudo; ergo & præſentis.

Prob. 3. viſio Dei eſt actus intellectus, per quem formaliter Deum concipit, ſeu videt; ſed non poteſt formaliter concipere, & videre Deum, niſi per receptionem aliquam formæ, ſeu imaginis Dei; ergo nec ſine ſpecie expreſſa, ſeu verbo de Deo. Prob. min. non enim fit formaliter videns per ipſam eſſentiam

[1] 1. Jo. 3. [2] 14. de Trin. c. 17.

tiam Dei, aut viſionem Dei increatam, aut verbum divinum, alioqui ſicut fieret videns per viſionem increatam, ſic fieret volens per voluntatem increatam, & vivens per vitam increatam, quæ abſurda ſunt, & cadunt in errores Monothelitarum; ergo reſtat, ut fiat videns per viſionem creatam, & à ſe productam, quæ eſt ſpecies Dei expreſſa.

Prob.4. viſio Dei eſt eſſentialiter actio videntis; ergo eſt eſſentialiter productiva alicujus termini ab ea diſtincti, qui prius non erat; ſed ille terminus nihil aliud dici poteſt, quàm expreſſio, ſeu imago, ſeu verbum Dei; ergo, &c.

Prob. denique quia in omnibus aliis actibus cognoſcitivis talis ſimilitudo producitur; ergo & in iſta viſione. Prob. conſ. quia nulla poteſt afferri ratio diſparitatis, vel repugnantiæ in iſto potiùs, quàm in aliis, ut patebit ſolutione objectionum.

Prob.2. p. quia ex Scoto, & ratione adducenda in myſterio Trinitatis, productio Verbi propriè, & rigorosè ſumpti, debet eſſe undecumque naturalis, ſeu ex principiis agentibus per modum naturæ; ideo productio Verbi divini dicitur vera generatio, non autem productio Spiritus Sancti; ſed viſio creata non eſt ſic à principiis naturaliter agentibus, ſeu per modum naturæ; ergo ex hoc capite non poteſt dici verbum. Prob. min. nam ex parte objecti non producitur, niſi mediante volitione Dei, qua vult, ſe manifeſtare, & videri, & concurrere ad viſionem Dei, & voluntas non agit per modum naturæ, ſed voluntariè, & liberè, ergo, &c. & hæc eſt ratio, cur Scotus, & rigidiores Scotiſtæ negant, hanc ſpeciem expreſſam Dei eſſe propriè verbum mentis, licèt aliunde habeat alia omnia munera, & qualitates veri verbi, in quo, ni fallor, acrior controverſia eſſet de nomine, in quo caſu tutius, & melius eſt loqui, & ſtare cum Doctore noſtro.

Objic.2. contra 1. p. Species expreſſa non datur, niſi ut ſuppleat abſentiam objecti; ſed in hac viſione objectum non eſt abſens, ſed præſentiſſimum; ergo non datur ejus ſpecies expreſſa. Probat. maj. nam munus ſpeciei expreſſæ eſt, ſupplere abſentiam objecti, eſt enim id, quod immediatè intelligitur, & quo mediante intelligitur objectum; ergo, &c.

Reſp.

Reſp. neg. maj. hoc enim eſt munus ſpeciei impreſſæ, non vero expreſſæ, neg. etiam ant. prob. nam ſpecies expreſſa non eſt medium, quod prius cognitum faciat cognoſci rem, ſed medium formale quo, ſeu potiùs ipſa formalis cognitio, in quo falluntur adverſarii.

Objic. 2. Si omnis actio cognoſcitiva eſſet productiva verbi, Filius, & Spiritus Sanctus in Deo producerent ſinguli ſuum verbum; ſed conſ. eſt falſum, & hæreticum; ergo & ant. Prob. maj. non enim minus intelligunt, quàm Pater; ergo non minus verbum gignerent; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. tùm quia intelligunt, per intellectionem eſſentialem, quæ eſt communis tribus, & operativa, non verò productiva, ut videbimus, tùm quia potentia generativa, & productiva Verbi reperitur jam occupata per adæquatam generationem, & quaſi exhauſta.

Objic. 3. Si daretur ſpecies expreſſa Dei, daretur etiam impreſsa; ſed non admittimus impreſsam, ſaltem de facto; ergo neque expreſsam debemus admittere. Prob. maj. non eſt potior ratio de una, quàm de alia, ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus; nam ex dictis patet, quod ſpecies impreſsa non eſt neceſsaria, niſi cùm objectum eſt abſens, tum quia potius noceret intuitioni, quàm juvaret, nam de ratione intuitionis eſt, cauſari ab objecto per ſui præſentiam realem, non ita eſt de expreſsa, ſine qua non poteſt eſſe cognitio ulla, quia eſt formalis ſimilitudo objecti, per quam potentia fit formaliter cognoſcens.

Inſt. iſta ſpecies expreſsa poſset etiam habere munus ſpeciei impreſsæ; ergo nulla ſolutio; ergo ſi impreſsa non datur, ita nec expreſsa. Prob. ant. nam in illa poſset videri objectum, tùm ab ipſomet intellectu per actum reflexum, aut actum memoriæ, tum ab alio vidente intellectum illum, in quo reluceret, ut in ſpeculo.

Reſp. diſt. maj. in caſu, quo poſset ceſsare actualis viſio, conc. ant. ordinariè, & ex quadam utilitate, vel neceſſitate, neg. ant. & conſ. Nec enim id facit contra nos, qui non negamus poſſibilitatem ſpeciei impreſsæ Dei; ſed hoc non facit ad caſum noſtrum.

Dein-

Deinde, quando non videretur Deus, niſi in hac ſpecie, præciſè non haberetur viſio intuitiva ejus, ſed abſtractiva, ut patet ex dictis, & ſic nihil ad rem.

Obj:c. contra 2. p. auctoritates Script. & PP. quas adduximus pro 1. ſcili et, pro expreſſa ſimilitudine, quæ eſt verè Verbum, ſicut eſt vera imago Dei.

Reſp. Script. & PP. & rationes concludere pro ratione verbi minus rigoroſè, & quoad alias formalitates præter naturalitatem principii objectivi, ut diximus in probatione 2. partis, & ſic non faciunt contra nos.

Concl. 5. *Probabile eſt viſionem Dei in Angelis, & hominibus Beatis non eſſe diverſæ ſpeciei, licèt adſit aliqualis differentia ex parte intellectus; ſeu potentiæ viſivæ;* hoc ſuppono ex Philoſophia. [1]

Prob. ex Scoto: [2] *poteſt dici, quod potentiæ differentes ſpecie ex parte fundamenti, non tamen ex parte objecti poſſunt habere actus differentes ſpecie, in quantum illi actus dependent à fundamento illius potentiæ, licèt iſti actus ſint ejuſdem ſpeciei, in quantum dependent ab objectis, & tunc concederetur, quod intellectio Angeli, & hominis de eodem intelligibili, ex parte objecti, eſt eadem ſpecie, ex parte autem fundamenti, in quantum fundamentum eſt potentiæ ratio agendi, ſunt alia ſpecie.*

Prob. 2. quia non tantum illæ viſiones ſunt de eodem ſubjecto, ſcilicet Deo, ſed & per idem lumen ex parte principii activi, & eodem modo tendendi in objectum, & ideo non obſtante illa cauſa differentiæ ex parte intellectuum, dici poſſent viſiones ejuſdem ſpeciei. Fatetur tamen Scotus, quod *quæcumque differentia ſufficit ad diſtinguendum*, ſed non *quæcumque identitas ſufficit ad perfectam identitatem aliquorum*; uno verbo, diverſitas eſt admodum exigua, & parum intereſt, quòd viſiones dicantur diſtinctæ, vel indiſtinctæ ſpeciei.

Prob. 3. quia, inquit Scotus, data diſtinctione intellectus Angelici ab humano, adhuc intellectivitas eorum non differt ſpecie, quia utraque reſpicit idem objectum formale, & materiale, & eundem modum tendendi in objectum; ſicut ignis eductus ex ſilice in ſtuppa, & productus à Sole, vel alio igne in ligno, non

[1] *To.4.d.13.q.2.* [2] *2.d.1.q.6.F.n.6.*

non differunt ſpecie, quamvis cauſæ efficientes, & materiales differant; ergo & intellectiones, & viſiones Angeli, & hominis poſſunt eſſe ejuſdem ſpeciei.

Quæres 1. *an viſio Dei ſit ſimplex, vel compoſita entitativè, & gradualiter, an ſimplex, & indiviſibilis.* jam vidimus, eam eſſe quidem ſimplicem intuitum, circa eſſentialia, & poſſe eſſe compoſitam, & diſcurſivam virtualiter, imo & formaliter ſaltem de poſſibili.

Reſp. eſſe compoſitam, & diviſibilem intenſivè, & terminativè quoad objecta ſecundaria, & accidentalia.

Ratio 1. par. quia eſt in ſpecie qualitatis, de cujus proprietate eſt, quòd ſuſcipiat magis, & minùs intenſivè. 2. quia diximus, eam eſſe inæqualem, ſcilicet in aliis intenſiorem, & clariorem, & in aliis remiſſiorem, & minùs claram, ſicut patet de ſtellis, quæ ſunt magis, & minùs luminoſæ. 3. quia Deus, prout placet, & ſecundum merita ſingulorum, largitur lumen intenſius, & remiſſius, & ſic viſio, cæteris paribus, fit intenſior, aut remiſſior.

Ratio 2. p. eſt, quia credimus, beatos videre preces, quæ illis offeruntur, & ſic viſionem eorum acquirere poſſe terminationes novas ad objecta temporalia, quæ de novo adveniunt, & deſinunt, de quo infra.

Quæres 2. *an viſio ſit libera beatis.*

Reſp. ex dictis ſæpè, illam eſſe prorſus liberam ex parte Dei, non ex parte videntis.

Ratio 1. p. eſt, quia Deus ad extra agit merè contingenter, & liberè, ideo eſſentiam ſuam manifeſtat, & hæc movet ad ſui viſionem per liberam ſuam voluntatem, non ita eſt de intellectu beatorum, qui eſt cauſa merè neceſſaria, & naturaliter agens, unde ſicut ignis non eſt liber ad calefaciendum, ita nec intellectus beatorum ad videndum Deum, ſuppoſitis ad videndum omnibus requiſitis.

DI-

DISPUTATIO VI.

De objecto viſionis Dei.

UBique in præcedentibus ſuppoſuimus, Dei eſſentiam eſſe objectum hujus viſionis, & illum quoad eſſentiam eſſe viſibilē ſupernaturaliter ab intellectu creato; & hujus viſionis principia, eſſentiam, & proprietates, quantùm licuit, & pro inſtituto expoſuimus. Reſtat paulò magis ex profeſſo diſſerendum de ipſo objecto, qualiter videatur, an nude, & ſecundum ſe quoad omnia in ipſo formaliter, aut eminenter, aut virtualiter contenta, aut repræſentabilia, &c. quæ breviter, quantùm licuerit, expediemus.

QUÆSTIO I.

Quodnam ſit objectum primarium, & eſſentiale viſionis Beatificæ.

OBjectum viſionis aliud eſt *primarium*, & *eſſentiale*, quod primò, & per ſe, non ratione alterius terminat viſionem, ita ut ſine illo non poſſit eſſe viſio; & ideo vocatur etiam *eſſentiale*; aliud *ſecundarium*, quod videtur, mediante altero, in quo continetur formaliter, aut virtualiter, aut eminenter; & ſine iſto poſſet eſſe viſio. *Primarium* eſt ſimul *formale*, & *materiale*; ſeu *id quod*, & *id quo* videtur; *ſecundarium* verò eſt tantum *materiale*; ſeu *id, quod* videtur, mediante ſcilicet primario, quod prius debet videri, ſaltem priùs natura: certum eſt autem, & huc uſque id ſuppoſuimus, Deum in ſe, ut in ſe eſt, eſſe objectum viſionis; ſed quæritur, an debeant videri, aut de facto videantur omnia, quæ in eſſentia continentur formaliter, virtualiter, & eminenter, quæ autem ſic contineantur, diximus ſupra.

Concl. *objectum viſionis primarium abſolutè eſt Deus in ſe, & quidem de facto, ut unus, & trinus; cum ſuis omnibus attributis, ſaltem abſolutis:* eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto, [1] *dico, quod de facto erit una fruitio, & una viſio eſſentiæ in tribus perſonis*, & loquitur de facto, & de via ordinaria.

Prob. 2. ex ſcript. ponente vitam æternam in Dei cognitione, maximè in intuitiva; [2] *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti*. Et: *qui diligit me, diligetur à patre meo*, & *manifeſtabo ei me ipſum*. Et *videbimus eum, ſicuti eſt*: nam eſt unus, & trinus. Et: *beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*. Et *angeli ſemper vident faciem patris*. Et: *videmus nunc per ſpeculum, tunc facie ad faciem*; ergo ex Script. viſio Dei terminatur ad eſſentiam ejus clarè, & diſtinctè vi- t: n, ut eſt in ſe.

Prob. 3. ex Concil. Flor. [3] *animæ ſuis exutæ corporibus, & purgatæ in cælum mox recipiuntur, & intuentur clarè Deum unum, & trinum, ſicuti eſt*.

Prob. 4. ex PP. Aug. [4] exponens illud Chriſti: *qui videt me, videt & patrem*, ait: *forte videndo patrem, et non filium, erimus beati*? ipſum audi Chriſtum; *qui videt me*, alibi, [5] &c. *cùm enim unus Deus videtur, trinitas videtur*; & alibi, *videns patrem, videt et filium, et Spiritum Sanctum*. Et: *contemplabimur Deum patrem, et filium, et Spiritum Sanctum, &c.* Idem docent alii, ut Nazianz. [6] *Supremæ Trinitatis purior erit illuminatio, non jam vinctam mentem, et per ſenſus diffuſam ſugientis, ſed totam ſe toti menti contemplandam, et tenendam præbentis, totoque divinitatis lumine noſtris animis affulgentis; &c.*

Prob. 5. ratione, quia viſio erit intuitiva, & quidditativa; ergo attinget Deum, ut eſt in ſe, & ut unum, & trinum cum ſuis attributis; nam talis eſt in ſe.

Confir. nam viſio ſuccedet fidei; [7] *ſicut audivimus, ſic vidimus in civitate domini virtutum*; ſed fides habet pro objecto primario, & eſſentiali Deum, ut unum, & trinum cum ſuis aliis perfectionibus, & attributis; juxta illud *Baptizantes eos In nomine Patris, etc.* Et: [8] *fides Catholica hæc eſt, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur*; ergo & viſio erit de Deo uno, & trino. 2. quia viſio

[1] *1. d. 1. q. 2. H. n. 9.* [2] *Jo. 17. et 14.* [3] *Lit. unio.* [4] *in Pſ. 48.* [5] *De ſpir. et lit. 33.* [6] *1. Tri. c. 10.* [7] *Pſ.* [8] *Symb. Ath.*

viſio Dei debet attingere totum id, in quo conſiſtit eſſentialis beatitudo objectiva, ſed hæc conſiſtit in Deo, ut eſt in ſe unus, & trinus; ergo ut talis videtur, & terminat viſionem; 3. quia vix creditur poſſibilis alia viſio, quæ non ſic terminetur; nam ſoli ferè Scotiſtæ docent poſſibilem viſionem, quæ terminetur ad eſſentiam ſine perſonis; ergo de facto viſio Dei ad Deum terminatur in ſe, ut unum, & trinum.

Dixi, *ſaltem abſolutè*, & quoad rationes eorum abſolutas; nam de relationibus, quas important ad creaturas, dicemus infra.

Objic. 1. perſonæ non pertinent ad objectum eſſentiale beatitudinis; ergo Deus ut trinus non eſt objectum viſionis. Prob. ant. perſonæ diſtinguuntur formaliter ab eſſentia, & non dicunt formaliter perfectionem, aut imperfectionem, ſeu non ſunt quantæ; ſed important puras relationes.

Reſp. diſt. ant. & rationem ejus, ut præciſe, & formaliter diſtinctæ ab eſſentia. conc. ant. ut realiter identificatæ cum eſſentia, neg. ant. & conſ. utriuſque; nam ut unum faciunt in Deo, & cum eſſentia conſtituunt Trinitatem, ſic & faciunt unum totale objectum viſionis Dei.

Inſt. ex Scoto, viſio eſſentiæ non viſis perſonis eſſet adhuc beata, & talis viſio eſt poſſibilis; ergo Deus ut trinus non eſt objectum primarium viſionis beatæ. Prob. conſ. Nam viſio beata non poteſt ſtare ſine objecto ſuo eſſentiali, & primario, ut fatemur.

Reſp. diſt. ant. & conſ. de potentia Dei abſoluta, & via extraordinaria; conc. de potentia, & via ordinaria. neg. ant. & conſ. Nam id docet Scotus de via tantùm extraordinaria; & nos loquimur de objecto actuali, & ordinario viſionis beatæ, qualem Deus ſtatuit, ut ſit integra, & perfecta.

Inſt. 2. in lege Naturę & Moſaica pauci crediderunt Trinitatem; ergo, ſi viſio ſuccedit fidei, ut diximus, illi, qui non crediderunt Trinitatem, non vident eam.

Reſp. diſt. ant. pauci crediderunt Trinitatem formaliter, & explicitè; id forte verum eſt, & hoc ſenſu tranſeat ant. ſaltem implicitè; neg. ant. Nam crediderunt in Deum, ut in ſe eſt.

Reſp. 2. neg. conſ. & rationem ejus in rigore; nam infantes morientes poſt baptiſmum non habuerunt

QUÆSTIO II.

An ſic Perſonæ, & Attributa ſint de objecto viſionis Dei, ut eſſentia non poſſit videri ſine illis, ſeu an viſio poſſit eſſe præciſiva, & inadæquata.

SEorſim propono hanc quæſtionem circa objectum eſſentiale viſionis, quia eſt famoſa, & valdè controverſa in ſcholis Scoti, & Thomiſtarum, & inde magis patet, quidnam in Deo ſit objectum planè, & ſimpliciter eſſentiale viſionis:

Suppono autem 1. ex dictis, eſſentiam Dei, de ſe, & præcisè à perſonalitatibus, & attributis eſſe entitatem per ſe,& actu exiſtentem,abſolutam,infinitam, infinitate primariâ, in genere entis, quæ eſt velut radix eminenter, & virtualiter continens ipſas relationes perſonales,& attributa omnia. 2. Deum à creaturis non videri, niſi *quia vult, & prout vult;* ut diximus ex Doctore [1] poſt D. Anſelmum; *ſi vult, videtur, ſi non vult, non videtur;* ideo ſe manifeſtat creaturis, quia vult, & prout vult.

Concl. *non implicat eſſentiam videri ſine perſonis, vel attributis;* aut *videri cum una perſona ſine aliis, vel uno attributo, ſine alio;* eſt Scotiſtarum cum pluribus aliis contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [2] *de potentia Dei abſoluta non video contradictionem, quin poſſibile ſit ex parte intellectus & voluntatis, quod utriuſque actum terminet eſſentia, & non perſona; vel una perſona, & non alia; puta, quod intellectus videat eſſentiam, non perſonam, &c.* quod validis argumentis probat.

Prob. 2. quia nulla in hoc poteſt afferri manifeſta implicantia; ergo non eſt dicendum, quod implicet. Prob. ant. 1. ſolutione objectionum, in quibus conantur adverſarii obtrudere apparentes implicantias. 2. quia ſi implicaret, maximè vel quia eſt viſio intuitiva, vel quia eſt quidditativa, vel quia eſt beatifica; ſed ex nullo ex his repugnat; ergo ex nullo. Prob. min. per partes.

1. Non *quia eſt intuitiva;* quia non eſt de ratione

[1] 4 *d.* 49. *q.* 10. *F. & quodlib.* 14. [2] 1. *d.* 1. *q.* 2. *n.* 5.

tione eſſentiali intuitionis, ut ſit adæquata; id eſt, quod attingat objectum ſecundum formalitates omnes illi realiter identificatas; ergo non ideo talis viſio implicat, quia eſt intuitio. Prob. ant. oculus videt intuitivè albedinem, licèt non videat ibi rationem qualitatis, vel inhærentiæ, nec cæteras ejus proprietates; ergo ſaltem divinitùs id poterit facere intellectus.

2. Non *quia eſt quidditativa*; tùm quia perſonæ, & attributa non ſunt de conceptu formali Deitatis; ergo poteſt Deitas videri quidditativè, licèt non videantur perſonæ, & attributa, tùm quia de facto viſio Angeli, qua ſe videt, eſt ſine dubio quidditativa, & tamen non videt ſe cum omnibus reſpectibus actualibus, aut poſſibilibus, quos habet ad alias creaturas.

3. Non *quia eſt beatifica*; tum quia Deus pater eſt ſe ipſo beatus, priùs natura, & origine, aut ratione, quàm generet filium; ſcilicet ex cognitione eſſentiæ ſuæ; ergo eſſentia de ſe eſt ſufficienter objectum beatificans præcisè à perſonis, & relationibus; unde, ſi per impoſſibile non eſſet trinus, adhuc eſſet ſe ipſo beatus; ergo poteſt viſio eſſe beatifica, licèt non ſit adæquata viſio Deitatis.

Prob. 3. rationibus Scoti. 1. omnis actus habet objectum primarium, à quo eſſentialiter dependet ſecundarium; illud verò non dependet ab iſto; & poteſt tendere in primum ſine ſecundo; ſed viſio Dei eſt actus habens pro objecto primario eſſentiam, & perſonas, pro ſecundo, quod eſſentialiter in movendo dependet à primo, non iſtud ab eo; ergo eſſentia poterit movere, & determinare viſionem ſine perſonis; ſaltem hoc non implicat; ergo non implicat, eſſentiam videri ſine perſonis, &c. Prob. maj. viſio tendit in Deum, & creaturas; ille eſt primarium objectum, & iſtæ ſecundarium, & poteſt tendere in 1. ſine 2; ergo generaliter non implicat videri objectum primarium ſine ſecundo. Quod autem perſonæ ſint objectum ſecundarium reſpectu eſſentiæ, non video quis dubitare poſſit; nam cum ſint relationes formaliter, non poſſunt per ſe 1. terminare viſionem, ſed per eſſentiam.

2. Ratio Scoti eſt, quod, ut dicebam, Pater eſt beatus,

beatus prius origine, quàm generet filium; ergo per ſolam viſionem, & fruitionem eſſentiæ eſt beatus; ergo ita eſſe poſſet à fortiori de creatura. Prob. 1. ant. nam Pater nullam perfectionem habet à filio producto; ergo aliqua prioritate, ſcilicet origine, prius eſt beatus, quàm generet filium, Prob. conſ. nam ut generet, & prius origine, quàm generet, debet eſſe perfectus omni perfectione abſoluta, & ſimpliciter ſimplici; ergo & ſubſtantiali beatitudine beatus; nam beatitudo eſt perfectio ſimpliciter ſimplex. Patet etiam 1. conſ. nam in illa prioritate originis, qua Pater eſt beatus, non intelligitur eſſe filius: ergo in illo priori non eſt beatus per ipſum.

Confir. nam pater, ſicut ſimpliciter eſt à ſe; ita eſt abſolutè beatus à ſe; ergo eſt beatus per eſſentiam, non expectatis perſonis; ergo viſio poteſt terminari ad eſſentiam ſine perſonis.

3. Denique viſio intuitiva Dei habet ſuum objectum completum in Deo exiſtente; ſed Deus non exiſtit per perſonas, ſed per exiſtentiam abſolutam; ut ſuppono ex tract. de Trinitate; ergo & viſio terminari poteſt. & compleri per viſionem Dei in ſua eſſentia ut exiſtente, non viſis perſonis.

Prob. 5. ex dictis de diſtinctione formali; nam eſſentia diſtinguitur formaliter ex natura rei à perſonis, & attributis, & hæc inter ſe; ſed quæ ſic diſtinguuntur; ſunt ſeorſim adæquatè conceptibilia; ergo & viſibilia. Maj. probata manet ex dictis de diſtinctione eſſentiæ ab attributis. Min. etiam patet, ex metaph. de diſtinctione iſta. Prob. conſ. hæc diſtinctio ſufficit in Deo, imo & diſtinctio virtualis, aut rationis ſufficit, ut de facto eſſentia communicetur phyſicè tribus perſonis, non autem perſonalitates, & relationes, ut paternitas, & filiatio; & ut Verbum dicatur phyſicè unitum humanitati Chriſti, non autem Pater; aut Spiritus S. quamvis ſint ſummè idem in eſſentia; ergo à fortiori ſufficiet, ut eſſentia videatur ſine perſonis; aut una perſona ſine alia. Ant. admititur ab omnibus. Prob. conſ. nam præciſio intentionalis longè facilior eſt, quàm Phyſica, ſed in Deo propter unam ex illis diſtinctionibus, apud adverſarios, dantur præciſiones phyſicæ, quatenus eſſentia phyſicè communicatur, & non perſona, Verbū

incarnatur, & non pater, &c. ergo à fortiori patietur præciſiones intentionales, & extrinſecas, quales ſunt, unam entitatem, vel rationem videri ſine alia. Prob. maj. nam facilius eſt, concipi animalitatem ſine rationalitate in homine, quàm eas moveri, & produci, vel deſinere unam ſine altera; ergo ſeparatio, & præciſio intentionalis per cognitionem, & viſionem facilior eſt, quàm Phyſica.

Confir. nam eſſentia Dei ſecundum ſe, tam indiviſibiliter eſt repræſentativa omnium rerum futurarum, vel exiſtentium, quàm unita, & identificata relationibus & attributis; & tamen fatentur omnes, quod non videntur omnes creaturæ ab omnibus in Deo, ergo idem eſſe poteſt de illis.

Confir. 2. nam ſi cognitione abſtractiva poteſt attingi eſsentia ſine perſonis, vel attributis, etiam naturaliter; ergo non implicat, eam ſic videri, de potentia abſoluta.

Prob. 6. lumen gloriæ, ex adverſariis, eſt tota, vel ſaltem principalis ratio, & menſura viſionis; ergo Deus poteſt infundere lumen limitatum ad eſſentiam ſolam, præciſè à perſonis, vel attributis. Prob. conſ. quia nulla eſt in hoc implicantia, ut mox patebit.

Prob. 7. eodem modo de concurſu Dei ad viſionem; nam Deus ad extra eſt objectum voluntarium, videtur, ſi vult, non videtur, ſi non vult; ergo poteſt ſeſe manifeſtare quoad eſſentiam, & velle ſic videri; & occultare quoad perſonas, & nolle ſic videri. Prob. conſ. nam de facto non videntur omnia prorſus à beatis in Deo, quæ in ipſo continentur identicè, ſed multa eos latent; ergo tam iſta, quàm illa, ſaltem de potentia abſoluta, poſſet Deus ſibi reſervare.

Objic. 1. viſio Dei eſt eſſentialiter intuitiva ejus, ſicuti eſt in ſe; ſed in ſe eſt unus, trinus, omnipotens, &c. ergo viſio Dei eſſentialiter attingit eſſentiã, perſonas, & attributa; ergo implicat, eam aliter eſſe; nam eſſet, & non eſſet intuitiva: quia non videretur, ut eſt.

Reſp. 1. conceſſa maj. & min. neg. conſ. quia ex eo, quòd viſio ſit intuitiva, & Deus trinus, non ſequitur, quod debeat eſſe adæquata; alioqui deberet eſſe comprehenſiva; ſufficit ut id, quod terminat intuitionem, ſit verè in Deo.

Reſp. 2. diſt. maj. viſio eſt eſſentialiter intuitiva, adæ-

adęquata, vel inadęquata: conc. maj. adęquata; neg. maj. & conſ. ſimiliter diſtincta min. Nõ enim eſt de ratione eſſentiali intuitionis, ut ſit adęquata objecto ſuo, ut patet; hoc pertinet ad ſolam viſionem comprehenſivam.

Inſt. natura ſingularis creata non poteſt videri ſine ſuo ſuppoſito, v. g. natura Petri ſine ſuppoſito Petri; ergo multò minus natura divina ſine ſuis perſonis, & attributis, quia hæc magis identificatur.

Reſp. neg. ant. nulla enim in hoc apparet implicantia; imò ſi natura ſingularis poteſt exiſtere, & ſeparari à ſuo proprio ſuppoſito, ut patet in Chriſti humanitate, quantò magis videri ſine illo?

Objic. 2. viſio Dei eſt eſſentialiter beatificans; ergo & completiſſima, & ſatiativa; ſed viſio Dei præciſiva, & inadæquata non eſſet ſatians, nec completiſſima; ergo præciſio repugnat eſſentiæ viſionis. Prob. min. nam intellectus non plenè ſatiatur, quamdiu reſtant notabiliſſima videnda in objecto; ſed donec viderentur perſonæ, & attributa, deeſſent notabiliſſima videnda; ergo viſio inadæquata non ſatiaret.

Reſp. diſt. ant. completiſſima, & ſatians quoad ſubſtantiam, ſeu eſſentiam beatitudinis: con. omni modo poſſibili, & quoad objecta ſecundaria: neg. ant. & ſimiliter diſt. ſubſ. non eſt completè ſatians quoad omnem modum poſſibilem, & objecta ſecundaria conc. quoad eſſentiam, & objectum primarium, neg. ſubſ. & rationem ejus. Nam eſſentialis beatitudo, & ſatietas habetur in viſione eſſentiæ, & objecti primarii, ut patet ex dictis de Deo Patre, qui beatus eſſe intelligitur in illo priori originis, in quo eſt ſine filio; & certè ſi neceſſario deberet ſatiare quoad omne objectum, & modum, viſio deberet eſſe in omnibus adæquata, comprehenſiva, & æqualis.

Inſt. appetitus intellectus non eſt perfectè ſatiatus, nec quietatus, quandiu reſtat perfectio aliqua deſideranda; ſed viſa ſola eſſentia reſtaret deſideranda viſio perſonarum, & attributorum; ergo ſine iſtorum viſione intellectus non quietaretur; ergo nec eſſet beatus.

Reſp. eodem modo diſt. maj. quandiu reſtant deſiderandæ perfectiones, & complementa ſubſtantialia, conc. non ſubſtantialia ſed ſecundaria; neg. maj. Deeſſent quidem ſecundaria, quæ ab eſ-

ſentia manant ex fœcunditate, non verò ex indigentia; & ideo ſicut eſſentia ab illis non dependet, ut ſit perfecta, ita nec viſio indiget, ut ſit contenta; ſicut eſſentia eſt omne bonum in ſe formaliter, radicaliter, & virtualiter, & eminenter; ita qui videt eam, habet omne bonum in ſubſtantia, & in fonte; viſio autem eſſentiæ cum attributis eſt tantùm magis explicita, ſed non major in ſubſtantia.

Objic. 3. ſi videri poſſet eſſentia ſine perſonis, id fieret per eamdem viſionem, qua nunc videtur Deus à beatis, vel per diverſam; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec primum. Prob. min. non 1.; ſi enim eſſet eadem, repræſentaret Deum eodem modo, & per conſeq. eſſentiam cum perſonis; ergo id non poſſet fieri per eamdem; non 2. ſc. non poteſt eſſe diverſa; quia eſſet de eodem objecto, ex eodem lumine, & ad eamdem beatitudinem; ergo ex nullo capite eſſet diverſa ſpecie. Prob. ant. non enim ex principiis elicitivis, & effectivis, ut ſunt intellectus, & lumen, neque ex objecto; eſſet enim idem Deus; neque ex effectu; eſſet enim eadem beatitudo; ergo ex nullo.

Reſp. 1. retorquendo argumentum, quod nimis probat: ſi quidem probaret, ne in creatis quidem eſſe poſſibilem præciſionem; nam ſic argumentor. Qui modo cognoſcit clarè hominem, ut animal rationale, deinde illum concipit præcisè ſecundum animalitatem, non cogitando rationalitatem, vel hoc facit diverſis cognitionibus, vel eadem; ſi eadem; ergo eodem modo debet repræſentare & ibi: ſi diverſa; ergo vel mutatur objectum, vel principium, vel effectus; & quidquid dixeris ad iſtud; reſpondebo ad tuum argumentum; eodem modo argumentaret de vidente objectum multorum colorum, & poſtea non vidente in eo, niſi unum colorem.

Reſp. 2. poſſe dici, eam viſionem Dei fore diverſam ſpecie, & numero, ſicut & iſta præciſiva de homine eſſet diverſa ſpecie, & numero ab adæquata; quia ſicut cognitio ſolius animalitatis, & viſio unius ſolius coloris haberet diverſum objectum formaliter à viſione, & cognitione totali: à fortiori in caſu noſtro; nam objectum explicitum viſionis præciſivæ eſſet ſola eſſentia: principium effectivum, & concurſus eſſet lumen limitatum ad ſolam eſſentiam,

tiam, & volitio Dei, qua nollet ſe aliter oſtendere; & inde, ſicut in iride, imago, & ſpecies impreſſa ruboris, & albedinis non eſset ſpecies cærulei, & aliorum colorum, qui in eodem apparent; ſic viſio unius coloris eſset diverſa à viſione omnium; ita de viſionibus Dei, &c.

Inſt. ex Scoto. [1] Iſta viſio, quam dicit poſſibilem, eſset de eodē objecto primario; ergo eſset eadē ſpecie cum iſta, qua videtur de facto eſsentia cum perſonis. Prob ant. quia, ex Scoto, ſpecificatur ab objecto primario, ſed utriuſque viſionis objectum primarium eſset idem; nempe eſsentia Dei; ergo utraque eſset ejuſdem ſpeciei.

Reſp. idem eſse de hoc, & de identitate, vel de differentia ſpecifica viſionum Angeli, & hominis ex parte objecti primarii; nempè eſsentiæ; eſsent ejuſdem ſpeciei; ſed ex aliis capitibus poſsent differre: &, ex principiis Doctoris, minùs requiritur ad differentiam, quàm ad identitatem; vel dicendum cum Maſtrio, eſse eamdem ſpecie viſionem ſecundum ſubſtantiam; ſed eſsentialiter, & extrinſecè, ſeu extenſivè diverſam: & quid inde? vide Scotum in 3. diſt. 14. q. 2. ubi ait, *poſſe dici, quòd reſpectu cujuſcunque objecti eſt propria viſio*; ſed maneret ſemper principalis circa eſsentiam.

Objic. 4. ex Script. Chriſtus Philippo petenti videre Patrem reſpondet: *qui videt me, videt & patrem*; & rationem dat, quia, inquit, *Ego in patre, & pater in me eſt*; ergo per nullam potentiam poteſt videri eſsentia ſine perſonis, nec una perſona ſine alia; quia Deus non poteſt impedire circuminſeſſionem perſonarum in ſe mutuò, nec identitatem in eſsentia, alioqui Chriſtus non loqueretur conſequenter.

Reſp. neg. con. nam 1. Philippus non petebat viſionem intuitivam, & beatam; ſed aliqualem poſſibilem de via ordinaria homini viatori, qualis non eſt intuitiva, ut diximus; & hoc ſenſu reſpondet Chriſtus, ſufficere viſionem ſui per fidem pro tunc, & ſecundum hanc verè dicit: *non credi is, quia ego in patre* &c. Vel 2. loquitur de viſione intuitiva, qualis de facto habetur; & talis non eſt præciſiva. Certè

[1] *Ib. F. n.* 8.

nec Philippus, nec Dominus de præſenti quæſtione voluit intelligi.

Inſt. Sanct. PP. ob illud dictum arguunt inſeparabilitatem viſionis ex perfecta unitate eorum in eſſentia; ſed illa unitas eſt inviolabilis; ergo & inſeparabilitas viſionis. Prob. ant. 1. [1] *nam Patris, & Filii non poteſt ſeparari viſio, ubi non ſeparatur natura, & eſſentia*, ait Auguſt. *Et: per id, quod unum in ſubſtantia ſunt, qui unum videt, ambos videt*. Et Nazianz: [2] *non immeritò, qui Filium videt, videt & Patrem; quia unitate ſubſtantiæ, & majeſtate divinitatis unum ſunt*; ergo ſicut impoſſibile eſt, eos unum non eſſe in eſſentia; ita & non videri ſimul. Hoc argumentum putat P. Gaudentius ita validum; ut ex eo putet etiam impugnari invincibiliter diſtinctionem formalem; & miratur Maſtrium negare ex identitate eſſentiæ, & perſonarum colligi argumentum, ſed immerito, nam

Reſp. neg. conſ. nec enim id voluerunt inferre Patres, ſed tantum, quod unitas eſſentiæ ſit quidem ratio; cur ambo ſimul videantur de facto; ſed non quòd ſit ratio adeo neceſſaria, ut non poſſint ſeorſim videri; ſicut identitas eſſentiæ non impedit perſonarum realem diſtinctionem inter ſe, nec diſtinctionem earumdem ab eſſentia formalem ex natura rei, ut docent Scotiſtæ, aut rationis ratiocinatæ, ut volunt Thomiſtæ, aut virtualem, ut docent alii; & ſicut iſtæ diſtinctiones inter eſſentiam, & perſonas ſufficiunt, ut verè, & Phyſicè eſſentia dicatur communicari, & perſona non communicari, denique ut verificentur prædicata contradictoria de eſſentia, & perſonis, & attributis; ita & ſufficiunt, ut eſſentia poſſit videri ſine perſonis, vel attributis.

Obj. 5. eſſentia, perſonæ, & attributa ſunt una ſimpliciſſima entitas, velut punctum prorſus eſt omni modo indiviſibile; ergo non poſſunt ſeparari viſione; ergo, ſi unum videtur, omnia videntur.

Reſp. diſt. ant. una ſimpliciſſima entitas excludens omnem multitudinem, & compoſitionem omnem realem ex actu, & potentia: conc. omnem multiplicitatem formalitatum, ex natura rei diſtinctarum; neg. ant. & conſ. nam ſicut non ſolum hæc diſtinctio, ſed etiam

[1] *q.43. nov. Teſt.* [2] *Orat. 49.*

etiam diſtinctio rationis Thomiſtica, aut virtualis in Deo ſufficit, ut verificentur prædicata à parte rei contradictoria, & formentur de Deo diverſi conceptus veri abſtractivè; cur non ſufficient, ut poſſit videri unum ſine aliis?

Inſt. Implicat videri Petrum ſine Petro; ergo & eſſentiam Dei ſine perſonis, vel attributis. Prob. conſ. Ideò Petrus non poteſt videri ſine Petro, quia eſt perfectiſſimè idem ſibi: ſed eſſentia, perſonæ, & attributa non ſunt minùs perfectè unum, & idem; ergo tam implicat ea videri ſine ſe invicem, quàm Petrum ſine Petro.

Reſp. neg. conſ. & min. prob. nam Petrus eſt idem ſibi abſque omni prorſus diſtinctione formali, vel rationis ratiocinatæ, aut virtuali; non ita eſt de eſſentia Dei cum perſonis, & attributis, nec de Petro in ſenſu objectionis poſſunt verificari prædicata à parte rei contradictoria, ſicut in Deo.

Inſt. 2. Si Deus non eſset trinæ, ſed unius perſonæ non poſſet eſsentia videri ſine perſonalitate; ergo neque nunc. Prob. conſ. nam perſonalitas illa non magis eſſet idem cum eſſentia, quàm iſtæ tres.

Reſp. diſt. ant. Si nulla eſſet diſtinctio ſingularitatis, & exiſtentiæ à ſubſtantia illa abſoluta, conc. ſi eſſet aliqua diſtinctio formalis, qualis eſt de facto inter eſsentiam, & tres ſubſiſtentias relativas, neg. ant.

Inſt. 3. Non poteſt diſtinctè videri includens ſine incluſo eſſentialiter, nec iſtud ſine illo: ſed eſsentia includit eſſentialiter perſonas, & attributa; ergo non poteſt illa diſtinctè, & intuitivè videri ſine iſtis.

Reſp. diſt. min. Includit realiter per identitatem realem, conc. min. formaliter, ſicut homo includit animal, & rationale, neg. min. & conſeq. nam eſsentia formaliter includit tantùm prædicata ſua eſſentialia, non verò attributalia, & perſonalia, niſi per identitatem, quæ ſicut non impedit prædicabilitatem contrariorum, nec diverſitatem realem productionum, ita nec viſibilitatem ſeparatim.

Inſt. 4. Intelligibilitas objecti ſe tenet ex virtute, quam habet ad movendum intellectum ad ſui intellectionem: ſed hæc virtus fundatur in tota entitate Dei; ergo Deus, qui eſt objectum indiviſibile, movet ad ſui viſionem ſecundum ſe totum indivi-

diviſibiliter; ergo & ita neceſſariò videntur.

Reſp. diſt. min. In objectis neceſſariis, & neceſſariò moventibus, conc. min. in objectis voluntariis, & moventibus liberè, & per voluntatem, neg. min. & diſt. conſ. Deus eſt objectum indiviſibile realiter, conc. formaliter, neg. conſ. Igitur cùm Deus ſit objectum in ſe continẽs plures perfectiones, & entitates formaliter ex natura rei diſtinctas, & objectum voluntarium, ſe ſe manifeſtat liberè ſecundum eas perfectiones, & formalitates, quas videri vult, & non aliter.

Concl. II. *Viſio illa inadæquata, & præciſiva eſſet adhuc beatificans.*

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. nam *Deus Pater prius origine, quàm generet Filium, eſt perfectè beatus, quia nullam perfectionem ſibi intrinſecam accipit à perſona producta; beatitudo enim eſt perfectio intrinſeca perſonæ beatæ.* Sed in illo priori non habet pro objecto eſſentiam, ut communicatam tribus perſonis, ergo in illo priori, licèt Pater non videat tres perſonas, adhuc eſt beatus; ergo etiam in creaturis viſio non minùs eſſet beata, licèt videretur eſſentia ſine perſonis, vel attributis.

Confir. hoc ex Aug. [2] qui dicit, *abſurdum eſſe dicere, quod Pater non ſit ſapiens de ſe ipſo, ſed per Filium, ad illam reditur abſurditatem, ut Pater non ſit Sapiens de ſe ipſo, ſed de Filio, nec Sapientia Sapientiam genuerit, ſed ea Sapientia Pater dicatur Sapiens eſſe, quam genuit, &c.* Vides Aug. judicare abſurdum, quòd Pater non ſit Sapiens de ſe ipſo, ſed de Filio: ſed eſset Sapiens de Filio, ſi non haberet viſionem beatam, niſi ex viſo Filio, ergo, &c.

Prob. 2. Eſsentia Dei in ſe præcisè conſiderata eſt ſummum bonum, & infinitum primaria, & fundamentali infinitate, & Pelagus omnium perfectionum, à quo aliæ emanant: ſed viſio, ut ſit beata, non exigit aliud, quàm intuitionem ſummi boni; ergo viſio ſolius eſſentiæ eſſet beata. Maj. patet ex dictis de eſſentia Dei. Min. prob. ex dictis de viſione ex Script. [3] *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Et: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.*

Prob. 3. Quia, ut diximus, ſi per impoſſibile, Deus non eſſet, niſi una perſona, adhuc ſe ipſo eſſet beatus. ergo

[1] *ib. C. n. 5.* [2] *15. de Trin. c. 7.* [3] *Pſal. 16.*

ergo de ratione eſſentiali viſionis beatæ non eſt, ut terminetur ad omnes perſonas, ſed ſufficit viſio eſſentiæ.

Objic. 1. Objectum beatificum eſt Deus trinus, non autem Deitas in abſtracto: ſed eſſentia Dei ſine perſonis eſt deitas in abſtracto, ergo non eſt objectum beatificum. Maj. patet; nam non eſt beatificans, niſi per intuitionem; non autem per viſionem abſtractivam; uno verbo eſt Deus clarè viſus, & ut Aug. docet: *Res, quibus fruendum eſt, ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus.* Prob. min. Quoties ab aliquo complexo, ſeu concreto unum prædicatum ſecernitur ab alio, & ſeorſim conſideratur, dicitur abſtractum; ergo Deitas ſine perſonis eſt verè abſtractum.

Reſp. diſt. maj. Eſt Deus trinus de facto, conc. de poſſibili, neg. maj. & diſt. min. Eſſentia ſine perſonis eſt Deitas in abſtracto, id eſt Deitas viſa inadæquatè, & non manifeſtata ſecundum omnia, quæ ſecum habet identificata, conc. min. abſtracta per præciſionem voluntariam, & non cognita intuitivè, ſed imperfectè, confusè, aut per ſpeciem, neg. min. & conſeq. Cognitio abſtractiva dicitur ea, quæ de objecto habetur abſente, & per ſpeciem repræſentato; & abſtractum dicitur id, quod per operationem, & negotiationem intellectus ſeparatur, & conſideratur ſeorſim à ſubjectis, quibus ineſt, & talis non eſt Deus, vel Deitas viſa ſine perſonis; eſſet tantùm abſtracta impropriè, quatenus ſe manifeſtaret ſine perſonis, vel attributis, cum quibus à parte rei identificatur. Denique ſufficit, quòd videatur ut exiſtens, & ſingularis, & præſens, ut in caſu noſtro videretur.

Inſt. Quocumque ſenſu dicatur abſtracta, non eſſet objectum beatificum; ergo nulla ſolutio. Conſ. patet; nam eſt quæſtio de objecto beatifico. Prob. ant. in eo ſenſu eſt beatificans, in quo ſatiat, & quietat animam; ſed in illa abſtractione viſa eſſentia non quietaret animam; ergo &c. Prob. min. Nam optaret videre Trinitatem Perſonarum, & alias perfectiones eſſentiæ unitas; ergo ſine illarum viſione anima non quietaretur, ſaltem plenè.

Reſp. neg. ant. 1. & min. 2. & ant. 3. arg. tum quia licèt de facto non videantur omnes ideæ, nec omnia decreta, quæ in Deo ſunt, tamen beati non ſunt ſatiati,

tiari, & contentiſſimi: tum quia cognoſcentes, talem eſſe Dei voluntatem, in ea liberè conquieſcerent: tùm quia poſset Deus non concurrere ad ulterius deſiderium.

Inſt.2. Viſio, ut beata, eſt intuitiva Dei, ſicut i eſt in ſe: ſed in ſe, & à parte rei eſſentia nullo modo præſcindit à perſonis, vel attributis; ergo ſub quacumque præciſione à perſonis, vel attributis, eſsẽtia non eſt objectum beatificans, nec viſio ejus. Prob. min. Nam à parte rei Deus eſt trinus, & bonus, & juſtus.

Reſp. ut ſupra, diſt. maj. Ut eſt in ſe verè, & clarè, per actum immediatè ad ipſum terminatum, conc. id eſt, per actum adæquatum, quo omnia, quæ in Deo ſunt, attingantur, & omni modo, quo videri poteſt, neg. maj. & conſ. Nam id non eſt neceſſe ad viſionem beatam; ſufficit, ut clarè videatur quoad perfectionem ſuam infinitam eſſentialem.

Objic. 2. Actiones terminantur ad ſuppoſita: ſed viſio eſt actio, & eſsentia Dei ſine perſonis non eſt ſuppoſitum; ergo viſio non poteſt terminari ad eſſentiam ſine perſonis. Prob. maj. Nam formæ ſe habent, *ut quo*, non autem, *ut quod*; ſunt rationes termini, non propriè termini; unde eſsentia ſine perſonis eſt tantùm objectum, *quo*, non verò *quod* viſionis: non poteſt autem videri objectum *quo*, ſine objecto *quod*.

Reſp. neg. maj. quod verius adhuc eſt de actionibus intentionalibus (qualis eſt viſio) quæ verſari poſsunt circa univerſalia, & non exiſtentia; falſum etiam eſt, eſſentiam Dei ſecundum ſe, & ſuas perfectiones eſsentiales, non eſse ſufficienter objectum *quod*, viſionis beatæ.

Objic. 3. Viſio Dei non poteſt beare, niſi videatur, ut ſummum bonum, & ut radix omnium perfectionum, & communicationum: ſed non poteſt ſic videri eſsentia, quin videantur attributa, & perſonæ; ergo viſio non poteſt eſse beata, niſi hæc videantur cum eſsentia. Prob. maj. Nam niſi ſic videretur, non videretur perfectè, & Deus non eſt ultimus finis, niſi ut ſummum bonum: ſed viſio beata debet eſse perfecta; ergo &c.

Reſp. neg. min. alioqui beata viſio deberet eſse comprehenſiva, quod nemo dixerit; deberet enim videre Deum, non ſolùm quoad omnes perfectiones in-

trinſecas,quas in ſe habet, ſed etiam extrinſecas, ad quas poteſt habere aliquas relationes, & omnes creaturas tam poſſibiles,quàm exiſtentes, & futuras; nam eſsentia eſt eorum omnium radix; ſufficit ergo, ut Deitas videatur ſecundum prædicata ſua abſoluta,& eſsentialia, ſeu quidditativa; nam ſecundum illa eſt verè ſummum, & infinitum bonum.

Concl. 3. *Poſſet divinitus una Perſona videri ſine alia.*

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. quia,de potentia abſoluta Dei,*non video,*ait,*contradictionem, quin poſſibile ſit ex parte intellectus, et voluntatis, quòd utriuſque actum terminet eſſentia, et non perſona, vel una perſona, et non alia; puta, quòd intellectus videat unam perſonam, et non aliam.*

Prob.2. Quia nulla eſt in hoc implicantia manifeſta, ergo &c. Prob. ant. 1. reſponſione ad objectiones. 2. quia vel implicaret ex parte perſonæ viſæ, vel ex parte videntis: ſed ex neutra parte implicat, ergo &c. Prob. min. 1. non ex parte perſonæ; nam omne diſtinctum realiter poteſt cognoſci ſine alio pariter diſtincto: ſed perſonæ ſunt diſtinctæ realiter; *alia eſt enim perſona Patris, alia Filii, et ſic de Spiritu Sancto;* & ſæpè Eccleſia, & Script. proponit eas invocandas ſeorſim, ergo ſaltem de potentia abſoluta poſsent ita videri. 2. non ex parte viſionis,quia hæc non debet attingere, niſi quæ oſtenduntur; ſed non implicat primam perſonam oſtendi ſine ſecunda; ergo nec videri.

Prob.3. Quia non magis repugnat Verbum videri ſine Spiritu Sancto,quàm incarnari: ſed Verbum potuit incarnari ſine iſto;ergo & poſset videri. Prob.maj.quia ſicut Verbũ incarnari ſine aliis perſonis eſt illud terminare unionẽ hypoſtaticã Humanitatis ſine illis: ita idem videri ſine illis,eſt illud terminare viſionẽ; ergo non magis iſtud repugnat, quàm illud: imò hæc viſio minus repugnaret; nam per unionis terminationem Verbum dicitur concurrere ad conſtitutionem ineffabilis compoſiti,quod dicitur Chiſtus, & illi tribuuntur multæ denominationes valde reales, licèt extrinſecæ; terminatio verò viſionis importaret denominationes longè magis extrinſecas, & minùs effectivas, & minùs reales, ſed potiùs intentionales, ergo, &c.

Prob.

[1] *1.d.1.q.2.C.n.5.*

Prob.4.ex dictis concl.1. Nam in inſtanti originis, quo Pater eſt ſine Filio,eſt perfectè beatus,& non videt Filium,quia pro inſtanti illo non exiſtit adhuc Filius: viſio enim non eſt niſi de re, ut exiſtente ; ergo non videt illum, ut exiſtentem, & in inſtanti generationis, quo exiſtit Filius, iſti vident ſe, & non vident Spiritum Sanctum, quippe nondum exiſtit, ſed tantùm in ſequenti ; ergo à fortiori perſonæ ſic poterunt oſtendi ſeorſim videndæ intellectui creato.

Objic. 1. Correlativa ſunt ſimul tempore, natura, & cognitione: ſed totæ tres perſonæ Trinitatis divinæ ſunt correlativæ; ergo ſunt ſimul cognitione, ſeu non poſſunt per ullam potentiam videri ſeorſim. Maj.patet ex Phil.& ratione: nam totum eſſe relativi eſt ad aliud ſe habere,& correlativa ſe ſe invicem reſpiciunt, ut talia.

Reſp.diſt.maj.formaliter,& ſub ratione correlationis, conc. ſub alia relatione neg. maj. & conſ. & ad min. dico, Patrem,& Filium eſſe quidem correlativos inter ſe: ſed nec in ratione Patris, nec Filii reſpiciunt Spiritum Sanctum ; ergo ſub illis rationibus poſſent oſtendi, & videri ſine Spiritu Sancto. Item Pater poſſet oſtendi, ut perſona à ſe exiſtens, & ingenita.

Reſp.2.diſt. eamdem maj ſimul cognitione, ita ut unum relativum non poſset cognoſci ſine termino confusè, aut diſtinctè, intuitivè, aut abſtractivè, conc. diſtinctè, & intuitivè,neg. maj.& conſ. Nam cùm video ſtatuam Petri, viſio ſtatuæ eſt intuitiva, Petri verò eſt abſtractiva ; viſio ejuſdem Petri præſentis, ut Patris,eſt intuitiva, ſed cognitio filiorum eius eſt abſtractiva, & confuſa ; cur ita eſſe non poſſet de 1.Perſona divina, quæ manifeſtaretur intellectui ſeorſim à Filio? Pater videretur diſtinctè, & intuitivè, Filius verò confusè, & abſtractivè.

Objic.2. Perſonæ divinæ non tantùm ſunt ad ſe invicem, ſed etiam ſunt in ſe invicem per circuminſeſſionem;ergo non poſſunt videri ſine ſe invicem.Prob. conſ. Nihil perfectè videtur, niſi videatur omne, quod in eo eſt ; ergo implicat, unam perſonam divinam videri perfectè, ſeu viſione beata, quin videantur duæ aliæ, quæ in ea ſunt.

Reſp.

Reſp. diſt. conſ. & ant. prob. Si ſit de quidditate continentis, conc. ſi non ſit de quidditate continentis, ſed diſtinguatur ab eo realiter, neg. ant. Perſonæ autem divinæ, licèt contineantur in ſe invicem, ſunt tamen diſtinctæ realiter; ergo à fortiori poterunt videri ſeorſim; nam videtur Deus perfectè à beatis, & tamen non videntur diſtinctè omnia ejus decreta, & ideæ, quæ tamen identificantur tùm inter ſe, tùm in illo. Alias objectiones ſolutas habes in 1. Concluſione.

Quæres: *An illa viſio eſſet beata.*

Reſp. *Affirmativè*; Nam ſi viſio eſſentiæ ſine perſonis adhuc eſſet beata, quantò magis viſio eſſentiæ in una perſona ſine alia? nam ibi eſſet primarium, & eſſentiale objectum beatificum: videretur enim ut Deus.

Quęres. 2. *An perſonalitates, ſeu relationes, vel attributa poſsint videri ſine eſſentia. An ab ea diſtinguantur, ſicut hæc ab illis.*

Reſp. *Negativè*; Nam 1. eſſentia eſt objectum primarium viſionis beatæ. 2. Attributa, v.g. Juſtitia, Sapientia, niſi videantur cum divinitate, & in divinitate, non erunt virtutes divinæ, ſed virtutes, & perfectiones in abſtracto. 3. quia ſunt proprietates manantes ab eſſentia. 4. quia relationes divinæ licèt magis diſtinguantur ab eſſentia, quàm attributa, tamen ex ratione relationum, & ut tales, magis habent eſſe in eſſentia; ergo minùs videri poſſunt extra illam.

Conſtat igitur, quòd de potentia abſoluta poſſet videri eſsentia divina ſine perſonis, & attributis, & una perſona ſine alia, & à fortiori attributum unum ſine alio, quia non ſunt inter ſe correlativa, ut perſonæ, non autem perſonæ, vel attributa ſine eſſentia.

Et hinc ſequitur etiam, voluntatem poſſe ſimpliciter frui eſſentia ſine perſonis; quia voluntas in fruitione ſequitur viſionem, & illi conformatur: ſed de hoc aliàs.

QUÆ-

QUÆSTIO III.

An decreta Dei libera, et actus omnes intellectus, et voluntatis Dei ſint obiecta viſionis Beatæ.

DIximus, quòd de facto videntur à Beatis eſsentia, relationes perſonales, & attributa, quæ continentur formaliter in Deo; & quòd de poſſibili poſsent hæc non videri, ſed ſola eſsentia; & tamen viſio eſset beata. Specialis eſt quæſtio de actibus divinis, & præcipuè de decretis liberis voluntatis divinæ, quæ ſunt etiam in Deo, & quidem formaliter, an ſcilicet de facto videantur omnia.

Porrò decreta Dei quoad entitatem ſuam abſolutam nihil ſunt diſtinctum à Dei voluntate, ſed important prætereà 1. liberam terminationẽ ad creaturas producendas, aut gubernandas. 2. relationem rationis ad creaturas eaſdem, reſultantem ex illa terminatione volitionis divinæ; non diſputamus de actibus intellectus, & voluntatis entitativè, & prout ſunt realiter idem cum intellectu, & voluntate, aut intellectione, & volitione eſsentiali: ſed prout important illam terminationem, & relationem rationis ad res intellectas, & volitas; de quo infra, ubi de intellectu, & voluntate Dei.

Concl. I. *Licèt videri poſſit eſſentia Dei ſine decretis liberis; videntur tamen aliqua de facto, non tamen omnia.*

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente de Theologia Beatorum, *quòd poſſibile eſt, eam eſſe de quocumque ſcibili, imò et de omnibus, quia ſcibilia non ſunt infinita; de facto autem non habent limitationem, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliquid in ſua eſſentia; et ideò actualiter Theologia eorum eſt de tot, quot voluntariè Deus oſtendit eis in eſſentia ſua*; ergo ex Scoto Theologia, ſeu viſio beata poteſt eſse de omnibus decretis æquè, ac de omnibus ſcibilibus; & tamen non videntur, niſi ea, quæ vult Deus eis manifeſtare. Quod verò videat aliqua, patet ex alio textu, quo dicit, eos videre decretum, & voluntatem Dei

quæ

[1] *q.3. prol. A.A. n.24.*

quæ vult pœnas damnatorum, & *ideo volunt, eas intelligere, ut Deus, et velle, ut Deus vult eas;* ergo vident decretum de puniendis damnatis, & ita eſt de aliis, v. g. de præmiandis juſtis. Et alibi docet, [1] *beatum non videre voluntatem Dei de ſalvando, aut non ſalvando homine, pro quo orat.*

Prob. 2. quoad 1. p. Nam à facto ad poſse valet conſeq. ſed de facto beati non vident plura decreta in eſſentia Dei; ergo poteſt videri eſſentia ſine decretis divinis. Min. patebit ex 3.p. Nam ſi non vident omnia, ita & poſsent videre eſſentiam ſine ullis; non enim eſt major ratio de aliquibus, quàm de aliis.

Prob.3. ex Scriptura, & PP. Nam ſecreta, & conſilia cordis humani, vel Angelici non vident Angeli, niſi ipſo volente, hæc ſoli reſervantur Deo; ergo multò magis conſilia Dei. Ant. ſupponitur ex tract. de Angelis. Prob. conſeq. [2] *quæ ſunt hominis nemo novit, niſi ſpiritus hominis*: ecce pro ant. [3] *quæ ſunt Dei nemo novit, niſi Spiritus Dei*: ecce pro conſeq. Item de die judicii dixit Chriſtus, quòd [4] *de die illo nemo ſcit, neque Angeli in Cælo.* Et ad verba Pauli, quòd per Eccleſiam plura innoteſcunt Angelis, quæ aliàs neſciebant: [5] *mihi data eſt gratia evangelizare, ut innoteſcat Principatibus, et Poteſtatibus, in cæleſtibus per Eccleſiam,*&c. Gloſſa notat, quòd *Angeli didicerunt multa per Eccleſiam*: & Chryſoſt.[6] Paulum ſic affatur: *illuminas Angelos, et Archangelos, et Principatus, et Poteſtates. Unde hoc fuit manifeſtum Angelis? per Eccleſiam,* &c.

Prob.4. ex ordine Hierarchico inter Angelos, quorum ſupremi illuminant inferiores, ut videbamus ex Dionyſ. & docent communiter Theologi: *ſi Cherubim, et Seraphim immediato hauſtu de fonte vitæ bibentes, inferioribus ordinibus Angelorum effundunt, de Conciliis loci; qui lætificat civitatem Dei*, ait Bernardus. [7]

Prob.2. p. 1. ex Scriptura, qua conſtat Deum per Angelos plura ſua conſilia revelaſſe hominibus; ut

[1] 4. *diſt.*50.*q.*3.*E.n.*6. *D.* 45.*q.*4. *G. n.*7. [2] 1.*Cor.*2. [3] *Matth.*14. [4] *Mar.*15. [5] *Epheſ.*3. [6] *Hom.*7. [7] *Ser. de ſal. Angel.*

ut Abrahæ, Jacob, Moyſi, Prophetis: *Incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*, [1] ait David, & Joanni, ut conſtat ex toto libro Apocalypſis. Item, ſi Apoſtolis ex amicitia, inquit Chriſtus: *omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis;* quantò magis id facit Deus Angelis, & Sanctis in Cœlo.

Prob. 3. Ex Script. cit. pro 1. p. Nam ſi inferiores Angeli illuminantur immediatè per ſuperiores, quamvis omnes æquè intuitivè videant eſſentiam; ergo non omnia vident immediatè in eſſentia.

Prob. 2. Quia viſio conſiliorum Dei non pertinet ad eſſentialem, & primariam beatitudinem, ſed ad ſecundariam; hæc autem proportionatur meritis; & ſicut hæc inæqualia ſunt, ita & manifeſtatio decretorum Dei; unde Theologi communiter cenſent, hæc præcipuè revelari, prout conveniunt ſtatui ſingulorum; manifeſtat v.g. Patriarchis Religionum, quæ decernit circa illas, Protectoribus Regnorum, quæ decernit circa illa, &c. Item ſingulis orationes, & vota, quæ illis ab Eccleſia offeruntur, & quæ de illis exaudiendis, vel non exaudiendis, puniendis, aut præmiandis ſtatuit.

Prob. 3. Quia ſi viderent omnia decreta Dei, viderent infinita, aut ſaltem viderent omnia prorſus futura, que relucent in illis decretis: ſed hæc omnia non vident omnes; ergo nec omnia decreta.

Objic. 1. contra 1. partem. Per viſionem beatam neceſſariò videntur omnia, quæ ſunt formaliter in Deo: ſed omnia decreta ſunt formaliter in Deo; ergo omnia decreta neceſſariò videntur. Probatur maj. quia viſio beata eſt clariſſima, & intuitiva; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. Omnia eſſentialia, & quidditativa, conc. quæ non ſunt de quidditate, neg. maj. ſaltem neceſſariò; nam de facto quidem videntur, ſed poſſent non videri, ut diximus de perſonis, & attributis; unde quæcumque dici poſſunt contra hanc partem, ibi ſoluta ſunt.

Objic. contra 2. p. Si aliqua decreta libera videantur in Deo, vel videntur eadem viſione, ſpecie, & numero, qua videtur eſſentia, vel diſtincta: ſed neutrum dici poteſt; ergo nulla videntur. Prob. min.

1. non

[1] *Pſ.* 50.

1. non eadem; nam non poſſunt videri ea decreta, quin videantur creaturæ ipſæ, ad quas terminantur: ſed iſtæ creaturæ non poſſunt videri eadem ſpecie, & numero viſione, qua videtur eſſentia; ſunt enim diverſiſſima ſpecie objecta, & viſio ſpecificatur ab objectis; ergo non videntur decreta Dei eadem viſione, qua eſsentia. 2. non diverſa, tum quia viſio beata eſt una, & ſimplex intuitio, tum quia *in ſtatu beatitudinis non ſunt volubiles cogitationes noſtræ; & omnem ſcientiam noſtram unico ſimul conceptu videbimus* (inquit Auguſt.) Et, ut docet Scotus, viſio beata eſt in entitate ſua immutabilis, indefectibilis, & nunquam interrumpitur; ergo non poteſt dici, quòd illa viſio eſſet eadem, vel diverſa à viſione eſsentiæ.

Reſp. ex dictis ſupra, neg. min. Nam in aliquo ſenſu dici poſſet diſtinctæ ſpeciei, & numeri, ſc. ex parte objecti ſecundarii, ſeu reſpectivè ad decreta, quæ unam viſionem terminarent, non verò aliam, ſed eſſet eadem ratione objecti primarii, & principalis, nempe eſsentiæ, à qua intellectus moveretur, & determinaretur ad totalem viſionem: tota ergo mutatio conſiſteret in nova relatione tendentiæ viſionis in illa decreta exiſtentia, & creaturas futuras: non autem eſset mutatio ulla in entitate abſoluta viſionis; ideò ſemper hęc maneret eadem ſpecie, & numero, ſicut paries non mutatus ſpecie, vel numero, cùm reſultant in eo novæ relationes ſimilitudinis, vel diſſimilitudinis per productionem novorum alborum, vel nigrorum.

Objic. contra 3. p. Si viſio Dei non terminaretur ad omnia decreta, non eſset perfectè ſatiata; nam cuperent plura videre, aut ſaltem id poſſent cupere: ſed conſ. eſt falſum, & contra Scripturam: *ſatiabor, cùm apparuerit gloria tua*; ergo vel nulla decreta videntur, vel omnia.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus; quia ſatietas ſubſtantialis viſionis conſiſtit in viſione eſsentię, quæ eſt abyſsus, & cumulus, & fons omnis boni appetibilis; accidentalis verò in illa majori perfectione intenſiva, aut extenſiva, quam non cupiunt, quia non meruerunt majorem, & quia ſummè conformantur divinæ diſpoſitioni.

Quæ-

Quæres, *quomodo, & in quo videantur illa decreta libera*. Reſolutio quæſiti multum dependet ex dicendis infra de libertate hujuſmodi decretorum, in quo ſc. conſiſtat hæc libertas, & per quid præcisè differant à neceſsariis; ſed pro nunc

Reſp. Illa poſse videri in ſe ipſis, mediante voluntate Dei, qua vult iſta videri, ratio eſt, quia hæc decreta Dei tam formaliter ſunt in Deo, quàm ulli alii actus; ergo tam videri poſsunt in ſeipſis, quàm ulli alii actus, vel formalitates; ergo ſicut iſtæ videntur in ſe ipſis cum eſsentia, ita & illa, ſic viſio, qua videntur, eſt ipſamet viſio beata.

Reſp. 2. quòd poſsent etiam videri ex ſpeciali Dei revelatione; ſed hæc viſio non foret propriè intuitiva, & beata.

Dixi autem, *mediante Dei libera voluntate*; quia ut jam ſæpè eſt dictum, eſsentia Dei eſt objectum, & ſpeculum voluntarium.

Dices: Non poſſunt videri decreta per viſionem beatam, & in eſsentia, quin videantur creaturæ, quas reſpiciunt, ſed hæ non videntur per viſionem beatam, qua videtur eſsentia; ergo nec illa.

Reſp. neg. maj. & min. quia decreta poſsunt videri ſecundum entitatem ſuam abſolutam ſine objectis, ad quæ referuntur, ſaltem diſtinctè viſis: & quia de facto videri poſsunt, & videntur futura, quæ determinantur futura per talia decreta, ut mox patebit, & quidem in decretis quoad futuritionem.

Dices 2. Decretum Dei liberum de aliquo futuro importat ſolùm formaliter puram terminationem voluntatis ad illud: ſed illa terminatio nihil eſt reale in ipſa volitione; ergo non poteſt videri nec in ſe, nec in eſsentia. Prob. maj. tale decretum importat formaliter puram denominationem extrinſecam in voluntate, quatenus terminatur ad futuritionem rei: ſed hæc determinatio nihil eſt reale in voluntate, ſed pura relatio rationis; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. utriuſque argumenti: nam decretum eſt verè actus realis voluntatis, terminatus ad rem futuram: alioqui nec ab ipſo Deo videri poſset; quod enim nihil eſt, non terminat poſitivè Dei viſionem, eſt ergo Dei volitio neceſsaria ex parte

po-

potentiæ, pro ut terminata ad rem contingentem.

Inſt. ſed tendentia illa nihil eſt reale in Deo; ergo non poteſt videri, ſemper enim verum eſt, eam eſſe purum nihil.

Reſp. diſt. conſ. non poteſt videri præciſè, & per ſe in eſſentia, conc. per revelationem Dei voluntariam, neg. conſ. Nam cum Deus experiatur, ſe tendere in illa objecta per voluntatem ſuam, ita & id revelare poteſt, & velle id videri.

Inſt. in 1. ſigno, ſeu inſtanti rationis, quo videtur voluntas Dei, ut amans neceſſariò ſuam eſſentiam, videtur ſine amore creaturæ, & in 2. ſigno videtur amans liberè creaturam, hoc ſuppoſito, ſic argues, vel in 2. ſigno videtur aliquid novi, quod non videbatur in primo, vel nihil: ſed non aliquid novi, quia de facto nihil eſt novum in Dei voluntate, quæ non mutatur; ſi nihil, ergo nihil videri poteſt reale à beatis circa decreta illa per viſionem beatam.

Reſp. diſt. min. quoad 1. p. non aliquid novi, ex parte actus, ſeu entitativè, conc. objectivè, & terminativè,neg. min. & conſ. Nam in 2. ſigno videtur idem actus voluntatis cum nova terminatione, & tendentia in novum volibile, quod non videbatur in primo.

QUÆSTIO IV.

An, & quæ creaturæ videantur in Deo. An omnia, vel aliqua poſſibilia, & futura. An omnia, quæ Deus videt.

CReaturæ omnes quadruplex eſſe habent in Deo. 1. *eminentiale*, quatenus Deus continet nobiliſſimo modo, & ſine ulla imperfectione totum eſſe illarum, & quidquid habent perfectionis. 2. *virtuale*, quatenus eas continet in ſua omnipotentia, ut earum cauſa efficiens. 3. *ideale* in ſua ſapientia, quatenus habet in ſe formam, & exemplar earum; & 4. *intelligibile*, & *objectivum*, in ejus eſſentia, quatenus eas perfectiſſimè cognoſcit per ſuam ſcientiam, & ſic creaturæ videri poſse dicuntur in Deo, 1. ratione illius continentiæ eminentialis, & in eſſentia: aut 2. *virtualis*, ſicut effectus in cauſa, vel ex cauſa, ſeu in omnipotentia: 3. *vel in idea*, ſeu cau-

cauſa *exemplari*: 4. vel in *ſcientia*, ſeu *verbo*, tanquam in ſpecie expreſſa, & quaſi in ſpeculo.

Item quando dicitur, creaturas videri *in verbo*, vel intelligitur 1. de *verbo* prolato, & idem eſt ac videri per revelationem verbo factam: vel 2. in *verbo divino*, tanquam in ſpecie expreſſa: vel 3. *in eſſentia divina*, tamquam in objecto prius cognito.

Item notandum, quòd cum dicimus, an videantur creaturæ viſione beata; ſenſus eſt, an per ipſammet viſionem, qua videmus eſſentiam Dei, videamus etiam illas; quando verò quæritur, an videantur ex vi talis viſionis, ſenſus eſt, an ideò videantur, quia videmus eſſentiam; non quòd viſio eſsentiæ ſit ratio formalis, per quam videmus; ſed tantum cauſa velut effectiva, ſeu occaſionalis, cur videantur creaturæ, ſicut præmiſſæ ſunt cauſæ concluſionis. Per 1. videntur propriè in Deo, & hæc cognitio vocatur à S. Auguſt. *matutina*, ſeu *beatifica*, & *clara*, quia perfectiùs videntur creaturæ in Deo, quàm in ſe ipſis, quæ ibi ſunt ſine obſcuritate defectuum ſuorum. Per 2. verò videntur potius in ſe ipſis, & in proprio genere, & extra Deum, & vocatur hæc cognitio *veſpertina*, quia imperfectior, & obſcurior eſt.

Dixi, quòd *habent perfectius eſſe in Deo, quàm in ſe ipſis*, abſolutè, & ſimpliciter, juxta illud: [1] *quod factum eſt in ipſo, vita erat*, quia illud eſſe eſt ipſe Deus, ſed illud eſſe non eſt eſſe proprium rerum, v. g. non eſt proprium, & formale eſſe lapidis, aut ligni, aut bruti, alioqui Deus diceretur lapis, lignum, brutum, &c. quod abſit, & ſecundum iſtud ſunt tantum *objectivè* in Deo, cum actu cognoſcuntur virtute divinæ eſſentiæ: at ſecundum illud primum ſunt in Deo *eminenter*, & de iſta cognitione non loquimur, ſed de objectiva, & hoc ſenſu eſſentia dicitur ſpeculum rerum omnium, non quidem formale actuale, quaſi verò creaturæ eſſent formaliter in eo, vel per ſuum eſſe proprium, vel per ſpeciem impreſſam ſui; ſicut vultus eſt in ſpeculo materiali; ſed tantum *virtuale*, *eminentiale*, quatenus continet eminenter, & virtualiter eſſe, & ſpecies, ſeu repræſentationes rerum omnium in ordine ad pro-

[1] *Jo.* 1.

producendas eas in eſſe cognito, ſicut & in eſſe reali actuali; his poſitis

Concl.1. *videntur in Deo creaturæ, non ſolum exiſtentes, & futuræ, ſed etiam poſſibiles, non tamen omnes*. Eſt communis.

Prob.1. ex Scoto [1] quoad 1. p. dicente, quòd *non eſt neceſſe ex ratione beatitudinis, quod beatus videat orationes noſtras in verbo .... tamen quia congruum eſt, beatum eſse coadjutorem Dei in procuranda ſalute electi eo modo, quo ſibi competere poteſt, & ad iſtud requiritur, ſibi revelari orationes noſtras ſpecialiter, &c.* Et infrà docet, eos videre pœnas damnatorum *in eſſentia divina .... quæ eſt ratio cognoſcendi omnium, ad quæ eſt:* item certum eſt, beatos videre ſuæ beatitudinis perpetuitatem, quæ reſpicit futurum: item quoad poſſibiles, dicit, [2] quòd *veriſimile eſt, animas viſuras in verbo, etiam diſtinctè, ipſum poſse creare aliquid, quod non creat:* & generaliter, quòd *Theologia beatorum erit de quocumque, imo & de omnibus ſcibilibus:* & quòd de facto, *non habet limitationem, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliquid in eſsentia ſua: & ideo Theologia eorum eſt de tot, quot voluntarie Deus oſtendit eis voluntate ſua;* ergo ex Scoto [3] videntur in Deo creaturæ exiſtentes, futuræ, & poſſibiles; ſed non omnes, ſed tot, quot placet Deo illis oſtendere in eſsentia ſua.

Prob. quoad 1. p.1. quia, ut dicebamus ex Scoto, Beati vident orationes noſtras, & ideo Eccleſia proponit nobis Sanctos colendos, orandos, & invocandos, quod eſſet ſuperfluum, niſi ipſi viderent noſtras orationes, ut intercedant pro nobis, quod videre eſt in Concil. Trid. [4] ubi mandatur Epiſcopis, & aliis, ut fideles inſtruant *de Sanctorum invocatione, & interceſſione, docentes, eos Sanctos, unà cum Chriſto regnantes, orationes ſuas pro hominibus Deo offerre, &c.* & debent videre indigentias, & preces noſtras. Idem definitur in Concilio Senonenſi. [5]

Prob.3. ex Script. qua videmus, Deum oſtendere

[1] *4. d.45.q.4.D. n.5.*
[2] *3. d.14.q.2.H. n.12.*
[3] *qu.3. prol.AA. n.24.*
[4] *Seſs.25. de invoc. Sanctor.*
[5] *Decreto 13.*

illis decreta aliqua ſua circa creaturas. Item ex SS. PP. ibidem citatis: *vident Verbum*, inquit Bern. [1] *& in Verbo facta per Verbum*, Et S. Gregor. *illic omnes communi claritate Deum conſpiciunt, quid eſt, quod ibi neſciant, ubi ſcientem omnia ſciunt?* Et Aug. [2] docet, quòd in ſpeculo vitreo videmus tria, ſcilicet ſpeculum, & nos, & ea, quæ circa illud ſunt, *ſic ſpeculum divinæ claritatis, & Deum, ut eſt, videbimus, quantum eſt poſſibile creaturæ, & nos ipſos, & cætera*, vera, & certa ſcientia cognoſcemus.

Confir. quia, ut diximus de decretis, ita & de futuris probabiliſſimum eſt, Deum multa oſtendere Sanctis de rebus, quæ ſpectant ad eorum ſtatum, v. g. Fundatoribus religionum; nam ſi illis viventibus plura oſtendit de ſuorum ordinum proſperitate, fructu, & duratione, ita & à fortiori in cœlo, & ita eſſe creditur communiter à Theologis.

Prob. 2. p. de poſſibilibus 1. ex Script. nam ſi Chriſtus revelavit viatoribus aliqua poſſibilia de Patre ſuo, & de ſe ob gloriam ejus, & ſuam; ergo & probabiliſſimum eſt, id etiam præſtare erga beatos. Sic autem in via dicebat Petro: [3] *neſcis quia poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi pluſquam duodecim legiones Angelorum?* Sic de Daniele legimus: *Deus noſter, quem colimus, poteſt nos eripere de camino ignis ardentis, & de manibus tuis*, &c.

Prob. 2. quia talis manifeſtatio facit non ſolum ad majorem oſtenſionem gloriæ Dei, ſed etiam ad majorem gloriam, & beatitudinem accidentalem Sanctorum, ut ſcilicet pleniori, ſeu ampliori viſione poſſideant, quæ in theſauris ſapientiæ, & potentiæ ſuæ poſſidet, & certè abſque fundamento rationis diceretur totam illam multitudinem rerum, quas facere poſset, & non faciet, velut occultare beatis.

Confir. quia plurima hujuſmodi ſibi manifeſtata gloriabatur David, dicens: *incerta, & occulta ſapientiæ tuæ manifeſtaſti mihi*. Et Abrahamo decretum conditionatum de non perdendis Sodomitis, ſi inter eos reperirentur 20. aut 10. juſti, & hoc revelatum fuerat Angelo, qui ſic loquebatur pro Deo, 2. quia probabiliter creditur, omnia poſſibilia æquè, ac fu-

[1] 5. *conſid.* [2] *de tripl. habit. c. 6.*
[3] *Mat. 26.*

futura videri in Verbo, ab anima Chriſti, in quo ſunt *theſauri omnes ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*; ergo ſaltem aliqua poteſt oſtendere ſublimioribus Angelis, & Sanctis.

Prob.3. etiam ex dictis q. præced. de decretis, quia de facto multa, etiam futura, dicuntur neſciri, etiam ab Angelis in cœlo; ergo à fortiori & poſſibilia, nam multò minùs intereſt ſcire poſſibilia, quàm futura. Prob. ant. de die judicii: [1] *De die enim illo nemo ſcit, neque Angeli in cælo*. Item ex Apoſtolo dicente, principatus, & poteſtates cœleſtes multa addiſcere ex Eccleſia, [2] *ut innoteſcat principibus, & poteſtatibus per Eccleſiam*. Item de ſecretis, quæ Deus ſibi reſervat: [3] *quæ ſunt Dei, nemo ſcit, niſi ſpiritus Dei*.

Prob. denique, nam ſi plures graviſſimi Theologi non putant, poſſibile eſse intellectui creato, aut puræ creaturæ, ut videat omnia, quæ Deus videt; ergo multò minùs id dicendum eſt de facto, nam ea cognitio non eſt neceſsaria ſtatui beatitudinis, ne ut videant quidem orationes, vel neceſſitates eorum, qui invocant illos, ut dicebamus ex Scoto, & ratio eſt, quia viſio creaturarum ſive exiſtentium, ſive futurarum, vel poſſibilium eſt de objecto tantùm ſecundario viſionis beatæ.

Objic.1. contra 1. & 2. par. res creatæ, & creabiles non ſunt in Deo; ergo in Deo non poſsunt videri, nam viſio intuitiva cauſatur per objectum, ut præſens.

Reſp. diſt. ant. non ſunt in Deo formaliter, & per propriam entitatem, conc. eminenter, & virtualiter, neg. ant. & conſ. nam ex Euangelio ſcimus, quòd mundus, & quidquid factum eſt in tempore, *in ipſo vita erat*.

Inſt. 1. illud eſse, quod habent in Deo, vel idem eſt cum eſse Dei, vel diſtinctum; ſed neutrum dici poteſt pro viſione ipſorum in Deo; ergo nec quòd videantur ibi. Prob min. ſi eſt ipſum eſse Dei; ergo Deus eſt, qui videtur, non verò creaturæ: ſi eſt eſse diſtinctum; ergo in Deo ſunt plura eſse realiter diſtincta.

Reſp. eſse ipſum eſse Dei, pro ut continens eminenter in ſua eſsentia omnem perfectionem omnis creaturæ, & in ſua potentia virtualiter, & ſic potens

[1] *Matth.* 14. [2] *Ephe.* 3. [3] 1. *Cor.* 2.

eas producere, tam in eſſe cognito, quàm in eſſe exiſtentiæ. 2. idem argumentum poſſet adduci ad probandum, eas non poſſe videri, ne à Deo quidem ipſo in ſua eſſentia, quod nemo ſanæ mentis dixerit.

Objic. 2. ſi viderentur aliqua entia creata, aut creabilia in Deo, viderentur omnia; ſed conſ. eſt contra nos; ergo & ant. Prob. maj. 1. quia eſt eadem ratio de omnibus. 2. quia prout ſunt, & prout repræſentantur in Deo, ſunt prorſus idem; ergo non poſſunt videri ſeorſim.

Reſp. neg. maj. & ant. 1. probationis, nam ratio, cur unum videatur præ alio, eſt voluntas Dei, quia eſſentia eſt ſpeculum voluntarium, & diſt. ant. 2. prob. ſunt prorſus idem realiter, conc. formaliter, & virtualiter, neg. ant. & conſ. Certè ſi poſſunt produci à Deo, & exiſtere ſeparatim, licèt eorum ideæ ſint quid unum in Deo, & cum Deo, à fortiori poterunt ſeorſim revelari, & oſtendi, & cognoſci.

Objic. 3. ſi videntur creaturæ illæ in Deo, eſſentia ſe habebit, ut ſpecies earum expreſſa, vel impreſſa, ſed neutrum dici poteſt; ergo non poſſunt videri in eſſentia. Prob. min. nam repugnat ſubſtantiæ Dei ratio ſimilitudinis; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. ſe habebit ut ſpecies, id eſt ſupplebit effectum ſpeciei efficienter, conc. erit ſpecies formaliter, neg. maj. effectus formalis ſpeciei eſt informare potentiam ad producendam cum ea viſionem efficienter, iſtud facit eſſentia: concurrit efficienter cum intellectu ad viſionem per virtutem ſuam infinitam in repræſentando, non verò illud, ſcilicet non inhæret, nec informat.

Objic. contra 3. p. plures auctoritates Patrum, qui Angelis, & Sanctis tribuunt cognitionem omnium creaturarum ſine exceptione. 1. Sanct. Auguſt. [1] *procul dubio univerſam creaturam, in qua ſunt ipſi principaliter conditi, in ipſo verbo Dei prius noviſse, in quo ſunt omnium, etiam quæ temporaliter facta ſunt, rationes æternæ,* &c. S. Proſper [2] dicit, quòd *perfectè beatos non latebit aliquid ſecretorum*: & alibi dicit, quòd *non ſolum omnium creaturarum rationem, ſed etiam ipſam ſui Creatoris eminentiam facile reve-*

[1] 4. *Geneſ. ad lit. c.* 24.
[2] 1. *de vit. contemp. ca.* 4. *&* *l.* 3. *c.* 31.

revelata conſpicient. 3. S. Baſil. [1] hortatur virginem, ut Sanctos Angelos, & homines veneretur; *nullus enim eorum eſt, qui non ubique proſpiciat, cum ipſe quidem .... incorporeo viſu ad notitiam univerſa complectatur*. 4. Origenes dicit [2] quòd juſti, *cum ad cœleſtia loca pervenerint, ſingula pervidebunt, & ſive animantia ſint, ſive quidquid aliud eſt, comprehendent*. 5. S. Gregor. *qui creatoris ſui claritatem vident, nihil in creatura agitur, quod videre non poſſint*: idem, *quid eſt, quod illi neſciunt, qui videntem omnia ſciunt?* 6. Bernard. quòd beatus *videt verbum, & in verbo facta per verbum, &c.* ſic de aliis, ergo ex Sanct. Pat. de facto omnia videntur in Deo.

Reſp. neg. ant. & conſ. probationis, nec enim aliud volunt Patres per illos textus, niſi quòd Angeli, & beati vident omnia, quæ faciunt ad eorum debitam beatitudinem, ſinguli pro ſuo ſtatu, & meritis, & in particulari *Auguſt.* loquitur non de ſingulis, & omnibus creaturis in particulari, ſed in genere, vel ſpecie. 2. *S. Proſper* intelligi debet de Secretis, ſeu myſteriis, quæ crediderunt in via per fidem, cui ſuccedet viſio, & per illam *creaturarum rationem*, intelligit rationem eminentialem, & genericam, aut ſpecificam, non verò individualem. 3. idem eſt *de Baſilio*, vult, quòd Sancti ubique proſpiciunt, quæ ad ipſos diriguntur, & per hoc, quòd vident Deum ipſis talia revelantem, 4. *Origenes* loquitur de ſingulis, quæ placebit Deo ipſis revelare, non autem de neceſſitate viſionis; ſed & alias rationes operum Dei, quas eis ipſe revelabit, intelligent. 5. *Gregorius* non loquitur de poſſibilibus, ſed de iis, quæ in creatura aguntur, & de poſſibili, non de facto, quaſi de facto omnia prorſus videant in individuo. Et per 2. dictum vult, quòd vident omnia, quæ ad ſuam beatitudinem, pro ſuo ſtatu, conveniunt. 6. Nec *Bernardi* locus aliter intelligendus eſt, niſi quòd nullo medio egebunt ad viſionem inviſibilium Dei, nec opus habet ex his, quæ facta ſunt, factoris notitiam mendicare, nam loquitur occaſione horum verborum Apoſtoli: *inviſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur*. Et ſic locus ille non eſt ad propoſitum.

X 4 Oblic.

[1] *de ver. virg. hom.* 40. [2] *dial. c.* 13.

Objic. 2. omnia creata, & creabilia repræſentantur in ſcientia Dei, & quidem diſtinctiſſimè; ergo omnia ibi videntur. Prob. conſ. quia ſic videtur ſcientia Dei, idem eſt de omnipotentia, & immenſitate.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. ſic vident ſcientiam quoad eſse abſolutum, conc. quoad eſse relativum, & omnem attingentiam ejus, neg. maximè quoad attingendum objectum ſecundarium, quales ſunt creaturæ; nam, ut ſæpe diximus, Deus quoad extra eſt objectum, & ſpeculum voluntarium, oſtendens ſe quibus, & quando, & quomodo vult.

Idem eſt de viſione omnipotentiæ; vident eam prout poteſt omnia, non autem vident diſtinctè, & in particulari omnia, niſi ea velit oſtendere; idem eſt de viſione immenſitatis quoad loca omnia, quæ occupare poteſt in genere; ſed non ſingula in particulari; hæc enim parum admodum, aut nihil faciunt ad beatitudinem animarum, quaſi verò ad id faciat, quòd videant, quot ranas, quot muſcas, & pulices fecerit, aut facturus ſit per ſæcula, aut poſſit facere per omnipotentiam.

Concl. 2. *Non repugnat viſio, qua videantur omnia creata, & creabilia in Deo*, eſt Scotiſtarum, & aliorum contra Thomiſtas, & plures alios.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente de Theologia beatorum, quòd *poſſibile eſt, eam eſſe de quocumque, imo & de omnibus ſcibilibus, quia ſcibilia non ſunt infinita*, & loquens de anima Chriſti: *poſſibile eſt, ut videat in Verbo aliquod poſſibile, & qua ratione unum, ita & aliud; ergo ad evitandam infinitatem oportet alium terminum præfigere, quam includendo actualia, & excludendo poſſibilia*, ſcilicet ſcientia Chriſti, ſicut poteſt attingere in Verbo, per viſionem beatam, unum poſſibile, ita & reliqua omnia, & tamen non eſset infinita, ſed aliunde petenda eſt infinitas; ergo ex Scoto non repugnat viſio creata, qua videantur omnia creata, & poſſibilia creari, nam anima Chriſti, & viſio ejus ſunt quid creatum.

Prob.

[1] *q. prolog. cit.*

Prob. 2. quia in hoc nulla afferri poteſt implicantia manifeſta; ergo non debet denegari divinæ potentiæ, nec animæ Chriſti, nam in tantum magnificanda eſt humanitas Chriſti, quantum poteſt, ſine implicantia, ut fatentur omnes SS. PP. & Theologi. Prob. ant. 1. reſponſione ad implicantias, 2. quia non repugnat nec ex parte Dei, quia de facto omnia videt, & poteſt omnia oſtendere, neque ex parte objectorum, quia omnia ſunt viſibilia, ſeu ſcibilia, nec ex parte videntium, nam ſicut plura videre poſſunt, ita & omnia, nec eſt major implicantia de una multitudine, quàm de alia, maximè id volente Deo.

Prob. 3. ex Scoto cit. nam de facto eam plurimi SS. PP. & Theologi concedunt animæ Chriſti, ut videbimus tract. de Incarn. ergo poſſibilis eſt; nam *à facto ad poſſe valet conſequentia*.

Objic. 1. implicat, creaturam comprehendere Deum; ſed ſi videri poſſent in Deo omnia creata, & creabilia, poſſet comprehendi Deus à creatura; ergo implicat viſio creata omnium creabilium. Prob. min. qui videt omnes effectus in aliqua cauſa, & ex vi penetrationis ejus, eam comprehendit; ſed qui videret in Deo omnia poſſibilia, videret in eo effectus omnes ejus; ergo eum comprehenderet. Prob. maj. qui videt omnem perfectionem cauſæ intenſivam, & extenſivam, comprehendit ipſam; ſed qui videret omnes effectus poſſibiles Dei, videret omnem ejus perfectionem & intenſivam, & extenſivam; ergo, &c. Prob. min. nàm 1. perfectio extenſiva cauſæ attenditur penes effectus ejus omnes poſſibiles, & 2. cognitio extenſiva, & perfectio pariter extenſiva oritur ex intenſiva ejuſdem cauſæ; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & maj. prob. nec enim id ſufficit ad comprehenſionem, ut diximus, ſed præterea requiritur, ut exhauriatur tota cognoſcibilitas cauſæ, tam in ſe ipſa, & in propria quidditate, quàm in ordine ad effectus ſuos, & hoc non faceret viſio extenſiva poſſibilium omnium: præterea id falſum eſt in cauſis æquivocis, qualis eſt Deus reſpectu creaturarum omnium, nam cùm cauſa æquivoca, ut talis, ſit longè perfectior omnibus ſuis effectibus æquivocis, ſic cognita univerſitate poſſibi-

lium, adhuc infinitè eſſet perfectior Deus, & infinitè excederet eam cognitionem. Denique infinitas intenſiva divinæ perfectionis non habet neceſſariam connexionem cum creaturis poſſibilibus; & idem eſt de incomprehenſibilitate: eſt enim & infinitus, & incomprehenſibilis ſecundum ſe abſolutè, præcisè à poſſibilitate creaturarum omnium.

Objic. 2. viſio omnium poſſibilium eſſet infinita; ſed repugnat viſio infinita; ergo & viſio omnium poſſibilium. Prob. maj. illa viſio deberet repræſentare entia perfectiora, & perfectiora in infinitum; ſed talis viſio eſſet infinita; ergo & viſio omnium poſſibilium. Prob. min. nam viſio infinitorum entium contineret perfectiones infinitorum actuum, & cognitionum; ergo eſſet infinita, & idem eſt de lumine concurrente ad talem viſionem.

Reſp. neg. maj. 1. & 2. arg. nam, ut vidimus ex Scoto, ſcibilia non ſunt infinita, ſaltem genere, & ſpecie differentia, licèt poſſint infinita eſſe numero. Item neg. etiam min. 2. nam ſicut ad viſionem eſſentiæ, quæ eſt ſimpliciter infinita, non requiritur viſio infinita, ita nec ad viſionem infinitorum entium.

Inſt. 1. duæ viſiones dicerent majorem perfectionem, quàm una; ergo viſio æquivalens illis eſſet intenſior, & perfectior, quàm una; ergo viſio æquivalens infinitis eſſet infinitæ perfectionis.

Reſp. 1. idem argumentum fieri poſſe de viſione Dei, nam viſio rei minimæ perfectionis eſt minimæ perfectionis, & rei perfectioris eſt etiam perfectior; ergo viſio entis infinitæ perfectionis eſſet pariter infinita, quod non concedent adverſarii; ideo concedere debent, non eſſe ſic calculandam perfectionem viſionis ex perfectione, vel ex magnitudine objecti. Certè tota collectio creaturarum non æquivalet perfectioni Dei in ſe.

Reſp. 2. ad inſtantiam, ſi quid valeret, id probaret ad ſummum de una viſione, qua viderentur infinita, non autem ſi diceretur, illa videri pluribus viſionibus, & ſucceſſivè, tunc enim non eſſet major perfectio in potentia extenſivè, & ſyncategorematicè.

Reſp. 3. diſt. ant. majorem perfectionem extenſivè & relativè, conc. entitativè, & intrinſecè, neg. ant. & conſ. Nam ſicut viſio eſſentiæ Dei eadem ſpecie, & nu-

numero poſſet tendere in creaturas aliquot cum ſola nova relatione tendentiæ; ideo nihil additur ei perfectionis intenſivæ, & intrinſecæ, ſicut uni albo nihil accreſcit perfectionis intrinſecæ per accretionem tot relationum ſimilitudinis, aut diſſimilitudinis, quot producuntur alba, & nigra, & alia colorata in rerum natura; & ſi materia reciperet infinitas formas, non eſſet propterea perfectior.

Idem reſpondetur de lumine concurrente ad talem viſionem, nam ſicut non debet eſſe infinitæ perfectionis, ut concurrat ad viſionem Dei in ſe infiniti, ita nec ut concurreret ad videnda entia infinita.

Inſt.2. quò plura objecta proponuntur videnda, eò major attentio requiritur in potentia ad illa inſpicienda, vel cognitio fit imperfectior; ergo ad videnda infinita vel requiritur infinita attentio, & virtus in intellectu, vel abſolutè non ſufficiet ad illa inſpicienda. Probatur ant. ex illo communi axiomate, *pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus*.

Reſp. 1. id non urgere, & ant. non eſſe verum, ſi dicatur, intellectum ſe habere merè paſſivè ad talem viſionem. 2. idem ant. & prob. ejus eſſe tantum vera de intellectu conjuncto, & dependente à phantaſmatibus, quia potentia materialis à pluribus diſtrahitur, & circa plura occupata minuitur circa ſingula; non autem de intellectu ſeparato. 3. Idem retorqueri poteſt circa viſionem Dei, nam propter infinitatem ſuam debet infinitam attentionem exigere, ut videatur clarè, & diſtinctè. 4. falſum eſt, quia vires intellectus beati potiùs colliguntur, & roborantur per attingentiam, & attentionem ad objectum primarium, nempe eſſentiam Dei, quæ eſt maximè una, & in qua videntur objecta ſecundaria, ut creaturæ, hoc poſſet fortè dici, ſi viderentur in ſe ipſis, quia in ſe ipſis ſunt diſtinctæ,& diſparatæ; ſed in Deo ſunt unitæ, & ideo non fatigant, ſed recreant, & juvant potentiam viſivam.

Objic.3. ut intellectus videret omnia in verbo, videre deberet ipſam ſuam viſionem; ſed hoc implicat; ergo & illud. Maj. patet, nam viſio illa eſſet verè quid reale creatum, & in ſe viſibile. Prob. min. omnis cognitio cauſatur ab objecto, vel ab illo dependet; ergo viſio illa non poſſet videri, alioqui cau-

ſaret ſe ipſam, & à ſe ipſa dependeret, quod implicat ex dictis in Phyſica.

Reſp. 1. idem objici poſse de viſione Dei, nam 1. beatus ſine dubio ſe videt in Deo, & videt ſe videre, & per conſequens videt viſionem ſuam. 2. neg. min. & conſ. & probationem: nam poſset videre ſuam viſionem in Deo per actum diſtinctum; & tunc 1. viſio eſsentiæ, & aliarum rerum in ſe ipſa non cauſaretur à ſe ipſa; ſed 2. viſio, qua videret primam, cauſaretur ab hac prima. 3. & principaliter neg. min. & diſt. ant. prob. viſio cauſatur, & dependet ab objecto primario, & motivo, conc. ab objecto ſecundario, & purè terminativo, neg. ant. & conſ. Viſio autem, & aliæ creaturæ non ſunt objecta motiva, & primaria, ſed purè terminativa viſionis beatæ. Hoc pertinet ad ſolam eſsentiam, & ideo viſio non propriè cauſatur, nec dependet niſi à ſola eſsentia. 4. Denique hæc viſio ſe ipſam, & per ipſam percipit, *ut quo*, non *ut quod*, ſeu in ratione objecti, nam cum video Solem, percipio me videre, & mea viſio eſt ipſamet ratio, qua id percipio, nec in hoc habet rationem cauſæ illius perceptionis; niſi ad ſummum cauſæ formalis, denique in ſe ipſa eſset ratio, & tendentia in objecta, & prout relucens in eſsentia videretur, quid inde?

Objic. 4. omne creatum habet determinatum perfectionis gradum; ergo non poteſt dari cognitio omnium poſſibilium. Prob. conſ. perfectio cognitionis creatæ ſumitur ab objecto; ſed omnia poſſibilia ſunt objectum, non habens menſuram, nec determinationem; ergo nec eorum cognitio. Prob. min. in tota collectione poſſibilium nulla eſt ſpecies, nec individuum, quo non poſſit dari perfectius; ergo nec ulla determinata menſura perfectionis in illa collatione.

Reſp. 1. idem poſse objici de actibus ſuppoſitionis confuſæ; ut ſi dicas, aliquis calamus requiritur ad ſcribendum, illud ſubjectum, ſcilicet calamus, non habet ullam determinationem in rerum natura, & tamen illa propoſitio eſt in ſe cognoſcibilis; ergo & illa prætenſa indeterminatio in collectione omnium poſſibilium.

Reſp. 2. neg. conſ. & diſt. maj. prob. perfectio, & ſpecificatio extrinſeca, conc. intrinſeca, neg. maj. ut di-

ximus in Philoſophia, & quidem id verum eſt de objectis primariis, non autem de ſecundariis, & purè terminativis, qualia ſunt entia creata in propoſito; unde dato, quòd nulla poſſit haberi determinatio ab illa collectione, adhuc viſio beata haberet ſuam determinationem à ſuis principiis, & ab objecto primario, quod eſt eſſentia: 3. negari etiam poteſt min. Nam licèt in particulari nulla detur creatura ultimò, & ſummè perfecta; tamen tota collectio illarum ſimul ſumpta eſt determinata, & hoc ſufficit ad ſpecificationem extrinſecam cognitionis, ſi non in ratione entis abſoluti, ſaltem in ratione objecti ſcibilis, alioqui ens, ut ſic, non eſſet objectum ſcibile, propter eandem rationem.

Objic.5. ſi talis viſio eſſet poſſibilis, conceſſa fuiſſet animæ Chriſti; ſed hoc non poteſt dici; ergo nec illud. Maj. patet ex fundamentis noſtræ concluſionis, & ex Scoto citato. [1] Prob.min.nam hæc propoſitio damnata legitur in directorio Inquiſitorum contra Arnaldum de Villanova docentem, quòd *anima Chriſti omnia videt in verbo, ſeu quæ verbum videt*; ergo &c.

Reſp. conc.maj. & neg.min. & rationem ejus, ſcilicet hoc damnatum eſſe contra Arnaldum; non enim ipſa propoſitio damnata eſt, ſed ratio ejus; nam ille ex medico, & chimiſta Theologaſter, inter alios errores, in quos impegit, notantur hi duo, 1. quòd *anima Chriſti, ex vi unionis cum verbo, evaſit æqualis verbo*; & 2. quòd *quàm citò anima Chriſti fuit unita divinitati, ſtatim ipſa anima ſcivit omnia, quæ Deus ſcit* (nota rationem ejus, in qua eſt 2. error) *quia non fuiſſet cum eo* (verbo) *una perſona*, præcipuè *quia ſcire eſt circumſtantia ad ſuppoſitum individuale, & non ad naturam*. Et hoc eſt falſiſſimum, & ſapit errorem Monothelitarum dicentium, humanitatem aſſumptam æqualem eſſe divinitati; ſed de hoc aliàs.

Inſt. Scotus [2] ipſe non eſt auſus determinatè dicere, quòd anima Chriſti omnia videt in verbo, pluribus viſionibus, vel unica; ſed quaſi dubius, tres vias id ſuſtinendi propoſuit. 1. quòd id fieri potuit pluribus, ſeu infinitis viſionibus à Deo cauſatis, in ejus

[2] P.2.q.11. [2] 3.d.14.q.2.cit.

es intellectu merè paſſivè ſe habente, vel elicitivè. 2. quòd per unicam viſionem habentem tot reſpectus attingentiæ, quot ſunt poſſibilia, & 3. quod videt in verbo infinita illa poſſibilia, non quidem actualiter, ſed habitualiter, ſcilicet habet omnia præſentia; ſed non videt omnia ſimul, & actu, ſed modò unum, modò aliud ordinatè; ergo &c.

Reſp. id verum eſſe; ſed nihil contra concluſionem, quia quocumque horum modorum ſalvetur hæc veritas, ſufficit nobis.

Concl. 4. *De facto viſio beata terminatur, & per eam videntur in Deo* 1. *omnia myſteria fidei, ad quæ fides infuſa extendebatur in hac vita.* 2. *omnia genera, & ſpecies rerum, quæ pertinent ad conſtitutionem univerſi.* 3. *ſinguli Beati vident ea, quæ pertinent ad proprium cujuſque ſtatum.* Eſt communis quoad omnes partes.

Prob. 1. ex Scoto [1] citato in ſuperioribus; docet enim, *Theologiam Beatorum eſſe de omni ſcibili, nec eſſe limitatum, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliqua* & quòd, [2] *viſio objecti ſecundarii non eſt de eſſentia beatitudinis, cùm Deus ipſe pater ſit perfectè beatus, prius origine, quàm generet, & videat Filium,* & quòd *illum non generat ex cognitione creaturarum.*

Prob. 2. per partes, & quoad 1. tùm ex Scriptura, tùm ex PP. nam id Paulus videtur ſignificare dicens: *videmus nunc per ſpeculum, & in ænigmate; tunc autem facie ad faciem*: nam ſi quid ſperare debemus, nos viſuros *facie ad faciem*, erunt maximè illa, quæ captivantes intellectum in obſequium Chriſti, videmus nunc *per ſpeciem*, ſeu per ænigmata fidei. Item Pſal. 47. *ſicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum*. Sic cenſet D. Paulinus Nolanus Epiſ. [3] quia inquit: *hic ſeminamus; & ibi metemus*. Idem docet S. Proſper: *quod hic crediderunt, ibi videbunt, ſui creatoris ſubſtantiam contemplantes*. Et S. Aug. [4] *neque enim fides jam erit, qua credantur, quæ non videntur; ſed ſpecies, qua viden-*

[1] *q.3.Prol.cit.*
[2] *1.d.1.q.2.C.& d.35.H.&c.*
[3] *Ep.ad Sever.de vit.contemp.14.*
[4] *Trin.c.2.29.*

videntur, quæ credebantur, & alibi: [1] *quid videbimus, niſi Deum, & omnia illa, quæ nunc non videmus credentes?*

Prob. 2. quia fidei noſtræ ſuccedet viſio, velut merces ſuccedit operi, ac merito; ergo ſicut credimus nunc articulos, & alia fidei myſteria, hæc eadem ibi videbimus in lumine gloriæ.

Prob. 2. p. 1. ex PP. iiſdem, nam, inquit Aug. [2] *videbit beatus, quomodo mundus erat in Deo, antequam in ſe ipſo eſſet, non mundus, ſed Deus, & quomodo ubique totus ſine loco*, &c. *Tunc erit electis Dei trina viſio, id eſt corporalis, qua corpora cernentur quorumdam, ſplendentia ut ſol... & viſio ſpiritualis.* Et idem docet Origenes citatus; *cùm ad ſuperiora loca pervenerint ſancti, tunc eam rationem aſtrorum per ſingula pervidebunt, ſive animantia ſint, ſive aliquid aliud eſt, comprehendent.*

Prob. 2. ratione S. Tho. *Deſiderium naturale rationalis creaturæ eſt ad ſciendum omnia illa, quæ pertinent ad perfectionem intellectus, & hæc ſunt genera, & ſpecies rerum, & rationes earum, quæ in Deo videbit quilibet videns eſſentiam divinam; cognoſcere autem alia ſingularia, & cogitata, & facta eorum, non eſt de perfectione intellectus creati, nec ad hoc ejus deſiderium naturale tendit*; ergo viſio terminabitur ad genera, & ſpecies rerum, quæ faciunt ad compoſitionem univerſi, quia ſatiabitur naturale deſiderium intellectus.

Confir. ex præcedenti; nam viſio ſuccedet fidei; ſed per fidem hic credimus hunc mundum in toto; & in ſingulis partibus ſuis fuiſſe conditum à Deo, ſicut narratur in Scriptura Sacra; ergo eadem videntur in Deo; alioqui non viderentur omnia, quæ credita ſunt.

Prob. 3. p. 1. ex Concil. Senonenſi; [3] nam in decretis fidei dicit: *Beatis pervium eſſe omniforme illud divinitatis ſpeculum, in quo quidquid eorum interſit, illuceſcat*; ergo vident in Deo, quæ ad illorum ſtatum pertinent: nam hoc eorum intereſt, & ita communiter docent Theologi, [4] ideò ora-

[1] *de Civit. 21.*
[2] *tripl. habit. c. 6.*
[3] *Decr. 13.* [4] *Præfat.*

oramus in miſſa, ut Deus *gregem ſuum per beatos Apoſtolos ſuos continua protectione cuſtodiat, ut iiſdem rectoribus gubernetur quos operis ſui Vicarios eidem conſtituit præeſſe Paſtores*; quod non poſſet fieri, niſi Apoſtoli viderent in Deo revelante, quid geritur in Eccleſia, quam fundarunt, prædicationis verbo, & ſanguinis effuſione. Eadem eſt ratio de fundatoribus religionum, & regnorum; & generaliter de aliis, reſpectivè ad familias, & eos, qui ſub eorum ſpeciali protectione vivunt.

Prob. 2. nam hoc ad eorum accidentale beatitudinis augmentum facit, ut videant, quæ circa eorum familias, ordines, ſtatus, & regna geruntur; ſicut & Angeli, quæ circa eos, quorum cuſtodiæ præpoſiti ſunt. Et hoc etiam patet per veritatem ſequentem de cognitione orationum noſtrarum.

Objicies contra 1. p. ſi viderentur, quæ credita ſunt, & viſio proportionaretur fidei, infantes mortui poſt baptiſmum non viderent myſteria Trinitatis & Incarnationis; & rudes adulti non viderent diſtinctè perſonarum proceſſionem divinarum, quia illi nullum actum fidei fecerunt, & iſti hæc non crediderunt explicitè; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Min. prob. quia non eſſent perfectè beati ſine viſione Trinitatis, & perſonarum.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. Infantes non crediderunt hæc myſteria per ſe, nec rudiores explicitè, ſicut doctiores, conc. Infantes per alios, & implicitè non crediderunt, neg. maj. Rudiores credunt implicitè, quod credit Eccleſia: [1] Infantes verò per alios credunt, ſicut *ex aliis ea, quæ in baptiſmo eis remittuntur, peccata contraxerunt*, inquit Gloſſa, & habetur Cap. *parvuli*; & Cap. *in Eccleſia*; & Cap. *Mater Eccleſia*; &c. Certum tamen eſt, quòd ſicut non habent æquale meritum, ita nec æqualem viſionem, & gloriam.

Concl. 5. *Sancti vident etiam orationes fidelium, quæ diriguntur ad eos*. Hæc certa eſt, & de fide contra Hæreticos, Vigilantium, Henricanos, ſeu Petrobuſianos, Vvaldenſes, Vvicleffum, Huſſitas Lutheranos, & Calviniſtas, qui negant, Sanctos eſſe

[1] *De conſecr. diſt. 4.*

eſſe orandos, quaſi non poſſint videre orationes noſtras.

Prob. 1. ex Script. qua conſtat, Deum aliquando flecti, aut reſiſtere precibus Sanctorum; ut cum minaciter dicit Jeremiæ: *ſi ſteterit Moyſes, & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum*. Et Stephanus videt *Jeſum ſtantem à dextris Dei*, quia *ſtare eſt adjuvantis in prælio*; inquit Auguſt. Et Judas Machabæus videt Oniam Sacerdotem, & Jeremiam mortuos, & orantes pro populo. Et Joannes [1] videt *Seniores ante Thronum, qui ceciderunt coram Agno, habentes ſinguli citharas, & phialas, plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum*, & Martyres, ſeu animas *interfectorum, clamantes pro vindicta ſanguinis*. Et idem patet ex aliis locis Script. ut Job 12. Danielis 1. Pſal.9. Apocal. 8. Matth. 18. &c.

Prob. 2. ex Scoto: [2] *congruum eſt, beatum eſſe coadjutorem Dei in procurando ſalutem electi, eo modo, quo hic poteſt ſibi competere; & ad iſtud requiritur, ſibi revelari orationes noſtras ſpecialiter, quæ ſibi offeruntur, quia illæ ſpecialiter innituntur meritis ejus, tanquam mediatoris perducentis ad ſalutem, quæ petitur: ideo probabile eſt, quòd Deus revelat de orationibus ſibi, vel Deo in nomine ejus oblatis*. Ubi nota, quòd ly *probabile*, non cadit ſuper propoſitionem univerſalem de viſione orationum in Sanctis, ſed ſuper modum, quo eas vident, ſcilicet per revelationem à Deo in tempore, quo oramus, & recurrimus ad illorum patrocinium; nam de hoc modo eſt controverſia inter Theologos, an ſcilicet Beati videant illas orationes ex vi viſionis beatificæ, quæ eſt communis omnibus, & terminatur ad eſſentiam, & hoc Scotus negat dicens, quòd *non eſt neceſſe ex ratione beatitudinis, quòd beatus videat orationes noſtras neque regulariter, neque univerſaliter in verbo, &c.* igitur tradit modum, qui ſibi videtur probabilis; nempe revelationem ſpecialem, quod valde notandum eſt in Scoto, ne videatur in veritate adeo certa dubius.

Prob.

[1] *Apoc.* 5.
[2] *4.d.45.q.4.D.& H.n.4.& 8.*

Prob. 3. ex PP. & Conciliis, & praxi univerſalis Eccleſiæ inſtituentis Litanias, & preces ad invocationem Sanctorum, quæ omnia, ut jam dictum eſt ſupra, eſſent omninò fruſtra, niſi per eas inducerentur Sancti ad intercedendum apud Deum pro orantibus, & ad hoc per illas preces non poſſent induci, niſi eas audirent, & viderent; unde dicebat S. Amb. [1] *non clauditur locis, quod diffunditur meritis: invocaſti ubique martyrem; ubique exaudit ille, qui honoratur in martyre; moderante itaque eo, qui diſpenſat vota tua, & diſpenſat munera ſua, in tantum vicina præſentia efficacis præbebitur advocati, in quantum fuerit fides devota ſuſcepti.* Et alibi: *poſſunt pro peccatis orare noſtris, qui proprio ſanguine, ſi quæ habuerunt, peccata laverunt.* Et in oratione 2. præpar. ad miſſam dicit: *Apoſtolorum interceſſionem imploro: talium, Domine Deus, preces nunquam ſpernis, ſi, ut pro me exorent, ipſe inſpiraveris.*

Objic. 1. ex Script. [2] *Abraham neſcivit vos;* inquit Iſaias, & *Iſrael ignoravit nos,* id eſt, inquit, Aug. in gloſſa interl. *mortui neſciunt etiam Sancti, quod agant vivi, etiam eorum filii;* ergo Sancti non vident orationes noſtras.

Reſp. ex Scoto cit. neg. conſ. nam Abraham, & Jacob, tempore Iſaiæ, erant in Lymbo, non autem in Cœlo; ideo non mirum, quòd non viderent in Deo, quid ageretur in terris, & in eadem ſuppoſitione loquitur Aug. & gloſſa ex illo petita; ſed alibi clarè docet contrarium, nempe beatos videre neceſſitates noſtras, & orare pro nobis.

Inſt. ſaltem non vident, quando oramus tantùm mentaliter; quia, per nos, non vident ſecreta cordium; ergo &c.

Reſp. neg. ant. nam ſicut Deus eis revelat orationes vocales, ita & mentales, nec unum ei eſt difficilius altero.

Objic. 2. Sancti vident, Deum vel exauditurum preces viatorum, & eos ſalvandos, vel non exauditurum; ſed in neutro caſu debent videre preces noſtras, ut orent; ergo non debent videre. Prob. min. nam in utroque caſu fruſtra orarent; ergo &c. prob. ant. ſi vident exauditurum, fruſtra ipſi intercedunt; ſi vi-

[1] *Ser.* 93. [2] *Iſa.* 63.

ſi vident non exauditurum, diſplicerent illi orantes pro re, quam non vult facere; ergo &c.

Reſp. quidquid ſit de majori, neg.min.1. argum. & ant.2. & conſ.[3]. nam 1. poſſet Deus illis revelare noſtras orationes, ſine ſuo decreto, de exaudiendo, vel non, & ſic orando pro nobis ſatisfacerent impulſui ſuæ charitatis eximiæ, & conſummatæ, non quidem ad novum meritum, ſed ad ſatisfactionem Dei, & propriam, 2. poſſet Deus revelare, ſe velle exaudire per eorum merita, & interceſſiones, tanquam per media, per quæ decrevit nos adjuvare, & miſereri, & idem dicendum abſolutè, dum nos oramus: nam idem currit in hoc, argumentum, & ſi valeret, non deberemus quidquam petere à Deo, nec orare.

Inſt. Si beatus neſciat ſe exaudiendum, manet anxius, ſed anxietas opponitur beatitudini; ergo & illa ignorantia.

Reſp. neg.maj. quia beatus eſt abſolutè conformis voluntati divinæ, & ſic tam gaudet de his, quæ non revelantur ei, quàm de his, quæ revelabuntur, & ita eſt, ſive exaudiat illum, ſive non.

Concl. ſexta. *Viſio beata terminatur etiam ad pœnas damnatorum directè, vel indirectè*: eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ſic arguit: *pœna damnatorum eſt multiplex; 1. quædam pœna damni, carentia ſcilicet viſionis divinæ; 2. eſt triſtitia de ipſa pœna. 3. Triſtitia de culpa, non ut eſt offenſa Dei, ſed ut eſt cauſa pœnæ. 4. eſt triſtitia de igne continente perpetuo. 5. de igne immutante, & retinente intellectum damnatorum in perpetua conſideratione ſua. 1. eſt purè privativa; & ſic dico, quòd non vident eam beati in eſſentia divina, quia nec habet ideam in Deo, nec imitatur ideam, quia nec in ſe, nec in aliquo gradu entis ſunt, & ita non eſt ratio cognoſcendi illam in Deo ſecundum ſpeciem, ſed ſecundum ſimilitudinem per alind; ſed de triſtitiis aliis dico, quòd illæ cognoſcuntur ſecundum ſpeciem, quia verè ſunt entia poſitiva, quæ habent ideam propriam in Deo.* Habes explicationem, & probationem concluſionis ſolidam.

Prob.

[1] 4.*d.* 50.*q.*4.*B.n.*3.

Prob. 2. ex Script. & PP. [1] *Egredientur, & videbunt cadavera mortuorum*, *egredientur electi non loco, ſed intelligentia, vel viſione manifeſta, ut ad laudem Dei magis excitentur*, inquit Gloſſa, *qui prævaricati ſunt in me; vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur*. Et id patet ex Euangelio, [2] de Abraham, & divite, ex quo D. Greg. [3] infert, beatos videre pœnas damnatorum. Idem docet Beda in c. 16. Luc. quia, inquit, magis gaudebunt videntes mala, quæ evaſerunt. Et idem docet Magiſter; [4] *nam*, inquit, *gratias agens maximas Deo, qui ex tantis miſeriis eos liberavit*. Et Aug. [5] *tum abdita tenebrarum, & ipſius inferni, videndo Deum, videbimus*.

Prob. 2. p. nam pœnæ poſitivæ, ut ſunt triſtitiæ illæ à Scoto enumeratæ, ſunt pœnæ, & entia poſitiva, & poſſunt videri directè in Deo, in quo habent ideas proprias; ideo Abraham dicebat diviti, *tu verò cruciaris*; ſed pœna privativa, ut pœna damni, pura eſt privatio, ſeu non ens, & ſic non poteſt videri in ſe ipſa; cum nihil ſit in ſe, & ſic videtur tantùm indirectè per ordinem ad poſitivum oppoſitum; ſicut privatio cognoſcitur per habitum, ex Philoſopho.

Objic. 1. Si beati viderent illas pœnas, aut gauderent, aut dolerent de ipſis; ſed neutrum dici poteſt; ergo non vident. Prob. min. ſi gauderent, eſſent crudeles; ſi dolerent, non eſſent beati, quia dolentes, & triſtes, nec eſſent perfectè conformes divinæ voluntati, & juſtitiæ; ergo neutrum dici poteſt.

Reſp. neg. min. & 1. p. prob. nam de illis gauderent non ex vitio, ſed ex virtute. 1. quia per gratiam Dei illas evaſerunt, & *erunt ad ſatietatem viſionis omni carni*, inquit Propheta. [6] 2. quia Dei juſtitiæ congaudebunt vindici; [7] *lætabitur juſtus, cùm viderit vindictam*. 3. ex conformitate cum Dei voluntate.

Objic. 2. pœnæ in Deo non habent ideam, tum quia ſunt quædam mala, tum quia ſunt privationes; ergo non poſſunt videri in Deo, in quo nulla umbra mali.

Reſp.

[1] *Iſa* 66. [2] *Luc.* 16.
[3] 4. *dial.* 33. [4] 4. *d.* 50.
[5] *Tripl. habit.* [6] *Iſa.* [7] *Pſ.* 57.

Reſp.diſt.ant.pœnæ purè privativæ, ut pœna damni, conc. pœnæ poſitivæ, ut pœna ſenſus, neg. ant. & conſ. Iſtæ ſunt entia Phyſica, & ut talia ſunt à Deo, & habent ideas, & repræſentantur in Deo; privationes verò non repræſentantur, niſi indirectè per oppoſita poſitiva.

Concl. ſeptima. *Res omnes prædictæ, & creatæ ſunt de objecto ſecundario viſionis, & ideo non ſunt de ratione eſſentiali ejus: ſed hæc videntur ex ſpeciali Dei beneficio, & revelatione.* Eſt communis, & ſequitur ex dictis.

Prob.1. ex Scoto [1] jam pluries citato; nam *Theologia beatorum, quæ eſt viſio beata, de facto non habet limitationem, niſi ex voluntate Dei oſtendentis aliquid in eſſentia ſua, & ideò actualiter Theologia eorum eſt de tot, quot voluntarie Deus oſtendit eis in eſſentia ſua*: & quod [2] *viſionem beatã terminare poteſt eſſentia, & non perſona, vel una perſona, & non alia, &c.* ergo à fortiori terminari poteſt ad eſſentiam ſine ulla creatura; & ibi docet, quòd ſola eſſentia eſt objectum primarium; & quod Deus Pater in illo priori originis, quo videt eſſentiam ſuam, non viſis adhuc perſonis, vel creaturis, *habet objectum perfectè beatificans, & perſonæ habent rationem objecti, quaſi ſecundarii.*

Prob. 2. quoad 1. p. 1. ex Script. à nobis cit. cum probatum eſt, Deum in ſe eſſe objectum primarium viſionis beatæ; ut, *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Et *hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, &c.* ergo ad beatitudinem, ſeu ad vitam æternam non requiritur viſio ullius creaturæ.

Prob.2. ex PP. *Infelix homo, qui ſcit alia omnia, te autem neſcit. Beatus autem, qui te ſcit, etiam ſi illa neſciat,* qu'a autem & illa *novit, non propterea beatior, ſed propter te ſolum eſt beatus*: ait Auguſt.

Prob. 3. quia, ut dicebamus ex Scoto, Deus in illo priori originis, quo videt eſſentiam ſuam ſine perſonis, & creaturis, eſt perfectè beatus; ergo à fortiori creatura, licèt nullam creaturam videret, & nihil præter ipſum, eſſet beata.

Prob.

[1] *qu.3.prol.cit.*
[2] *5.confeſſ.c.4.*

Prob.2.p. ex textibus citatis Scoti, [1] & ex ſæpius adductis ex PP. qui docent, Deum eſſe ſpeculum voluntarium ad extra, in quo per conſequens videntur, quæ vult, & quomodo vult: *ultra non erit aliquis imperitus in regno Dei, non indocilis permanebit, nullus erit à rerum ſcientia peregrinus; omnes efficiemur, ſi tamen merebimur, filii ſapientiæ*, inquit Origenes.

Prob. 3. quia Deus ad extra non agit, niſi liberè, & contingenter; ergo ſicut ſe ipſum liberè permittit videndum, ita à fortiori ea, quæ non ſunt de eſſentia beatæ viſionis. Hæc de viſione Dei, & de inviſibilitate ſatis.

DISPUTATIO VII.

De Attributis poſitivis; & 1. de Unitate, Veritate, & Bonitate Dei.

HUcuſque ſtuduimus removere à Deo imperfectiones omnes ab eſſentia Dei noſtri, & verſati ſumus circa modos intrinſecos ejus, ſeu attributa, quæ dicuntur negativa; quia concipiuntur ſub negationibus quibuſdam imperfectionum: jam aſcendimus ad poſitiva, quibus ſignificantur perfectiones formales, & poſitivæ, & primò occurrunt *unitas, veritas*, & *bonitas*, quæ ſunt velut tranſcendentales, & communes omni enti.

QUÆSTIO I.

De Bonitate Dei, an, & quid ſit.

JAm probatum eſt, Deum eſſe unum unitate oppoſita pluralitati, & unitate oppoſita compoſitioni per ſimplicitatem; hìc reſtat agendum de unitate oppoſita diviſibilitati, ſeu de Unitate quadam Metaphyſica, & quaſi tranſcendentali, & ſingularitatis, ſeu indiviſibilitatis; pro quo vide quæ diximus in Metaphyſ. de unitate entis, & de indiviſibilitate in Logica.

[1] *Hom.5.in Pſ.36.*

Unitas *tranſcendentalis* eſt ea entis paſſio, & proprietas, qua illud eſt indiviſum in ſe, & diviſum à quolibet alio, & convenit omni enti, ut ens eſt. *Formalis* eſt ſimiliter indiviſio naturæ in ſuis inferioribus; quatenus conſervat in eis aliquam unitatem, formitatem cum ſui reali multiplicatione; quo pacto humanitas dicitur una in Petro, & Paulo, & iſta convenit omni naturæ univerſali: unitas *individualis* eſt indiviſio rei in ſe, & indiviſibilitas, ſeu immultiplicabilitas in plura inferiora, quorum quodlibet ſit ipſum, & hæc eſt unitas abſolutiſſima. Igitur unitas in ſuo conceptu generali importat negationem multiplicitatis, ſeu diviſionis rei in ſe, & diviſionem à quolibet alio, quod non eſt ipſa.

Concl. 1. *Deus eſt ſummè unus, hac triplici unitate, ſcilicet unitate entis, unitate formali naturæ, & unitate ſingularitatis.* Eſt communis, & de fide.

Prob. ex Scoto. [1] *Natura divina unica eſt omninò impluriſicabilis, & innumerabilis; ergo adæquatè correſpondet unum ſingulare, quod exprimitur nomine Dei, quod quidem eſt ad ſe ens, & per ſe, nullo modo pluriſicabile, vel numerabile, licèt communicabile ſit in ſuppoſitis pluribus, &c.* Et alibi dicit, [2] quòd *in Deo eſt vera unitas ex natura rei, & ſufficiens diſtinctio extremorum.* Et quòd *patris ad filium eſt perfecta identitas, quantum ad fundamentum, quia patris ad filium eſt perfecta unitas, & perfecta realiter identitas.*

Prob. 2. quia Deus eſt ſummum ens; ergo & ſummè unus unitate entis. Prob. conſ. nam unitas eſt proprietas neceſſaria entis; ergo quale eſt ens, talis eſt ejus unitas. *Nihil eſt eſſe, quàm unum eſſe,* inquit Aug. [3] *itaque in quantum quodque unitatem adipiſcitur, in tantum eſt, &c.*

Prob. de unitate formali, & ſingulari; nam, ut probatum eſt de Dei unitate, prorſus illi repugnat omnis diviſio in plura ſpecie, vel numero diſtincta; ergo natura ejus eſt ſummè una formaliter. Uno verbo eſt ſummè ſingularis in natura; ergo & ſummè unus tam formaliter, quàm individualiter.

Prob. 3. ex ſumma ſimplicitate, & infinitate; nam hinc ſequitur ſumma indiviſibilitas, excludens multitu-

[1] *1.d.4.q.2.E.n.6.* [1] *d.31.E.n.6.*
[3] *De mor. Manich.*

titudinem partium: inquit S. Dionyſius: [1] *Divinitatem illam omnium principem ſacra prædicatione celebrari ſic cernimus, tanquam & monadem, & unitatem propter ſimplicitatem, ac ſingularitatem excellentis indiviſibilitatis, & Trinitatem ob expreſſionem ſubſtantialis fœcunditatis*, &c. ergo non ſolum eſt ſummè unus, ſed eſt ipſamet realiter unitas; [2] *quæ unitatem omnem facit unam*, & ut loquitur S. Maximus: [3] *Deus monas eſt, et unitas triſubſiſtens*.

Objic. omne ſingulare ex natura eſt etiam naturâ incommunicabile; ſed Deus non eſt incommunicabilis in natura ſua; ergo nec ſingularis. Prob. min. Dei natura communicatur tribus perſonis realiter inter ſe diſtinctis, ergo &c.

Reſp. diſt. maj. eſt incommunicabile cum ſui diviſione, & multiplicatione reali, conc. maj. & neg. min. ſine ſui multiplicatione, & diviſione reali, & maximè ſi ſit infinitum, neg. maj. Natura divina eſt individuum infinitum, & communicatur tribus perſonis, ſalva indiviſione, & identitate ſua perfectiſſima, ut diximus aliàs, & iterum dicemus de Trinitate.

Objic. 2. ſumma unitas excludit omnem pluralitatem; ſed Dei unitas non excludit omnem pluralitatem; ergo non eſt ſumma. Prob. min. non excludit pluralitatem perſonarum; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. omnem pluralitatem eſſentiæ, & in ratione entis abſolutè, & quoad excluſionem diviſionis, conc. maj. & neg. min. pluralitatem formalitatum indiviſarum, neg. maj. & conſ. Nam illa pluralitas ſtat cum ſumma indiviſione; non eſt pluralitas entium, nec naturarum, ſed perſonarum realiſſimè identificatarum cum eſſentia, & indiviſarum.

Inſt. quò magis res eſt in ſe ſimplex, eò magis eſt una; ſed, ex Scoto, Deus eſt minùs ſimplex; ergo eſt minùs unus. Prob. min. ubi major eſt pluralitas, & diſtinctio, ibi minor eſt ſimplicitas; ſed in Deo eſt major pluralitas, & diſtinctio, ſecundum Scotum, quàm

[1] *de Div. num. c. 1.*
[2] *ibid.*
[3] *in Scholiis ibid.*

quam ſecundum alios, ſcilicet diſtinctio ex natura rei; ergo & major pluralitas, & diſtinctio.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. probationis; ubi eſt major pluralitas rerum ex actu, & potentia: conc. maj. & neg. min. formalitatum, ſeu perfectionum, realiter identificatarum ſine ulla potentialitate: neg. maj. Nam, ut diximus de diſtinctione attributorum, talis pluralitas non officit ſummæ ſimplicitati.

Concl. 2. *unitas in Deo eſt perfectio poſitiva, formaliter diſtincta ab eſſentia; ratione cujus huic convenit negatio diviſionis in ſe, & unionis cum ulla re alia à ſe.*

Prob. ex Scoto, [1] quia cùm inter perſonas divinas detur æqualitatis relatio, quæ, ut ſæpè diximus in Philoſophia, fundatur in unitate quantitatis, ſeu magnitudinis in perfectione, niſi unitas illa eſſet realis, & quid poſitivum, æqualitas illa non eſſet relatio realis, ſed puræ rationis. Et alibi ſic loquitur de eadem æqualitate: *Viſo de magnitudine* (virtutis) *videndum eſt, quæ eſt unitas, quæ, ut priùs dictum eſt, videtur requiri in fundamento æqualitatis; & ſciendum eſt, quod ſi unitas magnitudinis alicubi ſit realis, & realiter, hic eſt veriſſimè realis, quia hæc unitas eſt numeralis, ſive ſingularis magnitudinis in duobus. In aliis* (ſc. in creatis) *non eſt* numeralis, *ſed* formalis *univerſalis*. Et probat ex Damaſceno dicente, quòd in creatis *hypoſtaſibus communicatio eſt rationis*; ergo ex Scoto, & PP. unitas in Deo eſt perfectio realis, & per conſequens poſitiva importans tales negationes.

Prob. 2. ex eodem; quia unitas ſingularitatis, ut dictum eſt in Philoſophia, non poteſt conſiſtere in pura negatione; ſed unitas Dei eſt ſingularis, & individualis; ergo non poteſt conſiſtere in negatione, ſed in perfectione poſitiva, min. eſt certa; nam verè repugnat Dei eſſentiam multiplicari, ſeu dividi in plura, quorum quodlibet ſit ipſe Deus: ut patet in humanitate, quæ dividitur in Petrum, & Paulum, quorum quilibet eſt homo, prob. maj. *nihil ſimpliciter repugnat alicui enti per ſolam privationem in eo, ſed per aliquid poſitivum in*

[1] 1. *d.* 31. *B. n.* 3. *& quodlib.* 6. *D. n.* 12.

eo; inquit Doctor [1] ſed per unitatem ſingularitatis repugnat Deo, dividi in plura, quorum quodlibet ſit ipſe: alioqui eſſent plures dii, ergo,&c. Aliter etiam prob. illa eadem maj. ex ſimili principio: omnis negatio inſeparabilis à re fundatur in aliquo poſitivo, ut dictum eſt in Philoſophia, ubi poteris videre alias probationes de principio individuationis, & de unitate.

Prob. 1.p. de diſtinctione formali. Nam natura Dei ſecundum ſe formaliter, & præciſè eſt tantùm natura, ſeu deitas, & in ſuo conceptu formali non dicit neque diviſibilitatem, nec indiviſibilitatem; ſicut humanitas formaliter, & in ſuo conceptu formali præciſè eſt tantùm Humanitas, & equinitas eſt equinitas, inquit Philoſophus, ergo unitas eſt quid diſtinctum formaliter ex natura rei ab eſſentia; quia eſt ſeorſim conceptibilis, uno verbo eſt eadem ratio de hoc attributo, & de aliis.

Quod autem importet duplicem illam negationem, ſc. diviſionis in ſe, & identitatis cum alio ente, ſeu natura, non eſt difficultas particularis in Deo potiùs, quàm in creatis.

Objic. 1. contra 1.p. Si unitas Dei diceret quid poſitivum præter eſſentiam, vel illud eſſet Deus, vel Deitas, vel quid aliud à Deo, vel Deitate, ſi 1. ergo eſt formaliter ipſa eſſentia; ſi 2. ergo daretur proceſſus in infinitum. Prob. hæc conſeq. nam iſtud eſſet etiam unum, ergo per aliam unitatem diſtinctam; & idem de iſta per 3. & de 3. per 4. & ſic in infinitum.

Reſp. ad 1. quòd illud poſitivum eſſet Deus, & deitas realiter, & identicè, non verò formaliter, & neg. ſeq. probationis; nam illa formalitas unitatis nec eſſet una, nec plures; ſed eſſet ipſa unitas formalis.

Inſt. Eſſet ens, vel nihil: ſi ens, ergo & unum; ergo & habens unitatem.

Reſp. neg. ant. nec ſic eſt quid entis, eſt id, quo ens dicitur unum formaliter, *& ut quo*; ſicut albedo non dicitur alba, ſed id, quo aliquid dicitur album.

Objic. 2. Omne ens ſufficienter concipitur unum, per duplicem negationem illam, & ſine ullo poſitivo; ergo fruſtra eſt, & non admittendum illud poſitivum; non enim ſunt multiplicanda entia,

[1] 2. *d.* 3. *q.* 2. *A. n.* 2.

tia, nec formalitates ſine neceſſitate.

Reſp. diſt. ant. ſecundum imperfectum noſtrum modum concipiendi conc. perfectè, & in rigore Philoſophico neg. ant. Nam ex modo noſtro imperfecto concipiendi, multa explicamus per negationes, quæ conſiſtunt in poſitivo; ut cum differentiam diviſivam animalis, & conſtitutivam bruti explicamus per *irrationale*, ſeu per negationem rationalitatis.

Objic.1. contra 2.p. Deus eſſentialiter eſt unus; ergo per unitatem formaliter indiſtinctam ab eſſentia. Prob. ant. Eſſentialiter eſt ſingularis; ergo & unus.

Reſp.neg. ant. & conſ. prob. Nam unitas ſupponit quodlibet, & naturam eſſentialiter conſtitutam, & ex ea ſic conſtituta manat unitas, etiam in Deo. Non ſic eſt in illo de ſingularitate, quæ cum imbibatur in conceptu infinitatis, ita & in conceptu Deitatis; & ſic in Deo præcedit prioritate rationis unitatem.

Quæres. *An illa unitas dici poſſit numerica, & Deus unus numero, & an ſit numerus in Deo.*

Reſp.1.Si per unitatem numericam, & unum numero nihil aliud intelligitur, quàm unitas ſingularitatis, ſeu individualis, utrumque poteſt dici; nam ut vidimus, Deus eſt verè ſingularis, & individuus.

Reſp. 2. Si verò per unum numero intelligas aliquid collectum ex pluribus; Deus non poteſt dici unum, vel unus numero, quia id repugnat ſummæ ejus ſimplicitati, ut notat S.Baſilius[1] *nam quicquid unum numero dicitur, hoc non unum eſt revera, neque natura ſimplex, Deus autem, omnium confeſſione, ſimplex eſt; non eſt igitur unus numero Deus.*

Reſp.3. Neceſſe propriè numerum in Deo, quamvis ibi ſint realiter tres perſonæ.

Ratio eſt, quia ad numerum propriè requiritur 1. ut conſtet pluribus unitatibus, quæ ſint velut principia, & partes numeri, & ſe habeant ſub hoc reſpectu, ut potentia, & actus in ordine ad totum numerum. 2. quòd numerata non ſe includant, ſed ab invicem diſtinguantur, & 3. quòd ratio, ſecundum quam faciunt numerum, ſit eis communis,

[1] *Ep.143.*

ſecundum aliquem ordinem prioritatis, ut humanitas eſt communis tribus hominibus; & profeſſio tribus religioſis, &c. non enim dicitur Petrus, bos, & aſinus ſunt tres, ita ut Petrus, vel bos ſit primus, Aſinus ſecundus: ſed iſta non reperiuntur in Deo; nam inter perſonas divinas inter ſe, vel cum eſſentia, nulla partialitas eſt, vel potentialitas, nullus ordo verus primi, & ſecundi; ibi *nec priùs, nec poſteriùs; ſed totæ tres perſonæ coæternæ*, unde Aug. [1] *ibi aliquid ineffabile, quod verbis explicari non poſſit, ut & ſit numerus, & numerus non ſit ... ſi quæris quid tres, non eſt numerus.* Et Ber. [2] ... *quid ſibi vult iſte (ut ſic loquar) abſque numero numerus? ſi tria, quomodo non numerus? ſi unum ubi numerus? &c.* eſt ergo numerus ſecundum quid, ſcilicet perſonarum; & unitas Deitas, ſive, unus Deus; ſcil. abſque graduum ordine, & potentialitate, & partialitate.

QUÆSTIO II.

De Veritate Dei.

Veritas triplex dicitur 1. *in ſignificando*; & eſt veritas *ſigni*; 2. in *cognoſcendo*, & eſt veritas *cognitionis*; & 3. in *eſſendo*, & eſt veritas *entis*, ſeu *rei*. De 1. veritate Dei, ſcilicet in *ſignificando*, ſeu *dicendo*; videbimus in tract. de fide: de 2. in diſp. de ſcientia Dei: & de 3. hìc quærimus an, & quid ſit. vide autem, quæ diximus in Metaph. de veritate entis. Rurſus *veritas* comparatur 1. ad ſubjectum, ſeu intellectum, in quo eſt, & dicitur veritas *formalis*. 2. ad cauſam, ſeu ad rem ipſam, quæ eſt cauſa ejus, quatenus facit, ut intellectus ſibi conformetur; & 3. ad ſignum, per quod ſignificatur; ut eſt oratio, ſeu verba Scripta, aut vocalia.

Concl. *Deus eſt prima, & ſumma veritas; & hæc conſiſtit in illa perfectione poſitiva, ſecundum quam eſt intelligibilis conceptu, qui ei conveniat, & eum diſtinguat ab omni eo, quod non eſt Deus*: & *maximè in ordine ad ſuum intellectum*. Eſt de fide quoad 1. partem: quoad reliqua, ſequitur ex dictis de veritate in Metaph.

Prob.

[1] *Tr. 39. in Jo.* [2] *5. conſid. 7.*

Prob. 1. par. ex principiis fidei; ex Symbolo Niceno, ubi verbum dicitur *Deus verus de Deo vero*: & ex Script. [1] *veritas tua in circuitu tuo*: *confitebuntur cœli mirabilia tua, & veritatem tuam*; Et totus quaſi veſtitus, & circumdatus veritate, ſic dicit de ſeipſo, [2] *ego ſum, qui ſum: Et hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te, Deum verum*, ſcilicet per eſſentiam eſt; & quale eſt eſſe, talis eſt veritas, verus eſt in verbis ſuis, *ſermo tuus veritas eſt*: veritas in cognoſcendo: *Deus ſcientiarum Dominus eſt*: denique *Deus totus eſt veritas*; inquit Auguſt. [3]

Prob. 2. ex Scoto, [4] & Phil. quia veritas ſequitur eſſe; ſed Deus eſt primum, & ſummum ens; ergo & prima, & ſumma veritas, prob. maj. *unumquodque eodem modo, quo habet eſſe, habet etiam veritatem, ut ea, quorum eſſe eſt ſempiternum, ſit etiam veritas ſempiterna*: Et, *ſicut res habet eſſe, ſic etiam apta nata eſt, verè cognoſci, ut ſic ſemper oriatur ab ipſo eſſe conformitas veritatis ſive in re, ſive in intellectu*, &c. ergo quale eſt eſſe Dei, talis eſt ejus veritas; ſcilicet prima, & ſumma.

Prob. 2. par. ex dictis ibid. ubi ſic deſcripſimus veritatem in eſſendo: & confirm. nam per hoc Deus dici debet verus, per quod diſtinguitur à falſis diis; ſed per hoc diſtinguitur à falſis diis, quòd de ſe eſt ſui manifeſtativus, & intelligibilis per conceptum, qui ei conveniat in ratione Dei; ergo in hoc conſiſtit ejus veritas: unde Apoſt. dicebat, *converſi eſtis à ſimulachris, ſervire Deo vivo, & vero*. Et Scotus dicit, veritatem dici comparativè ad intellectum, *quia ſui eſt manifeſtativa, quantum eſt de ſe, cuicumque intellectui*, potenti manifeſtationem cognoſcere. Ideo de veritate Dei dixi, *maximè quoad intellectum ipſius Dei* quia ſolus ille eſt potens, manifeſtationem illam ſuæ eſſentiæ cognoſcere perfectè: uno verbo; non poteſt meliùs explicari, in quo conſiſtat illa Dei veritas, quàm per illam perfectionem; nam ſicut aurichalcum non dicitur verum aurum, quia aliter apparet, quàm eſt; habet apparentiam auri, & ſic manifeſtat, & oſtendit aurum, quod non eſt; & idem eſt

[1] *Pſ.* 83. [2] *Job.* 17. [3] *Ser. in decal.*
[4] 2. *Metaph. n.* 8.

de falſis diis; ita Deus noſter eſt verus Deus in eſſendo, quia ſe oſtendit talem, qualis eſt; eſtque conceptibilis conceptu Dei, qui ei convenit; non autem dii gentium, qui vocantur, & concipi volunt ut dii, & ſunt dæmonia.

Dixi, inquam, *maximè in ordine ad ſuum intellectum*, quia non eſt per ſuam eſſentiam, & neceſſariò, aut naturaliter ſui manifeſtativus, niſi ſuo proprio intellectui, nec poteſt dicere ullam relationem realem ad extra; ideò vidimus ſupra, quòd ſe liberè, & per voluntatem manifeſtat creaturis.

Quoad diſtinctionem veritatis ab eſſentia, idem eſt ac de unitate, & aliis attributis.

QUÆSTIO III.

De bonitate Dei.

Nulla eſt perfectio Dei ſæpiùs decantata in Scriptura, & Patribus, quàm bonitas; ſed non ſemper in eo ſenſu, quo de illa hìc agimus. Nam bonitas, alia eſt *naturalis*, & *metaphyſica*, alia *moralis*. Prima idem eſt, ac perfectio rei ſecundum totam eſſentiam, & partes, & proprietates ſibi convenientes. *Moralis* eſt convenientia actus cum recta ratione, ſeu cum regula morum. Rurſus, *naturalis* alia eſt *abſoluta*, qua res eſt in ſe perfecta; alia *relativa*, qua res dicitur alteri conveniens, vel utilis; hæc autem ſine illa non datur. Scotus aliam tradit bonitatem, quam vocat *charitativam*, ſeu *gratuitam*, & *ſupernaturalem*, quæ comitatur bonitatem *moralem* in actu, prout fit ſecundum finem, & inclinationem charitatis, & gratiæ ſanctificantis; & aliam, quam vocat *beatificantem*, quæ conſiſtit in aſſecutione ultimi finis, ſeu beatitudinis. Agimus de ſola bonitate naturali, & metaphyſica Dei.

Concl. I. *In Deo eſt ſumma bonitas, quæ primariò, & radicaliter conſiſtit in perfectione abſoluta ſuæ eſſentiæ; & formaliter in ſumma ejus convenientia, & amabilitate reſpectu omnis appetitus, & maximè voluntatis ſuæ propriæ*. Sequitur ex dictis de bonitate tranſcendentali in Metaphyſica.

Prob. 1. ex Scoto [1] aſſignante *tres rationes ſummæ*

[1] *de 1. princ. c. 3. n. 12.*

mæ bonitatis neceſſariò concurrentes, quæ ſunt ſumma communicabilitas, ſumma amabilitas, & ſumma integritas, ſeu ſumma totalitas; bonum enim, et perfectum idem; & perfectum, & totum idem ſunt; patet autem de bono, quod eſt appetibile, et communicativum. Item docet, quòd *unumquodque ſicut eſt ens, ita et bonum: ſed prima ſubſtantia eſt ens; ergo eſt bona, et quidem ſummè; quia ſummum ens*; & alibi [1] quòd *ſi Deus non eſſet ultimus finis, nec ſic conciperetur à nobis, non eſſet etiam ſummum, et perfectum bonum*; imò, nullum eſſet perfectè bonum, *quia nullum bonum eſt perfectum*, quod ordinatur ad aliud, *quod enim eſt tale, et ſic ordinatur*, non habet bonitatem, niſi diminutam. *Nota ſequentia*: Deus, primo modo, ut ſpectatus, *id eſt, ut finis ultimus fundamentaliter*, dicit fundamentum reale à parte rei ſupra, quod concipimus reſpectum prædictum rationis (*ſcilicet appetibilitatis propter ſe*.) quo Deus formaliter denominatur ultimus finis. Finis autem ultimi ratio conſiſtit in eo, quod ſit appetibile propter ſe, & omnia propter ipſum; ergo ex Scoto [2] in Deo eſt ſumma bonitas, quæ conſiſtit in ea abſolutiſſima perfectione eſſentiæ, ſeu Deitatis, in qua fundatur ratio finis ultimi, ſeu ſūma convenientia, & amabilitas, & maximè reſpectu ſuæ propriæ voluntatis.

Prob. 1. per partes, & quidem 1. quòd in Deo ſit ſumma bonitas, clàmant paginæ omnes Sacræ Scripturæ [3] *Confitemini illi omnes, quoniam bonus*, ajebat Judith. Et: [4] *Confitemini Domino, quoniam bonus*, &c. Et: *Bonus es tu*. Et [5] *Quoniam bonus Dominus*. Et: [6] *nemo bonus, niſi ſolus Deus*. Et, ut docet Syneſius: *Bonum Deum utique prædicant omnes ubivis terrarum populi tam ſapientes, quàm imperiti: idque univerſi mutuo conſenſu, atque una voce profitentur, licet quoad alia pertinet, variis de Deo ſententiis diſcrepent*.

Prob. 2. ex PP. *Deus, cujus natura bonitas, et opus miſericordia*, inquit S. Leo [7] *Deus non ſolùm ſummè bonus, ſed etiam ſummum, ac incommutabile bonum eſt*, ait Fulg. [8].

[1] *Collat.* 12. *n.* 5. [2] *q.* 3. *Prol. V. n.* 21. [3] *Judith* 13. [4] *Pſ.* 117. 118. [5] *Jer.* 33 [6] *Luc.* 18. [7] *Orat. de Regno*. [8] *De fid. ad pet. c.* 3.

Prob. 3. ratione; quia eſt cumulus, & fons, & centrum omnis boni, & ſummum ens; ergo & ſummè bonus; nam bonitas ſequitur ens, velut ejus inſeparabilis, & eſsentialis proprietas, & à quo omne bonum: *aperiente te manum tuam omnia implebuntur bonitate*. [1]

Prob. 2. par. ex dictis in Metaph. de bonitate entis; nam verum eſt dicere; Deus eſt ſummum appetibile; eſt ſummus, & ultimus finis; ergo eſt ſummum bonum, & viciſſim eſt ſummum bonum, & ultimus finis; ergo eſt ſummum appetibile; ergo ejus bonitas ſumma rectè explicatur per ſummam ejus amabilitatem.

Confirm. nam omne ens dicitur bonum, quatenus aliquo modo appetibile eſt: vel propter ſe per modum finis, vel propter aliud, ad quod eſt utile; ut ſunt media; ergo bonitas Dei, quæ eſt ſumma bonitas, ſicut eſt ſummum ens, & ſummè perfectum in ſe, importat illam appetibilitatem, non quidem propter aliud; alioqui poſtponeretur enti, & bono creato, & finito, quod eſset maxima deordinatio; ergo propter ſe, & ut ultimus finis omnium, & ſemper omnia.

II. Dixi, *maximè à ſua voluntate*; quia ſicut veritas Dei dicit præcipuam relationem realem ad intellectum ſuum, quæque non poteſt eſse rationis reſpectu intellectus creati; ita eſt de relatione convenientiæ, & appetibilitatis ad voluntatem ejus, tanquam ad potentiam ſummè appetitivam, ſeu tanquam ad ſupremum appetitum.

Objic. 1. Deus dicitur bonus per eſſentiā formaliter; ergo non eſt bonus per ullam relationem convenientiæ, vel appetibilitatis ad appetitum, prob. conſ. nam ille reſpectus convenientiæ vel eſt realis, vel rationis: ſed neutrum dici poteſt; ergo Dei bonitas non importat ullum reſpectum convenientiæ, vel appetibilitatis, prob. min. 1. non realis; quia Deus eſt ens per eſsentiam, abſolutum eſsentialiter, & infinitè perfectum in ſe, & per ſe, ſibi ſummè conveniens, præciſa quacumque relatione reali, vel rationis; ergo neutra relatione bonus.

Reſp. diſt. utramque conſ. bonitate primaria, & radicali: con. formali, & ſecundaria: neg. conſ. utra-

[1] *Pſal.* 103.

que

quæ bonitas primaria, & radicalis eſt eſſe ipſum Dei, infinitè perfectum; ſeu eſſentia Dei cum integritate, ſeu perfectione eorum omnium, quæ conſtituunt ejus eſſentiam in ſua totali quidditate: uno verbo, eſt eſſe totale ſuum; ut loquitur Scotus; & hanc bonitatem habet ſeipſo, & per eſſentiam: ſecundaria verò eſt ipſa aptitudinalis convenientia, & appetibilitas ex radicali pullulans.

Inſt. ille reſpectus convenientiæ, & appetibilitatis reſpicit vel ipſum Deum, vel creaturas; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud, prob. min. 1 non eſt ad ſe ipſum, quia nihil ad ſe ipſum referri poteſt relatione reali; nam hæc requirit extrema diſtincta, quia relatio eſt ad aliud. 2. non ad creaturas; quia Dei ad creaturas nulla eſt relatio realis; ergo illa convenientia non poteſt reſpicere nec creaturas, nec Deum ipſum; ergo non benè ſic explicatur Dei bonitas.

Reſp. neg. min. convenientia enim terminatur primò, & principaliter ad Dei voluntatem relatione reali aptitudinali; ad creaturas verò relatione rationis, & ſecundum dici, & diſt. ant. prob. relatio actualis eſt ad aliud realiter diſtinctum; conc. aptitudinalis, neg. ant. Nam ad hanc ſufficit diſtinctio formalis ex natura rei, aut virtualis, qualis eſt inter eſſentiam, & voluntatem Dei, ut dictum eſt.

Objic. 2. Deus eſt ens per eſſentiam reſpectu creaturarum; ergo & bonus per eſſentiam, non autem per ullam formalitatem reſpectivam ſuperadditam eſſentiæ; ergo bonitas Dei formalis nihil eſt præter ipſiſſimam eſſentiam. 1. conſ. prob. nam bonitas ſequitur eſſe.

Reſp. neg. conſ. & diſt. prob. ejus; ſequitur eſſe, ut proprietas ab ipſa eſſentia conſtituta manans; conc. ut aliquid ejus conſtitutivum; neg. ant. Imò in ſuo eſſe abſoluto nullum importat reſpectum nec ad ſe, nec ad creaturas; nam ſic eſſentia, & quidditas Dei eſt hæc eſſentia, & quidditas, & nihil aliud, ſecundariò verò, & ut bonus importat convenientiam appetibilitatis tum à ſua voluntate propria, tum à creaturis.

Concl. 2. *Deus ſolus eſt ſummè bonus per eſſentiam abſolute, in genere entis, tam negativè, quàm poſi-*

poſitivè. Per *ſummum negativè* intelligit Scotus, [1] quod non exceditur ab alio, quamvis in ſe ipſo poſſet eſſe perfectius, & melius; *ſummum* verò *poſitivè* eſt illud, quod non ſolùm non exceditur ab alio, ſed etiam excedit omne aliud, ita ut non habeat ſuperius, nec æquale.

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui Deum vocat *bonum ſine termino, bonitatis ſuæ radios liberaliſſimè communicans, ad quem amabiliſſimum ſingula ſuo modo concurrunt, ut ad ultimum finem. Tu ſolus ſimpliciter perfectus, non perfectus Angelus, aut corpus, ſed perfectum ens, cui nihil deeſt entis poſſibilis alicui in eſſe*; ergo & ſolus ſummè bonus per eſſentiam, nam bonum, & perfectum idem ſunt, ut ipſe dicebat ſupra, & ſi quid aliud eſſet ſummè bonum, eſſet etiam ultimus finis, & ultimò amabile eſſet æquale Deo.

Prob. 2. ex eodem. Illud dicitur bonum per eſſentiam, quod habet pleniſſimè bonitatem à ſe independenter ab alio; ſicut diximus *ens per eſſentiam, quod habet à ſe ipſo formaliter eſſe*, independenter ab alio; ſed Deus ſolus habet bonitatem pleniſſimè à ſe, & independenter ab alio, ſicut ipſam plenitudinem eſſendi; ergo ſolus Deus eſt ſummè bonus per eſſentiam. Prob. maj. Aliquid dicitur ens, & bonum per eſſentiam, prout opponitur enti, & bono per participationem: ſed illud dicitur ens, & bonum per participationem, quod accipit eſſe, & bonitatem ab alio; ergo illud dicitur eſſe, & bonum per eſſentiam, quod habet eſſe bonitatem à ſeipſo, & independenter ab alio.

Confirm. Omne finitum eſt ſimpliciter minus eo, quod natum eſt eſſe infinitum; ſed ſolus Deus eſt ens, & bonum infinitum; & omne aliud, præter Deum, eſt finitum; ergo omne bonum, præter Deum, eſt minùs bonum; ergo ſolus Deus eſt ſummè bonus, & quidem per eſſentiam, non per participationem. Notat Doctor, quòd *participare* eſt quaſi partem capere, & dicit duos reſpectus, 1. partis ad totum; & 2. capientis ad captum; ergo bonitas Dei non eſt participata, ſed eſſentialis in hoc ſenſu; quia nec eſt pars, nec accipiens ab alio.

Prob.

[1] 3. *d*. 13. *q*. 1. *B. et C. n*. 3. *et* 4.
[2] *De* 1. *princip. c*. 4. *n*. 36.

Prob. 2. p. quæ patet ex dictis; nam ſicut eſſe Dei perfectiſſimè eſt, & abſolutiſſimè infinitum, & nulli alteri poteſt competere illa infinitas; ita ejus bonitas entitativa eſt ſumma negativè, & poſitivè, ita ut repugnet dari majorem, vel æqualem.

Confirm. Quia Deus continet formaliter, aut eminenter omnes perfectiones poſſibiles, & infinitè, quod illi ſoli convenit; ideo dicitur [1] *Dominus altiſſimus ſuper omnem terram*. Et: *nimis exaltatus eſt ſuper omnes Deos*. Et: *non eſt, qui ſimilis ſit tibi*. Et: [2] *Magnus Dominus, et laudabilis nimis*; ergo ſummè, & infinitè bonus.

Objic. 1. Gratia Chriſti dicitur ſumma; ergo & bonitas ejus; ergo non eſt ſolus ſummè bonus.

Reſp. diſt ant. Summa, in ſuo genere entis creati, & ſecundum quid, & ſub Deo, conc. abſolutè, & ſimpliciter, neg. ant. & conſ. Dicitur ſumma ſic, ut in creatis, & ſub Deo non ſit major, vel æqualis, ſed eſt infinitè ſub Deo.

Objic. 2. Bonum illud dicitur per eſſentiam, quod eſt tale, ratione ſui, non alterius: ſed omnis creatura eſt ſic bona; ergo Deus non eſt ſolus bonus. Min. patet ex ipſa Script. nam *de univerſis*, & ſingulis creaturis dicitur: *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, et erant valde bona*.

Reſp. conc. totum in hoc ſenſu, ſc. de bonitate tranſcendentali: ſed nulla creatura eſt ſummè bona, quia nulla eſt ſummum ens, & imparticipatum: ſed omnia ſunt entia per participationem, & dependenter à Deo, à quo habent eſſe.

Objic. contra 2. p. Summum eſt aliquid ſupra bonum, vel nihil; ſi aliquid; ergo Deus non eſt ſimplex bonum: ſi nihil; ergo non aliter eſt bonus, quàm reliqua entia.

Reſp. addit modum infinitatis, qui formaliter modaliter diſtinguitur à bonitate, & ſic neg. conſeq. nam hæc diſtinctio non tollit ſimplicitatem.

Obj c. 2. Summum non poteſt fieri majus: ſed bonum Dei poteſt fieri majus: ergo non eſt ſummum bonum. Prob. min. Bonum creaturarum additum bono Dei facit majus bonum, ergo, &c.

Reſp. diſt. min. Poteſt fieri majus extenſivè, & ex-

[1] *Pſ. 96.* [2] *Pſ. 93.*

trinſecè, & per accidens: conc. intenſivè, & intrinſecè & per ſe neg. min. Nam cùm Deus in ſe formaliter, aut eminenter contineat omnem perfectionem poſſibilem; ita habetur in eo omnis bonitas, ſicut & plenitudo entis; ſed extenſivè, & extrinſecè, & accidentariè accreſcit bonum creaturæ.

Inſt. ſummum bonum non tantùm includit omne bonum, ſed etiam excludit omne malum; ſed bonitas Dei non excludit omne malum: nam ſunt innumera mala culpæ, & pœnæ; ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. excludit omne malum à ſe; conc. ab aliis: neg. maj. & conſ. Nam in Deo non eſt malum, quòd permittat peccatum, nec quod puniat illud; eſt bonum Sapientiæ, & Providentiæ ineffabilis; & iſtud eſt bonum juſtitiæ.

Concl. 3. *quamvis ſingula entia creata habeant etiam bonitatem ſuam ſibi proportionatam, & quaſi per eſſentiam; tamen ſimul cum Deo accepta non faciunt propriè majus bonum.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] nam 1. *poſſibile eſt, omnem perfectionem ſimpliciter haberi per identitatem in ſummè perfecto; quia nihil eſt ſummè perfectum, cui deficit aliqua perfectio ſimpliciter, &c.* ergo omnis bonitas, & perfectio poſſibilis in omnibus entibus reperitur in Deo, ut ſummè bono. 2. *plura bona excedunt in bonitate idem bonum unum, & hoc quando in quolibet iſtorum eſt æqualis bonitas, ſicut in quolibet eorum, &c.* ſed hoc verificari non poteſt de omnibus, vel de ullo ente, & bono creato reſpectu Dei; ergo licèt ſingula entia creata habeant ſuam perfectionem, & bonitatem entitativam, tamen non faciunt majus bonum cum Deo.

Prob. concl. quoad 1. p. quodlibet ens creatum habet veram rationem entis, & ſuam perfectionem entitativam; ergo & ſuam bonitatem proportionatam. Et id confir. ex Script. citata, qua conſtat, Deum vidiſſe creaturas omnes, ut bonas: *vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.*

Prob. 2. p. ex Scoto citato, & ex dictis; nam Deus ut ſummè, & infinitè bonus includit formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, & eminenter, quidquid boni reperitur in entibus creatis, vel

[1] *Quodlib. 5. 6; n. 8.*

vel creabilibus; nec ullum eſt, quod in perfectione comparari valeat ipſi; ergo Deus cum omnibus entibus creatis non facit majus bonum formaliter. Prob. conſ. nam ſi Deus ex acceſſu, & conjunctione alterius entis, aut boni ſuſciperet aliquod vel minimum augmentum, non eſſet in ſe infinitus, quia in ſe non haberet illos gradus, vel illum gradum augmenti, quod acciperet ab illo alio; ergo ſi ex ulla conjunctione poſſet accipere ullum vel minimum gradum augmenti, non eſſet infinitus. Prob. conſ. nam infinito, nec ſummo nihil deeſt, nihil poteſt addi: *nihil eſt ſummè perfectum, cui deficit aliqua perfectio ſimpliciter*, inquit Doctor.

Prob. denique, quia nihil addi poteſt ſupra ſummum, & infinitum: ſed Deus ex ſe, & in ſe eſt bonum infinitum, & ſummum; ergo nihil addi poteſt illi bonitatis per quamcumque acceſſionem bonorum omnium creatorum poſſibilium.

Objic. 1. contra 1. p. Deus ſolus eſt bonus per eſſentiam; ergo nulli creaturæ convenit bonitas per eſſentiam in ullo ſenſu. Prob. conſ. nam cùm dicitur, creaturam habere bonitatem per eſſentiam, vel intelligitur ex parte ſubjecti, quòd illa bonitas ſit illi intrinſeca, & identificata, vel ex parte prædicati, quòd ſit illi imparticipata; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. de 1. nam bonitas creata pendet ab exiſtentia; ſed exiſtentia non eſt intrinſeca ulli creaturæ, ſed contingens; ergo & bonitas. Prob. etiam de 2. nam omnis creatura habet eſſe participatum à Deo; ergo & bonitatem.

Reſp. diſt. ant. Deus ſolus eſt bonus per eſſentiam, id eſt de ſe, & à ſe, & imparticipativè: conc. id eſt per bonitatem ſibi intrinſecam, & entitativam: neg. ant. & conſ. maj. prob. nam bonitas Metaphyſ. cujuslibet rei eſt proprietas tranſcendentalis, ſe tenens, & manans ab ejus eſſentia independenter ab exiſtẽtia; & falſum eſt etiam, quòd exiſtentia diſtinguatur realiter à re, cujus eſt; licèt ſit contingens, & participata à Deo, qui hoc ſenſu eſt ſolus bonus, quatenus eſt à ſe, & infinitè bonus bonitate imparticipata.

Objic. 3. ſi creatura eſſet ſubſtantialiter bona, eſſet ſimilis Deo; nam [1] *quod ſubſtantialiter eſt bonum* eſſe

[1] *De Hebdom.*

eſt ſimile primo, inquit Boetius: ſed nihil eſt ſimile Deo; ergo nec bonum ſubſtantialiter, ſeu per eſſentiam. Prob. min. nam ſimilitudo eſt in aliquo communi; ſed nihil eſt commune Deo, & creaturæ; ergo, &c.

Reſp. neg. min. utriuſque argumenti; nam ex Script. patet, quòd Deus fecit hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam; inde in perfectionibus, quas Deus communicat creaturis, ſunt ei ſimiles ſimilitudine inadæquata.

Objic. 3. *quæ ſunt participatione bona, per ſe nullo modo bona ſunt*; ex eodem Boetio; ſed creaturæ non poſſunt eſſe bonæ, niſi per participationem; ergo abſolutè non habent bonitatem ſubſtantialem, & in ſe.

Reſp. diſt. maj. nullo modo bonæ ſunt à ſe, & per ſe: conc. aliter neg. maj. & conſ. Creaturæ nullam bonitatem habent à ſe, & per ſe, ſicut nec eſſe, ſed totum à Deo.

Objic. contra 2. par. qui dicit Deum, & mundum, dicit duo entia realiter diſtincta; ergo & duo bona: ſed duo bona ſunt quid majus, quàm unum; ergo Deus, & mundus ſimul ſunt majus bonũ, quàm Deus ſolus.

Reſp. diſt. ſubſumptum, ex Scoto cit. ſi quodlibet illorum ſit finitum, & æquale alteri: con. ſi unum ſit infinitum, & aliud finitum: neg. ſubſumptum, & conſ. nam illud, quod eſt infinitum, qualis eſt Deus, continet eminenter totam bonitatem alterius, & ſic per unionem iſtius nulla accreſcit illi alteri (ſcilicet Deo) bonitas.

Inſt. ſi daretur corpus infinitum, & uniretur alteri finito, fieret corpus majus ſaltem extenſivè; ergo idem eſt de bono finito, ſi ſumatur cum alio infinito.

Reſp. neg. ſuppoſ. nempe addi poſſe corpus, ſeu dimenſionem finitam corpori infinito; alioqui iſtud eſſet infinitum, & non eſſet infinitum; eſſet ut ſupponitur; non eſſet verò, quia poſſet excedi; aliquid ei deeſſet, & poſſet addi; quæ repugnant infinito.

Quæres, *an, & quo ſenſu omnia dicantur bona bonitate divina*.

Reſp. omnia eſſe bona per bonitatem divinam; quatenus omne id, quod habent, eſt à Deo, & per communicationem divini eſſe, & boni. Nam *Deus eſt bonum ipſum, unde alia bona ſunt*: inquit Auguſt. [1] *bonum*

[1] 8. *de Tr. ca.* 3.

bonum eſt illud, tolle hoc, & tolle illud, & vide ipſum bonum, ſi potes, ita Deum videbis, non alio bono bonum, ſed omnis boni bonum.

DISPUTATIO VIII.

De intellectu, & ſcientia Dei.

INtellectus, & ſcientia pertinent ad Deum, quatenus eſt ens cognoſcitivum, & intellectuale; ideo poſt attributa, quæ pertinent ad illum in ratione entis, meritò agimus de illis, quæ ad illum pertinent, in ratione cognoſcitivi; & talis eſt intellectus, qui eſt potentia cognoſcitiva in entibus ſpiritualibus; & ſcientia, quæ eſt actus principalis, & perfectio ejus: ecce igitur materiam diſputationis hujus, quæ eſt, ſine dubio, maximi momenti.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit intellectus, & ſcientia, in Deo.

DIximus, vitam intellectualem eſſe unum ex prædicatis Dei quidditativis; ideo videtur, quod idem eſt de intellectu, & intellectione, & voluntate, & volitione; nam hæc videntur ſignificari per vitam intellectivam, & eſſe formaliter idem; quod, an ita ſit, examinandum.

Porrò nomine *intellectus* ſignificatur præciſè, & formaliter facultas, ſeu vis, qua Deus ſe noſcit, & omnia cognoſcibilia, & nomine *ſcientiæ*, notitia illa certa, & evidentiſſima; ita ut *intellectus* ſe habeat ut potentia, & actus primus; ſcientia verò, ut operatio, & actus ſecundus; & quærimus, an revera ita ſe habeant hæc duo, ſcilicet intellectus, & ſcientia, & an ſint prædicata eſſentialia, vel attributalia Dei.

Concl. 1. *Admittendus eſt in Deo intellectus per modum potentiæ, & actus primi, & ut attributum, formaliter diſtinctum ab eſſentia, & aliis attributis; imò & ab ipſa ſcientia, ſeu intellectione formaliter ex natura rei.* Ita Scotiſtæ, & alii.

Prob. 1.

Prob. 1. ex Scoto [1] intellectus habens objectum, actu intelligibile, ſibi præſens, habet rationem memoriæ perfectæ in actu primo, quæ ſcilicet eſt immediatum principium actus ſecundi, & notitiæ genitę. In hoc autem principio, quod eſt memoria, concurrunt duo, quæ conſtituunt unum principium totale, videlicet eſſentia in ratione objecti; & intellectus, ut potentia, quorum utrumque eſt partiale reſpectu productionis æquatæ huic totali principio; ergo ex Scoto eſt in Deo intellectus, qui ſe habet, ut potentia, & actus primus; & diſtinguitur ab eſſentia; quæ ſe habet, ut objectum ejus, & comprincipium intellectionis, & productionis verbi, quod eſt notitia genita, & per conſequens ab ipſa intellectione, quæ ab ipſo manat, ut actus ſecundus à primo.

Prob. 2. ex Script & PP. nam dicitur, quòd Deus *fecit cœlos intellectu* [2]. Et quòd, *intelligit omnia opera hominum*. Et quòd [3] *Deus intelligit viam ejus.* Unde S. Cyrillus vocat Deum, *ſupremum, & optimum intellectum*. Et à D. Damaſceno dicitur *intellectus, & ratio*. Et à D. Irenæo, *totus mens, & ratio, &c.*

Prob. 3. ex eodem Scoto [4] nam niſi intellectus eſſet formaliter in Deo, ſicut & voluntas, & niſi diſtingueretur ab eſſentia ex natura rei, non eſſet ratio diſtinguendi generationem à ſpiratione, ut probatum eſt ſupra de diſtinctione attributorum; cur enim productio verbi diceretur generatio, non autem productio Spiritus S. ſi eſſet ab eodem formaliter principio; & ſi intellectus nihil eſſet diſtinctum ab eſſentia? *Diſtinctio attributorum fundamentum eſt reſpectu diſtinctionis emanationum perſonalium, quia filius procedit naturaliter naſcendo, tanquam Verbum conceptum in intellectu; Spiritus S. procedit liberè ſpirando, tanquam amor conceptus in voluntate, & non ut verbum, quod eſſe non poteſt, niſi eſſet aliqua diſtinctio intellectus, & voluntatis ad intra.* Et alibi docet, quod, *propter diſtinctionem concurrentis cum eſſentia, ut pote intellectus, & voluntatis in principio productivo, ſufficit hoc, & illud ad productiones alterius, & ad terminos qua-*

[1] 1.d.2.q.7.O.n.21. [2] *Pſal.* 135. & 32. [3] *Job.* 28. [4] 1.d.8.q.4.D.n.5.

quodammodo alterius rationis; & ſic in principio habemus eſſentiam, & intellectum pro Verbo; eſſentiam, & voluntatem pro Spiritu S. ergo ex Scoto, niſi in Deo ſint intellectus, & voluntas, ut potentię diſtinctæ ab eſſentia, & inter ſe, non eſſent diverſæ productiones in Deo, & generatio Verbi non differret à ſpiratione.

Prob. 4. quia potentia, ſeu vis intellectiva eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo eſt in Deo formaliter. Patet conſ. nam in Deo eſt admittenda omnis pura perfectio. Prob. ant. nam eſt melior ipſa, quàm non ipſa, & nullam de ſe involvit imperfectionem; ergo eſt ſimpliciter ſimplex.

Prob. 5. Deus eſt formaliter intelligens; ergo habet intellectum, qui per intellectionem operatur, & intelligit. Prob. conſ. ſi haberet intellectionem ſine potentia intellectiva, non magis per intellectionem fieret intelligens, quàm ſi illa poneretur in lapide; ſed lapis, in quo poneretur divinitùs intellectio, non fieret per illam intelligens, ſed purè habens intellectionem; ergo nec Deus habens intellectionem ſine intellectu.

Prob. 6. intellectio Dei requirit objectum; ergo & potentiam intellectivam. Patet ant. eſt enim de aliquo. Prob. conſ. nam objectum reſpicit aliquam potentiam, cum qua concurrit ad ſui intellectionem.

Confir. productio Verbi Dei non eſt immediatè ab eſſentia, alioqui idem eſſet de ſpiratione; & ſic actus illi non diſtinguerentur, ut dictum eſt; quia eſſet eadem utrobique, & illi duo actus eſſent formaliter ab eodem principio; ergo productio Verbi eſt immediatè ab intellectu; ergo iſte diſtinguitur ab eſſentia.

Prob. 2. par. ſcilicèt *quòd intellectus habeat rationem actus primi reſpectu intellectionis*; nam 1. prius eſt eſſe, quàm operari; ſeu, *operari ſequitur eſſe*; ergo prius eſt Deum eſſe intellectivum, & habere intellectum, quàm intelligere. Dico tamen prioritate rationis, & ordinis; unde in Deo concipimus, 1. eſſentiam, ut ſubſtantiam intellectivam, tanquam radicem intelligendi, & eſt actus primus, remotus, ſeu radicalis: 2. potentiam intellectivam, quæ eſt actus primus, proximus: & 3. actualem intellectionem,

nem, quæ eſt actus ſecundus, ſemper, & neceſſariò conjunctus cum primo.

Prob. 2. non eſt major ratio, cur in Deo concipiatur eſſentia, ut radix, ex qua manant attributa, & perſonalitates, quàm ut radix intellectus, & intellectionis; ſed eſsentia concipitur, ut radix aliorum attributorum; ergo & intellectus, atque intellectionis.

Prob. 3: non poſsumus intelligere Deum intelligentem, & ſcientem, niſi concipiamus, eum eſse intellectivum, & habere virtutem intellectivam; alioqui, ut dicebam, non plus faceret intellectio in Deo, quàm in lapide; ergo intellectus eſt in Deo, ut actus primus, & per modum potentiæ reſpectu intellectus ab eſsentia; ex probatione prima; & certe eadem eſt ratio, imò major de iſto, ac aliis propter diſtinctionem ad intra.

Prob. 4. par. de diſtinctione intellectus ab intellectione; tum quia, ut dicebamus, intellectio manat ab intellectu, & illum præſupponit; & iſte eſt ſeorſim conceptibilis ab illa; & de illis poſsunt verificari contradictoria; nam intellectus eſt principium intelligendi, & non conſtituit Deum formaliter actu intelligentem; benè verò intellectio, quæ non eſt principium intelligendi, ſed potiùs forma ipſa, qua Deus ſit intelligens, & eſt ipſum formale intelligere. Denique intellectus cum eſsentia dicitur principium generationis, non verò intellectio; ergo diſtinguuntur ex natura rei formaliter.

Objic. 1. contra 1. par. ex PP. Deus neque intelligens proprie dicitur, neque intellectus, ne compoſitus exiſtimetur; inquit S. Maximus martyr; ergo nec intellectus, nec intellectio eſt in Deo.

Reſp. neg. conſ. nam, ut patet, in eo tantùm ſenſu negant, hæc eſse in Deo, quo inducerent in eum compoſitionem; quod non accidit in eo ſenſu, quo hæc in Deo aſserimus, ut patet ex dictis de ſimplicitate Dei, & diſtinctione attributorum, ũde permittit, ut eum intellectionẽ dicamus eſse, ut ſit ipſa intellectio per realẽ identitatem ſecundum ſubſtantiam, ut aſserimus.

Objic. 2. contra 2. par. repugnat in Deo ratio actus primi, ſeu potentiæ, & ſecundi; ergo ſub hac ratione in Deo non eſt intellectus. Prob. ant. ratio actus primi, ſeu potentiæ repugnat puritati, ſimplicitati, & infinitati;

nitati ;ergo, &c. Prob. ant. illa ratio ſupponit imperfectionem ex parte actus primi, & potentiæ, quæ perfectibilis eſt per actum ſecundum ; ergo ſic repugnat infinitati, & actualitati ; item arguit diſtinctionem inter ipſammet potentiam, & actum ſecundum, qualis eſt inter cauſam, & effectum; & ſic arguit compoſitionem, quæ repugnat ſimplicitati, & puræ actualitati; ergo ratio actus primi, ſeu potētię repugnat ſimplicitati.

Reſp. neg. ant. & utramque probationem ejus; nam cùm illa potentia, & actus ille primus ſit neceſſariò, & realiſſimè identificatus, & inſeparabilis à ſecundo, ſcilicet intellectus ab intellectione, non habent inter ſe rationem actus, & potentiæ, ſeu perfectibilis, & perfectivi ; & cùm intellectio non ſit ab intellectu per Phyſicam productionem, ſed per ſimplicem, & puram emanationem Metaphyſicam, non arguit diſtinctionem realem producentis, & producti.

Inſt. omnis actus primus eſt in potentia paſſiva ad ſecundum ; ſed, per nos, intellectus in Deo habet rationem actus primi ; ergo & potentiæ paſſivæ, quæ repugnat Deo, ut patet.

Reſp. diſt. maj. in potentia Phyſica, vel Metaphyſica, conc. in potentia Phyſica ſemper ; neg maj. & ſimiliter diſt. min. habet rationem actus primi Metaphyſicè, quatenus actus ſecundus manat ab illo primo per puram emanationem : conc. min. Phyſicè, quaſi verò iſte ab illo producatur Phyſicè : neg. min. & conſ. nam, ut dicebam, illa potentia eſt ſemper, & neceſſariò ſub actu ſecundo per ſummam identitatem realem.

Inſt. 2. potentia vitalis eſt activa immanenter; ergo & paſſiva reſpectu ſuorum actuum, æque ac activa illorum. Prob. ant. ideo enim dicitur immanenter agens.

Reſp. diſt. ant. potentia vitalis creata: conc. ant. quia illos realiter, & phyſicè producit ; increata ; neg. ant. nam in Deo, ſicut intellectus emanat immediatè, & purè ab eſſentia, ſic & actus ſecundus, ſeu intellectio ab intellectu ; & identificatur cum ipſo propter infinitatem, & identitatem utriuſque cum eſſentia.

Objic. 3. actus primus debet præcedere ſecundum, ſed in Deo nihil eſt prius, nec poſterius ; ergo nihil habet in eo rationem actus 1. & 2. ergo id malè dicitur de intellectu Dei.

Reſp.

Reſp. diſt. maj. debet præcedere prioritate rationis, vel ordinis, aut naturæ, vel durationis; conc. prioritate reali temporis: neg. maj. in Deo nihil eſt prius, aut poſterius duratione; benè verò prioritate rationis ordinis, vel naturæ, ut patet ex dictis ſupra.

Objic. 4. quidquid concipitur in Deo, debet concipi, ut infinitè perfectum; ergo intellectus non poteſt concipi in Deo ſub ratione actus primi, aut potentiæ. Prob. conſ. quia actus primus, ut primus, & potentia, ut potentia eſt perfectibilis per 2; ergo & omnis intellectus conceptus ſub ratione actus primi, aut potentiæ non concipitur ut infinitè perfectus; ergo concipitur ſub ratione repugnante Deo.

Reſp. 1. hoc argumentum coincidit cum 2. & fieri poſſet contra quoſcumque præſcindentes, aut diſtinguentes quoquo modo eſſentiam ab attributis, & perſonis; nam eſſentia concepta præcisè ab attributis, & ut radix illorum concipitur ſine illis perfectionibus, per quas verè perficitur, ideo ſolvendum eſſet ab ipſis adverſariis, & ita eſt de præcedentibus.

Reſp. 2. neg. conſ. & diſt. ant. ut perfectibilis per 2. realiter identificatum: conc. per 2. realiter diſtinctum, & advenientem: neg. ant. & id patet ex prima reſponſione.

Obiic. contra 3. p. Deus eſt eſſentialiter vivens intellectualiter; ergo intellectus, ſeu vis intellectiva non diſtinguitur ab eſſentia, ſed in illa concluditur, ſicut rationalitas in homine.

Reſp. 1. retorquendo argum. homo eſt eſſentialiter ſenſitivus, & rationalis; ergo potētia ſenſitiva, & intellectus non diſtinguitur ab ejus eſſentia; quod eſt contra plures ex adverſariis, qui diſtinguunt illas realiter.

Reſp. 2. diſt. ant. eſt eſſentialiter vivens intellectualiter, radicaliter; ſeu eſt eſſentialiter principium, ex quo manat potentia intellectiva: conc. ita ut formaliter potentia intellectiva ſit ipſa eſſentia: neg. ant. & conſ. nam ſicut in homine rationalitas, quæ eſt differentia hominis ſpecifica, non eſt formaliter ipſe ejus intellectus, nec aliæ potentiæ vitales ejuſdem; ſed eſt principium, à quo illæ manant, ita & in Deo.

Inſt. ideo in creatis potentiæ diſtinguuntur ab eſſentia, quia hæc non poteſt eſſe principium immediatum operationum, quia eſt finita; ſed eſſentia Dei

eſt

eſt infinita; ergo poteſt eſſe principium immediatum intellectionis, ſine ulla potentia intellectiva diſtincta ullo modo.

Reſp.1. Hoc etiam argumentum nimis probare;nam ſequeretur, productiones divinas eſſe immediatè ab eſſentia; & ſic productionem Verbi non eſſe generationem magis, quàm productionem Spiritus Sancti; quod nullus dicet.

Reſp.2.neg.ant. nam neque in creatis eſſentia exigit potentias realiter diſtinctas; ut patet ex Philoſophia; & ſi exigerent, adhuc non valeret ratio; quia multitudo perfectionum, & attributorum Dei non venit ex penuria, & exigentia eſſentiæ, ſed potiùs ex perfectione infinita, ſecundum quam emittit illas qualitates, & facultates pariter infinitas.

Concl.2. *Admittenda eſt ſcientia in Deo, & quidem actualiſſima*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto; [1] qui quærens *an Theologia in ſe ſit ſcientia*: dicit, quòd quatuor conditiones requiiit ſcientia propriè dicta, 1. *quod ſit cognitio certa, hoc eſt abſque deceptione, & dubitatione*; 2. *de objecto neceſſario, ſeu de propoſitione neceſſariò vera*, 3. *cauſata à cauſa evidente intellectui*; 4. *applicata per diſcurſum Syllogiſticum*: & concludit, quòd *Theologia in ſe non eſt ſcientia, quantum ad 4. conditionem ſcientiæ, ſed quantum ad alias tres conditiones eſt ſcientia in ſe, & in intellectu divino*. 4. autem conditio non eſt neceſſaria, niſi in nobis, propter limitationem, & imperfectionem noſtri intellectus; ergo eſt verè ſcientia in Deo.

Prob. 2. ex Script. quæ omnem omnium notitiam agnoſcit in Deo. [2] *Habeo omnium notitiam*, ait Eſther. [3] *Mirabilis facta eſt ſcientia tua*. Et: *Deus ſcientiarum Dominus eſt*. Et: [4] *O altitudo ſapientiæ, & ſcientiæ Dei*. Et: [5] *In quo ſunt Theſauri omnes Sapientiæ, et ſcientiæ Dei*, & ſimilia loca paſſim leguntur: [6] *omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus, &c.*

Prob. 3. ex PP. nam, ut ait Auguſt. [7] *Quiſquis noverit, vel inconcuſsè credat, quòd Deus hæc omnia fecerit, credet etiam, quòd hæc omnia ſcit; non enim opinor, aliquem ita eſſe excordem, ut Deum quæ non noverat*

[1] *q.3.prol.X.n.26.* [2] *Inſt.*14. [3] *Pſal.*138. [4] 1. *Reg.*2. [5] *Rom.* 11. [6] *Hebr.*4. [7] 5. *de Gen. ad litt.c.*15.

verat feciſſe arbitretur. Et Chryſoſtom. dicit de David, quod *incerta, et occulta ſapientiæ divinæ percepit*, Et de hac eadem ſapientia dicit, [1] *immenſa eſt, incomprehenſibilis eſt, quippe ejus ſcientiæ non eſt numerus; id eſt nulla comprehenſio*.

Prob. 4. nam ſcientia eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; & melior ipſa, quàm non ipſa; ergo eſt in Deo. Et, ut dicebat Auguſt. *Deus non eſt agens cæcum*; ergo, cum fecerit omnia, ita & novit omnia.

Dixi autem *actualiſſima*, non autem *habitualis*; & velut dormiens; nam quidquid in Deo eſt, actus purus eſt; *omnia in ipſo actuoſiſſima ſunt*. 2. habitus dantur in nobis ad perficiendas, & facilitandas, & determinandas, vel elevandas potentias; ergo fruſtra eſſet ſcientia habitualis in Deo, qui iis non eget; quippe arguunt imperfectionem.

Objic. 1. Si eſſet ſcientia in Deo, eſſet vel *quia*, ſeu *à poſteriori*; vel *propter quid*, id eſt *à priori*; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt. Prob. min. 1. non eſt, *quia*; nam talis ſcientia eſt per extrinſeca; ſcilicet per effectus, & ſic eſt imperfecta 2. non *propter quid*; quia Dei eſſentia, quæ eſt objectum intellectus divini, non habet cauſam; ergo ſciri non poteſt per cauſam.

Reſp. neg. maj. nam illa diviſio ſcientiæ eſt pro creata, non verò pro increata, quæ objectum immediatè per ſe ipſum, & in ſe ipſo cognoſcit, nec eget diſcurſu.

Objic. 2. ſcientia, ex Scoto cit. eſt de objecto neceſſario; ſed cognitio Dei non eſt de objecto neceſſario, ſaltem ſimpliciter; ergo non habet conditiones ſcientiæ. Prob. min. eſt enim de contingentibus, quæ poſſunt aliter, & aliter ſe habere; & talis eſt ſcientia viſionis, quæ eſt de futuris, & præſentibus.

Reſp. diſt. maj. de objecto neceſſario quoad primarium, & motivum, conc. maj. & neg. min. quoad ſecundarium, & terminativum: neg. maj. & conſ. Objectum primarium, & motivum ſcientiæ Dei eſt eſſentia ſua, quæ abſolutè, & ſimpliciter eſt ens neceſſarium, quod non poteſt non eſſe, nec aliter ſe habere.

Objic. contra 2. p. ex Scoto, ſcientia Dei, quæ eſt in Deo

[1] *hom. 1. de incompre. Dei*.

Deo eſt perfectio quædam, quæ eſt abſoluta, & habitus abſolutus, qui dicitur eſſe ars, &c. ergo ſcientia in Deo eſt habitualis.

Reſp. neg. conſ. Scotus ibi loquitur de habitu impropriè, præſcindendo ab imperfectionibus, quas importat in creaturis, in quibus eſt per modum formæ inhærentis, & perficientis potentias; in tantùm verò dicitur habitualis in Deo, in quantum eſt quid permanens, ſicut qualitates permanentes,& de difficili mobiles dicuntur habitus, pro ut habitus opponitur diſpoſitioni, quæ eſt qualitas tranſiens, & de facili mobilis.

Concl. 3. *nec intellectus, nec ſcientia,ſeu intellectio Dei,formaliter ſumpta eſt de eſſentia ejus; ſed ſunt attributa*. Dico, *formaliter ſumpta*; nam radicaliter, ſeu fundamentaliter, & realiter ſunt ipſa eſſentia.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] in 1. Concl. ubi eſſentiam dicit concurrere cum intellectu ad divinam generationem; illā quidem per modum objecti, iſtū verò per modum potentię; & inter attributa reponit intellectum.

Prob.2. ex dictis de diſtinctione intellectus ab eſſentia,& ab intellectione;nam ſic patet,neutrum eſſe prędicatum eſſentiale, & quidditativum eſſentiæ.

Prob. 3. ex Auguſt. [2] olim. cit. *ſi dicam æternus, immortalis, incorruptibilis, ſapiens, bonus, potens, beatus, ſpiritus; horum omnium, quæ poſui, noviſſimum tantùm quaſi videtur ſignificare ſubſtantiam* (nempè ſpiritus) *cætera verò hujus ſubſtantiæ qualitates;* ergo ſapientia, ſeu ſcientia cenſetur inter qualitates, & attributa. Idem docet Damaſc. [3] *ſi juſtum, ſi bonum, ſi ſapientem, ſi quid tale dixeris, non naturam Dei dices, ſed quæ circumſtant ipſam Dei naturam;* ergo ſapientia, ſeu ſcientia non eſt de eſſentia Dei formaliter.

Prob.4. nam de Deo loquimur cum proportione ad creaturam, & ex creatura; ſed in homine intellectus, & intellectio non ſunt de eſſentia ejus; quamvis ſit eſſentialiter rationalis;ergo nec in Deo. Et certe eſſentia Dei, præcisè ab intellectu, & intellectione, eſt longè perfectior, quàm humanitas;ergo multò minùs eſſentia

[1] *1.d.1.qu.7.cit.* [2] *15.Trin.5.*
[3] *lib.1.c.4.*

tia Dei includit illam potentiam, & illum actum, quæ pullulant ab ipſa in ſuo pleno, & abſoluto eſſe eſſentiali completo.

Prob. 5. ex Patribus, nam *non à ſapientia ſubſtantia, ſed à ſubſtantia ſapientia eſt*; inquit Chryſ. cit. ſcilicet ſapientia manat ex eſſentia, quæ eſt prior, non è contra; ergo eſſentia non conſtituitur per ſapientiam. Item Auguſt. [1] dicit, quòd *homo ſecundum nobiliſſimas potentias, ſcilicet ſecundum intellectum, & voluntatem factus eſt ad imaginem Dei, non autem ſecundum eſſentiam*; ergo intellectus, & potentia, ſecundum quas homo eſt imago Dei, diſtinguuntur ab eſſentia, ſecundum quam non eſt imago: idem docet, quòd *ſicut ab eo, quod eſt ſapere, vocatur ſapientia, ſic ab eo, quod eſt eſſe, vocatur eſſentia*; ergo ex Aug. eſſentia, & ſapientia non ſunt formaliter idem.

Objic. 1. ex Scotum [2] qui videtur contrarium docere pluribi: *concedo*, inquit, *quod propriè vocando attributa, illa ſola ſunt, quæ quaſi qualitates perficiunt in eſſe ſecundo rem præſuppoſitam in perfecto eſſe primo: hoc modo intellectus, & voluntas non ſunt attributa; imo ſunt perfectiones quædam intrinſecæ in eſſentia; ergo cum intellectus ſit quædam vita, & voluntas quædam vita, non erunt propriè attributa; & ſicut rationalitas non eſt attributum homini, ſic nec intellectualitas huic eſſentiæ*. Et in quodlibetis dicit, quòd [3] *intellectualitas eſt idem eſſentialiter eſſentiæ divinæ*: & quod *ſi eſſentia divina definiretur vita intellectualis, ſeu ipſa intellectualitas, non eſſet extra ejus definitionem*. Idem docet in reportatis clariſſimè; ergo, ex Scoto, [4] intellectus, & intellectio eſt de eſſentia Dei, non verò attributum.

Reſp. diſt. conſ. intellectus, & intellectio fundamentaliter, ſeu radicaliter conc. formaliter, & in ratione potentiæ, & actus illius potentiæ neg. conſ. Nec enim id intendit Scotus, ſed loquitur de intellectu, & intellectione radicaliter, pro ut eſt, non potentia, & actus illius, ſed pro ut eſt vivens, & vita intellectualis, à qua manat potentia intellecti-

va

[1] 14. *de Trin.* [2] 1.*d*.26. *D D.n*.55.
[3] *quodlib*.1.*I.n*.10.
[4] 1.*d*.35.*q*.1.*n*.29.

va formalis, & iſta mediante manat etiam intellectio, ſeu ſcientia, & hoc neceſſariò ſequitur ex dictis ejus de diſtinctione attributorum ab eſſentia, quam præcipuè fundat in hoc; quod intellectus, & eſſentia concurrunt eſſentialiter ad generationem Verbi, in qua intellectus ſe habet ut principium productivum *quo*, eſſentia verò ut objectum *quo* fœcundatur intellectus, unde Scholiaſtes ejus in reportatis cit. dicit: *intellectus non eſt de quidditate Dei, dum ſumitur, ut potentia, ſed ut intellectiva natura, unde in textu habet: dico ſecundum primum modum, quòd intellectualitas, vel eſſe intellectivum, eſt de ratione formali entis vivi*, &c. *& quòd ratione eſſentiæ eſt habens intellectum virtualiter, ratione autem intellectus eſt formaliter tale, habens intellectum formaliter, quia intellectus eſt ibi ex natura rei tanquam paſſio, vel qualitas eſſentiæ, vel fundamenti infiniti*; ergo ex Scoto intellectus non eſt idem eſſentiæ, niſi radicaliter, quatenus in ea continetur virtualiter, ut in cauſa, à qua pullulat, quaſi ab ea produceretur; ſic etiam cenſent inſignes Scotiſtæ, Vulpes, Pontius, Fraſſen, Bermingam, & alii, ut Auguſtinus de Angelis, & Conciliator, qui hæc apparentia contradictoria conciliat dicens, quod in quodlibeto 1. [1] & reportatis ſumit intellectualitatem pro natura intellectuali, & ſic eſt de quidditate; alibi verò ſumit pro potentia, & ſic eſt quaſi modus intrinſecus, non propriè attributum; vide etiam Bertolutium [2] contradictione 39. qui tamen non ſatis conciliat, ni fallor.

Inſt. ex eodem; formaliter infinitum repugnat multiplicari; ſed, ſi intellectio, & intellectus non eſſent de eſſentia, multiplicarent infinita: ergo intellectus, & intellectio ſunt de eſſentia Dei. Prob. min. nam intellectio, & intellectus haberent ſuam infinitatem diſtinctam ab eſſentia, & intellectio ſe haberet ut actus 2. reſpectu eſſentiæ, & intellectus; actus autem 2. diſtinguitur realiter à primo.

Reſp. diſt. maj. multiplicari realiter: conc. maj. & neg. min. formaliter, neg. maj. & conſ. Intellectus ergo, & intellectio in Deo habent ſuam infinitatem,

[1] *quodlib.* 1.
[2] *quodlib.* 5.

ſicut, & entitatem formaliter diſtinctam, & multiplicem, non verò realiter, ut conſtat ex dictis de infinitate Dei.

Objic.2. ex S. Maximo Deus per eſſentiam eſt intelligentia, & mens perſpicax, intelligere potens; ergo intellectus, & ſcientia in Deo eſt eſſentialis.

Reſp. ut ſupra neg. conſ. Non enim ſic loquitur S. Max. in rigore formali, ſed identico, quatenus eſſentia Dei eſt radix, & fundamentum, ex quo manat intellectus, & intelligere.

Objic.3. intelligere ſubſtantiarum abſtractarum eſt eſſentia earum, inquit Ariſt. [1] ſed hoc maxime eſt verum de prima ſubſtantia; ergo intelligere Dei, qui eſt ſubſtantia abſtracta, eſt de illius eſſentia.

Reſp. eodem modo; ſcilicet realiter id verum eſſe, non formaliter.

Inſt. omne ens eſt formaliter ſubſtantia, vel accidens: ſed intelligere Dei non eſt accidens; ergo ſubſtantia; ſed non eſt ſubſtantia diſtincta; non enim ſunt duæ ſubſtantiæ, vel eſſentiæ; ergo eſt ipſa eſſentia Dei.

Reſp. eodem modo, eſt ſubſtantia, ſeu eſſentia realiter, & per identitatem realem, conc. formaliter, neg. eſt enim ſic quid ſubſtantiæ; unde neg. maj. Nam illa diviſio entis in ſubſtantiam, & accidens eſt de ente creato, non de ente ut ſic, & generaliſſimo; nam proprietates ſubſtantiæ non ſunt nec ſubſtantia, nec accidens, ſed aliquitates ſubſtantiæ, ut diximus in Metaph. unde ſcientia eſt quidem realiter formaliter in Deo, non ut accidens, quia non eſt ſeparabilis; nec eſſentia, ſeu ſubſtantia, quia illam ſupponit, & ab ea manat; ſed eſt aliquid Dei; ſcilicet proprietas divina.

Inſt.2. vivens, & intellectuale, ſubſtantialiter ſumpta, conſtituunt formaliter eſſentiam Dei; ergo intelligere eſt de eſſentia Dei. Prob. ant. 1. quia intellectualitas eſt prædicatum Dei quidditativum. 2. quia hæc ſunt in Deo nobiliori, & altiori modo, quàm in creatura; ſed in creatura ſunt per participationem; ergo in Deo ſunt per eſſentiam.

Reſp. diſt. ant. & 1. prob. intellectuale fundamentaliter, conc. formaliter, neg. ant. Nam vivens, ſeu vita primò, & radicaliter importat eſſe rei viventis; non

[1] 12. *Metaph.*

non autem operari, quale eſt ipſum intelligere, vel potentia, & facultas intelligendi. Ad 2. prob. neg. conſ. nam ſatis conſtat aliunde nobilitas, & præcellentia horum prædicatorum in Deo: v. g. in eo ſunt infinita, & à ſe, & identicè; in creatura verò ſunt ab alio, ſcilicet Deo, per participationem, & limitatè; intelligere eſt in eis accidens realiter diſtinctum; non autem ſequitur, quòd in Deo debeat eſſe de ejus quidditate formaliter ſumptũ, ſed tantùm radicaliter.

Datur ergo intellectus, & intellectio, ſeu ſcientia in Deo: ille ſe habet ut potentia, & ut actus primus, iſta ut actus ſecundus, & ut talia, ſeu formaliter, ſunt velut modi intrinſeci, ac proprietates, & attributa eſſentiæ Divinæ, à qua formaliter diſtinguuntur, ſicut & intellectus ab intellectione.

QUÆSTIO II.

De objecto intellectus, & ſcientiæ Dei; an, & quomodo Deus cognoſcat ſe ipſum.

Quia ab objecto, & potentia paritur notitia, & potentia reſpicit objectum; poſtquam vidimus, in Deo eſſe intellectum, & ſcientiam, ſeu intellectionem; videndum eſt de illius objecto; pro quo non repetam objecti conditiones, nec diviſiones in *materiale*, & *formale*, *primarium*, & *ſecundarium*, *motivum*, & *terminativum*; de quibus ſæpiſſimè in Philoſophia. De his omnibus objecti differentiis procedit quæſtio, ſcilicet quid ſit, quod habeat rationem objecti ſcientiæ Dei.

Certum eſt autem objectum ejus adæquatum abſolutè, & ſimpliciter loquendo eſſe Ens in tota latitudine entis; ſeu omne cognoſcibile; nam cum ſcientia Dei ſit infinita, debet attingere, & comprehendere omne cognoſcibile, & ſic tam terminatur ad creaturas omnes, quàm ad eſſentiam ſuam, & attributa ſua omnia, quæcumque ſint; ſed quæſtio eſt de objecto *motivo*, & *primario*, & *formali*.

Certum eſt etiam motionem omnem, quà determinari poteſt intellectus Dei ad cognitionem eſſentiæ ſuæ, aut ullius entis, non eſſe Phyſicam, vel Intentionalem, qualis eſt in intellectu creato, quan-

do determinatur per objecta ad ſuas intellectiones, vel per ipſamet objecta, vel per ſpecies earum; ſed erit potiùs Metaphyſica; nam ipſa intellectio, & ſcientia divina eſt à ſe, & improducta, & per conſequens non poteſt pendere Phyſicè ab ulla cauſa; his ſuppoſitis.

Concl. 1. *Eſſentia divina, ſecundum ſe præciſe, eſt objectum motivum adæquatum intellectus, & ſcientiæ Dei eo modo, quo poteſt habere objectum: terminativum verò, & ſecundarium eſt omne cognoſcibile.*

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd totius *Theologiæ in ſe, & Dei, & beatorum primum ſubjectum eſt eſſentia divina, ut hæc:* & alibi docet, [2] quòd *Deus principaliter eſt ſapiens ſapientia, ſeu cognitione ſuæ eſſentiæ.* Dico, *objectum motivum*; nam, ut præmonui, quantùm ad terminativum, monet doctor ex Auguſt. quòd *nemo poteſt eſſe ſapiens, quantum ad plenitudinem omnem ſapientiæ, niſi cognitis ideis* (ſeu creaturis;) *quia licet Deus principaliter ſit ſapiens ſapientia ſuæ eſſentiæ, tamen non omni modo* eſſet ſapiens, *ſi non ſaperet creaturam, quæ creatura, ut intellecta ab ipſo eſt idea.* Item alibi dicit, [3] quòd *eſſentia divina ideo eſt primum objectum intellectus divini, quia ipſa ſola movet intellectum divinum & ad cognoſcendum ſe, et alia omnia cognoſcibilia ab ipſo intellecta.*

Prob. 2. illud eſt objectum motivum, & adæquatum intellectus, & ſcientiæ Dei, quod in ſe continet virtualiter, aut eminenter omne cognoſcibile, & quod eſt ipſum ſummum cognoſcibilium omnium, & maximè proportionatum ipſi ſapientiæ; ſed talis eſt eſſentia Dei, ſecundum ſe præcisè; ergo &c. minor patet ex dictis. Prob. maj. ex ipſa definitione talis objecti.

Prob. 3. quia nihil commodius poteſt aſſignari; ergo ita dicendum eſt. Prob. ant. ſi quid aliud poſſet commodè aſſignari, maximè ens ut ſic, vel attributa, vel creaturæ in ſe ipſis; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. prob. min. 1. de ente, ut ſic, jam præmonui, quod ita quidem dici poteſt, quoad objectum adæquatum terminativum, ſed cum illud non exi-

[1] *Q.3.Prol.N.n.13.* [2] *1.d.35.L.n.12.*
[3] *d.3.qu.3.D.n.5.*

exiſtat ſub hoc conceptu, ſic ſub illo non poteſt movere intellectum Dei, nec ejus ſcientia poteſt manare ab ipſo. 2. de creaturis in ſe ipſis, id à fortiori verum eſt; alioqui vileſceret nimium intellectus, & ſcientia Dei; ſi ſic ab illis manaret in ratione motivi, & præterea non continent eminentèr, nec virtualiter, nec formaliter eſſentiam, & attributa divina, quæ ſunt maximè intelligibilia. 3. non denique attributa ipſa propter eamdem rationem; ſiquidem illa omnia continentur radicaliter in eſſentia divina, non verò iſta in illis, niſi per identitatem.

Confir. ex PP. nam ut loquitur Sanct. Bernard. *optimum videndi genus, ſi nullo egueris ad omne, quod libuerit, te contentus: alioqui juvari aliunde obnoxium fieri eſt*; ſcilicet id repugnat nobilitati, & ſummitati divinæ, & intellectus, & ſcientiæ, ut aliquid accipiat extra ſe ipſum. Unde ajebat Syneſius, quòd *Deus ſui ipſius oculus eſt, quia ſe ipſum, & ſua omnia per ſe ipſum immediatè intuetur*.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto. [1] *Dico, quòd Theologia divina eſt de omnibus cognoſcibilibus, quia objectum primum Theologiæ ſuæ facit omnia alia, actu cognita, in intellectu ſuo, &c.* ſcilicet eſſentia Dei determinat intellectum ejus 1. ad ſui cognitionem; & 2. ad cognitionem rerum omnium quoad eſſentiam earum, & proprietates.

Prob. 2. ex dictis; nam ſcientia Dei eſt infinita; ergo eſt de omni ſcibili; non quidem ut omnia ſcibilia moveant intellectum Dei ad ſui cognitionem per ſe ipſa; nam ut dicebamus, vileſceret Dei ſcientia, quia ſic aliquo modo dependeret, & cauſaretur ab illis; ſed ad ea videnda movetur, & determinatur per eſſentiam ſuam, in qua virtualiter, & eminenter continentur; ergo ſunt de objecto ejus ſecundario, & determinativo.

Prob. denique tota concluſio, quia certum eſt, Deum cognoſcere tum eſſentiam ſuam, tum cætera omnia intelligibilia, & inter iſta poni debet aliquis ordo; ſed nullus aptior, & naturalior poteſt poni, quàm ſi determinetur primò, & immediatè per eſſentiam ſuam, quæ ſit objectum primarium; & terminetur ſecundò ad alia omnia; ergo ita

[1] *q.3.prol.X.n.23.*

ita dicendum eſt. Prob. min. ille ordo debet poni inter entia, quoad cognoſci, qualis eſt inter illa, quoad eſse, & repræſentari; ſed ita ſe habent quoad eſse, & repræſentari, ut eſsentia ſit per ſe, & à ſe, & ſic ſe repræſentet, ſcilicet per ſe, & à ſe immediatè, & alia entia non ſint, nec ſe repræſentent, nec à ſe, nec per ſe, ſed ab eſsentia, & in eſsentia, & per eſsentiam, ut patet; ergo &c.

Objic. contra 1. p. ſcientia Dei eſt ſimpliciter infinita; ergo primarium, & adæquatum ejus objectum motivum eſt non tantùm eſsentia præciſè, ſed etiam cum attributis, & omnibus ſcibilibus in ea repræſentatis. Prob. conſ. nam ſine illis ſcientia non eſt ſimpliciter infinita; deeſt enim illi hæc perfectio.

Reſp. neg. conſ. nam ut ſit abſolutè, & ſimpliciter infinita, ſufficit, quòd terminetur ad attributa ſua, & alia omnia ſcibilia, eo ordine, & modo, quo ſunt ſcibilia, & talis eſt ille ordo, & modus, quem ponimus pro dignitate illius; nam habita cognitione eſsentiæ, agnoſcitur objectum in ſe formaliter, & radicaliter infinitum, & continens ſimiliter attributa, & cætera omnia ſcibilia.

Inſt. objectum primarium, & motivum poteſt cognoſci ſine ſecundario; ergo poſset Deus ſcire ſuam eſsentiam ſine attributis, & creaturis; ſed hoc conſ. eſt falſum; alioqui ſcientia Dei non eſset intuitiva, nec comprehenſiva, ſed abſtractiva, & incompleta; ergo tam attributa, & creaturæ ſunt de objecto primario, quàm eſsentia.

Reſp. diſt. ant. quantùm eſt ex parte, & natura talium objectorum; conc. ex parte cognoſcentis, ſeu potentiæ; neg ant. & conſ. Deus eſt neceſsariò infinitus in cognoſcendo, ita ut ſcientia ejus ſit neceſsariò infinita, & comprehenſiva, & illi repugnet præſciſio, & abſtractio, & omnis imperfectio; tamen objecta illa de ſe talia ſunt, ut eſsentia ſit de ſe objectum primarium natura, & dignitate; cætera verò per ipſam, & in ipſa.

Objic. 2. ſi ſola eſsentia ſecundum ſe præciſè eſset objectum primarium adæquatum intellectus divini, verbum produceretur ex ejus cognitione ſola; ſed conſ. eſt falſum; ergo attributa ſunt de objecto primario. Min. patet; nam verbum procedit ex cogni-

tione

tione comprehenſiva, & adæquata Dei Patris, & eſt adæquata ejus imago, & ſic tam exprimit ejus attributa, Sapientiam, Juſtitiam, Potentiam, quàm eſſentiam. Prob. maj. nam procedit ex objecti primarii cognitione.

Reſp. neg. maj. & prob. ejus. Verbum enim procedit ex cognitione adæquata eſsentiæ, quæ continet attributa omnia, ſed eo ordine illa ei communicat, quo ſunt in ipſo, & in ejus ſcientia; ſcilicet primariò eſsentiam, tum attributa.

Objic. 3. attributa non minus ſunt infinitè perfecta, quàm eſsentia; ergo tam per ſe movent intellectum ad ſui cognitionem, quàm eſsentia; ergo ſunt etiam de objecto motivo primario.

Reſp. neg. conſ. quia, ut dictum eſt, quod primum eſt in Deo, primò movet, & cognoſcitur; ideo in primo ſigno intellectus habens ſibi præſentem, & objectam eſſentiam, ſic ab ea primò movetur ſufficienter.

Objic. 4. ſi eſsentia moveret intellectum ad cognitionem attributorum, & eorum omnium, quæ ſunt in Deo, neceſsariò cognoſceret etiam decreta ſua libera; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. prob. ma. quia tam neceſsariò moveret ad illa videnda, quàm ad alia attributa.

Reſp. diſt. maj. neceſsariò cognoſceret decreta libera, ſuppoſita eorum exiſtentia; conc. abſolutè, & in ſenſu diviſo: neg. maj. & conſ. Suppoſita exiſtentia decretorum non poteſt Deus ea neſcire in ſe; ſed antecedenter, ſicut poſset non habere illa, ita nec cognoſcere illa, ut exiſtentia: non enim poteſt ea cognoſcere, niſi qualiter, & qualia ſunt; ergo quia ſunt libera, & potuiſset ea non habere; ita cognoſcit, ut potuiſset non cognoſcere ſaltem ut exiſtentia.

Objic. contra 2. p. cognitio Dei non terminatur ad ſe ipſam; ergo non terminatur ad omne cognoſcibile. Patet conſ. nam illa etiam eſt cognoſcibilis; eſt enim ens, & quidem reale, & infinitum. Prob. ant. nihil eſt objectum ſuiipſius, nec ad ſeipſum terminatur ſub eadem formalitate; ergo cognitio Dei non terminatur ad ſe ipſam.

Reſp. neg. ant. & conſ. probationis; nam cùm Dei ſcientia ſit infinita, & comprehenſiva, debet etiam ſcire, ſe ſcire, & ſic cognoſcere ſe ipſam, an au-

tem ſic habeat rationem objecti , nec parum curo; dici poteſt, quòd agnoſcit ſe ipſam formaliter, ſicut cum ſentio calorem, vel dolorem, percipio, me ſentire, non per actum reflexum, ſed per ipſammet ſenſationem.

Concl. 2. *Deus ſe ipſum per ſe, ſummè, immediatè, & in ſe ipſo cognoſcit; et quidem comprehenſivè*. Ita Scotiſtæ, & alii contra quoſdam, qui volunt, Deum cognoſcere ſe per ſpeciem aliquam.

Prob. 1. ex Scoto [1] quia id docet de Angelo, quod ſe agnoſcit per eſſentiam ſuam, *quæ cum ſit unita ſuo intellectui, poteſt eſſe principium ſuæ intellectionis, quæ eſt operatio immanens*. Et de Deo id expreſsè aſſerit in Metaphyſica: [2] *non eſt in Deo alia ſpecies in actu, ſicut cum intellectus noſter intelligit; quia ſic in eo eſſet diverſitas, imo illud idem in ipſo eſt intellectus, & intellectum; & ideo ſe ipſum intelligit per ſe ipſum*. Ecce concluſionem, & ejus probationes. Quod etiam clarè docuit[3] in Theologia;nam ibi colligit, quòd Deo *ipſa ratio intelligendi ſe ſit idem ſibi, quia neceſſe eſt rationem intelligendi eſſe neceſſe eſſe, ſi intelligere ſit neceſſe eſſe. Ratio enim intelligendi ſe, quaſi præintelligitur ipſi intelligere*; quippe eſt cauſa, aut quaſi cauſa intellectionis.

Prob.2. quoad 1.p.ex Script.[4]quis enim *hominum poteſt ſcire conſilium Dei*; ſcilicet, *quæ ſunt Dei, nemo novit, niſi ſpiritus Dei*: certè ſi Deus ſe non cognoſceret,quis cognoſceret? Et:[5]*nemo novit Patrem, niſi Filius, & cui voluerit Filius revelare*, inquit Chriſtus D.

Prob. 2. ſummè intelligens, & ſummè intelligibile, unitum, & præſens non poteſt non illud intelligere; ſed Deus eſt ſummè intelligens, & intelligibilis, & perfectè ſibi præſens, & unitus; ergo non poteſt non ſe intelligere; nec in hoc immorandum.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto, quia in actionibus immanentibus, quò magis objectum eſt intra operantem, & illi unitum, eò perfectiùs ſe ipſum intelligit, & ſine medio; ſed Deus ſummè eſt non ſolum unitus, ſed unum; ergo ſummè, & immediatè intelligit ſe.

Prob.

[1] 2.*d*.3.*q*.8. A *n*.2. [2] 12.*Met*.*q*.22,*n*.2.
[3] 1.*d*.2.*q*.2.*V*.*n*.22.
[4] *Sap*.9. [5] 1.*Cor*.2.

Prob. maj. quia quò magis potentia unitur objecto, minùs eget medio, & objectum magis per ſe ipſum applicatur, & concurrit ad ſui cognitionem.

Confir. nam ſpecies dicitur Vicaria objecti; & ideò tantùm requiritur, vel ut ſuppleat ejus abſentiam, vel ut proportionetur potentiæ; ſed neutrum dici poteſt de eſſentia Dei reſpectu ſui intellectus; nec enim poteſt magis eſſe præſens, aut proportionata; cùm uterque ſit ſummè intelligibilis, & ſummè intellectivus, & ſummè unum; ergo immediatè prorſus Deus ſe intelligit; &, ſi non impoſſibilis, ſaltem fruſtra omninò fingitur ſpecies ulla.

3. Quia id etiam repugnat ex ratione cognitionis intuitivæ, in qua debet res cognoſci per ſe ipſam, ut præſentem.

Prob. 3. p. 1. ex Auguſt. [1] *Deus nihil extra ſe intuetur, ſed in ſe, tanquam in cauſa omnium.* Et [2] D. Dionyſ. docet, *divinam mentem ea, quæ ſunt, non ex iis, quæ ſunt, diſcentem noſſe, ſed ex ſe, & in ſe.*

Prob. 2. cognitio nobiliſſima debet eſſe in Deo; ſed iſta eſt ea, qua cognoſcit ſe ipſum, & in ſe, quæ eſt nobilior ea, qua cognoſceret ſe in alio; ergo talis eſt ejus cognitio ſui. Prob. min. quia ſi non poſſet cognoſcere ſe, niſi in alio, dependeret aliquo modo; & reſpectu ejus, eſſentia haberet ſe, ut objectum ſecundarium; aut ſcientia ejus de ſe ipſo eſſet diſcurſiva aliquo modo; ſed hæc dicunt imperfectiones repugnantes Deo; ergo &c. Denique ſi ut dicebam non agnoſcit alia extra ſe; ergo multò minùs ſe ipſum extra ſe videt.

Prob. 4. p. 1. illa cognitio eſt comprehenſiva, quæ adæquatur objecto, & illud tam perfecte cognoſcit, quàm cognoſcibile eſt: ſed intellectio, qua Deus ſe cognoſcit, adæquat, & exhaurit ejus cognoſcibilitatem: eſt enim infinita ſimpliciter, ſicut & ille; ergo & comprehenſiva.

Prob. 2. ex Script. [3] *Spiritus Dei ſcrutatur omnia, etiam profunda Dei*; nam nihil eſt in Deo, quod ſcientia ejus non attingat: ergo ſe ipſum comprehendit.

Objic. 1. contra 2. p. ſi Deus ſe, per ſuam eſſentiam, immediatè cognoſceret, diſtingueretur realiter ab illa; ſed conſ. eſt hæreticum; ergo & ant. Prob. maj.

[1] 83. qq. 46. [2] *de Div. nom. c. 7.* [3] 1. *Cor.* 2.

res cognoſcitur, prout movet, & concurrit ad ſui cognitionem; ergo diſtinguitur realiter & ab intellectu, quem movet, & à cognitione, quam cauſat; nec enim poteſt movere, nec cauſare ſe ipſam; unde, ex Scoto, & omnibus, movens, & motum, cauſa, & cauſatum diſtinguuntur realiter.

Reſp.neg.maj.& diſt.ant.prob. movet, & concurrit phyſicè, in creatis,conc.in Deo,neg.ant.nam,ut jam diximus, objectum divinum nec verè cauſat intellectionem, nec verè movet intellectum; ſed intellectio ab utroque eſt per quandam emanationem Metaphyſicam, & per ſummam identitatem cum utroque.

Inſt. anima noſtra, licèt immaterialis, & ſibi unita, non ſe cognoſcit per ſuam ſubſtantiam; ergo nec Deus. Conſ. patet, quia anima noſtra eſt etiam forma immaterialis. Ant.prob. experientia.

Reſp. diſt. ant. in ſtatu iſto unionis cum corpore, conc. in ſtatu ſeparationis, neg. Ut patet ex dicendis de Angelis. In ſtatu autem iſto anima nihil intelligit, niſi dependenter à phantaſmatibus propter dependentiam à ſenſibus.

Inſt. eſſentia Dei eſt nobis intimè præſens, & tamen non videtur à nobis in ſe; ergo ita eſt de illa reſpectu ſui intellectus.

Reſp.neg. conſ. & diſparitas eſt, quia Dei eſſentia non eſt objectum proportionatum intellectui noſtro naturaliter, & ad extra non movet, niſi voluntariè, quia eſt objectum voluntarium.

Objic. contra 3.p.Deus cognoſcit perfectiſſimè creaturas, ſed non poteſt ſic eas cognoſcere, quin ſe in ipſis videat; ergo videt ſe in creaturis, & non tantùm in ſe ipſo. Prob.min. Non poteſt perfectè cognoſcere creaturas, niſi cognoſcat dependentiam, & relationem earum ad ipſum; ſed eam relationem videre non poteſt in illis, quin ſe etiam videat; ergo &c.

Reſp. neg.min. utriuſque argumenti; nam videre dependentiam unius ab alio, non eſt, iſtud in eo videre: ſed ad ſummum cum illo, & ut terminum dependentiæ, & quoad Deum, hæc omnia videt in ſe ipſo meliùs, quàm in creaturis, ut in objecto motivo primario, & principali.

Objic. contra 4.p.quod comprehenditur, *eſt finitum comprehenſori*, ex Auguſt. ergo ſi Deus ſe comprehenderet,

deret, eſſet finitus ſibi. Et præterea, dicitur abſolutè incomprehenſibilis, & incomprehenſibilitas eſt ejus attributum reale; ergo Deus non poteſt ne à ſe ipſo quidem comprehendi.

Reſp. neg. utramque conſ. Nam illa finitudo eſt Metaphyſica, & ſignificat, quòd cognitio æquatur, & commenſuratur toti cognoſcibilitati objecti, quod non impedit infinitatem in Deo reſpectu ſui intellectus, qui eſt pariter infinitus. Idem eſt de incomprehenſibilitate, quæ talis eſt reſpectu cujuslibet intellectus creati, & finiti.

QUÆSTIO III.

De objectis ſecundariis ſcientiæ Dei; an, & quomodo Deus cognoſcat creaturas tam exiſtentes, quàm poſſibiles.

SCientia Dei entitativè eſt una, ſimplex, & perfectè indiviſibilis formaliter, & actus, qui realiter eſt ipſe Deus, ſed terminativè eſt multiplex ſecundum diverſitatem ſpecificam, & genericam objectorum ſecundariorum; nam reſpectu primarii eſt etiam ſummè una; illa verò objecta ſunt vel de facto *exiſtentia*, vel *præterita*, quæ quondam extiterunt; vel *futura*, quæ nondum extiterunt; ſed quæ exiſtent aliquando; ſcilicet eo tempore, quo Deus decrevit; vel purè *poſsibilia*, quibus non repugnat exiſtere, & exiſterent aliquando, ſi Deus vellet, tamen nunquam extiterunt, nec exiſtent. Scientia, quæ terminatur ad *exiſtentia*, vel *futura*, aut *præterita*, vocatur *libera*, & *viſionis*; quæ verò terminatur ad purè *poſſibilia*, dicitur *ſimplicis intelligentiæ*, & *naturalis*: prior dicitur *libera*, quia cum futuritio, & exiſtentia, & præteritio dependeat à Dei voluntate, ita & ſcientia de illis: poſterior verò *naturalis*, quia eſt *neceſſaria*, & ſequitur naturam Dei, & objectorum; & antecedit omne decretum divinæ voluntatis. Quidam addunt ſcientiam *conditionatorum*, id eſt eorum, quorum exiſtentia dependet à quibuſdam conditionibus dependentibus à cauſis liberis, & exiſtentibus, vel futuris, & iſta videtur pertinere ad ſcientiam liberam, ſeu viſionis, ſed tamen quia conditiones

non ponuntur, nec ponentur defectu voluntatis, ideo illa non erunt, ſed manebunt in ordine poſſibilium, & ideo volunt, ut ſcientia, quæ terminatur ad illa, participet de *naturali*, & *libera*, & ſit velut *media* inter illas; unde vocatur *media*.

Præterea, ſicut jam diximus, ſola eſſentia divina ſecundum ſe, & in ſe, eſt de objecto primario; alia verò omnia, & maximè illa, quæ ſunt extra illam, ut creaturæ ſunt de ſecundario, ſi cognoſcantur à Deo. Unde quærimus hìc, an omnes prorſus cognoſcantur, & quidem vel confusè, vel diſtinctè, & ſigillatim, ne minima quidem excepta.

Rurſus quærimus, quomodo illas cognoſcat, an immediatè in ipſiſmet creaturis, ita ut cognitio Dei terminetur ad illas in eſse proprio, quod habent, vel habere poſsunt in ſe ipſis, an in eſſe eminentiali, virtuali, aut ideali, & repræſentativo, quod habent in eſsentia ejus, vel in utroque.

Concl. 1. *Deus cognoſcit omnia prorſus entia creata, aut creabilia, & quidem in ſe ipſo*. Eſt de fide, contra Ethnicos Philoſophos, & impios, qui ut libentiùs ſuis volutentur vitiis, [1] *dixerunt*, *non videbit Dominus*, *nec intelliget Deus Jacob*. Et: *quomodo ſcit Deus, & ſi eſt ſcientia in excelſo?* Alii eum uſque ad hæc infima non deſcendere putabant: [2] *circa cardines cæli ambulat*, ut inquiunt, *& non conſiderat*. Philoſophi verò putarunt, dedecere Deum; ſi ad minutiſſima hæc inferiora demittat oculos: *nam*, inquit Ariſt. [3] *inconveniens eſt*, *meditari de quibuſdam* (ſcilicet de viliſſimis) ideo concludit, *palam ergo*, *quòd diviniſſimum*, *et honorabiliſſimum intelligit*: ſcilicet *objectum intelligentiæ Dei eſt divinisſimum*, *et honorabilisſimum*, inquit Doctor. [4]

Probatur 1. ex Scoto cit. in præcedenti, ubi dicit, quòd *non eſt in Deo aliqua ſpecies*, *ſicut in intellectu noſtro . . . quia ſic in eo eſſet diverſitas*; *imò illud idem in ipſo eſt intellectus*, *et intellectum*, *et ideo ſe ipſum intelligit per ſe ipſum*. Et aſserit [5] poſitivè, *quod intellectus primi*, ſeu Dei, *ſem-*

[1] *Pſ.93.et 71.* [2] *Job.22.*
[3] 12.*Met.t.*50. [4] *Ibid.q.21.n.24.*
[5] *1.d.2.q.2.V.n.24.*

ſemper intelligit, & diſtincto actu, & neceſſario quodcumque intelligibile prius naturaliter, quàm illud ſit in ſe; ergo diſtinctiſſimè Deus cognoſcit omne intelligibile ſed omne prorſus ens creatum, & creabile eſt intelligibile; ergo, &c. Idem iiſdem ferè verbis, ſed expreſſius alibi: [1] *Intellectus intelligit actu ſemper neceſſario, & diſtinctè quodcumque intelligibile, prius naturaliter, quàm illud ſit in ſe;* ergo illud intelligere non poteſt, niſi in ſe ipſo. Vide quâ fide, & fronte potuerint aliqui tribuere Scoto, quòd docuerit, Deum creaturas cognoſcere in illis ipſis, non in ſe ipſo.

Prob.2. quoad 1. p. & 1. ex Script. [2] *Vidit cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Et Job [3] *tempus poſuit tenebris, & univerſorum finem ipſe conſiderat, lapidem quoque caliginis, & umbram mortis. Nonne ipſe conſiderat vias meas, & cunctos greſſus dinumerat?* Et David: [4] *Tu cognoviſti me, ſeſſionem meam, & reſurrectionem meam: intellexiſti cogitationes meas de longe, tu cognoviſti omnia noviſſima, & antiqua.* Et Eccleſiaſticus [5] arguit impium, quod non intelligit, quoniam omnia videt oculus illius: quòd *oculi Domini multo lucidiores ſunt ſuper Solem, conſpicientes omnes vias hominum.* Et paulò poſt, quòd *opera omnis carnis coram illo, & non eſt quidquam abſconditum ab oculis ejus*, &c. Et Chriſtus ipſe: *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*, &c. ſcilicet coram Deo; ergo nulla eſt creatura, quantùcùmque vilis, & minima, quam Deus non cognoſcat numericè, & diſtinctiſſimè; quid enim minutius, quàm capilli capitis, quàm greſſus, & cogitationes, & motus, & umbræ, & tenebræ? ſed nihil horum ignorat, aut negligit intelligere; ergo nihil. Et de poſſibilibus probat, quando dicit, *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quæ ſunt.*

Prob.2. ex Patribus, ut ex Auguſt. [6] ſupra citato; nam eadem ratione, & fundamento, quo credimus, Deum omnia prorſus feciſſe, aut facere poſſe, ita & credere debemus, omnia noſſe. *Non enim*

opi-

[1] *de 1. prin. c.4. n.14.*
[2] *Gen.1.* [3] 28. & 31.
[4] *Pſal.138.* [5] *Eccle.23. & 29.*
[6] *5. de Gen. ad litt. C.13.*

opinor, inquit, *hominem, qui illud credit, eſſe tam excordem, ut Deum, quæ non noverat, feciſſe arbitretur:* & prodigo, ac peccatori applicans verba citata ex Pſal. [1] inquit: *Ecce Domine tu cognoviſti omnia noviſſima mea, quando porcos pavi; cognoviſti antiqua mea, quando à te partem ſubſtantiæ meæ expetivi*. Et S. Hier. *ſuperbæ, & inſolentes cogitationes Deum non fallunt: agnoſcit omnia, & nihil ſcientiæ ejus impenetrabile eſt*. [2] Et S. Ireneus: *omnia, quæ facta ſunt, fient, & fiunt, ita ſciri video, ut det illis ſingulis ſpeciem, habitum, ordinem, numerum, quantitatem*, &c. Nihil ſæpius occurrit in lectione SS. PP.

Prob. 3. rationibus Scoti, [3] quia *hoc eſt perfectionis in intellectu, poſſe diſtinctè cognoſcere quodcumque intelligibile, imò eſt neceſſarium ad rationem intellectus, quia omnis intellectus eſt totius entis communiſſimè ſumpti intellectivus*, ut patet ex Philoſophia; *ergo Deus habet actuale, & diſtinctum intelligere cujuſcumque intelligibilis:* ex hoc intelligere eſt *idem ſibi*; ſed nullum eſt ens exiſtens, præteritum, aut futurum, aut poſſibile, quod non ſit intelligibile, nam intelligibilitas eſt proprietas entis; ergo nullum eſt, quod Deus non intelligat.

Prob. 4. eadem pars ex eodem, [4] *omnis artifex cognoſcit diſtinctè omne agendum, antequam fiat, alias non perfectè operaretur; ergo Deus omnium producibilium habet à ſe notitiam diſtinctam actualem*.

Prob. denique, quia ſcientia ejus non eſſet infinita, niſi omnia prorſus intelligeret diſtinctiſſimè.

Prob. 2. p. 1. ex eodem, [5] quia omne aliud ab ipſo eſt poſterius ipſo; ergo ſcientia ejus præcedit in eſſe omne ens creatum, etiam in eſſe poſſibili; ergo non poteſt intelligere alia, niſi in ſe, nam omnis ſcientia, & intellectio eſt aliqua ratione poſterior objecto ſuo. Ideo dicit Doctor, [6] quòd eſſentia Dei eſt illi *naturale motivum ad intelligendum quodcumque intelligibile ſimplex, & quòd objectum primum Theologiæ, quod eſt Deus, facit omnia alia actu cognita in intellectu divino*.

Prob. 2. ex eodem, [7] quia ſi Deus cognoſceret crea-

[1] *Pſal.* 137. [2] *lib.* 2. *c.* 45. [3] *De* 1. *prin. cit.* [4] *Ib.* [5] *Ib.* [6] *quodl.* 14. *n.* 14. [7] *Q. Prol. cit. X. n.* 23.

creaturas in ipſis, ſcientia ejus vileſceret: quia acciperet aliquo modo ſuum eſſe à creaturis, ſicut ab objectis immediatis: *vileſceret*, air, [1] *intellectus divinus pro eo, quod pateretur ab aliquo alio ab eſſentia ſua, ... quia linea imprimeret quaſi cogitationem iſtarum veritatum in intellectu divino*, &c. Et *hoc videtur viliſicare intellectum divinum, quia tunc eſſet paſſivus aliorum objectorum cognitorum*.

Prob.3. ex PP. nam S. Dionyſ. [2] docet, quòd *Dei ſapientia ſe ipſam noſcens ſcit omnia materialia ſine materia, & indiviſè diviſibilia, & unicè multa ....hac igitur ratione Deus res cognoſcens, non ſcientia rerum, ſed ſui ipſius ipſas novit*. Et Aug. [3] eandem Dei ſapientiam, ſeu verbum, *artem quandam* vocat *plenam omnium rerum viventium ..... ibi novit Deus omnia, quæ fecit per ſe ipſum*, & id colligit ex illis verbis Joannis 1. *quod factum eſt, in ipſo vita erat, dicens, in qua vita vidit omnia, quando fecit, & ſicut vidit, ita fecit, non præter ſe ipſum videns, ſed in ſe ipſo*.

Prob.4. ex eodem; nam, inquit, [4] *cognitio creaturæ in ſe ipſa decoloratior eſt, quàm cum in Dei ſapientia cognoſcitur, velut in arte, per quam facta eſt*, ſed cognitio creaturæ tribuenda eſt Deo perfectiſſima, quæ poſſit excogitari; ergo dicendum, quòd eas cognoſcit in ſe ipſo.

Prob. denique, tum quia ſi Deus cognoſceret creaturas in ſe ipſis, non cognoſceret purè poſſibilia, nec per conſequens omnia; ſed falſum conſ. ergo, &c. Minor admittitur ab omnibus, & patet ex Script. dicente, quòd *omnia novit, antequam ſint*. Prob. ſeq. maj. nam poſſibilia ſunt nihil; ergo non poſſunt de ſe cauſare ſcientiam.

Objic.1. contra 1. p. *abſurdum eſt ad hoc deducere Dei majeſtatem, ut ſciat per momenta ſingula, quot naſcantur culices, quot moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muſcarum in terra ſit multitudo? non ſimus tam fatui adulatores Dei*; ait S. Hier. [5] ergo ex SS. PP. non debemus demittere ſcientiam Dei ad omnes prorſus creaturas, etiam viliſſimas, ne ad exi-

[1] 1.*d*.35.*D.n*.5. [2] *de Div. nom. cap*.7.
[3] 6. *de Tri.c*.10. [4] 5. *de Gen. ad litt.*
[5] *In c*.1. *Habacuc*.

xiſtentes quidem; ergo multò minus ad omnes etiam poſſibiles.

Reſp. neg. conſ. nec enim id cogitavit S. Hieron. ſed tantum, quod in comparatione curæ, & providentiæ, quam habet de hominibus, & Angelis, quos ad vitam æternam deſtinat, cenſendus eſt, minutiora non curare, alioqui ſibi contradiceret; nam alibi dicit, juxta Euangelium, & Chriſti verba: *ſi parva animalia, & vilia abſque Deo authore non decidunt, & in omnibus eſt providentia, vos, qui æterni eſtis, non debetis timere, quòd abſque Dei vivatis Providentia.*

Objic. 2. ſi Deus omnia omninò diſtinctè, & actu cognoſceret, etiam poſſibilia, cognoſceret ipſam ſuam cognitionem; ſed hoc eſt abſurdum; ergo, &c. Prob. min. 1. nam cognitionem noſceret per aliam, & hanc rurſus per aliam, & ſic in infinitum. 2. quia daretur infinitum actu, quia cognoſceret infinitas unitates, & ſpecies, & ſic illa infinita eſſent actu in cognitione Dei. Idem eſt de partibus omnibus, in quas diviſibile eſt continuum; ſed hoc eſt contra nos, qui negamus infinitum actu; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. nam, ut dictum eſt, ipſa ejus cognitio cognoſcitur immediatè per ſe ipſam, ſicut non video, me videre per aliam viſionem, quaſi reflexam, ſed per ipſammet. Ad inſtantiam de infinitis unitatibus, & partibus, dico, quod, ſi illæ poſſibiles ſint, illas pariter cognoſcit; ſed ſicut infinitæ ſunt poſſibiles in ſe ſyncategorematicè tantum, ita & in mente Dei. Idem eſt de partibus continui.

Objic. 3. ſequeretur, cognitionem Dei dependere ab omnibus creaturis, nam omnis ſcientia dependet ab objecto; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. rationem ejus, dependet ab objecto diſtincto, & motivo primario, conc. ab objecto ſecundario, & purè terminativo, neg. Creaturæ autem ſunt de objecto ſecundario, & purè terminativo, & quidem extrinſeco.

Inſt. mutato objecto ſecundario, & terminativo, mutatur ſcientia; ergo hæc dependet etiam ab objecto terminativo, & ſecundario, hoc autem adhuc repugnat Deo; ergo & illud.

Reſp. diſt. ant. mutatur extrinſecè, & denominativè, conc. intrinſecè, & formaliter, neg. ant. & ſub-

ſum-

ſumptum. Nam hæc mutatio nullam dicit imperfe-ctionem in ſcientia, ſed in tali objecto, quod eſt in ſe mutabile, & defectibile.

Inſt.2. Intellectus intelligendo fit rés cognita, ſaltem intentionaliter: ſed repugnat Deo fieri etiam intentionaliter creaturas; ergo & eas intelligere.

Reſp.diſt. maj. fit res cognita immediatè, & primariò, conc. maj. & neg. min. cognita ſecundariò, & mediatè, neg. maj. & conſ. Nam cùm intellectus Dei fæcundetur, & terminetur aliquo modo ad cognitionem omnem ſuam per ſuam eſsentiam, ut objectum primarium, non aſſimilatur, nec fit intentionaliter creatura, quam intelligit, quia hæc non unitur illi nec per ſe, nec per ſpeciem in ratione objecti.

Objic. contra 2. p. & inſt. con. præced. reſponſ. eſſentia Dei non poteſt concurrere ad cognitionem creaturarum, niſi eas repræſentet; ſed non poteſt eas repræſentare; ergo nec facere illas cognoſci. Prob. min. non poteſt eas repræſentare in eſſe reali, nec intelligibili; ergo, &c. Prob. ant. non 1. in eſſe reali, alioqui eſset formaliter lapis, v. g. leo, muſca, &c. non 2. in eſse intelligibili, quia iſtud eſse ſequitur eſse entitativum; ſed non continet iſtud; ergo nec illud.

Reſp. neg. min. & 2. p. prob. nam ſicut continet eminenter virtualiter eſse entitativum, ita & intelligibilitatem creaturarum.

Objic.2. mediũ ſciẽtiæ, & res, quæ per ſcientiã ſcitur, debẽt neceſsariò eſse connexa, alioqui nõ parerẽt ſciẽtiã; ſed nulla eſt neceſsaria connexio inter eſsentiam Dei, & creaturas; ergo iſtæ nõ poſsũt in illa cognoſci, ut medio. Prob. min. inter neceſsariũ, & contingẽs non poteſt eſse connexio neceſsaria, alioqui mutato, vel ceſsãte cõtingẽti, deberet mutari, aut ceſsare neceſsariũ, vel ambo eſsent immutabilia, & neceſsaria; ſed utrũque iſtud eſt falsũ de Deo, & creatura; ergo & illud.

Reſp. diſt. maj. ſub ea ratione, ſub qua unum aliud facit ſciri, conc. maj. alio modo, neg. maj. & conſ. Creaturæ autem, ſecundum quod repræſentantur per eſsentiam, ſcientiæ Dei neceſsariò repræſentantur; nam illa repræſentatio eſt ipſa Dei eſsentia, ut eminenter virtualiter continens illarum eſse, & intelligibilitatem. Hoc non eſt difficile quoad eſse eſsentiæ, & poſſibilitatis, quia utrumque eſt neceſsarium;

quoad

quoad eſſe autem exiſtentiæ, vel futuritionis, aut præteritionis, videbimus, quæ ſit iſta ratio videndi, pro nunc ſupponimus ea videri in decretis, quæ ſuppoſita Dei voluntatis determinatione, & in ſenſu compoſito ſunt neceſſaria.

Concl.2. *Deus non cognoſcit creaturas immediatè in ſe ipſis, tanquam per rationem motivam, ſed purè tanquam objectum ſecundariò, & mediatè terminativum,* eſt contra aliquos Scotiſtas, & recentiores.

Prob.1. p. ex Scoto cit. pro 2. p. præcedentis, quia ſcilicet *vileſceret intellectus Dei*, quia cognitio illa ejus ſpecificaretur, & aliquo modo acciperet eſſe ab illis rebus, quod deſumpſit Doctor ex Dionyſ. cit. *neque enim ea, quæ ſunt, ex his, quæ ſunt, diſcens, novit divina mens, ſed ex ſe in ſe rerum cognitionem habet;* ergo Deus non poteſt accipere ullo modo propriè cognitionem à rebus.

Prob.2. quia Deus in ſe ipſo perfectiſſimè cognoſcit creaturas; ergo ſuperflueret cognitio alia earum in ſe ipſis, 3. quia talis cognitio, accepta ab objectis creatis, eſſet finita, quia à ſingulis limitaretur: cognitio, quam acciperet à lapide, limitaretur ad lapidem, & non eſſet cognitio ligni, vel ignis, &c. ſaltem formaliter, nec enim lapis poſſet tribuere cognitioni ſuæ, quam cauſaret, majorem entitatem, quam habet in ſe; ſed hæc eſt finita; ergo & illa eſſet finita.

Prob.2. p. ex Scoto,[1]nam præter objectum motivum, & primò terminativum, quod debet eſſe illimitatum, *aliud eſt objectum ſecundariò terminans, nec oportet iſtud eſſe illimitatum*, &c.

Prob.2. p. nam ſic cognitio Dei nihil accipit, & intellectus ejus nihil patitur ab hoc objecto mediatè tantùm, & ſecundariò terminante illam, & ſic terminare nihil aliud eſt, quàm verè cognoſci, ut eſt in ſe, vel eſſe poteſt; ſed Deus verè cognoſcit res omnes, quales ſunt, vel eſſe poſſunt in ſe; ergo, &c.

Objic.1. intellectus Dei agit naturaliter, & neceſſariò in objectum ſuum; ergo illud cognoſcit omni modo poſſibili ſine imperfectione; ſed creatura in ſe ipſa cognoſci poteſt ſine imperfectione; ergo Deus ita eam cognoſcit. Prob. ſubſ. illa cognitio non ſolum non dicit imperfectionem, ſed perfectionem; quia

[1] 1.*d*.35.*M*.*n*.15.

quia ſic cognoſcitur objectum directè, & immediatè in ſe, & comprehenſivè; ſed hoc eſt perfectio ſine imperfectione; ergo, &c.

Reſp. neg. ſubſ. & min. prob. ejus. Nam ad perfectionem ſimpliciter in cognitione divina ſufficit cognoſcere comprehenſivè objectum ſuum, & imperfectio eſſet ab eo aliqualiter dependere, ſi illud ſit diſtinctum, & limitatum. Si autem creatura moveret, & terminaret immediatè, & per ſe intellectum ad ſui cognitionem, hic ab ea pateretur, & reciperet aliud auxilium, & complementum.

Objic. 2. creaturæ ſunt immediatè cognoſcibiles in ſe; ergo ita debent cognoſci à Deo, quia debet cognoſcere res, ſicuti ſunt, ſi verò cognoſceret eas tantum in ſe ipſo, non agnóſceret eas, ſicut ſunt in ſe ipſis in ſuo eſſe formali; ſed ſicut ſunt virtualiter, & eminenter in Deo; ergo, &c.

Reſp. diſt. ant. ab intellectu finito, conc. à divino, & infinito, neg. ant. & conſ. Ad prob. dico, res ſufficienter comprehendi à Deo ſecundum totum ſuum eſſe formale, hoc ipſo, quòd terminant ſecundariò, & mediatè ejus cognitionem, abſque eo, quòd moveant, & determinent ejus intellectum per ſe ipſas, & per ſuum eſſe formale, quod dedeceret Deum.

Inſt. quod non cognoſcitur, niſi in alio, non cognoſcitur in ſe ipſo; ſed, per nos, creatura non cognoſcitur, niſi in alio, ſcilicet Deo; ergo non cognoſcitur in ſe ipſa.

Reſp. neg. maj. Nam ut aliquid cognoſcatur in ſe ipſo, ſufficit, quòd cognitio terminetur ad illud, ut patet de re viſa in ſpeculo, quæ non ſolum cognoſcitur, ut eſt in ſpeculo, ſed etiam pro ut eſt in ſe.

Objic. 3. quod non cognoſcitur immediatè in ſe ipſo, & per ſe ipſum, ſed per aliud, non cognoſcitur intuitivè; ſed creaturæ non cognoſcerentur à Deo, niſi in alio; ergo non cognoſcerentur intuitivè.

Reſp. diſt. maj. ſi non ſint in alio illo eminentiori, & perfectiori modo, conc. ſi ſint, neg. maj. Creaturæ autem cognoſcuntur immediatè in eſſentia, in qua nobiliori, & perfectiori modo ſunt, & repræſentantur, quàm in ſe ipſis.

Objic. contra 2. par. poſſibilia nullum habent verum eſſe, quo poſſint terminare cognitionem divinam;

nam, tam ſecundariò, quàm primario; ergo ne ſecundariò quidē poſſunt cognoſci in ſe ipſis. Prob.ant. illud eſſe vel eſt creatum, & dependens à Deo, vel increatum, & independens: ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. 1. non creatum, alioqui non eſſent amplius in ſtatu poſſibilitatis. 2. non increatum alioqui non eſſent creaturæ; ergo, &c.

Reſp. neg.ant. & maj. prob. nec enim illud eſſe poſſibilium (idem eſt de futuris in æternitate) eſt creatum, nec increatum, quia non eſt quid reale extra cauſas, ſed quid poſſibile eſt, quod illa habent, partim à ſe ipſis, quatenus ex ſe non repugnat illis eſſe extra cauſas, partim ab intellectu divino, qui dat illis eſſe objectivum, ſeu cognitum. De quo in Metaphyſica.

QUÆSTIO IV.

De cognitione poſſibilium, quomodo cognoſcantur.

IAm vidimus, creaturas omnes à Deo ſciri, tam poſſibiles, quàm exiſtentes, aut futuras, & quidem in ipſomet, velut in objecto primario: quærimus hìc ſub qua ratione illæ repræſententur in Deo, an ſub ratione cauſæ earum efficientis, & quatenus eas continet virtualiter, an in ratione ſpeciei, ſeu repræſentationis earum formalis impreſſæ, vel expreſſæ, ſcilicet in ipſa ſua intellectione, an ſub ratione cauſæ illarum exemplaris, per modum ideæ, an denique, ut continet illas eminenter in eſſe intelligibili earum, potiuſquam in eſſe entitativo, & an præter cognitionem earum in ſe, cognoſcat eas etiam in ipſiſmet, ſeu in proprio genere.

Concl. 1. *Eſſentia Dei non eſt medium, ſeu ratio cognoſcendi res maximè poſſibiles 1. neque ut cauſa, ſive in omnipotentia: 2. neque ut ſpeculum: 3. neque ut ſpecies expreſſa: 4. nec impreſſa earum: nec 5. ut idea earum: ſed tanquam in objecto primario prius cognito, quod illas continet eminenter, virtualiter in eſſe cognoſcibili.* Ita Scotiſtæ, & alii.

Prob. 1. ex Scoto, [1] dicente, quòd *Deus per ſuam eſſentiam, ut habet rationem idealem, cognoſcit omnia,*

[1] *de rer.princ.q.4.n.43.1.p.1.q.1.H.n.8.*

nia, tam univerſalia, quàm particularia, comparando eſsentiam ad intellectum ejus, (Dei) *quæ eſt primum objectum intellectus ſui, & voluntatis ſuæ, & comparando alia objecta, quæ ſunt ſecundaria, ad intellectum, & voluntatem divinam, quæ non ſunt ex ſe objecta, ſed producta per intellectum, & voluntatem in eſse objecti, eſt ſecundum inſtans naturæ.* Ubi vides, ſemper eſsentiam habere ſe; ut objectum primarium, quod continet omnia intelligibilia, non ſolùm virtualiter eminenter, ſed etiam virtualiter quoad eſſe intelligibile, ſeu in eſſe objecti; quod omnia habent in illa, & per illam. Ideo *lapis videtur in eſsentia divina, ut objectum ſecundarium in primo objecto*, &c. Igitur creaturæ omnes, tam poſſibiles, quàm exiſtentes habent in eſsentia Dei quiddam intelligibile, virtualiter eminenter contentum in eſsentia divina, inquit Macedo, [1] per quod illa videntur ab intellectu ejus, & ponuntur in eſſe actuali cognito.

Prob.2. 1. p. quia non eſt cauſa rerum, ut natura, ſed per intellectum, & voluntatem: ergo ſub ea ratione cauſæ eſsentia non eſt medium cognitionis rerum, maximè poſſibilium, quæ non cauſantur, & quarum cognitio ſecundum modum noſtrum concipiendi præſupponitur omnipotentiæ, nam priùs eſt rem non repugnare, & intelligi, quàm poſse produci per omnipotentiam, poſſibilitatem enim Logicam, & Metaphyſicam habent res ab intrinſeca ſua natura, non à Dei potentia; ut diximus in Metaph. unde res, ſecundum ſuam eſsentiam, non continentur in Deo, ſecundum omnipotentiam, ſed ſecundum eſsentiam primam, & à ſe, & infinitam, præcisè, quia quoad eſse eſsentiæ non pendent ab omnipotentia, ſed tantùm quoad eſse exiſtentiæ; ergo eſsentia Dei, ut omnipotens, & cauſa rerum, non eſt medium cognoſcendi poſſibilia, ſeu res, quoad eſsentiam.

Prob.2. p.1. ex Scoto. [2] *Lapis videtur in eſsentia divina, non ut in ſpeculo, in quo reluceat, ut objectum præſens, ſed ipſa eſsentia ſe ſola ſuo intellectui ſe repræſentat ante actum intelligendi; ſed lapis videtur in eſsentia divina, ut objectum ſecundarium* in

[1] *Quodlib.14.& 15.*
[2] *Quodlib.14.CC.n.20.*

In primo objecto .... ordine primi objecti, &c. ergo ex Scoto, eſſentia in ordine ad cognitionem creaturarum, maximè poſſibilium, non ſe habet propriè ut ſpeculum, quia ſpeculum, ut tale, non exhibet, niſi ea, quæ ſunt per proprium eſſe coram illo, hinc

Prob. 2. quia PP. quidem, & Concilium Senonenſe, & ipſe Scotus ſæpè utuntur comparatione ſpeculi ad explicandum, quomodo videantur creaturæ in Deo; *ut ſpeculum voluntarium repræſentans omnia*, ſed tamen id non poteſt dici in ſenſu verè Scholaſtico, nec quoad intellectum creatum, nec quoad divinum; ergo eſſentia non ſe habet propriè, ut ſpeculum in concurſu ad cognitionem creaturarum. Prob. ant. nam 1. intellectui creato eſſentia Dei repræſentat ſe, & alia, prout vult, ſpeculum verò naturaliter, & neceſſariò, quantum eſt ex ſe. 2. ſpeculum ipſum, & quæ repræſentantur in eo, à nobis videntur diverſis actibus, non ſic eſſentia Dei, & res in ea exhibitæ. 3. ſpeculum de ſe nihil repræſentat, ſi nullum objectum adſit, in eſſe proprio, eſſentia de ſe omnia exhibet, etiam non exiſtentia, nec extitura, &c. ergo non valet comparatio ſpeculi cum eſſentia Dei in repræſentatione creaturarum intellectui creato. Quod ad increatum verò, patet ex ratione Scoti, quia ad rationem ſpecularis repræſentationis requiritur præſentia aliqua objecti viſi per ſpeculum; ſed nulla talis adeſt in Deo præter eſſentiam ipſam, maximè pro poſſibilibus; ergo, &c.

Dices, Theologos non loqui de ſpeculo, in ſenſu vulgari, ut ſupponit argumentum, quaſi eſſentia nudè ſpectata repræſentet objectum extraneum ſibi præſens; ſed in ſenſu Theologico, quatenus eſſentia cum ſua formali intellectione, quæ eſt ſpecies expreſſa, & expreſſiva rerum omnium, eſt medium, in quo intellectus ipſe Dei videt eas.

Sed contra, quia non quærimus de ratione formali, qua concipitur Deus ſciens omnia, quæ eſt ipſa formalis ſcientia, ſeu intellectio: ſed de ratione objectiva, & virtuali, quæ præſupponitur, & ad quam ſequitur illa formalis intellectio rerum; hinc

Prob. 3. p. quia ſpecies expreſſa, & actus ſecundus cognitionis eſſentiæ, & rerum poſſibilium ſupponit intellectum ſub actu primo, & per conſequens cum

obje-

objecto aliquo ad illam concurrente, ut ſæpè dictum eſt; ergo illa intellectio actualis, & formalis rerum, per modum ſpeciei expreſsæ, non eſt ratio objectiva, & medium cognoſcendi res poſſibiles; ſed ipſa earum cognitio formalis.

Prob. 2. nam ipſa formalis intellectio diſtinguitur formaliter ex natura rei ab eſſentia, & intellectu; ergo non eſt eſſentiæ ipſi ratio exhibendi creaturas, nec intellectui eas cognoſcendi; & certè non negamus, Deum per hanc cognitionem, & in ea cognoſcere creaturas; ſed hoc non erit cognoſcere res in eſſentia ſua, ſed in ſua ſcientia, ſeu intellectione.

Prob.4. p. de ſpecie impreſſa. 1. quia ſpecies impreſſa, ut talis, ita eſt ratio cognoſcendi, ut ipſa non cognoſcatur, non enim repræſentat, ut cognita, ut patet ex Philoſophia; ſed eſſentia concurrit ad cognitionem creaturarum, ut prius in ſe cognita; ergo non ſe habet propriè, ut ſpecies impreſſa. 2. quia ſpecies impreſſa, ut talis, non cauſat cognitionem intuitivam; ſed Deus in ſe cognoſcit intuitivè res omnes; ergo non eas cognoſcit in eſſentia, ut in ſpecie impreſſa, ſaltem in rigore Philoſophico.

Dico, *in rigore Philoſophico*, & *Scholaſtico*, nam aliquo ſenſu poteſt dici, quòd eſſentia hic obit munus ſpeciei, quatenus ſupplet vicem objecti, ſcilicet creaturarum, & objectorum ſecundariorum, & illa in ſe, & per ſe repræſentat intellectui divino, & ipſis beatis, ut diximus; ſed tamen longè nobiliori, & differenti modo id præſtat, quàm ſpecies: nempe quia priùs movet ad ſui cognitionem, quàm ad cognitionem creaturarum, & ſecundariò, & conſequenter tantum ad cognitionem creaturarum, quas continet eminenter virtualiter, non ſolum quoad eſse, ſed etiam quoad cognoſcibilitatem, quatenus vim habet repræſentandi objecta omnia, tam creata, quam increata. Hinc

Prob.5. p. de Ideis: nam ideo dicunt aliqui, eſſentiam Dei eſſe medium cognoſcendi creaturas, quia eſt cauſa earum idealis, ſeu exemplaris, quatenus eſt imitabilis, ſeu participabilis à ſingulis, etiam poſſibilibus, ſecundum varios gradus perfectionis earum; ſed hoc non ſufficit ad rem præſentem; ergo ſub hoc reſpectu eſſentia non eſt ratio cognoſcendi creaturas.

Prob.

Prob. min. nam priùs eſt, creaturas cognoſci diſtinctè ab intellectu Dei in eſſentia, quàm ut eſſentia cognoſcatur, ut participabilis ab illis, quia participabilitas eſt quid relativum fundatum in participativo; ergo priùs eſt cognoſci creaturas ut participativas, & ut fundamenta relationis participabilitatis, quàm ipſam participabilitatem, ſeu rationem ideæ in eſſentia. Prob. ant. quia omne fundamentum præſupponitur relationi ſuæ, tam quoad cognoſci, quàm quoad eſſe; ſed de hoc infra, ubi de ideis divinis.

Prob. denique quoad ult. p. nam eſſentia Dei ſic concurrit cum intellectu ſuo ad cognitionem creaturarum quoad eſsentiam earum, & maximè poſſibilium, ut ſe habeat per modum objecti primarii; ſed de ratione objecti primarii eſt, ut concurrat, & moveat potentiam ad cognitionem ſecundarii, ut cognitum, ſeu per ſui cognitionem; ergo ſic concurrit eſsentia. Prob. min. nam quia ſpecies ſic eſt ratio cognoſcendi aliud, ut ipſa non cognoſcatur, concurrit tantum effectivè, non autem objectivè ad cognitionem eorum, quorum eſt ſpecies; ergo, &c.

Objic. 1. contra 1. p. ex SS. PP. qui docent, Deum cognoſcere omnia in ſe, ut in cauſa communi effectrice; ergo, &c. Prob. ant. nam S. Auguſt. docet, Deum *nihil extra ſe intueri, ſed in ſe, tanquam in cauſa omnium*. Et Dionyſ. *ex ſe, & in ſe rerum omnium notitiam habet divina mens, non quod per ſpeciem ſingula conſideret, ſed quod uno cauſæ complexu omnia conſideret*; ergo Deus cognoſcit omnia in ſe, tanquam in cauſa omnium, non verò tanquam in medio cognito.

Reſp. diſt. ant. ut in cauſa cognoſcendi, ſeu quoad eſse intelligibile, conc. ant. & prob. ejus, ut in cauſa eſsendi, ſeu quoad eſse rei, neg. ant. & prob. ejus. Nam SS. PP. non loquuntur de cauſa in hoc ſenſu, quippe per continentiam illam virtualem, qua poteſt omnia cauſare in eſse rei, non tam Deus conſtituitur omniſciens, quàm omnipotens; unde, quamvis per impoſſibile non eſset omnipotens, adhuc poſſet intelligi omniſciens, reſpectu rerum logicè poſſibilium, illæ enim continentiæ ſunt diſtinctæ formaliter.

Objic. 2. perfectè cognoſcens cauſam, cognoſcit

et-

etiam effectum ejus : ſed Deus eſt verè cauſa omnium, & continens etiam omnia poſſibilia virtualiter, & ſe ita cognoſcit ; ergo in ſe cognoſcit omnia, ut in eorum cauſa. Prob. maj. Nam eſſe virtuale effectus in ſua cauſa non diſtinguitur, ſed eſt ipſum eſse cauſæ; ergo qui cauſam cognoſcit, cognocit & effectum.

Reſp. diſt. maj. eodem modo, quoad poſſibilitatem, & entitatem phyſicam conc. quoad poſſibilitatem logicam, aut metaphyſicam, neg. maj. & conſeq. Nam hæc poſſibilitas, ut diximus, ineſt rebus ex ſe ipſis, & independenter ab omnipotentia; eſt enim poſſibilitas quaſi abſoluta, præſcindens ab ordine ad cauſam efficientem ; dicit enim puram non repugnantiam, & ſub hoc reſpectu ſunt objecta ſimplicis intelligentiæ, quæ verſatur circa ſimplices terminos in ſe non repugnantes.

Reſp. 2. diſt. eamdem maj. Cognoſcitur effectus abſtractivè, conc. intuitivè, neg. maj. Nam cognito Petro in ratione patris, cognoſco quidem habere filium ſed non ideò videtur filius, & ratio eſt, quia effectus, non habet eſse formale, ſed tantùm virtuale in cauſa ſua, quod eſt formaliter ipſum eſse phyſicum cauſæ; ergo non poteſt facere cognoſci effectum diſtinctè, & intuitivè, ſed abſtractivè, & confusè. Requiritur ergo continentia in eſse cognoſcibilis, ut in continente videatur contentum ; & taliter eſsentia continet poſſibilia.

Objic. contra 3. p. Species expreſsa eſt ratio, qua potentia percipit objectum : ſed eſsentia divina eſt formalis intellectio, ſeu ſpecies expreſsa rerum omnium ; ergo eſsentia Dei ad cognitionem creaturarum habet ſe, ut ſpecies earum expreſsa. Prob. min. Nam Deus eſt eſsentialiter intellectivus ; ergo eſsentia ejus eſt formaliter intellectio,

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam probatum eſt ſupra, intellectionem actualem diſtingui formaliter ab eſsentia, & ab ipſo intellectu ; & per ipſam Deus fit formaliter intelligens tum eſsentiam, tum creaturas ; & quæritur quomodò intelligat creaturas in ſe, & quomodò eſsentia ad id concurrat objectivè.

Objic. contra 4. p. Eſsentia Dei continet omne eſse creatum eminenter ; ergo continet etiam eminenter

omnem intelligibilitatem creaturarum omnium; ergo hoc modo movet intellectum ad eorum cognitionem; ergo ſe habet in hoc velut ſpecies impreſſa; hoc enim munus pertinet ad ſpeciem impreſſam.

Reſp. neg. ultimam conſeq. propter rationes allatas; nam ex antecedentibus colligitur ſolùm, & rectè, quòd eſsentia repræſentet omnia in eſſe intelligibili per modum objecti priùs cogniti, &, ut verum fatear, hic multum laboratur circa nomen; nam ſi per munus ſpeciei nihil aliud intelligatur, quàm quod continet res eminenter virtualiter in eſſe intelligibili, & facit ea ſic cognoſci in ſe, ut in objecto priùs cognito; facilè id conceditur: ſed quia ordinariè munus ſpeciei impreſſæ non eſt priùs in ſe cognoſci, nec repræſentare objectivè, ſed formaliter; ideò negamus, eſſentiam Dei ſe habere per modum talis ſpeciei. Sic conciliari poſſent aliqui Scotiſtæ, ut Vulpes, qui vult, eam habere locum talis ſpeciei.

Inſt. cum Vulpes. Eſſentia Dei, quatenus eſt ratio cognoſcendi omnia, habet omnes conditiones ſpeciei impreſſæ, quæ non dicunt imperfectionem; ergo ita concurrit. Prob. ant. 1. conditio eſt, quòd inhæreat, & informet intellectum, & hæc ſola dicit imperfectionem; & ideo repugnat eſſentiæ Dei: ſed hæc conditio non eſt per ſe neceſſaria ad rationem ſpeciei. 2. ut intellectum in actu 1. intelligendi conſtituat. 3. ut cum eo actum intelligendi efficiat. 4. ut objectum intelligibile repræſentet; & 5. ut intellectum determinet ad talem ſpeciem actus: ſed hæc omnia præſtat eſſentia in intellectione creaturarum, etiam poſſibilium; ergo verè habet omnes conditiones ſpeciei impreſſæ, excepta prima.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. nam licèt habeat eas conditiones ſpeciei, tamen habet alium modum cauſandi illam cognitionem, qui non convenit ſpeciei propriè loquendo, quia ſcilicet concurrit per modum objecti priùs cogniti: & cauſat viſionem intuitivam, quæ duo non conveniunt ſpeciei impreſsæ.

Objic. contra 5. p. de ideis ex Auguſt. *Idea eſt Deo ratio cognoſcendi omnia factibilia per ſe ipſum;* ergo

ergo eſſentia, in qua Deus hæc cognoſcit, habet rationem ideæ, & cauſat cognitionem rerum, quatenus eſt imitabilis, ſeu participabilis ab eis.

Reſp. ex Scoto [1] neg. ant. Non enim is eſt ſenſus definitionis ideæ ex Auguſt. idea enim non eſt ratio cognoſcendi rem, ſed faciendi; *eſt enim ratio æterna in mente divina, ſecundum quam aliquid eſt formabile extra, ſecundum rationem propriam ejus;* ergo priùs eſt rem cognoſci, vel eſſe cognoſcibilem, vel poſſibilem, quàm eſſe ideatam, & maxime quia diximus, ideam in Philoſophia eſſe, non conceptum formalem, ſed objectivum rei faciendæ, ſeu ideatæ.

Objic. denique contra ult. p. Nihil poteſt eſſe medium cognoſcendi aliud diſtinctè, & quidditativè, ut objectum priùs cognitum, niſi illud contineat in ſe, ſecundum totam quidditatem ejus; ſed eſſentia non ſic continet omnia entia; ergo eſſentia non facit cognoſci, ut objectum priùs in ſe cognitum. Maj. patet: nam quomodo faciet illud cognoſci diſtinctè, niſi ſit ei ſimilis in quidditate? Prob. min. Nam quod ſic continet aliud, eſt illi ſimile: ſed eſſentia non eſt ſimilis rebus in tota quidditate earum, ſed potiùs diſſimilis; ergo non ſic eas continet.

Reſp. ex Scoto [2] diſt. maj. & rationem ejus, ſecundum quidditatem, & ſimilitudinem vel formalem, vel æquivalentem, vel eminentialem virtualem, conc. formalem, neg. maj. & ita diſtinguitur min. Nam Dei eſſentia non continet quidem rationem formalem creaturarum in ſe: ſed æquivalenter, eminenter, virtualiter, & maximè quoad intelligibilitatem, & hoc venit radicaliter ab infinitate abſolutiſſima divinæ eſſentiæ, tam in eſſendo, quàm in repræſentando.

Inſt. Ut eſſentia Dei ſit repræſentativa creaturarum, debet referri ad illas per relationem realem, & æternam: ſed nulla talis relatio admittenda eſt in Deo; ergo nec illa continentia illarum in repræſentando.

Reſp. diſt. maj. Referri per relationem rationis, & ſecundum dici, conc. maj. & neg. min. per relationem

[1] 1. *d.* 35. *T. n.* 10. [2] *ibid. O. n.* 15. *fin.*

nem realem, prædicamentalē, aut tranſcendentalem; neg. maj. & conſ. Nam etiam in creatis, ut res una, ut prius cognita, repræſentet aliam, non eſt neceſse, ut habeat relationem formalem actualem ad illud, ſed ſufficit, ut ſecundum ſuum eſse abſolutum habeat aliquam connexionem cum illo; ſic proprietas, v.g. riſibilitas, cognoſcitur per eſsentiam (v.g. rationabilitatem) rei priùs cognitam, præcisa omni relatione actuali; relatio verò non facit cognoſcere terminum intuitivè, ſed tantùm abſtractivè, ut imago prototypum, non per relationem, ſed per eſse ſuum abſolutum unitatis, in qua fundatur relatio ſimilitudinis.

Objic. 2. Creaturæ non ſunt in eſsentia Dei ſecundum proprias rationes ſuas, neque ſecundum proprium ſuum eſſe diſtinctum inter ſe, vel à Deo; ergo non poſſunt in ea repræſentari, & videri diſtinctè.

Reſp. neg. conſ. Ad hoc enim ſufficit, quod ibi ſint æquivalenter, ſcilicet eminenter virtualiter, quoad omnem earum cognoſcibilitatem.

QUÆSTIO V.

An, & quomodo Deus cognoſcat futura contingentia.

VIdimus in præcedenti de cognitione Dei, qua cognoſcit omnia generatim, & in particulari de poſſibilibus, quæ ſunt objecta ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalis, & neceſſariæ; jam de futuris, quæ ſunt objecta ſcientiæ viſionis, ſeu liberæ; & quærimus, an Deus ea cognoſcat, & prævideat, antequam exiſtant, & quomodo, & quid ſit illa ratio proxima, illa, ut talia, videndi.

Porro *futurum* dicitur omne illud, quod licèt de præſenti non habeat ullum eſſe reale, ſeu eſſe exiſtentiæ, tamen eſt aliquando habiturum: & ſic reſpectu Dei propriè nullum eſt futurum; quia cùm ſcientia, ſicut & exiſtentia ejus ſit æterna, quæ eſt duratio infinita, ſemper præſens eſſentialiter, nihil eſt ei præteritum, vel futurum, quæ ſunt differentiæ temporis; tamen certum eſt, illam præ-

præſentiam, quam hæc habent in æternitate, non eſſe æternam, nec quidquam reale ab æterno, præter eſſe cognitum, quod diximus in Metaphyſica vocari à Scoto *eſſe diminutum*, & *ſecundum quid*. Connotant autem omnia futura decretum liberum voluntatis divinæ, quo decernit producere ea in rerum natura in tali tempore. Dico *liberum*; nam quidquid ad extra facit, contingens eſt, nihilque neceſſarium eſt præter ipſum; unde futura omnia reſpectu Dei ſunt *libera*; & ſcientia, quæ ad ea terminatur, dicitur etiam *libera*, quia ſupponit illud decretum. Reſpectu autem cauſarum ſecundarum, quædam *futura* ſunt *neceſſaria*, ſeu *naturalia*, quæ ab illis non poſſunt non poni, quantum ex illis eſt, & quædam *contingentia*, quæ ſic erunt, ut poſſent non eſſe; ſive *à caſu*, quia licèt illorum cauſæ ſint naturaliter agentes, tamen poſſunt impediri ab aliis cauſis, ut maturitas frugum à pluviis, aut aliis injuriis temporum; ſive *à propoſito*, ut ſunt libera, quæ ſic ab illis ponuntur, ut in iiſdem circumſtantiis poſſent non poni, & dicuntur libera libertate *propria*, ſeu *contingentiæ*, & de iſtis eſt ſpecialis difficultas, & quidem graviſſima.

Rurſus quædam ſunt *futura abſoluta*, ſeu *determinata*, quia licèt contingentia ſint, ita ut poſſent non eſſe, tamen de facto, & revera exiſtent aliquando, à ſolo Deo ponenda, vel cum cauſis ſecundis naturaliter agentibus, vel cum cauſis liberis ex libera illarum determinatione; ſic Anti-Chriſtus eſt futurus, judicium finale, mors, &c. Quædam verò *conditionata*, quæ quidem numquam erunt, ſed tamen eſſent, ſi poneretur aliqua conditio, ut ſalus Anti-Chriſti, ſi pœnitens, & in gratia moreretur: converſio Tyriorum, & Sydoniorum, ſi coram eis facta fuiſſent miracula, quæ facta ſunt coram Corozaitis, & Betſaiditis: ſed quia deerit conditio, ita & effectus nunquam erit.

Item ex *futuris conditionatis*, quædam habent neceſſariam, & naturalem connexionem cum conditione; ut combuſtio ſtuppæ futura eſt, ſi applicetur igni, & quidem neceſsariò, & naturaliter; quia combuſtio neceſsariam habet connexionem cum applicatione ignis ad materiam combuſtibilem, &

diſpoſitam, ut eſt ſtuppa ſicca; quædam verò non habent connexionem ita neceſsariam cum poſitione conditionis, ſed etiam illa conditione poſita, & aliis requiſitis, poſſent non eſse, ut converſio illa Tyriorum; nam illi adhuc fuiſsent liberi ad non credendum, ſicut Corozaitæ. De abſolutis hìc agimus; poſtea de conditionatis dicemus.

Nota autem, quòd certitudo eſt ea qualitas cognitionis, ſecundum quam illi adeò adhæremus firmiter; ut judicemus, non poſse illi ſubeſse falſum, & ad hoc tria concurrunt. 1. medium, ſeu motivum, quo intellectus movetur ad aſsenſum. 2. connexio neceſsaria hujus medii, ſeu motivi cum re, quæ cognoſcitur. 3. perfecta cognitio, ſeu evidentia hujus connexionis medii cum objecto; alioqui intellectus non plenè conquieſcet, quamvis de facto, & à parte rei motivum, & objectum ſint neceſsariò connexa; hæc igitur requiruntur in cognitione futurorum, ut ſit certa, & maximè quæritur de medio, quod ſit neceſsariò connexum cum illorum futuritione in tali, vel tali differentia temporis.

Denique ſcientia futurorum dicitur *præſcientia*; non quòd in Deo ſit actus diſtinctus à ſcientia; tota enim ſcientia Dei entitativè eſt unus ſimpliciſſimus, & indiviſibilis, & æternus actus, ſed reſpectivè ad ipſa objecta, quorum exiſtentiam prævenit; ſed eſt aliquo ſenſu poſterior decreto libero voluntatis ejus, qua determinat ea producere ſe ſolo, vel cum cauſis creatis in tempore. His poſitis.

Concl. I. *Deus videt futura omnia abſoluta, tam libera, quàm non libera.* Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scriptura, & Scoto, [1] qui quærens, utrùm Deus habeat notitiam determinatam omnium, quantum ad conditiones exiſtentiæ, pro affirmativa adducit textum Apoſtoli: [2] *omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*; & Gloſsam dicentem: *id eſt, ex omni parte planè viſa*. Et concludit: *ergo Deus habet certam, & determinatam notitiam de omnibus, quantùm ad omne cognoſcibile in eis.*

Confirm. ex eadem Script. Nam inquit Pſaltes re-

[1] 1.*d.* 39.*n.*2. [2] *Hebr.*4.

regius: [1] *intellexiſti cogitationes meas de longe, funiculum meum inveſtigaſti; & omnes vias meas prævidiſti*. Et Iſaias ex hac ſcientia probat veram Dei noſtri Deitatem præ diis gentium; quia noſter prævidet, & prædicit futura: *accedant dii eorum, & prænuntient nobis quæcunque ventura ſunt*; ergo ex Script. cognitio futurorum eſt perfectio, & nota veræ divinitatis.

Prob. 2. ex PP. nam inquit Auguſt. [2] *confiteri Deum eſſe, & negare præſcium eſſe futurorum, apertiſſima inſania eſt*. Et Tertull. [3] *idoneum teſtimonium divinitatis eſt veritas divinationis*, id eſt, prædictionis futurorum: *præſcientia enim Dei tantos habet teſtes, quantos fecit prophetas*. Et S. Hieronymus: [4] *Deo nondum facta jam facta ſunt, ſecundum illud, quod loquitur Apoſtolus: qui vocavit ea, quæ non erunt, quaſi ea, quæ eſſent*. Et S. Ambroſius: *Deo, quæ ſunt futura, præſentia ſunt, & ei, cui præcognita ſunt, omnia ventura perfecta ſunt, ſicut ſcriptum eſt: qui fecit, quæ ventura ſunt*.

Probatur 3. ratione. 1. Quia ſcientia Dei eſt de toto ente, & ſcibili: ſed futura omnia tam libera, quàm non libera, ſunt ſcibilia; ergo ſciuntur à Deo. 2. quia ejus ſcientia non eſſet perfecta; nam futura cognoſcere eſt ſine dubio magna perfectio, & hæc deeſſet Deo. 3. quia Deus cognoſcit omnia entia creata; ergo vel ea cognoſcit ab æterno, & antequam fiant, vel ſi ea cognoſcit tantùm, quando exiſtunt, mutatur ejus ſcientia, & pendet ab exiſtentia rerum: quod eſt abſurdiſſimum. 4. ideò aliqua ſunt futura præ aliis; quæ manent in ſtatu puræ poſſibilitatis, quia Deus potiùs decrevit illa facere, quàm iſta; ergo Deus ea novit, ut futura, quia non potuit ea velle, niſi cognoſcens. *Omnia per ipſum facta ſunt*, inquit Evangeliſta; [5] *ergo Deus noverat omnia, quæ fecit, antequam faceret; non enim poſſumus dicere, eum ignorata feciſſe*, inquit Auguſtinus. Denique Deus cognoſcit omne, quod habet in ſe veritatem certam; alioqui non eſſet omniſciens, ſed omnia futura tam libera, quàm

[1] *Pſal.* 338. [2] 5. *de civ.c.*9. [3] *Apol. con. Marcion.* 5. [4] *In Jerem.* 1. *de fide*. 7. [5] *Jo.* 1.

non libera, habent in ſe determinatam veritatem, ſicut & futuram exiſtentiam, ergo &c. Prob. min. Nam ſicut hodie ſcribo, & determinatè verum eſt, me ſcribere, ita ab æterno determinatè verum erat, me ſcripturum hodie; ergo tam futura libera, quàm non libera habent determinatam veritatem. Et hoc patet de dictis in Logica de veritate propoſitionum contradictoriarum de futuro contingenti.

Objic. 1. Ut aliquid ſit determinatè verum debet eſse determinatum in ſe, vel in ſuis cauſis: ſed futurum contingens liberum neutro modo eſt determinatum; ergo futura libera non ſunt determinatè vera; ergo nec cadunt ſub ſcientiam Dei; quæ debet eſse certiſſima. Prob. min. 1. non ſunt determinata in ſeipſis, quia in ſeipſis non ſunt adhuc: 2. non in cauſis, quia iſtæ ſunt liberæ, & in actu primo ſemper indifferentes ad agere, vel non agere, aut ad agere contrarium; ergo neutro modo futura ſunt determinata.

Reſp. diſt. maj. Debet eſſe determinatum in ſe pro aliquo tempore, quo cognoſcitur futurum, conc. maj. & neg. min. quando non cognoſcitur, neg. maj. & conſeq. Futura ſicuti ab æterno non habent eſſe reale, ita nec eſſe determinatum, ſed ſufficit, quòd habitura ſint illud eſſe pro tempore, quo prævidentur futura.

Objic. 2. Implicat dari futurum contingens, & certò preſciri; ergo vel nō dantur futura illa, vel non præſciuntur certò. Prob. ant. Nam quæ certò præſciuntur, ſunt certo, & neceſſariò, non autem contingenter, & liberè futura; ergo &c. Prob. ant. Illud dicitur certum, quod non poteſt aliter eſſe, ſicut incertum eſt illud, quod poteſt eſse, & non eſſe: ſed futurum contingens poteſt aliter eſſe, ſc. poteſt eſſe, & non eſſe; ergo, &c.

Reſp. ex dictis in Logica, n. 1. & 2. ant. & diſt. min. prob. Poteſt eſſe, & non eſſe, antecedenter, & quantum eſt ex ſe præcisè, ac in ſenſu diviſo, conc. ſuppoſita futuritione, & præſcientia Dei, neg. min. & conſ. Nam licèt in actu primo voluntatis Petri poſſit ille peccare, aut non peccare: tamen ſuppoſito, quòd ſe determinaturus ſit ad peccandum, peccatum

tum futurum eſt, & Deus ſcit, illud eſſe futurum.

Objic. 3. ex Scriptura. Videtur Deus neſcire determinatè futura; nam de illis loquitur, quaſi dubitanter, ut cùm ſub parabola Patris familias dicit Chriſtus de Deo Patre, quòd vinitores, ſeu Judæi *fortè verebuntur filium meum;* & cùm jubet Deus Jeremiæ, ut moneat peccatores, & non ſubtrahat eis verbum, *ſi fortè audiant, & agant pœnitentiam;* nam ly *forte* ſignificat aliquam dubietatem de eventu; ergo Deus neſcit determinatè futura libera.

Reſp. neg. ant. & conſeq. probat. nec enim particula illa *fortè*, aut ſimiles denotant ullam dubitationem in intellectu divino, ſed ita loquitur propter nos, ne ſcilicet videatur ex præſcientia futuri imponere ullam neceſsitatem voluntati noſtræ: ſic, quin poſſimus obedire, vel reſiſtere verbis ejus, *Loquitur hæc Deus ambigentis affectu* (non effectu) *ut liberum hominis monſtret arbitrium*, inquit Hieronymus: *ne præſcientia futurorum boni, vel mali immutabile faciat; quod Deus futurum noverit; non enim quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt, nos facere illa, quæ ille præſcivit, ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ille novit futurum.* Idem docet Auguſtinus: *ille, quia omnia ſcit, cùm dicit* forſitan, *non dubitat, ſed increpat; illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Alia argumenta ſoluta ſunt in Logica.

Concl.II. *Ratio cognoſcendi futura abſoluta non eſt præſentia ulla realis, quam habeant in æternitate Dei, nec in cauſis ſuis creatis.* Videtur contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *illud, quod non eſt, nulli poteſt coexiſtere, quia coexiſtere dicit relationem realem: ſed relatio non eſt realis, cujus fundamentum non eſt reale.* 2. quia, quod eſt realiter in æternitate, & reſpectu Dei, ſimpliciter eſt; nec enim verius eſſe res poteſt, quàm reſpectu primæ cauſæ; ergo futura non ſunt futura, ſed actu. 3. quia ſi ſunt actu ab æterno; ergo improducibilia in tempore,

Aa 5

[1] 1. *d.*39. *B. n.*9.

pore, quia jam producta. 4. ſi ſecundum aliquid Anti-chriſtus eſt futurus, quæritur medium, per quod, vel in quo cognoſcitur; ergo data quacumque præſentia, adhuc non eſt ſufficiens medium ad cognoſcendum futurum, ut tale; quia quærimus, quo medio cognoſcatur ejus futuritio. 5. ſi Anti-Chriſtus eſt præſens æternitati, & ideò ſcitur à Deo; ergo eſt, antequam ſciatur, & Deus dedit illi tale eſse, antequam cognoſcat eum; nam illud eſse non habet, niſi à Deo. 6. quia certius eſt, Deum cognoſcere iſta futura, quàm ea coexiſtere realiter æternitati; ergo non rectè aſſignatur medium ad probandam ſcientiam Dei de illis. Ant. patet ex communiori ſententia Philoſophorum, & Theologorum, qui hanc coexiſtentiam realem rejiciunt. Prob. conſ. Nam res omnino certa, ut eſt illa cognitio in Deo, non debet aſseri per medium incertum, qualis eſt ea coexiſtentia. Vide, quæ diximus in Metaph. [1]

Prob. 2. p. 1. quia medium certò cognoſcendi futura libera debet eſſe etiam certum, & determinatum: ſed voluntas, quamdiu eſt in actu primo etiam proximo ad agendum, & poſitis omnibus ad id requiſitis, adhuc eſt indeterminata, & poteſt agere, vel non agere; eſt enim tunc maximè libera; ergo eſt indeterminata; ergo in eo ſtatu non eſt medium ad cognoſcendam futuritionem r[illegible]i contingentis.

Confirm. 1. Nam voluntas humana, & aliæ omnes concauſæ ſunt etiam futuræ, & contingentes; quomodo ergo id, quod eſt etiam futurum, faciet cognoſci alia futura?

Confirm. 2. Nam ſi pro illo ſtatu, ſc. in actu primo, voluntas eſset determinata, id fieret vel ab intrinſeco; ſc. à ſua propenſione in unam partem, vel ab extrinſeco, ſc. vel per judicium practicum intellectus dictantis, iſtud eſse agendum, vel per qualitatem à Deo miſsam, & prædeterminantem: ſed nullum horum dici poteſt, ergo cum quacumque diſpoſitione voluntas eſt indifferens, ſeu indeterminata. Prob. min. 1. non ab intrinſeco, & per propriam inclinationem; nam voluntas ſupponi[illegible]r ex ſe, & ab intrinſeco indifferens. 2. non à judicio, vel qualitate ulla prædeterminante; nam in ſenſu

[1] d. 5. q. 3. & 4.

ſenſu compoſito talis judicii, vel qualitatis, voluntas aut eſt indifferens, & libera ad agendum, vel non agendum, & tunc ſemper currit argumentum, aut non eſt libera, & tunc actus non eſt liber, quod eſt contra omnes Philoſophos, & Theologos, exceptis Thomiſtis; & patet ex dictis de anima, quòd ſtante quocumque judicio practico; adhuc voluntas eſt indifferens, & poteſt non agere conformiter ad illud; & ex Phyſica patet, illam qualitatem prædeterminantem eſse vel ſuperfluam, vel nocivam libertati; nam ſi in ſenſu compoſito hujus qualitatis voluntas poteſt non agere; ergo non erit determinata, ſed indifferens, & malè dicitur prædeterminata: ergo etiam non erit medium ad prævisionem certam futuri actus, quandoquidem poterit adhuc non eſse.

Dices: per illud judicium, vel qualitatem prædeterminari voluntatem, non phyſicè, ſed moraliter, ita ut infallibiliter ſit hoc factura, licèt phyſicè id poſset non facere.

Contra. Quia ſcientia Dei non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè eſt certa, & infallibilis; ergo debet ſcire per medium certum, & determinatum phyſicè, non verò moraliter tantùm.

Objic. 1. contra 1. p. Nunc æternitatis excedit nunc temporis: ergo ſe extendit, & coexiſtit omni tempori, imò & illud infinitè excedit; ergo ſe extendit ad futura omnia in quovis tempore; ergo ita coexiſtunt *nunc* æternitatis, & illi ſunt præſentia, ſicut immenſitas coexiſtit omni ſpatio, & omne ſpatium immenſitati. Hoc eſt præcipuum fundamentum Thomiſtarum.

Reſp. diſt. 1. conſ. Se extendit, & coexiſtit omni tempori, actu, vel potentia, & inadæquatè, conc. actu, & adæquatè, neg. conſ. & retorqueo comparationem. Deus per ſuam immenſitatem non attingit actu locum, qui non eſt, ergo nec æternitas tempus, vel tem, quæ non eſt. Item æternitas non dicitur coexiſtere realiter rebus præteritis: alioqui non eſsent præteritæ; ergo nec futuris. Igitur res creatæ non coexiſtunt actu æternitati, niſi pro illo *nunc* temporis, quo realiter exiſtunt: in aliis vel præterita ſunt, vel futura: iſta coexiſtunt potentia, illa coextiterunt.

Inſt. Non poſsunt coexiſtere æternitati, quin coe-

xiſtant toti, & adæquatè, quia eſt indiviſibilis, & tota ſimul; ergo nulla ſolutio.

Reſp.neg.ant. & diſt.prob. eſt indiviſibilis formaliter: conc. virtualiter neg. æquivalet enim durationi infinitæ.

Objic. 2. ex Auguſt.[1] Scientia Dei de futuris non debet dici præſcientia, quia omnia ſunt ei præſentia; ergo Deo ſunt omnia præſentia,& coexiſtentia in æternitate; ergo & ibi ea videt. Prob. ant. *quid eſt præſcientia*,inquit,*niſi futurorum ſcientia? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* Idem docet D. Greg. [2] præſcientia dicitur de Deo metaphoricè, & impropriè: dici debet ſcientia; quia inquit: *ſcimus, quia nihil Deo futurum eſt,ante cujus oculos nulla ſunt præterita, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt, &c.* ergo Deus videt omnia illa in ſua æternitate; ergo in illa exiſtunt præſentia.

Reſpond. neg. utramque conſ. nam PP. loquuntur de præſentia objectiva, quàm habent omnia in ſcientia ejus, quæ ita eſt perfecta, ut per adventum illorum, & exiſtentiam realem, ſcientia ejus non mutetur, nec ullam majorem perfectionem intrinſecam acquirat.

Objic. 3. ſi res præteritæ, & futuræ non coexiſtant etiam nunc æternitati, daretur ſucceſſio in illa; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; quia eſt duratio indiviſibilis, & tota ſimul; ergo omnia præterita, & futura verè coexiſtunt æternitati. Prob. maj. nam in ea daretur ante, & poſt, præteritum, & futurum; ergo ibi eſſet ſucceſſio.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam illud ante,& poſt, præteritum, & futurum eſſet, non in ipſa æternitate, ſed in tempore, & rebus, quæ illi coexiſtunt in diverſis temporibus.

Inſt. ſaltem mutaretur ſcientia Dei, nam ante exiſtentiam rei, cognitio ejus eſſet abſtractiva, & cùm res exiſteret in actu, fieret intuitiva; ſed hæc mutatio repugnat ſcientiæ Dei; ergo debet aſſeri exiſtentia rerum in Deo, & æternitate.

Reſpond. neg. maj. & rationem ejus: nam ſcientia Dei eſt eadem in ſe quoad futura, & præſen-

[1] *Ad ſimpl.*
[2] *2. moral. 23.*

ſentia; & tota mutatio ſe tenet ex parte objectorum.

Objic. contra 2.p. omne objectum ſcientiæ Dei cognoſcitur vel in ſe ipſo, vel in ſuis cauſis creatis; ſed futura abſoluta non poſſunt cognoſci à Deo in ſe ipſis, quia ut futura nihil ſunt; ergo in ſuis cauſis creatis, proximè diſpoſitis, & determinatis, completis, & non impeditis.

Reſp.neg.maj. nam ut diximus ſupra, Deus in ſua ſcientia non dependet ab ullo extrinſeco; ideoque nec à rebus ipſis creatis, nec ab earum cauſis item creatis poteſt accipere ullam cognitionem immediatam, niſi per puram terminationem. Et præterea cauſis creatis contingentium liberorum deeſt conditio 2. ad rectitudinem requiſita; ſcilicet connexio neceſſaria cum effectu, ſaltem in actu primo.

Objic. 2. Deus cognoſcit futura contingentia in ſuis cauſis particularibus, prout ſubjiciuntur determinationi divinæ ſcientiæ, & voluntatis, quæ eſt prima cauſa; ſed illæ cauſæ, prout ſubjectæ illi determinationi, ſunt etiam determinatæ, & completæ, & non impeditæ ad ponendos ſuos effectus; ergo in tali caſu ſunt apta media ſcientiæ divinæ de futuris contingentibus.

Reſp.diſt. maj. ſi ille ſtatus determinationis includat etiam Dei decretum efficax circa eadem futura; conc. maj.& min. ſi non includat tale decretum; neg. maj. & conſ. Nam in tali ſtatu cauſæ ſecundæ includunt etiam determinationem primæ, quæ determinatio, & decretum eſt ſufficiens medium, modò ſit compatibile cum libertate, de quo infra. Nos verò in concluſione loquimur de cauſis purè creatis, & dicimus in eis non poſſe certò videri futura libera certò, & determinatè.

Inſt. ut effectus certò prævideatur in cauſa, ſufficit, quòd habeat neceſſariam, aut infallibilem connexionem cum illa; ſed effectus cauſæ creatæ habet talem connexionem, modò illa ſit ultimatè completa, & inimpedibilis, quia ſcilicet infallibiliter operabitur, quamvis ſit libera, & poſſet non operari; ergo etiam ſecundum ſe, & præciſa determinatione Dei eſt ſufficiens medium ſcientiæ de futuro

con-

contingenti, maj. patet; nam ob eam connexionem neceſſariam effectus neceſſarii cum ſua cauſa, poteſt in ea certò præſciri; ergo & contingens, ſi habeat ſimilem connexionem.

Reſp. neg. min. nam implicat effectum liberè, & contingenter poni à cauſa libera, ſi habeat neceſſariam connexionem cum illa in actu primo; ergo in illa in actu primo, & quantumcumque completa, cum omnibus ad agendum prærequiſitis, non poteſt certò prævideri futurus effectus.

Concl. 3. *neque in ideis ſuis videt certò Deus futura contingentia*; eſt Scotiſtarum, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam ideæ *merè naturaliter repræſentant id, quod repræſentant & ſub naturali ratione, ſub qua repræſentant illud, & ſunt in intellectu ante omnem actum voluntatis divinæ.*

Prob. 2. ex eodem, nam futura non repræſentantur in Deo aliter, quàm purè poſſibilia; ergo futuritio non poteſt præſciri ex ideis: non enim poſſunt cognoſci ut futura, antequam ſeligantur à poſſibilibus per futuritionem, prob. ant. non fiunt futura, nec ſeliguntur à poſſibilibus, niſi per voluntatem Dei; ſed ideæ rerum in Deo præcedunt actum omnem voluntatis divinæ circa creaturas; ergo non repræſentant aliter futura, quàm poſſibilia.

Confir. quia ideæ repræſentant res, quales eſſe debent, ſunt enim *rationes, ſecundum quas formantur, quæ formantur*, ait Auguſt. [2] & cum eo Scotus; ſed non repræſentant futuritionem ipſam, neque circumſtantiam temporis, qua ſint futuræ; hæc enim pendent à Dei voluntate; v. g. mundus hic in ideis æternis repreſentabatur, qualis debebat eſſe, ſi erat creandus; ſed non quòd de facto hic erat creandus potiùs, quàm alius; ergo futura ut futura non videntur in ideis, prob. ant. nam ut patet ex Phil. ideæ munus non eſt, quòd ſit principium cognitionis, ſeu forma, per quam homo conſtituitur cognoſcens, ſed exemplar, ad inſtar cujus res fieri debet; ergo de ratione ideæ non eſt repræſentare, ut futurum. Propter has rationes maxima pars eorum, qui volunt futura cognoſci in ideis, dicunt, eas includere voluntatis divinæ decretum de rebus producen-

[1] 1. *d.* 39. *A. n.* 7. [2] *d.* 35. *K.*

cendis, aut concurrendi cum voluntate creata; & ſic facilè conciliari poteſt hęc opinio cum noſtra mox declaranda.

Objic. eſſentia Dei eſt ratio cognoſcendi omnia, ſive ut principium, ſive ut objectum; ſed eſſentia ut imitabilis, & ut ratio cognoſcendi omnia, eſt ipſa idea omnium; ergo in idea videntur omnia etiam futura, prob. maj. nam eſſentia eſt infinita in repræſentando; ergo repræſentat omnia repræſentabilia, & omni modo, quo ſunt repræſentabilia; ergo tam ſecundum eſſentiam, quàm ſecundum exiſtentiam, & futuritionem.

Reſp. diſt. maj. eſt ratio cognoſcendi eo modo, quo ſunt cognoſcibilia: con. alio modo: neg. maj. & conſ. Nam futura, ut futura, non ſunt repræſentabilia in eſſentia; quia futuritio illorum non dependet præcisè ab eſſentia, ut repræſentativa; alioqui futuritio eſſet neceſſaria, quia eſſentia naturaliter, & neceſſariò repræſentat, quidquid repræſentat; priùs ergo eſt, rem fieri futuram, quàm repræſentari ut futuram; non fit autem futura, niſi per liberam Dei voluntatem, vel ſolam, vel cum voluntate creata.

Concl. 4. *Præciſa, & formalis ratio, qua in eſſentia videntur futura abſoluta, & à ſolo Deo dependentia, eſt ipſum Dei decretum de illis producendis; futura verò dependentia etiam à voluntate creata eſt decretum concurrendi cum illa ad tales actus.* Eſt ferè communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] his verbis: *Intellectus divinus aut offert ſimplicia, quorum unio eſt contingens in re; aut ſi offert complexionem, offert illam, ut neutram, ſeu indifferentem; & voluntas eligens unam partem, ſcilicet conjunctionem iſtorum pro aliquo nunc* (pro aliquo tempore determinato) *in ſe facit illud determinatè verum, hoc erit pro A. hoc autem exiſtente determinatè vero, eſſentia eſt ratio intellectui divino intelligendi iſtud verum, & hoc naturaliter, quantum eſt ex parte eſſentiæ, &c.* Vides Scotum ponere hunc ordinem in Deo reſpectu futurorum. 1. Intellectus videt Petrum, & Albedinem, vel Petrum album; ſed indifferenter, & quaſi poſſibilem. 2. Voluntas eligit illud fu-

[1] 1. *d.* 39. *N. n.* 23.

futurum in tali die, & hora, & hæc electio, ſeu hoc decretum facit, ut Petrus ſit futurus albus illa hora, & ut talis repræſentatur in eſſentia divina, & in 3. ſigno intellectus videt Petrum fore album illa ipſa hora, ergo tota ratio, cur Deus videat in eſſentia ſua futurum contingens abſolutum, & in ipſo ſolo dependens, eſt decretum ſuæ voluntatis, quo ſtatuit illud ſe facturum tali puncto temporis. Idem eſt de futuris dependentibus à voluntate creata cum proportione. Igitur eſſentia divina eſt ſemper ratio immediata intellectui divino illam movens ad videndam futuritionem contingentium: Decretum verò faciendi ea, quæ ab eo ſolo fiunt, aut concurrendi ad ea, quæ ab eo fiunt, cum voluntate creata, eſt ratio remota. Hinc

Prob. 2. quia illud eſt ratio cognoſcendi certò, & determinatè futura, per quod habent veritatem, ſeu futuritionem; ſed per decretum illud Dei res habent futuritionem, ſeu veritatem; ergo illud eſt ratio illa cognoſcendi. Major videtur certa, & evidens. Prob. min. nam ante decretum res iſtæ non differunt à purè poſſibilibus, & per illud extrahuntur à ſtatu poſſibilium, & ponuntur in ſtatu futurorum; poſito autem decreto illo, non poſſunt non eſſe: alioqui deficeret Dei ſapientia, & ejus potentia fruſtraretur, aut mutaretur in conſiliis ſuis, quæ omnia repugnant Deo. Decretum igitur illud eſt liberum, libertate contingentiæ; quia Deus ad extra nihil decernit, niſi liberè, ita ut poſſet non decernere, aut decernere alia: item eſt infallibile ob rationem allatam, quia ſcilicet Deus in ſe eſt immutabilis.

Confir. ex Script. & PP. nam, inquit D. Paulus, [1] *Deus operatur omnia conſilio voluntatis ſuæ*; ſcilicet conſultat voluntatem ſuam, & in ea cognoſcit, quæ facturus eſt; *quæ Deus facere decrevit*, inquit Hilar. *in ſua voluntate cognovit*. [2] Et Aug. *illud me non latet, illud ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*; ergo voluntas Dei facit futuritionem rerum, & in ea Deus videt, quæ futura ſunt.

Dixi autem, *in eſſentia*; nam, ut probatum eſt

[1] *Epheſ. 1.*
[2] *9. Tr.*

eſt ſupra, eſſentia Dei eſt objectum primarium, & motivum omnis ſcientiæ illius.

Dixi 2. Decretum de illis faciendis in his, quæ à ſolo Deo fiunt: nam in his totalis cauſa futuritionis eſt voluntas ejus; ſed in his, quæ fiunt ab eo, ſimul cum voluntate libera creata, Decretum Dei non eſt ita abſolutum, ſed accommodatum libertati creatæ; & eſt decretum non abſolutè de facienda re; ſed de concurrendo ad illam, ſi ſit opus reale poſitivum, & phyſicum; vel de permittendo, ſi ſit quid malum morale, ut peccatum.

Objic. 1. in ſigno, in quo Deus videt Anti-Chriſtum poſſibilem, & in quo non decernit illum creare, adhuc verum eſt, illum eſſe futurum; ergo Deus in illo ſigno debet videre id in eſſentia ſua, in qua videt omne verum; ſed tunc nullum eſt decretum de creando Anti-Chriſto; ergo decretum non eſt ratio videndi futura. Patet ant. nam propoſitiones de futuro contingenti ſunt determinatè veræ, aut falſæ; ex dictis in Logica. Patet etiam ſubſumptum; nam, ex Scoto citato, in illo primo ſigno intellectus offert eam propoſitionem (Anti-Chriſtus erit) ut neutram, ſeu indifferentem, ſeu ut poſſibilem; ergo & ante decretum.

Reſp. neg. ant. nam in illo 1. ſigno, ſeu inſtanti rationis futuritio Anti-Chriſti proponitur nuda, & indifferens, & tam poteſt non eſſe, quàm eſſe, quia Deus non concipitur quidquam decreviſſe circa illud; ergo non poteſt aliter repræſentari in eſſentia, quàm ut indifferens.

Inſt. in illo primo inſtanti videt ſuum decretum futurum de Anti-Chriſto; ergo & ipſum Anti-Chriſtum; non enim poteſt videre unum ſine alio; ergo futura non videntur in decreto, quod habet in illo ſecundo inſtanti rationis, prob. ant. nam in illo 1. ſigno decretum non eſt, ſed erit in 2. eſt poſſibile, & non eſt poſitum, ſed ponendum eſt futurum pro 2. inſtanti, & ut tale videtur in illo primo.

Reſp. neg. ant. & 2. partem prob. nam ly *erit*, & *futurum*; non dicuntur de iis inſtantibus rationis, ſeu præſuppoſitionis, ſeu prioritatis, à quo; ſed requiruntur inſtantia, & ſucceſſio realis, & prio-

non libera, habent in ſe determinatam veritatem, ſicut & futuram exiſtentiam, ergo &c. Prob. min. Nam ſicut hodie ſcribo, & determinatè verum eſt, me ſcribere, ita ab æterno determinatè verum erat, me ſcripturum hodie; ergo tam futura libera, quàm non libera habent determinatam veritatem. Et hoc patet de dictis in Logica de veritate propoſitionum contradictoriarum de futuro contingenti.

Objic. 1. Ut aliquid ſit determinatè verum debet eſse determinatum in ſe, vel in ſuis cauſis: ſed futurum contingens liberum neutro modo eſt determinatum; ergo futura libera non ſunt determinatè vera; ergo nec cadunt ſub ſcientiam Dei; quæ debet eſse certiſſima. Prob. min. 1. non ſunt determinata in ſe ipſis, quia in ſe ipſis non ſunt adhuc: 2. non in cauſis, quia iſtæ ſunt liberæ, & in actu primo ſemper indifferentes ad agere, vel non agere, aut ad agere contrarium; ergo neutro modo futura ſunt determinata.

Reſp. diſt. maj. Debet eſſe determinatum in ſe pro aliquo tempore, quo cognoſcitur futurum, conc. maj. & neg. min. quando non cognoſcitur, neg. maj. & conſeq. Futura ſicuti ab æterno non habent eſse reale, ita nec eſſe determinatum, ſed ſufficit, quòd habitura ſint illud eſſe pro tempore, quo prævidentur futura.

Objic. 2. Implicat dari futurum contingens, & certò preſciri; ergo vel nō dantur futura illa, vel non præſciuntur certò. Prob. ant. Nam quæ certò præſciuntur, ſunt certo, & neceſſariò, non autem contingenter, & liberè futura; ergo &c. Prob. ant. Illud dicitur certum, quod non poteſt aliter eſſe, ſicut incertum eſt illud, quod poteſt eſse, & non eſſe: ſed futurum contingens poteſt aliter eſſe, ſc. poteſt eſſe, & non eſſe; ergo, &c.

Reſp. ex dictis in Logica, n. 1. & 2. ant. & diſt. min. prob. Poteſt eſſe, & non eſſe, antecedenter, & quantum eſt ex ſe præciſè, ac in ſenſu diviſo, conc. ſuppoſita futuritione, & præſcientia Dei, neg. min. & conſ. Nam licèt in actu primo voluntatis Petri poſſit ille peccare, aut non peccare: tamen ſuppoſito, quòd ſe determinaturus ſit ad peccandum, peccatum

tum futurum eſt, & Deus ſcit, illud eſſe futurum.

Objic. 3. ex Scriptura. Videtur Deus neſcire determinatè futura; nam de illis loquitur, quaſi dubitanter, ut cùm ſub parabola Patris familias dicit Chriſtus de Deo Patre, quòd vinitores, ſeu Judæi *fortè verebuntur filium meum;* & cùm jubet Deus Jeremiæ, ut moneat peccatores, & non ſubtrahat eis verbum, *ſi fortè audiant, & agant pænitentiam;* nam ly *forte* ſignificat aliquam dubietatem de eventu; ergo Deus neſcit determinatè futura libera.

Reſp. neg. ant. & conſeq. probat. nec enim particula illa *fortè*, aut ſimiles denotant ullam dubitationem in intellectu divino, ſed ita loquitur propter nos, ne ſcilicet videatur ex præſcientia futuri imponere ullam neceſsitatem voluntati noſtræ: ſic, quin poſſimus obedire; vel reſiſtere verbis ejus, *Loquitur hæc Deus ambigentis affectu* (non effectu) *ut liberum hominis monſtret arbitrium*, inquit Hieronymus: *ne præſcientia futurorum boni, vel mali immutabile faciat; quod Deus futurum noverit; non enim quia ille ventura cognoſcit, neceſſe eſt, nos facere illa, quæ ille præſcivit, ſed quod nos propria voluntate ſumus facturi, ille novit futurum.* Idem docet Auguſtinus: *ille, quia omnia ſcit, cùm dicit* forſitan, *non dubitat, ſed increpat; illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur divinitas.* Alia argumenta ſoluta ſunt in Logica.

Concl. II. *Ratio cognoſcendi futura abſoluta non eſt præſentia ulla realis, quam habeant in æternitate Dei, nec in cauſis ſuis creatis.* Videtur contra Thomiſtas, & alios.

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *illud, quod non eſt, nulli poteſt coexiſtere, quia coexiſtere dicit relationem talem: ſed relatio non eſt realis, cujus fundamentum non eſt reale.* 2. quia, quod eſt realiter in æternitate, & reſpectu Dei, ſimpliciter eſt; nec enim verius eſse res poteſt, quàm reſpectu primæ cauſæ; ergo futura non ſunt futura, ſed actu. 3. quia ſi ſunt actu ab æterno; ergo improducibilia in tem-

[1] 1. *d.* 39. *B. n.* 9.

pore, quia jam producta. 4. ſi ſecundum aliquid Anti-chriſtus eſt futurus, quæritur medium, per quod, vel in quo cognoſcitur; ergo data quacumque præſentia, adhuc non eſt ſufficiens medium ad cognoſcendum futurum, ut tale; quia quærimus, quo medio cognoſcatur ejus futuritio. 5. ſi Anti-Chriſtus eſt præſens æternitati, & ideò ſcitur à Deo; ergo eſt, antequam ſciatur, & Deus dedit illi tale eſse, antequam cognoſcat eum; nam illud eſse non habet, niſi à Deo. 6. quia certius eſt, Deum cognoſcere iſta futura, quàm ea coexiſtere realiter æternitati; ergo non rectè aſſignatur medium ad probandam ſcientiam Dei de illis. Ant. patet ex communiori ſententia Philoſophorum, & Theologorum, qui hanc coexiſtentiam realem rejiciunt. Prob.conſ. Nam res omnino certa, ut eſt illa cognitio in Deo, non debet aſseri per medium incertum, qualis eſt ea coexiſtentia. Vide, quæ diximus in Metaph. [1]

Prob. 2. p. 1. quia medium certò cognoſcendi futura libera debet eſſe etiam certum, & determinatum: ſed voluntas, quamdiu eſt in actu primo etiam proximo ad agendum, & poſitis omnibus ad id requiſitis, adhuc eſt indeterminata, & poteſt agere, vel non agere; eſt enim tunc maximè libera; ergo eſt indeterminata; ergo in eo ſtatu non eſt medium ad cognoſcendam futuritionem r.i contingentis.

Confirm. 1. Nam voluntas humana, & aliæ omnes concauſæ ſunt etiam futuræ, & contingentes; quomodo ergo id, quod eſt etiam futurum, faciet cognoſci alia futura?

Confirm. 2. Nam ſi pro illo ſtatu, ſc. in actu primo, voluntas eſset determinata, id fieret vel ab intrinſeco; ſc. à ſua propenſione in unam partem, vel ab extrinſeco, ſc. vel per judicium practicum intellectus dictantis, iſtud eſse agendum, vel per qualitatem à Deo miſsam, & prædeterminantem: ſed nullum horum dici poteſt, ergo cum quacumque diſpoſitione voluntas eſt indifferens, ſeu indeterminata. Prob. min. 1. non ab intrinſeco, & per propriam inclinationem; nam voluntas ſupponitur ex ſe, & ab intrinſeco indifferens. 2. non à judicio, vel qualitate ulla prædeterminante; nam in

ſenſu

[1] d. 5. q. 3. & 4.

ſenſu compoſito talis judicii, vel qualitatis, voluntas aut eſt indifferens, & libera ad agendum, vel non agendum, & tunc ſemper currit argumentum, aut non eſt libera, & tunc actus non eſt liber, quod eſt contra omnes Philoſophos, & Theologos, exceptis Thomiſtis; & patet ex dictis de anima, quòd ſtante quocumque judicio practico, adhuc voluntas eſt indifferens, & poteſt non agere conformiter ad illud; & ex Phyſica patet, illam qualitatem prædeterminantem eſse vel ſuperfluam, vel nocivam libertati; nam ſi in ſenſu compoſito hujus qualitatis voluntas poteſt non agere; ergo non erit determinata, ſed indifferens, & malè dicitur prædeterminata: ergo etiam non erit medium ad prævisionem certam futuri actus, quandoquidem poterit adhuc non eſse.

Dices: per illud judicium, vel qualitatem prædeterminari voluntatem, non phyſicè, ſed moraliter, ita ut infallibiliter ſit hoc factura, licèt phyſicè id poſset non facere.

Contra. Quia ſcientia Dei non tantùm moraliter, ſed etiam phyſicè eſt certa, & infallibilis; ergo debet ſcire per medium certum, & determinatum phyſicè, non verò moraliter tantùm.

Objic. 1. contra 1. p. Nunc æternitatis excedit nunc temporis: ergo ſe extendit, & coexiſtit omni tempori, imò & illud infinitè excedit; ergo ſe extendit ad futura omnia in quovis tempore; ergo ita coexiſtunt *nunc* æternitatis, & illi ſunt præſentia, ſicut immenſitas coexiſtit omni ſpatio, & omne ſpatium immenſitati. Hoc eſt præcipuum fundamentum Thomiſtarum.

Reſp. diſt. 1. conſ. Se extendit, & coexiſtit omni tempori, actu, vel potentia, & inadequatè, conc. actu, & adæquatè, neg. conſ. & retorqueo comparationem. Deus per ſuam immenſitatem non attingit actu locum, qui non eſt, ergo nec æternitas tempus, vel tem, quæ non eſt. Item æternitas non dicitur coexiſtere realiter rebus præteritis: alioqui non eſsent præteritæ; ergo nec futuris. Igitur res creatæ non coexiſtunt actu æternitati, niſi pro illo *nunc* temporis, quo realiter exiſtunt: in aliis vel præterita ſunt, vel futura: iſta coexiſtunt potentia, illa coextiterunt.

Inſt. Non poſsunt coexiſtere æternitati, quin coe-

xiſtant toti, & adæquatè, quia eſt indiviſibilis, & tota ſimul; ergo nulla ſolutio.

Reſp.neg.ant. & diſt.prob. eſt indiviſibilis formaliter: conc. virtualiter neg. æquivalet enim durationi infinitæ.

Objic. 2. ex Auguſt. [1] Scientia Dei de futuris non debet dici præſcientia, quia omnia ſunt ei præſentia; ergo Deo ſunt omnia præſentia, & coexiſtentia in æternitate; ergo & ibi ea videt. Prob. ant. *quid eſt præſcientia*, inquit, *niſi futurorum ſcientia? quid autem futurum eſt Deo, qui omnia ſupergreditur tempora?* Idem docet D. Greg. [2] præſcientia dicitur de Deo metaphoricè, & impropriè: dici debet ſcientia; quia inquit: *ſcimus, quia nihil Deo futurum eſt, ante cujus oculos nulla ſunt præterita, præſentia non tranſeunt, futura non veniunt, &c.* ergo Deus videt omnia illa in ſua æternitate; ergo in illa exiſtunt præſentia.

Reſpond. neg. utramque conſ. nam PP. loquuntur de præſentia objectiva, quàm habent omnia in ſcientia ejus, quæ ita eſt perfecta, ut per adventum illorum, & exiſtentiam realem, ſcientia ejus non mutetur, nec ullam majorem perfectionem intrinſecam acquirat.

Objic. 3. ſi res præteritæ, & futuræ non coexiſtant etiam nunc æternitati, daretur ſucceſſio in illa; ſed conſ. eſt falſum, & contra omnes; quia eſt duratio indiviſibilis, & tota ſimul; ergo omnia præterita, & futura verè coexiſtunt æternitati. Prob. maj. nam in ea daretur ante, & poſt, præteritum, & futurum; ergo ibi eſſet ſucceſſio.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. nam illud ante, & poſt, præteritum, & futurum eſſet, non in ipſa æternitate, ſed in tempore, & rebus, quæ illi coexiſtunt in diverſis temporibus.

Inſt. ſaltem mutaretur ſcientia Dei, nam ante exiſtentiam rei, cognitio ejus eſſet abſtractiva, & cùm res exiſteret in actu, fieret intuitiva; ſed hæc mutatio repugnat ſcientiæ Dei; ergo debet aſſeri exiſtentia rerum in Deo, & æternitate.

Reſpond. neg. maj. & rationem ejus: nam ſcientia Dei eſt eadem in ſe quoad futura, & præſen-

[1] *Ad ſimpl.*
[2] *2. moral. 23.*

ſentia; & tota mutatio ſe tenet ex parte objectorum.

Objic. contra 2.p. omne objectum ſcientiæ Dei cognoſcitur vel in ſe ipſo, vel in ſuis cauſis creatis; ſed futura abſoluta non poſſunt cognoſci à Deo in ſe ipſis, quia ut futura nihil ſunt; ergo in ſuis cauſis creatis, proximè diſpoſitis, & determinatis, completis, & non impeditis.

Reſp.neg.maj. nam ut diximus ſupra, Deus in ſua ſcientia non dependet ab ullo extrinſeco; ideoque nec à rebus ipſis creatis, nec ab earum cauſis item creatis poteſt accipere ullam cognitionem immediatam, niſi per puram terminationem. Et prætererea cauſis creatis contingentium liberorum deeſt conditio 2. ad rectitudinem requiſita; ſcilicet connexio neceſſaria cum effectu, ſaltem in actu primo.

Objic. 2. Deus cognoſcit futura contingentia in ſuis cauſis particularibus, prout ſubjiciuntur determinationi divinæ ſcientiæ, & voluntatis, quæ eſt prima cauſa; ſed illæ cauſæ, prout ſubjectæ illi determinationi, ſunt etiam determinatæ, & completæ, & non impeditæ ad ponendos ſuos effectus; ergo in tali caſu ſunt apta media ſcientiæ divinæ de futuris contingentibus.

Reſp.diſt. maj. ſi ille ſtatus determinationis includat etiam Dei decretum efficax circa eadem futura; conc. maj.& min. ſi non includat tale decretum; neg. maj. & conſ. Nam in tali ſtatu cauſæ ſecundæ includunt etiam determinationem primæ, quæ determinatio, & decretum eſt ſufficiens medium, modò ſit compatibile cum libertate, de quo infra. Nos verò in concluſione loquimur de cauſis purè creatis, & dicimus in eis non poſſe certò videri futura libera certò, & determinatè.

Inſt. ut effectus certò prævideatur in cauſa, ſufficit, quòd habeat neceſſariam, aut infallibilem connexionem cum illa; ſed effectus cauſæ creatæ habet talem connexionem, modò illa ſit ultimatè completa, & inimpedibilis, quia ſcilicet infallibiliter operabitur, quamvis ſit libera, & poſſet non operari; ergo etiam ſecundum ſe, & præciſa determinatione Dei eſt ſufficiens medium ſcientiæ de futuro

con-

contingenti, maj. patet; nam ob eam connexionem neceſſariam effectus neceſſarii cum ſua cauſa, poteſt in ea certò præſciri; ergo & contingens, ſi habeat ſimilem connexionem.

Reſp. neg. min. nam implicat effectum liberè, & contingenter poni à cauſa libera, ſi habeat neceſſariam connexionem cum illa in actu primo; ergo in illa in actu primo, & quantumcumque completa, cum omnibus ad agendum prærequiſitis, non poteſt certò prævideri futurus effectus.

Concl. 3. *neque in ideis ſuis videt certò Deus futura contingentia*; eſt Scotiſtarum, & aliorum.

Prob. 1. ex Scoto: [1] nam ideæ *merè naturaliter repræſentant id, quod repræſentant & ſub naturali ratione, ſub qua repræſentant illud, & ſunt in intellectu ante omnem actum voluntatis divinæ.*

Prob. 2. ex eodem, nam futura non repræſentantur in Deo aliter, quàm purè poſſibilia; ergo futuritio non poteſt præſciri ex ideis: non enim poſſunt cognoſci ut futura, antequam ſeligantur à poſſibilibus per futuritionem, prob. ant. non fiunt futura, nec ſeliguntur à poſſibilibus, niſi per voluntatem Dei; ſed ideæ rerum in Deo præcedunt actum omnem voluntatis divinæ circa creaturas; ergo non repræſentant aliter futura, quàm poſſibilia.

Confir. quia ideæ repræſentant res, quales eſſe debent, ſunt enim *rationes, ſecundum quas formantur, quæ formantur*, ait Auguſt. [2] & cum eo Scotus; ſed non repræſentant futuritionem ipſam, neque circumſtantiam temporis, qua ſint futuræ; hæc enim pendent à Dei voluntate; v. g. mundus hic in ideis æternis repreſentabatur, qualis debebat eſſe, ſi erat creandus; ſed non quòd de facto hic erat creandus potiùs, quàm alius; ergo futura ut futura non videntur in ideis, prob. ant. nam ut patet ex Phil. ideæ munus non eſt, quòd ſit principium cognitionis, ſeu forma, per quam homo conſtituitur cognoſcens, ſed exemplar, ad inſtar cujus res fieri debet; ergo de ratione ideæ non eſt repræſentare, ut futurum. Propter has rationes maxima pars eorum, qui volunt futura cognoſci in ideis, dicunt, eas includere voluntatis divinæ decretum de rebus producen-

[1] 1. *d.* 39. *A. n.* 7. [2] *d.* 35. *K.*

cendis, aut concurrendi cum voluntate creata; & ſic facilè conciliari poteſt hęc opinio cum noſtra mox declaranda.

Objic. eſſentia Dei eſt ratio cognoſcendi omnia, ſive ut principium, ſive ut objectum; ſed eſſentia ut imitabilis, & ut ratio cognoſcendi omnia, eſt ipſa idea omnium; ergo in idea videntur omnia etiam futura, prob. maj. nam eſſentia eſt infinita in repræſentando; ergo repræſentat omnia repræſentabilia, & omni modo, quo ſunt repræſentabilia; ergo tam ſecundum eſſentiam, quàm ſecundum exiſtentiam, & futuritionem.

Reſp. diſt. maj. eſt ratio cognoſcendi eo modo, quo ſunt cognoſcibilia: con. alio modo: neg. maj. & conſ. Nam futura, ut futura, non ſunt repræſentabilia in eſſentia; quia futuritio illorum non dependet præcisè ab eſſentia, ut repræſentativa; alioqui futuritio eſſet neceſſaria, quia eſſentia naturaliter, & neceſſariò repræſentat, quidquid repræſentat; priùs ergo eſt, rem fieri futuram, quàm repræſentari ut futuram; non fit autem futura, niſi per liberam Dei voluntatem, vel ſolam, vel cum voluntate creata.

Concl. 4. *Præciſa, & formalis ratio, qua in eſſentia videntur futura abſoluta, & à ſolo Deo dependentia, eſt ipſum Dei decretum de illis producendis; futura verò dependentia etiam à voluntate creata eſt decretum concurrendi cum illa ad tales actus.* Eſt ferè communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] his verbis: *Intellectus divinus aut offert ſimplicia, quorum unio eſt contingens in re; aut ſi offert complexionem, offert illam, ut neutram, ſeu indifferentem; & voluntas eligens unam partem, ſcilicet conjunctionem iſtorum pro aliquo nunc* (pro aliquo tempore determinato) *in ſe facit illud determinatè verum, hoc erit pro A. hoc autem exiſtente determinatè vero, eſſentia eſt ratio intellectui divino intelligendi iſtud verum, & hoc naturaliter, quantum eſt ex parte eſſentiæ, &c.* Vides Scotum ponere hunc ordinem in Deo reſpectu futurorum. 1. Intellectus videt Petrum, & Albedinem, vel Petrum album; ſed indifferenter, & quaſi poſſibilem, 2. Voluntas eligit illud fu-

[1] 1. *d.* 39. *N. n.* 23.

futurum in tali die, & hora, & hæc electio, ſeu hoc decretum facit, ut Petrus ſit futurus albus illa hora, & ut talis repræſentatur in eſſentia divina, & in 3. ſigno intellectus videt Petrum fore album illa ipſa hora, ergo tota ratio, cur Deus videat in eſſentia ſua futurum contingens abſolutum, & in ipſo ſolo dependens, eſt decretum ſuæ voluntatis, quo ſtatuit illud ſe facturum tali puncto temporis. Idem eſt de futuris dependentibus à voluntate creata cum proportione. Igitur eſſentia divina eſt ſemper ratio immediata intellectui divino illam movens ad videndam futuritionem contingentium: Decretum verò faciendi ea, quæ ab eo ſolo fiunt, aut concurrendi ad ea, quæ ab eo fiunt, cum voluntate creata, eſt ratio remota. Hinc

Prob. 2. quia illud eſt ratio cognoſcendi certò, & determinatè futura, per quod habent veritatem, ſeu futuritionem; ſed per decretum illud Dei res habent futuritionem, ſeu veritatem; ergo illud eſt ratio illa cognoſcendi. Major videtur certa, & evidens. Prob. min. nam ante decretum res iſtæ non differunt à purè poſſibilibus, & per illud extrahuntur à ſtatu poſſibilium, & ponuntur in ſtatu futurorum; poſito autem decreto illo, non poſſunt non eſſe: alioqui deficeret Dei ſapientia, & ejus potentia fruſtraretur, aut mutaretur in conſiliis ſuis, quæ omnia repugnant Deo. Decretum igitur illud eſt liberum, libertate contingentiæ; quia Deus ad extra nihil decernit, niſi liberè, ita ut poſſet non decernere, aut decernere alia: item eſt infallibile ob rationem allatam, quia ſcilicet Deus in ſe eſt immutabilis.

Confir. ex Script. & PP. nam, inquit D. Paulus, [1] *Deus operatur omnia conſilio voluntatis ſuæ*; ſcilicet conſultat voluntatem ſuam, & in ea cognoſcit, quæ facturus eſt; *quæ Deus facere decrevit*, inquit Hilar. *in ſua voluntate cognovit*. [2] Et Aug. *illud me non latet, illud ſine dubio futurum, ſi hoc Dei voluntas habet*; ergo voluntas Dei facit futuritionem rerum, & in ea Deus videt, quæ futura ſunt.

Dixi autem, *in eſſentia*; nam, ut probatum eſt

[1] *Epheſ.* 1.
[2] *9. Tr.*

eſt ſupra, eſſentia Dei eſt objectum primarium, & motivum omnis ſcientiæ illius.

Dixi 2. Decretum de illis faciendis in his, quæ à ſolo Deo fiunt: nam in his totalis cauſa futuritionis eſt voluntas ejus; ſed in his, quæ fiunt ab eo, ſimul cum voluntate libera creata, Decretum Dei non eſt ita abſolutum, ſed accommodatum libertati creatæ; & eſt decretum non abſolutè de facienda re; ſed de concurrendo ad illam, ſi ſit opus reale poſitivum, & phyſicum; vel de permittendo, ſi ſit quid malum morale, ut peccatum.

Objic. 1. in ſigno, in quo Deus videt Anti-Chriſtum poſſibilem, & in quo non decernit illum creare, adhuc verum eſt, illum eſſe futurum; ergo Deus in illo ſigno debet videre id in eſſentia ſua, in qua videt omne verum; ſed tunc nullum eſt decretum de creando Anti-Chriſto; ergo decretum non eſt ratio videndi futura. Patet ant. nam propoſitiones de futuro contingenti ſunt determinatè veræ, aut falſæ; ex dictis in Logica. Patet etiam ſubſumptum; nam, ex Scoto citato, in illo primo ſigno intellectus offert eam propoſitionem (Anti-Chriſtus erit) ut neutram, ſeu indifferentem, ſeu ut poſſibilem; ergo & ante decretum.

Reſp. neg. ant. nam in illo 1. ſigno, ſeu inſtanti rationis futuritio Anti-Chriſti proponitur nuda, & indifferens, & tam poteſt non eſſe, quàm eſſe, quia Deus non concipitur quidquam decreviſſe circa illud; ergo non poteſt aliter repræſentari in eſſentia, quàm ut indifferens.

Inſt. in illo primo inſtanti videt ſuum decretum futurum de Anti-Chriſto; ergo & ipſum Anti-Chriſtum; non enim poteſt videre unum ſine alio; ergo futura non videntur in decreto, quod habet in illo ſecundo inſtanti rationis, prob. ant. nam in illo 1. ſigno decretum non eſt, ſed erit in 2. eſt poſſibile, & non eſt poſitum, ſed ponendum eſt futurum pro 2. inſtanti, & ut tale videtur in illo primo.

Reſp. neg. ant. & 2. partem prob. nam ly *erit*, & *futurum*; non dicuntur de iis inſtantibus rationis, ſeu præſuppoſitionis, ſeu prioritatis, à quo; ſed requiruntur inſtantia, & ſucceſſio realis, &

prio-

ptioritas in quo. Hæc autem non ſunt in Deo. Aliud autem eſt decretum in 1. ſigno videri poſſibile, & videri futurum; primum nullam involvit ſucceſſionem realem, & ſtat cum poſitione reali, non autem ſecundum; nam præſens, & futurum nequeunt eſſe ſimul realiter.

Inſt. 2. decretum illud in 1. ſigno abſtrahit ab exiſtentia actuali; ergo concipitur, ut futurum. Prob. ant. in illo ſigno voluntas Dei concipitur, ut non determinata; ergo & decretum ejus de Anti-Chriſto abſtrahit ab actuali exiſtentia; non enim eſt ante determinationem formalem actualem voluntatis divinæ.

Reſp. neg. conſ. nam in illa abſtractione decretum non dicit futuritionem, nec contrarium; eſt indifferens ad utrumque; imò & in hac materia non poteſt adeſſe vera futuritio, quæ requirit ſucceſſionem realem, aut ſaltem aliquid, à quo extrahatur à ſtatu poſſibilitatis ad ſtatum futuritionis, quod hìc non adeſt.

Inſt. 3. in illo 1. ſigno vera eſt hæc propoſitio: *Deus decernet, creare Anti-Chriſtum*, & iſta eſt falſa; *Deus non volet creare Anti-Chriſtum*; ergo in illo 1. ſigno Deus videt tam decretum, quàm Anti-Chriſtum, ut futurum; nam in illo 1. ſigno videt quidquid eſt viſibile, & verùm.

Reſp. neg. ant. nam ante decretum ipſum; neutra propoſitio eſt vera, aut falſa determinatè; ſed indeterminatè, aut vera, aut falſa, prout Deus decernet.

Inſt. 4. veritas, & falſitas ſunt proprietates propoſitionum; ergo iſtæ ſunt veræ, aut falſæ, in omni ſtatu aſſignabili; ſcilicet tam in 1. ſigno, quàm in 2.

Reſp. diſt. ant. ſunt proprietates propoſitionis formalis: conc. materialis neg. ant. & conſ. Nam in illo 1. ſigno hæ, & ſimiles propoſitiones ſunt tantùm materiales; nihil enim determinatè enuntiare poſſunt, aut ſi ma vis, utraque eſt falſa: nam enuntiant de futuro decreto, aut non futuro, & neutrum eſt verum; quia decretum illud, quod enuntiatur in futuro, jam exiſtit realiter, licèt non concipiatur, ut exiſtens propter præciſionem; uno verbo futurum, & præteritum ſunt differentiæ temporis, &

mo-

motus ſucceſſivi ; non verò æternitatis.

Objic. 2. Deus non cognoſcit puras omiſſiones, & peccata in decretis ſuis ; ergo nec reliqua futura contingentia. Prob. ant. quia non decernit omiſſiones, quæ ſunt nihil, nec peccata, quæ fiunt contra ejus voluntatem ; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. in decretis poſitivis, & abſolutis : conc. in decretis permiſſivis, & negativis : neg. ant. utrumque ; nam Deus decernit concurrere ad actus Phyſicos, & materiales, ad quos ſequuntur omiſſiones actuum debitorum, aut in quibus ſunt privationes rectitudinis debitæ, nec eſt ſpecialis difficultas de decretis, quàm de concurſibus ejus ad illos. Nam ſic explicat Doctor [1] ſubtilis: *Deus præſcit, ſe cooperaturum Lucifero ad ſubſtantiam actus, qui erit peccatum ; hoc autem præſcit, quia vult cooperari illi, ſi eſt peccatum commiſſionis ; vel præſcit, ſe non cooperaturum ad actum aliquem, ſi non vult ipſum, & hoc ſi actus iſte primus eſt peccatum omiſſionis, & ſciendo cooperaturum ad talem ſubſtantiam actus non debitè circumſtationatam, vel non cooperaturum ad actum neceſſarium, ſciet, quòd peccabit*, &c.

Objicies 3. ſi futura viderentur in decretis, & poſſibilia in eſſentia, ſequeretur ſcientiam viſionis, quæ eſt de futuris, diſtingui à ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt de poſſibilibus ; & eadem res terminaret duas ſcientias diſtinctas : ſed falſum conſ. ergo & ant. Prob. maj. ſcientiæ ſpecificantur ab objectis motivis ; ſed harum objecta eſſent ſpecie diverſa ; ergo & ſcientia. Prob. min. objectum viſionis eſſent decreta ; ſimplicis verò intelligentiæ ipſa eſſentia ; ergo.

Reſp. neg. 1. maj. nam utraque videntur, & repræſentantur in eſſentia, licèt ſub diverſis conditionibus ; nam futura repræſentantur mediantibus decretis, per quæ redduntur futura ; alia verò ſe ipſis nudè ; ſpecificatio autem ſcientiæ petitur ab objectis motivis, in quibus formaliter objecta videntur, non verò à conditionibns, vel cauſis, ex quibus fit, ut ſic, vel ſic repræſententur.

Objic. 4. ſi actus humani prævidentur, & maximè in decreto, fierent neceſſarii, & quidem antecedentes-

[1] 1. d. 41. D. n. 13.

denter; ſed conſeq. eſt erroneum; nam ſic merita, & peccata non eſſent in libertate noſtra; ergo & ant. Prob. maj. poſita illa præviſione, quæ non poteſt falli, & decreto, quod non poteſt fruſtrari, non poſſent, non eſse merita, aut peccata; ergo &c.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. non poſsent non eſse ex ſuppoſitione præſcientiæ, & decreti, & ex neceſſitate conſequenti: conc. abſolutè, & ſecundum ſe, & ex neceſſitate antecedenti; neg. ant. & conſeq. Nec enim ideo Deus prævidet peccata, quia illa permittit, aut decernit: ſed quia homo abutetur illa permiſſione, & libertate, & cooperatione; ſed expreſſius dicemus brevi, quomodo ſtet infallibilitas præſcientiæ, cum libertate creata.

QUÆSTIO VI.

An Deus cognoſcat futura conditionata.

JAm dixi futura conditionata illa cenſeri, quorum exiſtentia pendet à certis conditionibus, quibus poſitis illa poneretur, ſed quia conditiones non ponuntur, ita nec illa; &, ut monui, videntur habere aliquid medium inter futura abſolutè, & purè poſſibilia; habent de futuris, quod cauſæ illorum ſint de genere futurorum, & Deus decrevit ad ea concurrere, ſi ponerentur conditiones, ut dixi de pœnitentia Tyriorum, ſi vidiſsent miracula Chriſti, quæ viderunt Coroſaitæ, & ideo pęnitentia illorum erat aliquo modo futura, ſed remanſit de facto in ſtatu purè poſſibilium, quia conditio illa defuit. Sic ſcientia, quam habet Deus de illa pœnitentia, (& ſic de aliis) videtur habere aliquid de ſcientia viſionis, quatenus terminatur ad illam pęnitentiam conditionatè futuram, & aliquid de ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quia illa pęnitentia non fuit, nec erit magis, quàm centeſimus mundus. Sunt tamen conditionata alia, quæ verè futura ſunt, quia conditiones eorum ponentur, ut ſi electus perſeveret in gratia, ſalvabitur; ſed de iſtis non eſt quæſtio.. Quæſtio autem procedere poteſt tum de ipſis conditionibus, v. g. de prædicatione, & miraculis fiendis in Tyro, & Sydone;

tùm de effectibus ex conditionibus illis ſequuturis, v. g. de converſione Tyriorum, & Sydoniorum, ſi eis prædicatum fuiſset, ſed ea eſt differentia de conditionibus, quod earum poſitio pendeat à ſolo Deo, ut prædicatio, & miracula, quæ Chriſtus ſolus potuit ponere; ſed converſio pendebat non ſolùm à Dei auxiliis, ſed etiam ab illorum populorum cooperatione libera; ideo de conditionibus non futuris idem eſt dicendum, ac de poſſibilibus.

Porrò conditiones aliæ ſunt diſparatæ cum effectibus, qui eis tribuuntur, ut ſi dicas, *ſi Petrus oret Camberii, Paulus Romæ peccabit;* nam peccatum iſtud nullam connexionem habet cum oratione Petri; nec iſta oratio quidquam influit in illud peccatum, ſed merè caſualia ſunt: aliæ ſunt neceſsariò connexæ; ut cum dicis, ſi Sol lucet, dies eſt; nam lux Solis eſt cauſa neceſsaria diei: aliæ ſunt connexæ cum effectibus conditionatis concomitanter, & morali quodam nexu, non Phyſico, ut converſio Tyriorum cum miraculorum viſione; nam converſio pendebat à voluntate illorum, ut potuiſsent reſiſtere miraculis, & gratiis æque, ac Coroſaitæ, & de his conditionatis eſt quæſtio, an Deus ea videat ſua ſcientia, quæ ob talia objecta dicitur conditionata.

Notandum verò, quædam eſse conditionata, quæ Deus verè decreverat facere, aut non facere, ſi homines ex parte ſua aliquid feciſsent, v.g. dare immortalitatem hominibus, & in poſteros tranſmittere Juſtitiam originalem, ſi non peccaſsent protoparentes; conſervare in perpetuum regiam coronam in domo David, & Salomonis, ſi fideles in juſtitia perſtitiſsent; & donare corona gloriæ æternæ omnes homines, ſi in gratia perſeverarent, &c. alia verò ſunt, circa quæ nihil videtur ſtatuiſse, ut ſunt innumera poſſibilia, quæ fierent, poſitis certis conditionibus, ſed non fient, quia conditiones non ponentur, & parum, vel nihil faciunt ad Dei Providentiam commendandam, ut ſi comedas ex tali pomo, infirmaberis, ſi ex alio, ſanaberis; ſi adhibeas ignem ſtuppæ, vel pulveri ſulphureo, ignem concipiet; de his aliter puto dicendum, quàm de primis. Hujus generis ſunt ferè omnia poſſibilia, quæ dici poſsent futura conditionata, & hæc non curamus.

Nota

Nota denique, quòd particula, *ſi*, in propoſitionibus conditionatis ſumi poteſt 1. illativè, & tunc habet connexionem neceſſariam conſequentis cum antecedente; licèt utrumque, aut ſaltem antecedens ſit impoſſibile, ut *ſi Petrus eſt canis, eſt latrabilis*: conſequentia enim bona eſt, licèt antecedens, & conſequens ſint materialiter falſa; 2. importat tantùm aliquam concomitantiam conſequentis cum antecedente, non ex vi formalis conſequentiæ, ſed ex aliquo adjuncto, v. g. ex pacto, vel promiſſione, ut ſi veneris in Scholam, dabo tibi librum; adventus in Scholam, & donum libri connectuntur, non ex ſe, à parte rei, ſed ex pacto, & promiſſione, & de his maximè procedit quæſtio, nam prima pertinent ad ſcientiam naturalem Dei, quia ſunt prorſus neceſſaria.

Concl. *Deus verè, & certò cognoſcit futura illa omnia conditionata, etiam quæ pendent à libertate creata*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui pluribi proponit, & reſolvit quæſtiones de talibus futuris, utrum Verbum Incarnatum fuiſſet, Adamo non peccante, & apertè docet, [2] quòd ſi Deus voluiſſet, aliter poterat redimi genus humanum, quia inquit *omnia, quæ facta ſunt à Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione divina, quæ ſic ordinavit fieri*. Item quærit, an Corpus Chriſti fuiſſet putrefactum, ſi reſurrectio non fuiſſet accelerata? Item an, ſi duraſſet innocentia, filii Adæ fuiſſent confirmati in innocentia? An ſoli electi fuiſſent nati? An creviſſent in corpore, & ſcientia, ſicut modo? An habuiſſemus corpora mortalia? utrum Adam eſſet moriturus? Item, *an fuiſſent Sacramenta*? &c. & non ſolùm ſupponit, Deum ſcire, quid futurum eſſet in his caſibus conditionatis, ſed etiam ipſe reſolvit, v. g. tenet Verbum incarnandum; etiam ſi Adam non peccaſſet, &c.

Prob. 2. ex Scrip. [3] nam ſi Deus prævidit mortem Adæ, & filiorum, ſi comederet de ligno vitæ, ut contigit, prævidebat ſine dubio quid fieret, ſi non

come-

[1] *3.d.7.q.3.B.n.3.*
[2] *& d.20.D.n.10.*
[3] *Gen.1.*

comederet, quod tamen non accidit; item pollicetur Deus Abrahæ, [1] ſe non deleturum Sodomitas, ſi reperirentur inter eos viginti, aut 10. juſti. Davidi [2] prædicit, quòd eum tradituri eſſent Sauli viri Cœilæ, ſi deſcenderet ad eos, & per Eliſæum Prophetam [3] dicit ad Joas Regem *ſi percuſſiſſet quinquies, aut ſepties, Syriam percuſſiſſet uſque ad conſumptionem; nunc autem tribus vicibus percuties eam*; item prædicit Sedeciæ aliquos eventus conditionatos: *Si profectus exieris ad principes regis Babylonis, vivet anima tua, & civitas hæc non ſuccendetur igni, & ſalvus eris tu, & domus tua*; & Chriſtus ipſe, ut jam monui, dixit quòd facturi erant pœnitentiam Tyrii, & Sydonii, ſi coram eis feciſſet illa miracula, quæ fecit apud Coroſaitas: [4] *væ tibi Corozaim, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egiſſent*; ecce eventus futuri, & prævisi ex conditionibus; & iſte ultimus non evenit, quia non adfuit conditio. Item dicit de Sodomitis; ſi vidiſſent eadem miracula, quæ viderunt Capharnaitæ, *forte*, inquit, *manſiſſent uſque in hanc diem*. Denique cùm dicebat Chriſtus D. Petro, [5] *poſſum rogare patrem meum, & exhibebit mihi modo pluſquam 12. legiones Angelorum*; videbat, quòd ſi id peteret à Patre, concederet illi, & tamen non conceſſit, quia id non petiit; ergo ex Scriptura utriuſque Teſtamenti, Deus ſcit futura conditionata, & quidem omnia; non enim eſt potior ratio de unis, quàm de aliis.

Prob. 3. ex SS. PP. nam S. Athanaſius [6] apertè docet, quòd ſi Deus voluiſſet, *poterat ſine ullo adventu Chriſti ſolvere maledictionem*. Sic Gregor. Nyſſenus [7] dicit, Deum prævidere depravationem filiorum, ſi adoleſcerent, & ideo eos permittere mori in infantia; *veriſimile eſt enim, eum, qui, id, quod futurum eſt, æque, ac præteritum cognovit, progreſſum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne quod in præſcientia malum eſt animadverſum, in eo, qui ita*

[1] *Gen.*18. [2] 1.*Reg.*23.
[3] 4.*Reg.*13. [4] *Matth.*10.
[5] *Matth.*16.
[6] *Ser.*3.*con.Arr.*
[7] *De iis qui acerba mor.*

ita eſſet victurus, perficiatur, &c. Sic Chriſoſt. docet, Paulum, & latronem non fuiſſe vocatos à principio cum aliis Apoſtolis, quia prævidebat Chriſtus, eos non cooperaturos gratiæ; *potuiſſet antea eum vocare*; *ſed vocatus ille non paruiſſet*, & ſic explicat parabolam de Patrefamilias, [1] qui alios vocat mane, alios hora 3. alios 6. alios 9. alios undecima, *quia tunc obtemperaturi erant*; ergo ſcit, quid futurum ſit, poſita conditione, & quid futurum non ſit. Idem docet Cyrillus [2] de Chriſto, quòd *ſi non peccaſſemus, neque eſſet nobis factus ſimilis* (ſcilicet in carne paſſibili, & mortali) *nec ſuſtinuiſſet crucem, & ſi non eſſet mortuus, nec eſset aſſecutus, ut adoraretur à ſanctis.*

Item ex Aug. qui ſolet contra hanc ſcientiam conditionatorum afferri velut contra inventum Semipelagianorum, qui docebant, Deum damnare infantes ob præviſa eorum peccata, ſi vixiſſent, vel ſalvare eoſdem ex præviſis eorum meritis, & revera hoc ſenſu invehitur in illos Hæreticos Aug. & meritò negans, & damnans non ſcientiam meritorum, vel demeritorum ſub conditione futurorum, ſed talem uſum talis ſcientiæ; nam ſcientiam prorſus admiſit. *Unde hoc talibus viris venerit in mentem, neſcio, ut futura demerita, quæ non ſunt futura puniantur, aut honorentur parvulorum merita, quæ item non ſunt futura, quia hominibus futura, quæ non ſunt futura, proculdubio nulla ſunt merita*; ergo Aug. ſola merita, vel demerita negat in futuris conditionatis, non autem ſcientiam eorum in Deo; ſed potiùs eam admittit, aut ſupponit; Unde agnoſcens verba Sapientis; [3] *raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*; addit: [4] *donum Dei eſſe; coguntur fateri, ut finiat homo vitam iſtam, antequam de bono mutetur in malum*; ergo Deus, qui talem gratiam facit homini, novit mala, quæ eiiet facturus, ſi diutiùs viveret.

Sic docet, Deum noſſe, quomodo Eſau cooperaturus fuiſſet gratiæ, ſi tali, aut tali modo fuiſſet vocatus: *Quis etiam dicat modum, quo ei perſua-*

[1] *Matth.* 19. [2] *Dial. de Trin.*
[3] *Sap.* 4.
[4] *De corrept. c.* 8.

ſuaderetur, ut crederet, etiam omnipotenti defuiſſe? Et alibi. *Cur apud quoſdam non factæ ſunt virtutes, quæ ſi factæ fuiſſent, egiſſent illi homines pœnitentiam, & factæ ſunt apud eos, qui numquam fuerint credituri? apertiſſimè Deus dicit:* væ tibi Chorozaim: & ſic è contra innumeris infidelibus *apparere, aut prædicari noluit Chriſtus, quos nec verbis, nec miraculis credituros eſſe præſciebat*; ergo prævidet, quid facturi ſint homines, ſi eis prædicetur; ſi vocentur: uno verbo in illis aliis conditionibus, quæ non ponuntur; quod apertiſſimè docet his verbis: *Ab exordio propagationis humanæ uſque in finem, quibuſdam ad præmium, quibuſdam ad judicium prædicatur; ac per hoc quibus omnino annuntiata non eſt, non credituri præſciebantur, & quibus non credituris annuntiata eſt, in illorum exemplum demonſtratur. Quibus autem credituris annuntiatur, in regno cœlorum, & ſanctorum Angelorum ſocietate præparatur*; ergo Deus præſcit eventus futuros, & non futuros ex prædicatione, & ex conditionibus tam ponendis, quàm non ponendis. Vide Macedo [1] plura alia congerentem.

Prob. 4. ratione 1. quia illa conditionata ſunt cognoſcibilia æque, ac ulla poſſibilia, vel futura; ergo æquè debent ſciri à Deo, prob. ant. nam conditiones, à quibus pendent in futuritione, ſunt poſſibiles, & nos ipſi tales effectus in illis concipimus; ergo &c. 2. talis cognitio eſt neceſſariò in Deo, in ſua providentia, ut prævideat, quomodo, ſalva libertate humana, flectat eam ad illa, quæ optat ab ea, v. g. quibus gratiis illa trahenda, aut deterrenda, & quando illi proponit vel pœnas ſub certis conditionibus incurrendas, vel præmia obtinenda, ut eligamus; Ut cum dicit, *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et: *ſi cuſtodieris mandata mea, ſervabunt te*. 3. quia hæc cognitio pertinet ad perfectionem ſcientiæ Dei infinitæ: nam ad hoc debet ſcire omnia poſſibilia, & futura, & omni modo, quo ſunt poſſibilia; & ea, quæ ſunt poſſibilia, vel futura ſub certis conditionibus; alioqui ſcientia ejus non eſſet comprehenſiva. Denique nos ipſi diſcurrimus circa talia futura, ut patet experientia; ergo & Deus per ſuam infinitam ſcien-

[1] *Collat.* 10. *diff.* 4. *ſ.* 5.

ſcientiam poteſt uno ſimpliciſſimo intuitu videre, quidquid nos per diſcurſum opinamur, vel conjectamur. Unde quando deliberamus ſuper his futuris, ad Dei ſcientiam recurrimus: v. g. *ſi peterem hoc à rege, ſcit Deus, an id concederet*. Vel: *ſi ſciret iſta Rex, ſcit quid eſſet facturus, &c.* ergo vel ex ipſo inſtinctu naturæ agnoſcimus in Deo ſcientiam futurorum conditionatorum.

Objic. 1. Aug. [1] qui talis ſcientię authores putat Pelagianos, & impugnat, dicens: *quid, quod exinanitur omninò præſcientia, ſi quod præſcitur, non erit: quomodo enim rectè dicitur præſciri futurum, quod non eſt futurum?* Et alibi, *quomodo futura dicuntur, quæ nulla erunt? cum igitur ne futura quidem ſint, ſciri à Deo ut futura non poſſunt*. Item: *Ea, quæ verè futura ſunt fient ſine dubio. ſi autem facta non fuerint, futura non erant;* ergo hæc conditionata non ſunt ullo modo futura; ergo non aliter ſciuntur à Deo, quàm purè poſſibilia.

Reſp. neg. ant. nec enim Auguſt. eam ſcientiam impugnat Pelagianis, ſed abuſum, quatenus illi hæretici volebant, quòd infantes damnentur ob mala, quæ prævidentur facturi, ſi viverent, & illa ipſis imputari ad pęnam, ſicut & bona, quæ ſimiliter prævidentur facturi, ſi viverent, imputari eiſdem ad præmium, & ideo ſalvari; & id ſentiebant Pelagiani, & Semipelagiani, ut colligitur ex ſancto Proſpero: *tales*, ajebant, *perdi, taleſque ſalvari, quales futuros illos in annis majoribus, ſi ad ſenilem ſervarentur ætatem, ſcientia divina præviderit*. Et id colligitur ex ipſo Aug. *unde hoc talibus viris venerit in mentem, neſcio, ut futura, quæ non ſunt futura, puniantur, & honorentur merita parvulorum... Judicari autem quemquam non ſecundum merita, quæ habuit, quando fuit in corpore, ſed ſecundum merita, quę fuerat habiturus, ſi diutius vixiſſet in corpore*, &c. vides, Aug. non negare, quin Deus ſciat, quid infantes mortui facturi eſſent, ſi viverent, ſed tantùm, quòd ob illa peccata, vel bona ſic præviſa damnentur, aut ſalventur, quod nullus ſanæ mentis dixerit.

Inſt. tam Aug. [2] quàm alii PP. & Theologi ab-lo-

[1] *L. de An.* 12. *in Pſ.* 105.
[2] *De ver. præ. c. 7. & 8.*

ſolutè negant præſcientiam de talibus; nam inquit Fulgent. *abſurdè dicitur, quòd Deus præſcivit, parvulum, ſi viveret, impium futurum, quem profectò non pluſquam vivit, præſcivit eſſe futurum*; ergo non datur vera ſcientia futurorum, quomodo enim rectè dicitur, præſciri futurum, quod non eſt futurum, *ait Auguſt. citat.* [1]

Reſp. diſt. ant. præſcientia ſumpta in rigore pro cognitione prævia futuri verè, & abſolutè: conc. pro cognitione certa alicujus, quod alio modo eſſet futurum, ſcilicet poſita aliqua conditione: neg. ant. & & conſ. Patres vim faciunt in voce, *præſcientia*, quam volunt præcedere debere id, quod verè futurum eſt, nos verò de hoc non diſputamus, & lis eſſet de nomine, in hoc ſenſu. Nam, ut loquitur Hugo de ſancto Victore: *ſi res futuræ non fuiſſent, Sapientia Dei ſcientia eſſet, ſed præſcientia non diceretur*. Quocumque autem nomine vocetur hæc ſcientia, ſufficit, quod Deus hæc certò ſciat.

Objic. 2. hæc cognitio in Deo arguit imperfectionem, & inutilis eſt: ergo non eſt admittenda, prob. ant. inutilis, quia non poteſt ulla aſſignari utilitas; item imperfecta, quia facit Deum dependere à creatura, quatenus expectaret determinationem hominis ad decernendum, quid velit, verbi gratia, ſi prævidit rectè cooperaturum gratiæ, eam decerneret dare, &c. ergo expectaret tuam determinationem, & ſic ejus determinatio, & ſcientia dependeret à creatura.

Reſp. neg. ant. & prob. ejus; nam 1. utilitas, & neceſſitas patent ex fundamentis concluſ. & quoad dependentiam nulla eſt, ſed pura præſuppoſitio unius ad alterum; verbi gratia præſupponitur prævoſio cooperationis ad decretum vocationis, ſcilicet placet Deo accommodare ſe diſpoſitioni voluntatis creatæ.

Objic. 3. objectum ſcientiæ determinatæ debet habere veritatem determinatam; ſed futura illa nullam habent veritatem determinatam; ergo nec de illis poteſt eſſe cognitio determinata, probat. min. veritas ſequitur eſſe, ſed nullum habent eſſe determinatum; ergo nec veritatem, probat. min. in eſſe

 ſuo

[1] *De orig. an.*

ſuo dependent à cauſa indifferenti, & indeterminata, ſcil. à voluntate creata; ergo &c.

Reſp. 1. iſtud argumentum facere contra futura abſoluta libera æquè, ac contra conditionata; illa pendent à cauſa indifferenti æquè, ac iſta; ergo ſi indifferentia voluntatis non impedit ſcientiam futurorum abſolutorum liberorum, ita nec conditionatorum.

Reſp. 2. neg. min. 1. & 2. conſ. prob. nam illa determinatio petitur, & cognoſcitur in decreto, quod habet Deus concurrendi ad tales actus, ſuppoſita determinatione voluntatis, quæ ſupponitur futura, tali conditione adveniente, de quo infra. Et quamvis neſciremus, quomodo hæc videat Deus, adhuc non negandum, quid videat; nam certò prævidebat, quòd Joas erat percuſſurus Syriam uſque ad conſumptionem, ſi ſepties percuſſiſſet terram.

Inſt. in Deo non eſt voluntas conditionata; ergo nec decretum circa illa conditionata. Prob. ant. eſſet enim fruſtra.

Reſp. pro nunc neg. ant. & prob. nam contrarium conſtat ex Script. cum enim dicit Apoſt. [1] quod *Deus vult, omnes homines ſalvos fieri*, id non poteſt intelligi, niſi voluntate conditionata; *ibi conditio latet*, [2] ait Ambr. *ſcilicet, ſi accedant ad eum, ſi & ipſi velint*. Idem eſt, cum dicit, *convertimini ad me, & ego convertar ad vos*, id eſt ſi convertatur peccator, Deus ignoſcet, ut exponit Trident. [3]

Inſt. 2. ad quid decretum circa res, quæ numquam erunt?

Reſp. *quis novit ſenſum Domini*? certè ad providentiam infinitam ſpectat prævidere, non ſolùm quæ verè futura ſunt, ſed etiam quæ poſſent eſſe tam ſecundum ſe abſolutè; quàm ſecundum aliquas conditiones, etiam poſſibiles; quamvis nunquam ponendæ ſint; ſicut in ipſa providentia humana videmus accidere: nam peritus Dux belli prævidet, ſi hoſtes hac parte irruant, quid faciendum ſit? &c.

QUÆ-

[1] 1. *Tim*. 2. [2] *Ibid*. [3] *SS*. 6. *c*. 6.

QUÆSTIO VII.

An detur aliquod Decretum Dei circa futura conditionata, in quo illa videantur ab eo; & de ſcientia media.

IN hoc verſatur maxima totius materiæ hujus controverſia, in qua in duas præcipuas partes dividuntur Theologi; & ipſimet Scotiſtæ inter ſe non conveniunt, ne de mente quidem Doctoris. Certè non leves militant hinc inde rationes. Quæſtio non procedit de neceſſariò connexis; nam hæc ſufficienter videri poſſunt in decreto ponēdi cauſam, ſeu conditionem neceſſariam: Nec de diſparatis; nam certum eſt, quòd nullam poſſunt habere futuritionem, niſi ex decreto, & pacto determinato, etiam poſita conditione. v. g. cum dicitur ad Joas: *ſi percuſſiſſes terram jaculo quinquies, aut ſexties, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*; niſi interceſſiſſet pactum expreſſum. Quid connexionis erat percuſſioni terræ cum everſione totali Syriæ? Reſtat ergo quæſtio de connexis moraliter, & quæ pendent à libertate creata, etiam poſitis conditionibus: v. g. de converſione Tyriorum per prædicationem, & miracula Chriſti; nam poſitis miraculis, adhuc liberum eis fuiſſet converti, & potuiſſent reſiſtere, ſicut Corozaitæ.

Notant ergo aliqui, quòd in propoſitionibus conditionatis ſub conditione appoſita comprehenduntur ſaltem implicitè omnia principia neceſſaria ad productionem effectus conditionati, v. g. ſub prædicatione Tyriorum continetur quidquid neceſſariò concurrere deberet ad illorum efficacem vocationem, & converſionem obtinendam, ut ſunt gratia efficax interna, decretum Dei de concurrendo ad illam, & alia omnia ex parte Dei, & aliarum cauſarum; alioqui non poſſet dici converſio verè futura. Hoc autem ita poſito, non video tantam occaſionem controverſiæ de medio cognitionis talium futurorum; nam Scotiſtæ aliud non contendunt, quàm præſuppoſitionem alicujus decreti divini, quo illa futura extrahantur de ſtatu

purè poſſibilium; tamen, ut video, apud De Rhodes, PP. Jeſuitæ nolunt, illud decretum eſſe abſolutum, nec conditionatum actuale, ſed aliud, quod ſit pars conditionis præſuppoſitæ, & quaſi futurum, ſicut illa; quaſi diceret Chriſtus, ſi in Tyro factæ fuiſſent virtutes, ego eram concurſurus cum miraculis, & prædicatione ad Tyriorum converſionem; quæ valde notanda ſunt ad controverſiæ punctum intelligendum.

Denique notandum pro tota hac materia de ſcientia, & providentia, & actibus divinę voluntatis, quòd licèt omnia fiant in unico, & indiviſibili inſtanti reali æternitatis, tamen cum aliquo fundamento diſtinguimus eos ſecundum ordinem quemdam rationis, quem illi actus inter ſe habent: & inſtantia, ſeu ſigna rationis, ſecundum quæ diſtinguntur.

In 1. ſigno, ſeu inſtanti, Deus, per ſcientiam dictam ſimplicis intelligentiæ, ſeu naturalem, cognoſcit omnia poſſibilia, & cauſas omnes cum effectibus earum, tam liberas, quàm naturales, quomodocumque poſſibiles, & ut tales proponit ſuæ voluntati. In 2. voluntas decernit creare aliquas ex illis cauſis cum virtute agendi conformiter ad propriam cuique naturam, ſcilicet naturales naturaliter, & liberas liberè, & decernit cum eis concurrere concurſu accommodato uniuſcujuſque exigentiæ. In 3. intellectus novit omnes actus à voluntate creata liberos, & poſſibiles in omni ſtatu, & circumſtantiis, in quibus poſſunt reperiri, eoſque tam conditionatos, quàm abſolutos, & ſub illa libertate, & poſſibilitate repræſentat voluntati ſuæ. In 4. voluntas hæc, quæ continet noſtra eminenter, & virtualiter, & plenè quoad omnes illos ſtatus poſſibiles, decernit per decretum quoddam non ultimum, ſed conditionatum, cum ipſis agere, & concurrere ad ea omnia, ad quæ poterunt ſe ipſas determinare ſive abſolutè, ſive conditionatè, pro ſua plena libertate. In 5. decernit poſitivè, & abſolutè ponere voluntates noſtras in ſtatu aliquo, & circumſtantiis determinatis, cum auxiliis etiam determinatis, cum effectibus, ab eiſdem eligendis etiam determinatè, quos indeterminatos, aut conditionatos præfiniebat, in 4. ſigno per decretum non ultimum, ſed condi-

tio-

tionatum, & ſic, illi effectus fiunt determinatè, & abſolutè futuri, & in 6. ſigno prævidentur ab intellectu ſuo ut futuri, vel non futuri, abſolutè, aut conditionatè: quia ut tales in illis diſpoſitionibus repræſentantur in eſſentia divina.

Concl. *Probabile eſt, Deum non cognoſcere futura libera conditionata, antecedenter ad decretum ſuum, à quo determinatam futuritionem illa habeat. Illud verò non eſt abſolutum, ſed conditionatum.* Eſt Scotiſtarum meliorum cum Thomiſt's, & aliis contra recentiores, qui putant, hæc futura cognoſci in ſe ipſis antecedenter ad omne decretum.

Prob. 1. pars 1. ex Scoto [1] cit. in præcedentibus. Ubi docet, quod intellectus Dei offert voluntati ſuæ *ſimplicia, quorum unio eſt contingens in re*, aut *ſi offert complexionem, offert eam, tamquam neutram, & voluntas eligens unam partem facit eam veram.... hoc autem exiſtente determinatè vero, eſſentia eſt ratio intellectui divino intelligendi iſtud verum*; ſcilicet ante decretum divinum nulla eſt futuritio vera, & Deus non aliter videt futura contingentia abſoluta; ergo nec ſine decreto, ſaltem conditionato, poſſunt eſſe vera futura conditionata; nam eadem eſt ratio, & ſi abſoluta non videntur in ſe ipſis futura; ita nec conditionata antecedenter ad decretum. Unde concludit Doctor: *patet, quòd intellectus divinus determinatur ad illud exiſtens, aut futurum cognoſcendum, ad quod determinatur voluntas divina*; ergo ex Scoto intellectus Dei non videt determinatè ullum futurum ſive abſolutum, ſive conditionatum, niſi conſequenter ad decretum, & præfinitionem voluntatis ſuæ.

Prob. 2. ex eodem; [2] nam ſi intellectus Dei moveretur, & determinaretur immediatè à rebus futuris tam conditionatis, quàm abſolutis, ad eorum cognitionem vileſceret, quia, inquit, *pateretur ab alio, quàm ab eſſentia ſua*; ſcilicet acciperet, & emendicaret à creatura, & ab extra ſe, principium cognitionis ſuæ; ſed hoc eſt indignum Deo, & illi prorſus repugnat; ergo repugnat illi videre talia futura in ipſorum futuritione; unde concludit, quòd ſicut eſſentia divina eſt ratio cognoſcen-

[1] 1.*d*.19 N.*n*.23. [2] *Ibid.*

gnoſcendi ſimplicia, id eſt poſſibilia, & exiſtentia, & denique creaturas omnes, ita & complexa talia, ſcilicet propoſitiones conditionatas de futuro contingenti, ut veras determinatè; v. g. *Si in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, pœnitentiam egiſſent.*

Prob. 3. Deus non poteſt cognoſcere futura, niſi per ea media, per quæ ſunt futura, & extra ſtatum puræ poſſibilitatis; ſed res non ſunt futuræ, nec extra ſtatum puræ poſſibilitatis, ſive abſolutè, ſive conditionatè, antecedenter ad decretum Dei abſolutum, vel ſaltem conditionatum; ergo nec aliter cognoſci poſſunt. Maj. patet; nam intelligibilitas ſequitur eſſe. Prob. min. nam ex natura ſua intrinſeca non habent exiſtentiam, vel futuritionem; alioqui eſſent æternæ, & exiſtentia eſſet de eſſentia earum, quod ſoli Deo convenit.

Prob. 4. nihil prævideri poteſt futurum, etiam conditionatè ſine concurſu Dei immediato, & præparato, ſed Deus non præparat concurſum ſuum, niſi per decretum voluntatis ſuæ; ergo nec poteſt prævidere futura conditionata antecedenter ad decretum aliquod ſuum de concurrendo ad illud.

Confir. hoc, & prob. ex Auguſt. qui dans rationem, cur Tyrii convertendi eſſent prædicante Chriſto, & cur Corozaitæ non ſint converſi? innuit, hoc provenire ex donis Dei, quæ adfuiſſent illis, & quæ defuerunt iſtis, & quod accidit ita omnibus, qui conſentiunt gratiæ; [1] *audiunt enim hæc, & faciunt, quibus datum eſt, non autem faciunt, ſive audiant, ut Corozaitæ, ſive non audiant, quibus datum non eſt*, ſed Deus non dat in tempore auxilia, quæ non decreverit ab æterno; ergo cum eſſet daturus auxilia Tyriis, ita decreverat dare ab æterno ſub conditione.

Prob. 5. Deus prævidit, & prædixit, futuram pœnitentiam Tyriorum ſub illa conditione, ut patet ex Euangelio; ergo erat verè futura, ſi adfuiſſet conditio; ſed non poterat prædici futura ex natura talis conditionis, quia ex ſe non eſt connexa cum illo effectu; ergo debuit connecti per aliquid extrinſecum concomitans; ſed nihil tale poteſt aſſignari ſine decreto Dei, quod connectebat illud conſequens cum illa

[1] *de Bono perſever. 14.*

illa conditione antecedente; ergo revera præceſſit. Prob. hoc ſubſumptum, quia determinatio voluntatis Tyriorum, ſe ſola, non erat futura, ſine auxilio interioris gratiæ; nec ſufficiebat ad futuritionem ſine concurſu Dei; ergo nihil poterat connectere illa præter decretum de concurrendo, & adjuvando. Iſtud à fortiori verum eſt de conditionatis purè diſparatis, qualia ſunt percuſſio [1] ſeptena terræ jaculo, & percuſſio Syriæ uſque ad conſumptionem; nulla enim potuit ineſſe connexio inter duas illas actiones, niſi ex pura ordinatione, & decreto Dei; ergo poſterior non potuit certò cognoſci, nec eſſe futura, antecedenter ad decretum divinum; ergo ita eſt de conditionatis liberis, & moraliter tantùm connexis; ut converſio Tyriorum cum Chriſti prædicatione; nam hæc connexio moralis non reddebat futuritionem ſatis certam, ut certò præſciri potuerit, niſi adeſſet decretum circa illam.

Prob. 6. Quia ſicut ad perfectionem ſcientiæ Dei ſpectat ut terminetur ad iſta futura, & ea cognoſcat determinatè ita, ut intellectus Dei non maneat ſuſpenſus juxta illorum futuritionem, qualiſcumque illa ſit, ita eſt de perfectione voluntatis, ut de illis decernat, quod libuerit, nec maneat ſuſpenſa de illis, & ad illius providentiæ perfectionem ſpectat, ut non ſolùm per decreta abſoluta prævideat, & decernat, quid facturus ſit, ſed etiam quid facturus eſſet in aliis caſibus, & circumſtantiis, ſi occurrerent. Hoc vel ipſis ſapientibus, & prudentibus viris conceditur, ut cum Jacob [2] dividens ſervorum turmas dicebat: *Si percuſſerit Eſau turmam unam, ſalvabitur altera.*

Prob. denique nam in operibus ſupernaturalibus, & ad ſalutem ſpectantibus, ſi futuritio non dependeret principaliter à Deo, v. g. converſio Tyriorum ad prædicationem Chriſti, ſequeretur, hominem ſe ipſum diſcernere, & in ſe ipſo gloriari, non autem in Domino; ſed conſ. eſt erroneum, & contra Scripturam; dicente Apoſtolo; *qui gloriatur in Domino glorietur; quis enim te diſcernit?* ergo & falſum eſt, futuritionem illorum operum præcedere omne Dei decretum. Prob. maj. nam futuri-

Bb 5

[1] *Reg.* 13. [2] *Gen.*

turitio converſionis penderet à ſola determinatione libera voluntatis; ideo enim converſio eſſet futura, quia voluntas præyideretur in eam ſe determinatura, non verò quia eſſet à Deo decreta, ſaltem conditionatè.

Prob. jam 2. p. nam decretum Dei abſolutum non poteſt fruſtrari: ſeu, quod Deus abſolutè decernit futurum, eſt etiam abſolutè futurum, ergo decretum de conditionatè futuris non poteſt eſſe abſolutum, ſaltem objectivè; dico, *ſaltem objectivè*, nam ex parte actus, & formaliter eſt abſolutum, ſeu actuale, & non ſuſpenſum.

Prob. 3. p. & ſimul confir. 2. nam eo modo decernuntur talia futura, quo ſunt, aut dicuntur futura; ſed non ſunt, nec dicuntur futura, niſi conditionatè, ergo non decernuntur futura, niſi conditionatè; conditione ſcilicet ſe tenente ex parte objectorum: nam, ut dicebam, actus voluntatis, ſicut & intellectus Dei, non poſſunt eſſe ambigui, & ſuſpenſi; quaſi diceret, ſi Chriſtus prædicaret Tyriis, ego decernerem concurrere ad converſionem illorum, & vellem eam; ſed donec id fiat ſuſpendo volitionem omnem, & nihil decerno circa illam; certè ſi ſic ſe haberet Deus, eſſet imperfectio in illo, & diceret hoc potentialitatem quandam in voluntate ejus. 2. converſio illa non poſſet dici nec futura, neque non futura, ſed indifferens, ſicut purè poſſibilia, ut dicebamus ex Scoto.

Objic. 1. Scr. loca, in quibus prædicuntur plura futura conditionata, quæ patet præceſſiſſe omne decretum divinæ voluntatis circa illa, ut de converſione Tyriorum, ſi vidiſſent miracula Chriſti; [1] de deſcenſu Saulis in Ceila; ſi illuc iviſſet David; [2] & de adoleſcente, qui raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, ſcil. quia erat peccaturus, ſi diutius vixiſſet; nam ſi illa non evenerint, nec conditiones eorum; ergo Deus nihil circa illa decrevit; alioqui vel eveniſſent, vel decretum inutile eſſet.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. ac rationes ejus, nam potius colligitur contrarium ex illis Textibus, nec enim talia dicerentur futura, niſi Deus ita decreviſſet, quia præ-

[1] *Matth.* 11.
[2] 1. *Reg.* 23. *cap.* 4.

præciſo decreto, nullam, aut ferè nullam connexionem habebant illi eventus cum conditionibus, ſub quibus dicuntur futuri.

Inſt. 1. nihil decretum fuit de peccatis adoleſcentis illius, quia Deus non vult peccatum; ergo illa non prævidit, niſi in voluntate humana.

Reſp. diſt. ant. nihil decretum poſitivè, & directè, quo voluerit peccata, conc. permiſſivè, & de concurſu ad materiales actus; neg. ant. & conſ. nec enim futura erant peccata illa, niſi quia decernebat permittere, aut concurrere ad materiales actus, in quibus fuiſſet deordinatio ex malitia humana; & de hoc eadem eſt ratio de peccatis futuris conditionatè, ac de futuris abſolutè, in quibus admittitur decretum.

Inſt. 2. ſi aliquid decreviſſet de Tyriis, maximè de dando eis auxilio ſimili auxilio dato Judæis, ad credendum miraculis Chriſti; ſed ex tali auxilio non potuiſſet prævidere converſionem Tyriorum; ergo nihil de illa decrevit. Prob. min. nam cum illa gratia non magis potuit prævideri converſio Tyriorũ, quàm Judæorum, qui non ſunt converſi cũ illa gratia; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. quia non decrevit concurrere cum Judæis, qui non erant convertendi, benè verò cum Tyriis, qui erant convertendi cum illa gratia, quam abjecerunt Judæi; de quo patebit expreſſiùs in tract. de gratia.

Objic. 2. ex PP. & maximè ex S. Auguſt. vix admittitur prævіſio talium futurorum, aut ſi admittitur, nullum unquam de illis agnoverunt decretum; ergo non eſt aſſerendum. Prob. ant. nam quærens; cur Deus non det perſeverantiam omnibus, qui gratiam aliquando conſequuntur, ut non cadant ab ea, aut cur non præripiat ad ſe infantes, quos prævidet peccaturos; ſi diutiùs vivant, utrum hoc in ſua poteſtate non habuit? reſpondet, quòd *nihil eorum, niſi perverſiſſime, & inſaniſſime dicitur*; ergo Deus prævidet conditionatè futura in eo, quem præripit in juventute, & gratia, & hoc prævidet ante omne decretum: Prob. conſ. nam ſi prævideret hæc in decreto, de impediendo caſu in peccatum, jam illa impoſſibilia eſſent, quia non poſſet fruſtrari decretum illud. Idem dicendum de pœnitentia Tyriorum futura, ſi viderent miracula.

Reſp.neg.ant.1. conſ. 2.& diſt.ant.3.arg. eſſent impoſſibilia, ſuppoſito decreto abſoluto; conc.ant. ſuppoſito decreto conditionato, & concomitanti: neg. ant. nam ſicut decretum conditionatum de futuro peccato, ſi adoleſcens viveret diutiùs, ſupponit eam conditionem; ita non infert ullam neceſſitatem abſolutam futuritionis peccati, ſed tantùm conditionatam; quam ideo certò prævidet; non ita eſſet de decreto abſoluto, ſi præcederet.

Inſt. 1. Aug. docet, duplex eſſe genus gratiæ vocantis 1. *congruam*, qua ſic vocat hominem, quomodo prævidet eum conſenſurum vocationi, & 2. *non congruam*, qua ſic vocat, quomodo videt non conſenſurum; ſed hæc fiunt, & prævidentur ſine ullo decreto; ergo conditionatè futura videntur ſine decreto ullo præcedenti; ſic Tyrii prævidebantur credituri miraculis, quia habituri erant in ipſo ingenio divinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moverentur ad fidem; ſi congrua ſuis mentibus vel audirent verba, vel viderent ſigna; ergo vidit Deus futuram pœnitentiam Tyriorum non in decreto, ſed in congruitate gratiæ.

Reſp.neg.min. & conſ.prob. nam gratia, quantumcumque *congrua*, non datur ſine præviſione conſenſus futuri, & hæc præviſio non eſt ſine decreto conditionato concurrendi cum illa, & cum voluntate, quod patet ex ipſo S. Doctore, dicente de iiſdem; quòd *audiunt hæc*, *& faciunt*, *quibus datum eſt: non autem faciunt*, *ſive audiant*, *ſive non audiant*, *quibus datum non eſt*; ſed non datur ſine decreto; ergo nec prævidetur ſine illo. Concedo etiam, quòd antequam vocet Deus hominem congruè, prævidet, an ſit conſenſurus, ſi vocetur; ſed ſi id prævidet, antequam decernat, videt ut indifferens, & poſſibile, non autem ut futurum, ſive abſolutè, ſive conditionatè.

Objic.3. decretum Dei eſt libera illa volitio, qua vult ab æterno aliquid facere, vel non facere in tempore; ſed tale decretum antecedens futura libera tam conditionata, quàm abſoluta repugnat; ergo nullum tale præcedit futuritionis liberæ ſcientiam. Prob. min. quia arguerent imperfectionem in Deo; nam eſſent 1. inefficacia; quandoquidem eſſent de re numquam futura. 2. eſſent vana, & irriſoria; nam eſſent de

de re, quam Deus ipſe ponere poſset, ſi eam vellet ſeriò, quandoquidem poſitio conditionis ab eo pendet, v.g. prædicatio, & miracula coram Tyriis, per quæ credidiſsent; ergo ſi conditionata non eveniunt, ſignum eſt ea non eſse efficaciter, & ſeriò volita.

Reſp. neg. min. nam circa conditionatè futura non repugnat; ſed datur decretum pariter conditionatum, & circa abſoluta abſolutum. Ad prob. neg. utrumque ant. nam cum ſint de rebus ſeriis, & ipſa ſint ſeria, & efficacia, & oſtendant Dei providentiam, & propenſionem ejus miſericordiæ, qua,pro ut eſt in ſe, vult,& eſt paratus ad bona promovenda,& impedienda mala, & de facto hæc præſtaret, ſi adeſſent conditiones; cur autem illa,quæ ab ipſo ſolo pendent,non ponantur, non eſt noſtrum judicare; nec deſunt ejus inſcrutabilis providentiæ rationes, cur non fiant, ut cum dicit Chriſtus, *ſi rogarem*, ut poſsum, *patrem meum, daret mihi modo pluſquam 12. legiones Angelorum*, ſciebat,quare non peteret. Idem eſt de Tyriis, quibus poterat prædicare, ut converterentur æque, ac Judæi, quos ſciebat non convertendos.

Inſt.1. ſi haberet decretum aliquod de converſione illa Tyriorum, haberet velle, & nolle circa idem; ſed hoc eſt abſurdum; ergo & illud. Prob. maj. vellet illam per illud decretum; nollet verò, quia nollet ponere conditionem, ſine qua eſse non poteſt illa converſio; nam qui vult finem, vult & media.

Reſp. neg.maj. vel diſt. velle & nolle circa idem,& diverſo modo ſpectatum: conc. circa idem, & eodem modo ſpectatum; neg. maj. & conſ. nollet conditionem abſolutè, nollet prædicare Tyriis, & ſic indirectè non vellet eos convertere; vellet autem eos converti directè, ſi eis prædicaretur, ſicut cum dicimus, quòd Deus vult omnes ſalvos fieri, & damnare peccatores; vult antecedenter, & quantum eſt ex ſe, & non vult conſequenter, & ſuppoſito peccato finali.

Objic.1. contra 2.p. decreta conditionata gratis, & ſine fundamento ponuntur; ergo non ſunt in Deo. Prob. ant. non poſsunt probari à priori, quia ſupponuntur libera; & ſic nihil habent in Deo, in quo neceſsariò fundentur; nec à poſteriori, quia ſunt inefficacia, nec habent ullum effectum; quippe futura

con-

conditionata, quæ decernunt, numquam erunt, ſicut nec conditiones eorum: ergo &c.

Reſp. neg. ant. & utramque prob. ut conſtat ex fundamentis concluſionis, quæ ſunt rationes à priori, ex parte hujuſmodi futurorum: & illa decreta operarentur exiſtentiam eorum, ſi ponerentur conditiones: & quamvis nulla nobis adeſſet ratio nec à priori, nec à poſteriori, haberent fundamentum Theologicum in Script. ſacra, quod plus quàm ſufficeret.

Objic. 2. ſi darentur in Deo talia decreta, Deus concurreret ad peccata per duplex decretum; ſed conſequens eſt impium; ergo & ant. Prob. maj. 1. per decretum conditionatum eſſet paratus concurrere ad peccata, poſitis conditionibus, v. g. ſi ille adoleſcens, qui *dicitur raptus, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ſi, inquam, diutiùs vixiſset, Deus erat paratus concurrere ad ejus peccata conditionatè prævifa. 2. quando ipſemet ponit, aut decernit poni conditiones, ex quibus prævidet peccata, concurreret ad illa poſitivè, ſcilicet in cauſis, & conditionibus illis, quas poſſet non ponere, ſed impedire: & illud decretum eſſet abſolutum, & prædeterminans; ergo utrumque decretum concurreret ad peccata.

Reſp. 1. hoc argumentum non eſſe ad propoſitum, & urgere omnes agnoſcentes præſcientiam in Deo; nam qualecumque decretum ſit, quo decernit concurrere cum Juda ad proditionem, ſive abſolutum, ſive conditionatum, ſive habeat de utroque, certum eſt, Deum prævidiſſe, quòd Judas erat eum traditurus, ſi admitteretur inter Diſcipulos; & tamen Chriſtus eum elegit, & ſic poſuit conditionem, ſeu cauſam, vel occaſionem proditionis; ſive autem Deus dicatur concurrere ad peccatum per unum, ſive per duo decreta, ſemper impium eſt; denique ſi concurrendo ad actionem peccaminoſam, non cenſetur Deus velle peccatum, ut omnes fatentur, multò minùs per decretum.

Reſp. 2. in forma neg. maj. & diſt. 1. p. prob. paratus concurrere permiſſivè, & ad actus Phyſicos ex lege generali: conc. poſitivè, & ad moralitatem actuum: neg. ant. idem dico ad 2. p. de quo in Phyſica; & alibi occurret locus hæc examinandi, maximè ubi de providentia.

Inſt.

Inſt. ille cenſetur concurrere ad eſſe morale peccati, qui videns omnes ordines cauſarum ſtatuit cooperari ad quodcumque peccatum, ſi ſe præberet occaſio; ſed ita ageret Deus per decretum conditionatum circa peccata conditionatè futura; ergo ſi Deus haberet tale decretum, eſſet verè cauſa peccatorum conditionatè futurorum etiam moraliter.

Reſp. 1. retorquendo argumentum; ille à fortiori eſt cauſa peccati, qui non ſolum conditionatè, & ineſficaciter, ſed etiàm abſolutè, & efficaciter decernit concurrere ad actus malos, ad homicidia, adulteria, furta, quæ prævidet abſolutè futura; ſed hoc facit Deus reſpectu talium actuum ſic præviſorum; ergo à fortiori, & magis abſolutè eſſet auctor peccati. Certè quod ad hoc argumentum reſpondebunt adverſarii, nos ad illud aliud dicemus; nam ipſi admittunt concurſum Dei immediatum ad omnes illos actus Phyſicos, & per conſeq. decretum æternum de ſic concurrendo.

Reſp. 2. directè, ut priùs, diſt. maj. qui ſtatuit concurrere ad moralitatem actuum, ut cauſa particularis: conc. maj. & neg. min. ut cauſa univerſalis, & quaſi nolens, ſeu prohibens: neg. maj. & conſ. nam Deus tam conditionatè, quàm poſitivè decernit concurrere ad entitates Phyſicas actuum, quaſi nolens, & prohibens.

Objic. 3. ſi admittantur illa decreta conditionata, admittenda erunt infinita non ſolum ſeria, ſed etiam ridicula, & abſona circa res quaſcumque futuras, aut poſſibiles, tam connexas, quàm diſparatas: uno verbo circa omnes combinationes poſſibiles in rebus, ut ſi ſtudeas Camberii, Tu ca ridebit Conſtantinopoli; ſed hæc dedecent majeſtatem Dei, & ſapientiàm; ergo &c.

Reſp. neg. min. nam quæ nos ridiculè, & inſulsè fingimus, aut agimus, vel agere, aut fingere poſſemus, Deum non dedecet videre, & prævidere ex infinitate ſcientiæ ſuæ; non dedecet Deum intelligere chimeras, & entia noſtræ rationis; *omnia* quippe *nuda, & aperta ſunt oculis ejus*; & certè *quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus*.

Aliqui reſpondent Deum non videre, niſi futura conditionata, quæ in Script. Sacra exponuntur; ſed ego nollem ad hæc limitare Dei ſcientiam; eadem enim

enim eſt ratio de omnibus ; & ſi poſſemus excogitare aliqua, quæ Deus non intelligeret, non eſſet infinita ejus ſcientia.

Objicies denique, ideo ponitur illud decretum conditionatum, ut ſit medium certum, in quo cognoſcantur futura conditionata ; ſed hæc ratio nulla eſt ; ergo non eſt ponendum. Prob. min. talia futura ſufficienter videntur in ipſa voluntate comprehenſivè cognita ; nam comprehenſione illa ſcitur, quidquid illa poteſt facere, & factura eſt, tam conditionatè, quàm abſolutè in omnibus circumſtantiis, in quibus poteſt reperiri ; ergo & id, quod factura eſſet, poſitis quibuſcumque conditionibus ex ſe ipſa, & liberè.

Confir. nam decretum conditionatum, quod præcederet illam prævisionem, potiùs læderet libertatem, aut poſſet fruſtrari ; ergo non eſt admittendum.

Reſp. ad maj. decretum illud poni, ut illa conditionata ſint verè futura conditionatè, & liberè, & ut talia ſciantur ; nam ſine decreto illo conditionato, talia non eſſent, nec dicerentur futura, nec differrent à purè poſſibilibus, ut probatum eſt. Ad confir. neg. ant. nam decretum illud conditionatum, & concomitans non prædeterminat, ſed comitatur volitionem liberam, ut patebit.

Dixi autem in concluſ. *probabile hoc eſſe*, ſcilicet Deum non cognoſcere futura conditionata antecedenter ad decretum aliquod : quia non videtur improbabilis eorum opinio, qui cenſent, hæc videri in eſſentia, in qua repræſentantur per ſe ipſa cum tali futuritione abſque ullo poſitivo decreto actuali, ut plures Scotiſtæ putant, & maximè Poncius, & Faventinus cum recentioribus communiter. Porrò de decretis dicemus diſp. ſeq. ubi de voluntate Dei.

Concl. 2. *Scientia Dei de conditionatis non eſt verè media inter naturalem, & liberam, nec inter ſimplicem, & viſionis adæquatè ſumptas ; an alio ſenſu dicatur media, non curamus* : ita communiter etiam apud Jeſuitas, ut docet [1] Becanus, qui dubitat, an media reducatur ad ſcientiam naturalem, & liberam ; & De Rhodes, qui expreſsè docet, [2] quòd ſcientia conditionata nullo modo poteſt eſſe media inter

[1] *1.p.c.10.qu.1.con.3.* [2] *Diſp.3.q.4.ſ.2.§1.*

inter ſcientiam naturalem, & liberam, propriè, ac ſtrictè ſumptas.

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. qui inter futurum contingens, & poſſibile nullum medium agnoſcit, neque inter ſcientiam naturalem, & liberam, & illam dicit præcedere actum voluntatis, & iſtam illum ſequi: *omnis actus intellectus, qui præcedit actum voluntatis, eſt in Deo naturaliter, & non liberè*. Qui verò ſubſequitur actum voluntatis eſt liber. Et alibi docet, omne illud, *quod eſt poſſibile naturaliter, & neceſſariò cognoſci, & hujuſmodi eſt quodcumque objectum ſimplex, non autem tale eſt aliquod complexum de exiſtentia contingentis*, &c. ergo non agnoſcit medium inter poſſibile, ſeu neceſſarium, & contingens; ergo nec ſcientiam mediam inter neceſſariam, quæ præcedit omne decretum voluntatis, & liberam, quæ ſequitur aliquod decretum, per quod inducitur futuritio.

Probatur 2. quoad 1. p. nam neceſſarium, & contingens, ſeu liberum contradictoriè opponuntur; ergo inter ſcientiam neceſſariorum, & contingentium, ſeu liberorum, non datur media: nam ſcientiæ ſpecificantur ab objectis.

Confir. ex principiis Scoti mox adductis; nam omnis cognitio Dei de creaturis vel antecedit, vel ſequitur, aut ſupponit decretum de illis producendis in aliqua temporis differentia; ſed ea, quæ antecedit, eſt neceſſaria, & quę ſequitur eſt libera, ſeu cōtingens, ergo omnis ſcientia Dei eſt vel neceſſaria, vel libera, ergo inter iſtas non eſt propriè media.

Dices, dari medium inter ſcientiam præcedentem omne decretum, & ſcientiam ſequentem decretum, ſcilicet eam, quæ comitatur decretum; & talis eſt ſcientia conditionatorum; nam decretum continetur in conditione. Sed

Contra 1. quia prius ratione eſt futuritio, quàm ſcientia futuritionis: ſed futuritio conditionata ſupponit decretum pariter conditionatum, ut probatum eſt; ergo & ſcientia futuri conditionati ſupponit, non verò tantum comitatur decretum.

Prob. 2. p. nam ſcientia ſimplicis intelligentiæ propriè, & adæquatè ſumpta, eſt illa, quæ conſiderat

res,

[1] *Repor*, 1.*d*.38.*qu*.2.*n*.3.

res, aut veritates ſimpliciter, & ſecundum eſſentiam, ſecundum quam ſunt neceſſariæ, & æternæ veritatis; & ſcientia viſionis adæquatè eſt ea, quæ terminatur ad creaturas ſecundum aliquid contingens, ſeu ſecundum aliquam exiſtentiam pendentem à libertate; ſed inter hæc non datur medium; ergo neque inter illas ſcientias ſimplicis intelligentiæ, & viſionis. Inde fit, ut ſcientia conditionatorum propriè pertineat ad ſcientiam viſionis, ſeu liberam, quæ ſubdividi poteſt in *abſolutam*, & *conditionatam*. 1. terminatur ad futura abſoluta. 2. ad conditionata.

Prob. 3. nam ſi Dei ſcientia, & objecta ejus dividantur in purè poſſibilia, præciſè ab omni exiſtentia; & purè, & abſolutè futura, quæ revera exiſtentiam habent aliquando; tunc poteſt addi 3. memoria ſcilicet eorum, quæ non conſiderantur purè ſecundum ſtatum illum indifferentiæ ad eſſe, vel non eſſe actualis exiſtentiæ; nec abſolutè, ut extitura realiter aliquando; ſed quæ pendent ab exiſtentibus, & exiſterent, ſi adeſſet aliqua conditio; ſed de facto non exiſtent, quia conditio non ponetur; ſed ſive ſic dicatur ſcientia illa media, ſive non, nihil refert; modo conſtet, cognitionem illam eſſe in Deo; ergo &c. talis eſt de illa, qua aſſeritur, præcedere omne decretum Dei, an poſſit verè dici ſcientia de futuris conditionatis; & hoc negavimus. Præcipua etiam difficultas, & controverſia eſt circa uſum talis ſcientiæ: an ſcilicet ſit neceſſaria ad conciliandum uſum libertatis creatæ cum præſcientia Dei, & cum decretis æternis prædeſtinationis, & reprobationis, & cum efficacia gratiæ; ſed de hoc infra; pro nunc iſta ſufficiant.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo Deus cognoſcat non entia, chimeras, negationes, privationes, & peccata, ſeu mala culpæ, & pœnæ.

Verſamur adhuc in objecto ſcientiæ divinæ, & poſtquam de entibus poſitivis diſcurrimus, reſtat videndum de negativis, aut etiam fictitiis, quæ vulgo

vulgò dicuntur entia rationis, & de his diximus in Philoſ. quod Deus ea cognoſcat. Quæ ſunt hujus loci, breviter perſtringemus, & quærimus 1. an illa omnia Deus videat. 2. quomodo videat.

Concl. I. *Deus certò, & evidenter cognoſcit negationes, privationes, & entia rationis, & peccata, ſeu mala culpæ, & pœnæ*. Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam dicitur, [1] quòd *diviſit lucem, et tenebras*. Et: *vocavit tenebras noctem*; quod non fecit non cognoſcens. *Ego Dominus formans lucem, & creans tenebras*, ait Iſaias. [2] Et D. Paulus docet, [3] quòd *vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea, quę ſunt*; ergo cognoſcit non entia, ut ſunt negationes, & privationes; imò & impoſſibilia; & idem eſt de peccatis: [4] *malum coram te feci*. Et: [5] *delicta mea à te non ſunt abſcondita*. [6] Et: *poſuiſti iniquitates noſtras in conſpectu tuo*. Et de malis pœnæ: *Vidi afflictionem populi mei*. Scotum citabimus in concl. ſequenti.

Probatur 2. ex Scoto [7] jam nuper citato, & docente, quod *Divina Theologia eſt de omnibus cognoſcibilibus*, unde ſic argumentor: Deus cognoſcit omne id, quod eſt aliquo modo cognoſcibile: ſed impoſſibilia, privationes, negationes, & peccata ſunt aliquo modo cognoſcibilia; nam ea nos ipſi aliquo modo cognoſcimus; ergo & Deus ea cognoſcit.

Probatur 3. Quia ſunt multa poſitiva, quæ perfectè; & comprehenſivè ſciri non poſſunt ſine negationibus, v. g. creatio, & generatio ſunt productiones ex non ente; item annihilatio; hæc, & ſimilia comprehendi non poſſunt, niſi nihilum, & negatio entis, ſeu exiſtentiæ attingatur; ergo &c.

Obiic. 1. ex Script. Deus non videt mala, nec peccata: [8] *mundi ſunt oculi tui, ne videant malum*. Et: *reſpicere iniquitatem non potes*; ergo Deus non videt privationes, nec peccata.

Reſp. Non videt ſcientia, quæ *dicitur approbationis*, & adhæſivè, ſeu *aſſertivè*, conc. ſcientia ſimplici,

[1] *Gen.* 1. [2] *Iſa.* 45. [3] *Rom.* 4. [4] *Pſ.* 50. [5] *Pſ.* 68. [6] *Pſ.* 85. [7] *q.* 3. *prol.* [8] *Hab ac.* 1.

plici, & reprobando mala, & diſſentiendo falſis, neg. ant. De hac cognitione non loquitur Script. imò contrarium aſſerit ubique, alioqui non puniret mala, nec argueret errores.

Objic. 2. ex Phil. *quod non eſt, non ſcitur*: & ſolum verum eſt ſpecificativum intellectus, ſicut bonum eſt ſpecificativum voluntatis, denique per nos ſolum ens eſt objectum intellectus; ergo non entia non cognoſcuntur à Deo.

Reſp. diſt. ant. Non ſcitur per aſſenſum, & ſolum ens eſt objectum motivum, conc. per diſsenſum, & terminativum, neg. ant. Nam tam eſt verum, quòd privatio eſt non ens poſitivum, & quòd chimera eſt impoſſibilis, quàm quod homo eſt ens poſitivum.

Dico, *per diſsenſum*, ſeu *judicio negativo*: nam ſi cognoſceret per aſsenſum, & affirmando, cognoſceret illa per modum poſitivorum, ut nos ex imperfectione noſtra ſolemus ea cognoſcere; Deus verò ea cognoſcit ſecundum proprias notiones eorum, & quatenus ſunt negationes, aut privationes entis aut impoſſibilia, aut deviantia à regulis morum, ut mala culpæ: quantum ad mala pœnæ, habent aliquid privativi, & poſitivi, & cum proportione diſcurrendum eſt de illis.

Objic. 3. Nihil non poteſt depingi, ergo nec intelligi; nam intellectio eſt quædam imago objecti cogniti. Prob. ant. Omnis imago eſt alicujus imago; ergo non datur imago nihili.

Reſpondeo 1. argumentum nimis probare; nam ſic ne homo quidem intelligere poſſet nihilum, aut negationes: 2. diſt. antec. depingi directè in ſe, aut in abſtracto, & ſeorſim, conc. in poſitivo, ſeu concreto, neg. ant. præterea aliud eſt de imagine materiali, aliud de intellectuali, & maximè in Deo, cujus vis intellectiva eſt infinita, noſtra verò imperfecta, & limitata; ideò non cognoſcit non entia, niſi per modum poſitivorum.

Concl. II. *Deus negationes, & privationes, tam phyſicas, quàm morales cognoſcit immediatè, in formis poſitivis oppoſitis: mediatè verò in eſſentia ſua.*

Prob.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Deus*, inquit , *per ſuam eſſentiam cognoſcit rerum non eſſe , ſimul cognoſcendo eſſe ; ſimul enim divino aſpectui offeruntur eſſe , & non eſſe cujuslibet in ratione cogniti , & in eſſe , & non eſſe verbaliter ſumptis*. Et alibi quærens , an beati videant damnatorum pœnas in Deo, ſic diſcurrit. [2] *Dico ſecundum Auguſt. quòd aliquid eſt cognoſcibile ſecundum ſpeciem , et aliquid ſecundum privationem ... ſecundum privationem cognoſcitur, quod cognoſcitur per aliud ; & idem dicit Phil.* quòd privatio cognoſcitur per habitum : *jam ad propoſitum , ſi eſt quæſtio de pœna damni , quæ eſt carentia viſionis divinæ , ſive de culpa , quæ eſt cauſa pœnæ ; dico , quòd non videntur in eſſentia divina , quia non habent ideam in Deo , nec imitantur ideam , quia nec in ſe , nec in aliquo gradu entis ſunt .... ſed ſecundum ſimilitudinem per aliud*, Ecce pro 1. parte ; pro 2. autem facit , quod docet infra de aliis poſitivis , quòd illa *videntur per eſſentiam illam* (Dei ſcil.) *quæ perfectiſſimè omnia repræſentat*.

Prob. 2. quoad 1. p. quia illa non poſſunt cognoſci , niſi in eo , & eo modo , quo ſunt : ſed negationes , & privationes illæ non ſunt in ſe , nec in eſſentia Dei ſecundum ſe, ſed tantùm inſunt ſubjectis per eſſentiam formarum , ſeu entium poſitivorum , quorum ſunt negationes , aut privationes ; ergo non cognoſcuntur nec directè in ſe ipſis , nec in eſſentia immediatè , ſed in poſitivis , quorum ſunt negationes , aut privationes . Prob. conſ. Quia cognoſcibilitas ſequitur eſſe ; ergo eo modo ſunt cognoſcibiles , quo habent eſſe in poſitivis , ſeu per poſitiva .

Prob. 2. p. Quia poſitiva illa repræſentantur , & cognoſcuntur in eſſentia Dei , velut objecto primario , & motivo, ut probatum eſt ſupra ; ergo eſſentia eadem eſt prima, & media ratio, ſeu medium , in quo videntur negationes, & privationes .

Confirm. Quia ſicut eſſentia Dei eſt ratio cognoſcendi hominem ſecundum id, quod eſt , v. g. ut eſt rationalis , riſibilis , ſapiens , juſtus, &c. ita & eſt ratio

[1] *De 1. prin. q. 4. n. 4.*
[2] *4. d. 50. q. 3. B. n. 3.*

ratio cognoſcendi eumdem ſecundum id, quod non eſt, v. g. quòd non eſt brutum, nec leo, nec lapis, aut injuſtus, quatenus juſtitia illi deeſt; & ſic de cæteris, v. g. actus honeſtus, & rectus repræſentatur in eſſentia, ſicut eſt in ſe, ſcilicet cum rectitudine morali debita, ita & actus malus repræſentatur ibidem ſine illa rectitudine, & ut talis agnoſcitur.

Igitur tenebræ videntur per lucem, quę abeſt in aere; peccatum per rectitudinem debitam, quæ non eſt in actu, pœna damni per viſionem Dei, quæ eſt de damnatis; mala in bonis oppoſitis; & chimera, v.g. *hircocervus*, &c. videtur in hirco, & cervo diſtinctis animalibus, quorum unio identitatis repugnat, & hæc poſitiva repræſentantur divino intellectui in eſsentia ſua, quæ eſt infinita in eſsendo, & repræſentando, ut dictum eſt.

De peccatis non eſt tanta difficultas apud eos, qui formale peccati conſtituunt in aliquo poſitivo; nam in hac opinione nihil obſtat, quin illud videat in ſe ipſo, ſeu in eſſentia ſua, in qua omne ens poſitivum repræſentatur.

Objic. 1. Negationes, & ſimilia cognoſcuntur per actum abſolutum, & affirmativum; ergo & in ſe ipſis, non verò tantùm in poſitivis oppoſitis. Prob. ant. Poſsunt definiri affirmativè; poſsum enim dicere, privatio eſt carentia formæ in ſubjecto apto; item: ſunt tenebrę: &, Petrus eſt cęcus, & tenebra eſt carentia lucis, &c. ergo hæc poſſunt cognoſci in ſe ipſis, & maximè à Deo, cujus perſpicacia eſt infinita.

Reſp. diſt. per actum abſolutum, & affirmativum grammaticaliter, & verbo tenus, & ex imperfectione noſtra, conc. formaliter, & in vero ſenſu, neg. ant. nam hujuſmodi propoſitiones, quæ affirmant negationes, æquivalent diſsenſui, ut ex ipſis exemplis objectis patet; nam privatio explicatur per negationem formæ; cæcitas ſignificat privationem viſus, &c. negationes enuntiantur per ordinem ad poſitiva oppoſita, & per aſſertiones negativas, vel æquivalentes negativis. *Neſcio quomodo dicamus, habet egeſtatem;* inquir Aug. *tale eſt enim, ac ſi locum aliquem, qui lumine careat, dicamus habere*

tene-

tenebras, quod nihil eſt aliud, quàm lumen non habere. Ideo, ut quod volo, explicem, ſicuti poſſum, ita dicitur habere egeſtatem, quaſi dicatur, habet non habere. Ecce quomodo affirmativa illa æquivalent negativis. Certè non entium quidditas non eſt quidditas, ſed non quidditas.

Objic. 2. Deus cognoſcit comprehenſivè quidquid cognoſcit, & omni modo, quo eſt cognoſcibile: ſed privationes ſunt cognoſcibiles in ſe ipſis; ergo & in ſe ipſis cognoſcuntur. Prob.min. Nam nos ipſi privationes cognoſcimus immediatè; ergo à fortiori Deus. Prob. ant. Eas definimus in ſe, ut cùm dicimus, eas eſſe carentias in ſubjecto apto; ergo, &c.

Reſp. neg. min. Quia ſicut non habent eſſe abſolutum, & in ſe ipſis, ita nec cognoſcibilitatem, ut patet ex hac ipſa definitione, ut mox dicebamus.

Objic. 3. Si Deus cognoſceret privationes, & mala in formis poſitivis, ſcientia ejus eſſet diſcurſiva formaliter: ſed conſeq. eſt falſum, & contra nos; ergo &c. Prob. maj. Nam cognoſceret malum ex bono, & tenebras ex luce, & peccatum ex virtute oppoſita: ſed cognoſcere unum ex alio eſt diſcurrere formaliter; ergo.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. Cognoſcere unum ex alio per diſtinctos actus, & ſucceſſivè, conc. unico, & ſimpliciſſimo actu, neg. maj. nam tunc eſt diſcurſus tantùm virtualis, qui non repugnat Deo; & ſic Deus cognoſcit negationes per poſitiva, & effectus omnes in ſuis cauſis ſimul, & uno ſimpliciſſimo intuitu.

Poſſunt etiam hæc omnia cognoſci 1. in cauſis ſuis, v. g. omiſſio in voluntate, 2. in ſubjectis, v. g. tenebræ in aere, 3. in cognitionibus noſtris, ut tenebræ, vel chimera, cùm ea cogitamus; nam noſtras omnes cogitationes comprehendit, ſed propriè, & directè cognoſcit ea in formis oppoſitis, & creatis, prout relucent, & repræſentantur in eſſentia divina.

Quid in particulari dicendum ſit de entibus rationis, an cognoſcendo faciat, diximus in Philoſophia.

QUÆ-

QUÆSTIO IX.

Qualis ſit ſcientia Divina, an practica, vel ſpeculativa.

DIximus ab initio hujus tractatus, & in Philoſophia, quæ ſunt conditiones ſcientiæ *practicæ*, & *ſpeculativæ*, *practica* eſt directiva praxis, & *praxis* eſt *actus alterius potentiæ, quàm intellectus, & natura poſterior intellectione, natus elici conformiter rationi rectæ, ut ſit rectus*; ideò ſcientia propriè practica debet eſſe 1. prior praxi, ſeu operatione, quæ per eam dirigitur: 2. conformativa praxis, ſeu operationis, quæ debet ei eſſe conformis, ut ſit recta; & 3. debet ad hoc tradere principia, & regulas, ex quibus eliciantur concluſiones practicæ. Sicut autem objecta ſcientiæ Dei ſunt vel intra ipſam, ut eſſentia, & attributa omnia, & proceſſiones, & decreta ejus æterna; vel extra ſe, ut creaturæ tum poſſibiles, tum futuræ, ſive abſolutè, ſive conditionatè, quæſtio procedit de omni ſcientia, tam de intra, quàm de extra ſe, & tam de naturali, quàm de libera, an ſcil. ſit practica.

Concl. I. *Probabile eſt, ſcientiam Dei ad intra dici poſſe practicam.*

Prob. ex Scoto. [1] *Poteſt concedi, quòd Theologia Dei de neceſſariis eſt practica, quia in intellectu ſuo natum eſt primum objectum Theologicum quaſi gignere notitiam conformem volitioni rectæ priorem naturaliter ipſa volitione*; per hæc verba indicat mentem ſuam, non ut certam, ſed ut probabilem, & revera proponit, & ſolvit utrinque rationes.

Prob. 2. ratione ex eodem. Quia hæc Dei ſcientia habet conditiones practicæ 1. enim eſt naturaliter prior volitione, 2. eſt nata ex ſe dirigere actus voluntatis, & conformare ſibi voluntatem; ergo, quantum eſt ex ſe, eſt practica.

Objic. 1. Voluntas Dei non eſt dirigibilis; eſt enim de ſe recta, & indefectibilis; ergo nec ſcientia ejus eſt directiva; ergo nec practica.

Reſp. neg. conſeq. vel diſt. Non eſt directiva actualiter,

[1] *q. 4. prol P. n. 33.*

liter, ut potentiæ regulabilis, ſeu quæ indigeat directione: conc. aptitudinaliter, & quantum eſt ex ſe: neg. conſ. utramque. Nam non eſt de ratione practicæ ſcientiæ, ut de facto dirigat praxim, ſeu actum voluntatis, qui poſſet benè, aut malè fieri; ſufficit quod quantum eſt de ſe id poſſet præſtare, ſi voluntas indigeret. Imo de facto ſcientia Dei oſtendendo eſſentiam, ut ſummè bonam, aliqualiter dictat de amore illius, & ille amor eſt conformis illi ſcientiæ, & ſummè bonus.

Objic. 2. Scientia Dei non dirigit volitionem ut futuram, nec cauſat illam; ergo non eſt prior volitione; ergo deficit 1. conditio practici.

Reſp. diſt. conſ. Non eſt prior duratione, conc. prioritate naturæ, ſeu ordinis, neg. conſ. quia ad prioritatem naturæ, qualis eſſe poteſt in Deo, non requiritur futuritio in poſteriori, nec dependentia à priori tanquam à cauſa. Certum eſt autem cognitionem præcedere volitionem ſive ordine, ſive etiam natura ſine dependentia veræ cauſalitatis.

Dixi autem, *probabile*, nam ſi ad veram praxim requiratur, ut non tantùm cognitio ſit ex ſe apta dirigere; ſed etiam ut voluntas ſit dirigibilis, ut egeat directione; certum eſt, quod voluntas Dei eſt ſe ipſa recta, & indefectibilis, eſtque potiùs ex ſe regula, & ſuprema lex vetans malum, & imperans bonum, quàm regulabilis; & ideò cognitio Dei, nec intellectus nihil habet regulandum in illa: ſed eſt purè oſtenſiva per connexionem naturalem cognitionis cum volitione, quatenus voluntas ex ſe nõ eſt cognoſcitiva, nec poteſt ferri in incognitum; ideò Scotus eſt in hoc problematicus.

Concl. II. *Scientia Dei naturalis poſſibilium dici poteſt practica, non autem ſcientia futurorum.*

Prob. 1. ex Scoto [1] jam citato, quia hæc ſcientia de poſſibilibus eſt verè prior quacumque volitione circa illa, & volitio poſterior poteſt eſſe conformis illi cognitioni. Unde *poteſt concedi, quòd Theologia Dei de neceſſariis ſit practica*, inquit, *& eſt eadem ratio quoad iſta*. Et è contra de contingentibus dicit, eam quidem eſſe practicam in intellectu creato, *ſed in intellectu divino Theologia con-*

[1] *n.* 36.

tingentium non poteſt eſſe practica, tenendo iſta duo, 1. quod notitia practica, et praxis debent eſse in eodem ſuppoſito; 2. quòd in Deo non eſt alia praxis, quàm ejus volitio.

Prob. 2. quoad 1. p. ex principiis adductis. Scientia, quæ eſt prior naturaliter volitione divina, eſt practica, quia volitio illa eſt nata elici conformis ad illam; ſed notitia neceſſaria poſſibilium eſt prior omni volitione circa illa, & omnis volitio circa illa poteſt conformari illi notitiæ; ergo hæc eſt verè practica. Prob. min. Nam ex ea notitia naſcitur omne decretum de aliquibus creandis, aut non creandis. [1] *Univerſas enim creaturas, et ſpirituales, & corporales, non quia ſunt, ideò novit Deus, ſed potiùs ideò ſunt, quia novit*, ait Auguſt. Ergo ſcientia poſſibilium eſt verè practica, ſeu directiva volitionum Dei circa poſſibilia. Nam iſta ſunt factibilia cōformiter ad illam notitiam, quatenus dictat modum, quo fieri poſſint, ſive voluntas ſe determinet ad eas faciendas, vel non faciendas.

Prob. 2. pars, quia futuritio, & contingentia, & notitia ejus ſupponit, & ſequitur, non verò præcedit volitionem, qua Deus decrevit eam; ergo hæc notitia non eſt decretiva talis notitiæ; ergo non eſt praxis reſpectu ejus, quia omnis praxis eſt actus poſterior ſcientia, quæ dicitur practica, ut poſſit dirigi per illam. Duo ſunt de ratione habitus practici, inquit Doctor, [2] ſcilicet, conformitas ad praxim, & prioritas ejus naturalis ad eamdem praxim.

Objic. contra 1. p. & etiam contra præcedentem concluſionem. Sequeretur, Deum de ſe ad intra, nec de poſſibilibus, ac neceſſariis non habere ſcientiā nobiliorem; ſed conſeq. eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. mai. Scientia ſpeculativa eſt nobilior practica; ſed per nos Deus non haberet ſcientiam ad intra nec de poſſibilibus, niſi practicam; ergo, &c. Maj. probatur, quia ſpeculativa eſt propter ſe ipſam, practica verò eſt propter aliud.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam illud aliud, ſcil. operationes, quas dirigit practica, non reddit eam inferiorem ſpeculativa, imò extollit, quia ſpeculativa

[1] 15. *de civit. c.* 13. [2] *diſt.* 38. *A. n.* 2.

tiva eſt velut otioſa; hæc autem operatrix, ſeu operum directiva ex fœcunditate virtutis, habens aliunde omnem perfectionem alterius.

Reſp. 2. d.ant. prob. Ordinatur ad aliud tanquam ad inferius, cui imperat, & quod dirigit, & perficit, conc. tanquam ad ſuperius, à quo perficiatur, neg. ant. Nam ordinatur ad aliarum potentiarum perfectiones, quas velut imperat, ſaltem dictamine, & regulat præceptis ſuis per modum reginæ, ac ductricis. Et hoc maximè verum eſt in moralibus, & ſupernaturalibus, ubi ſcientia dirigit, & præcipit, ſeu dictat actus virtutum. Nobilitatis eſt ordinari ad actus ſuperioris, ſeu nobilioris potentiæ, qualis eſt ſcientia practica dirigens actus voluntatis, inquit Scotus. [1]

Objic. contra 2. Scientia viſionis eſt prima regula rectitudinis agendorum, ergo eſt practica.

Reſp. diſt. ant. Regula agendorum à creaturis, conc. à ſe ipſo, & per propriam voluntatem, neg. ant. & conſ. Nam, ut notat Scot. cit. ſcientia non dicitur propriè practica reſpectu operationum alieni ſuppoſiti, ſed proprii; ideò ſcientia Dei non dicitur practica propriè reſpectu Angelorum, vel hominum, licèt ſit eorum regula prima. Dico propriè, nam impropriè id dici per me licet.

QUÆSTIO X.

An ſcientia Dei ſit cauſa rerum ad extra.

Duplex eſt cauſalitas: *naturalis*, ſeu *phyſica*, qua per realem influxum cauſa ponit effectum in eſſe reali; & *moralis*, ſeu *intentionalis*, *qua ponit* effectum dirigendo, conſulendo, ac determinando, vel applicando cauſam phyſicam. Utramque cauſalitatem habet intellectus, ſed circa diverſos actus, & opera: cauſat *phyſicè* ſuos proprios actus, ſuas intellectiones, & *moraliter* actus voluntatis, aliarum potentiarum, quas dirigit.

De cauſalitate morali non videtur poſſe dubitari. Nam cùm Deus ſit cauſa phyſica efficiens omnium entium; ſive per ſe ſolum, cùm ſe ſolo ali-

Cc 2 qua

[1] *ibid. n.22. BB.*

qua producit, ſivè cum agentibus creatis, concurrendo cum illis ad omnes prorſus eorum effectus phyſicos immediatione tam ſuppoſiti, quàm virtutis, ut diximus in Phyſica; & hoc per voluntatem, & omnipotentiam; ita certum eſt ad hæc omnia concurrere ſcientiam ejus, non quidem dirigendo, quia voluntas ejus de ſe recta eſt, & inobligabilis, ſed proponendo, ut mox dicebamus. Et per conſequens eſt cauſa *moralis omnium* in hoc ſenſu.

Quæſtio reſtat examinanda de cauſalitate aliqua Phyſica, & quidem ſcientia præciſa ab omni beneplacito, & volitione Dei circa entia. Nec enim dubium eſt, quin ſcientia ſimul cum beneplacito, & decreto voluntatis ſit cauſa omnium entium, & Phyſica æquè, ac moralis.

Porrò aliæ ſunt res *naturales*, ut ſunt entia omnia per cauſas naturales, aut per Deum ipſum producta; aliæ *liberæ*, ut ſunt ſoli actus voluntatis creatæ, & maximè humanæ in ſtatu viæ. Et de utriſque poteſt eſſe quæſtio; ſed diverſa deciſio, ſaltem quoad eos, qui volunt ſcientiam Dei eſſe cauſam effectricem rerum. Non enim efficit actus noſtros liberos, ſaltem malos. Sed de hoc aliàs.

Concl. *Scientia Dei non eſt cauſa effectrix rerum in eſſe reali, ſive naturalium, ſive liberarum*. Videtur contra Thomiſtas.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui impugnans Henricum, quatenus docebat Deum per cognitionem dare aliquod eſſe reale entibus ab æterno, dicit, *quòd iſtud eſſet neceſſarium, quia produceret illa naturaliter, ſeu neceſſariò, produceret ea merè naturaliter, ſicut ignis calefacit; nam intellectus eſt potentia agens naturaliter, non autem liberè, hoc autem eſſet valde abſurdum de quocumque alio producto à ſe in natura*.

Prob. 2. Quia Deus ad extrà producit liberè, quidquid cauſat: ſed ſcientia, vel intellectus non eſt cauſa libera, ſed tantùm naturalis, ſcilicet, agit ex determinatione naturæ, ergo ſcientia, vel intellectus non eſt cauſa effectrix rerum, ſed ſola voluntas, ſeu potentia. Maj. eſt communiter recepta, nihil enim eſt neceſſarium præter Deum, & confirmatur ex Scri-

ptura

[1] 1. *d*. 36. *B*. *n*. 5.

ptura docente, quòd Deus nihil fecit nolens; [1] *Omnia, quæcumque voluit, fecit in cælo, & in terra*. Et: [2] *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet*; ergo voluntas potiùs, quàm intellectus, eſt cauſa effectrix rerum. *Ipſe dixit, & facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*. Et revera [3] *Dixit Deus, fiat lux, & facta eſt lux*.

Prob. 3. ex P P. Nam aſſerunt communiter, quòd non ideò res futuræ ſunt, quia Deus eas præſcivit. *Cauſa ejus, quod futurum eſt, non eſt divina prænotio, ſed potiùs quod futurum eſt, eſt cauſa prænotionis*, ait S. Juſtin. [4] *Non propterea erit aliquid, quia Deus id ſcit futurum, ſed quia futurum eſt, ſcitur à Deo*, inquit Origenes [5]. Idem docet S. Hieronym. [6] Loquuntur autem de ſcientia viſionis, quæ omninò ſupponit futuritionem potiùs, quàm eam faciat. Sequitur ergo decretum voluntatis; quo Deus ſtatuit res facere, & futura in tempore cum talibus circumſtantiis. Ob eamdem rationem negant iidem PP. quòd ſcientia neceſſitatem imponat rebus; ergo ſcientia non cauſat illas. Nam ſicut illa eſt neceſſaria, ita & res exiſterent neceſſariò.

Probatur 4. Si ſcientia efficeret res, vel id faceret ſe ſola, vel cum voluntate: ſed neutrum dici poteſt; ergo non efficit. Prob. min. 1. Si ſe ſola; ergo ſicut intellectus agit naturaliter, & neceſſariò; ita res producerentur neceſsariò, non verò contingenter. 2. ſi cum voluntate; ergo res efficiuntur ab iſta, & ab illa contingentiam habent, non verò à ſcientia. Unde ſcivit Deus ab æterno mundum futurum in tempore, quia voluntas id decreverat, & ante illud decretum id non poterat certo ſcire, quia poterat Deus decernere non creare: aut creare alium.

Igitur ex dictis patet, quòd in 1. ſigno rationis Deus intelligit omnia ſecundum eſſe eſſentiæ, & poſſibilitatis præciſè ab omni exiſtentia, & ante omne decretum de ullis producendis, in 2. voluntas ejus decernit hæc creare in talibus circumſtantiis, & in 3. videt illa eadem eſſe futura. Scientia illa prima dici-

[1] *Pſal.* 113. [2] *Iſa.* 46. [3] *Gen.* 1.
[4] *q.* 18. *ad Gentes*. [5] 7. c. 8. *Ep. ad Rom.*
[6] *in c.* 16. *Iſa.*

dicitur ſimplex intelligentia; hæc verò 2. dicitur viſionis.

Objic. 1. ex Script. quæ omnium rerum effectricem dicit ſapientiam, [1] *Omnia in ſapientia feciſti*. Et: [2] *Dominus ſapientia fundavit terram*. Et: [3] *Qui fecit cœlos in intellectu*: Et: [4] *Omnium artifex docuit me ſapientia*; ergo, &c.

Reſp. diſt. antec. Sapientiam effectricem, quatenus agnoſcit, & videt facienda per ſapientiam, & ſapienter facit omnia, conc. quaſi ſapientia ſit rerum effectrix, neg. ant. & conſeq. ex textibus illatam; quia non alio ſenſu loquuntur, niſi quòd Deus ſciens, & ſapienter omnia fecit. *Omnia in ſapientia feciſti*.

Obiic. 2. PP. docent, Deum non ideò res noſſe, quia ſunt, ſed potiùs ideò eſſe, quia Deus eas novit; ergo cognitio Dei eſt cauſa rerum. Prob. antec. ex Aug. [5] *Univerſas creaturas, non quia ſunt, ideò novit, ſed ideò ſunt, quia novit*. Et D. Dionyſ. [6] vocat Dei ſcientiam *artificem, quæ omnia ſemper componit, & cauſam cohærentiæ, ac ordinis omnium, &c.*

Reſp. neg. conſeq. Quia nec ſcientia cauſat efficienter res, nec iſtæ ſcientiam. Et hoc ſenſu loquuntur PP. cùm negant ideò res cognoſci, quia ſunt. Nolunt enim ſcientiam Dei dependere à rebus, ſed potiùs res à ſcientia, quatenus non producit eas, niſi ſciens, atque volens. Alii verò, qui aliter loquuntur, & quos citavimus, nolunt ſcientiam eſſe cauſam effectricem, & maximè peccatorum noſtrorum.

Inſt. Vel Dei ſcientia eſt cauſa rerum, vel res cauſant ſcientiam: ſed iſtud dici non poteſt, alioqui Deus in ſua ſcientia dependeret à creaturis; ergo illud verum eſt, ſc. ſcientiam cauſare illas.

Reſp. neg. maj. Abſolutè enim neutrum eſt verum in ſenſu, in quo loquimur, ſcil. de cauſa effectrice; nec enim id negamus de cauſa directrice, vel ideali formali.

Objic. 4. Scientia Dei in factura rerum ſe habet, ut ars, ideò dicitur artifex in Scriptura; ergo ſcientia eſt rerum

[1] *Pſal.* 103. [2] *Pſal.* 135.
[3] *Prov.* 3. [4] *Sap.* 7.
[5] 15. *de Trin.* 13. [6] *de Div. nom.* 7.

rerum effectrix. Prob. conſ. Ars enim eſt habitus cum recta ratione factivus; ergo ſcientia Dei, quæ eſt ars, eſt etiam effectiva rerum.

Reſp. Argumenum facere pro nobis. Nam ars in artifice, non facit, ſed dirigit opus. Unde in forma, dato ant. neg. conſ. Nam ſicut ars non efficit opus, ſed dirigit artificem, & habilitat ad efficiendum, ita ſcientia dirigit potentiam effectricem, ſeu voluntatem. Dixi *dato ant.* Nam, ex Scoto, ſcientia in Deo non habet propriè rationem artis, quia voluntas ejus non eget habitu, nec directione.

Inſt. Deus efficit res per intellectum; ergo per ſcientiam. Prob. ant. Deus eſt ſuum intelligere; ergo facit omnia per intellectum.

Reſp. diſt. ant. Per intellectum, id eſt, ſciens, & intelligens, conc. quaſi intellectus formaliter ſit potentia, per quam facit, neg. ant. & conſ. prob. Sic enim diceretur etiam, quod facit omnia per miſericordiam, per juſtitiam, &c. quia eſt æquè realiter ſua miſericordia, & juſtitia, quàm ſuum intelligere. Verum quidem eſt plures ex illis, qui efficientiam rerum tribuunt ſcientiæ, hanc ſumunt; non ſeorſim, ſed ſimul cum voluntate, & potentia, quam vocant executivam. Et quoad hoc nobis cum eis non eſt controverſia, niſi in modo loquendi, aut niſi velint intellectum habere aliquam Phyſicam efficientiam circa res illas, & aliud munus, quàm proponere facienda.

Intellectus ergo in Deo non habet efficientiam Phyſicam, niſi ad actus ſuos proprios, ad ſuam intellectionem, & verbum ſuum; ad actus verò aliarum potentiarum, ſc. voluntatis, non influit, niſi directivè, quatenus cognoſcens proponit objecta: ſeu entia fienda, vel modum, quo fieri poſſunt.

Denique, non diffitemur, quia res omnes tam poſſibiles; quàm futuræ accipiant aliquod eſſe in Deo, & & quidem ab æterno, nempe eſſe cognitum, ſeu objectum, de quo diximus in Metaphyſica. Et hæc non vacat repetere.

QUÆSTIO XI.

An, & quomodò præſcientia Dei certa de futuris ſtet cum libertate contingentiæ illorum.

HÆc quæſtio eſt magni momenti inter alias, quas de ſcientia Dei hinc uſque agitamus, *maxima pars hominum graviter de hac quæſtione laborat*, inquit Auguſt. Et ideò ſerioſiùs examinanda. Philoſophi, qui non poterant hæc conciliare, negarunt vel ſcientiam hanc in Deo, vel libertatem in hominibus, vel contingentiam in rebus, fato omnia evenire ſomniantes. Juvabunt autem, quæ diximus de ſcientiæ hujus qualitate, quòd ſcil. non ſit practica propriè, nec cauſa rerum effectrix; ſed difficultatem faciet, quod diximus, futura videri in decretis, ſeu præfinitionibus. Nam ſolent impii ſic argumentari; *Quod Deus præſcivit, & prædefinivit, neceſſariò veniet, ſed Deus præſcivit in decreto, & ſua præfinitione Petrum peccaturum cras; ergo neceſſariò peccabit cras.*

Porrò alia eſt neceſſitas *antecedens*, quæ prævenit voluntatem activam, nec ab ea dependet, ſed independenter ab illa ponitur, & manet, & facit, ut potentia non poſſit aliter ſe habere: ſed neceſſariò faciat, vel omittat: alia *conſequens*, quæ non prævenit voluntatem, ſed pendet ab ipſa, & licèt impediat ejus actum, id facit tamen dependenter ab ipſa, & ab ejus conſenſu, cum quo ponitur, v. g. ſi quis mihi claudat oculos, ne videam, facit neceſſitatem *antecedentem* non videndi; ſi verò volens claudo meos oculos, tunc viſio eſt quidem neceſſaria durante occluſione, ſed neceſſitas eſt *conſequens*, & conditionata, & liberè poſita, non verò abſoluta, nec antecedens. Videbimus ergo, an præſcientia Dei cauſet hanc 2. an verò 1. illam neceſſitatem futuritionis peccati. Certum enim eſt, quòd prima, quæ venit prorſus ab extrinſeco, & influit in actum, tollit omninò libertatem. Secunda verò non tollit libertatem, quia venit ab ipſa. Talis eſt impotentia, & neceſſitas non recitandi officium ex projectione voluntaria Breviarii; unde omiſſio neceſſaria eſt in ſe, & libera in ſua cauſa.

Repete etiam, quæ diximus de ſcientia futurorum liberorum, quòd ſcilicet videat ea, mediante decreto, & præfinitione illorum, & quòd illa non ſit practica, nec cauſa illorum effectrix.

Concl. 1. *Certitudo ſcientiæ æternæ Dei de futuris contingentibus, & liberis non tollit eorum contingentiam, nec officit libertati.* Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] ſic diſcurrente de præteritis, & præſentibus, & futuris. In præteritis, & præſentibus eſt veritas determinata, ita, quòd alterum extremum eſt jam poſitum, &, ut intelligitur poſitum, non eſt in poteſtate cauſæ, ut ponatur, vel non ponatur: talis autem determinatio non eſt ex parte futuri, quia licèt alicui intellectui (*v.g. divino*) una pars ſit vera determinatè, & ſit etiam vera in ſe determinatè, licèt eam nullus intelligeret, non tamen ita, quin ſit in poteſtate cauſæ (*voluntatis*) ponere oppoſitum; & iſta indeterminatio (*voluntatis*) ſufficit ad conciliandum,& negotiandum,&c.[2]*Et clariùs infra*,contingentia relata ad divinam ſcientiam ſunt neceſſaria neceſſitate conſequentiæ, ſic eſt, iſta conſequentia eſt neceſſaria, ſi Deus ſcit illa eſſe futura, illa erunt, non tamen ſunt neceſſaria neceſſitate abſoluta, nec neceſſitate conſequentis; ergo non obſtante præſcientia Dei de futuris, adhuc voluntas, quæ illorum eſt operatrix, manet libera in ſe ad illa ponenda, aut non ponenda.

Prob. 2. ex Script. [3] *Propoſuit vobis vitam, & mortem, benedictionem,& maledictionem, elige ergo tibi vitam, ut & tu vivas, &c.* &, [4] *Optio vobis datur, eligite hodie, quod placet, &c.* &, [5] *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*, ſc. ad internam Dei vocem, & motionem.

Idem conſtat ex oraculis, quibus aſtruitur libertas arbitrii, [6] *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui*, &, *Appoſui tibi ignem, & aquam*, &, *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*, quæ omnia, & ſimilia vanè, & inutiliter dicerentur, niſi cum præſcientia Dei de electione voluntatis

Cc 5 hu-

[1] *d.39. P. n.26.* [2] *n.35.*
[3] *Deuter.30.* [4] *Joſ.14.*
[5] *Pſal.* [6] *Eccl.15.*

humanę ſtaret ejus plena libertas eligendi bonum, aut malum.

Prob. 3. ex Conciliis, [1] & Conſtit. Apoſtolicis definientibus, *liberum arbitrium non eſſe extinctum in homine per peccatum*, & *non eſſe figmentum, nec titulum ſine re*, & *à Deo motum, & excitatum poſſe diſſentire, ſi velit*, ſcil. gratiæ excitanti, & moventi, &, *eſſe in poteſtate hominis vias ſuas facere malas*. Et Concil. Valent. ſub Lotario ait. *Nec prorſus ulli malo præſcientia Dei impoſuit neceſſitatem, ut aliud eſſe non poſſit, ſed quod ille facturus erat ex propria voluntate, ſicut Deus, qui novit omnia, antequam fiant, præſcit ex potentia ſua*. Nam hæc vera non eſſent, ſi præſcientia Dei de bonis, aut malis, quæ facturus eſt homo, tolleret ab eo libertatem aliter faciendi, aut neceſſitaret eum ad faciendum id, quod prævidetur facturus. Et ſi ne quidem per gratias prævenientes læditur hæc libertas, multò minùs læditur per præſcientiam, quæ nihil in eo ponit.

Prob. 4. ex SS. PP. qui potiùs præſcientiam Dei naſci dicunt ex futuritione actuum noſtrorum, quàm futuritionem ex eorum præſcientia. *Non ideò peccavit Adam, quia Deus hoc futurum noverat, ſed præſcivit Deus, quaſi Deus, quod ille erat propria voluntate facturus*, inquit S. Hieron. [2] *Non impias furentium manus immiſit in ſe Dominus, ſed admiſit, non præſciendo, quod faciendum eſſet, egit, ut fieret*, ait S. Leo. Et Damaſ. [3] docet, quòd præſcientia Diabolo minimè fuit cauſa, cur malus fieret; nam nec medicus, dum futurum morbum prænoſcit, morbo cauſam affert. Et S. Aug. [4] *Nullo modo cogimur aut retenta præſcientia Dei tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio Deum (quod nefas eſt) negare præſcium futurorum, ſed utrumque amplectimur, utrumque fideliter, & veraciter confitemur: illud ut benè credamus, hoc, ut benè vivamus*. Et [5] Boetius dicebat Dei præſcientiam non plus inferre neceſſitatis actibus humanis, quàm viſionem noſtram; *Num quæ præſcientia cernis, aliquam eis neceſſitatem tuus addit intuitus?*

Prob.

[1] *SS.6.c.1.& Can.4.5.6.cap.2.*
[2] *Con.Pelag.* [3] *Ser.16.con.Manich.*
[4] *5.de Civit.6.* [5] *5. Compro.6.*

Probatur 5. ratione. Quod præſupponit libertatis uſum, non lædit libertatem; ſed ſcientia Dei præſupponit uſum libertatis; ergo non lædit libertatem. Prob. min. Scientia Dei de futuris eſt ſpeculativa, ut probatum eſt; ergo ſupponit, non facit ſuum objectum.

Confir. Si ego revelem tibi, quid ſim facturus cras, id præſcies, & quidem verè, & cum aliqua certitudine ſaltem morali, & tamen tua præſcientia non faciet, ut ſim minùs liber; Item licèt videas in ſpeculo, quid faciam, & quidem certò, viſio illa non officit libertati, nec influit in meos actus; ergo ita eſt de præſcientia Dei, qua videt futuritionem peccati mei, non impedit, quin illud liberum ſit; & ita eſt de eleemoſyna, quam ipſo movente prævidet me facturum. Nec enim ideò ſum peccaturus, aut largiturus, quia id prævidet; ſed potiùs ideò prævidet, quia hæc futura ſunt.

Objic. 1. Quod Deus præſcit futurum, neceſſariò eſt futurum, quia ipſe non poteſt falli; ſed quod neceſſariò eſt futurum, non eſt contingens, nec liberum; ergo contingentia, & libertas non ſtant cum præſcientia certa.

Reſpondeo diſt. maj. Neceſſariò eſt futurum neceſſitate conſequentiæ, & in ſenſu compoſito, ſeu ex ſuppoſitione, conc. maj. & neg. min. hæc enim neceſſitas non tollit libertatem; neceſſitate conſequentis, ſeu antecedenti, ſeu abſoluta, & in ſenſu diviſo, neg. maj. & conſeq. Sicut enim ſuppoſito, quòd Petrus currat, neceſſariò movetur, & quidem neceſſitate conſequentiæ, & conſequenti, non verò conſequentis, nec antecedenti, quia ſicut liberè currit, ita & liberè movetur: ita licèt ex ſuppoſitione, quòd Deus præſciat me peccaturum, peccabo quidem infallibiliter, ſed liberè, quia præſcit me liberè peccaturum, & ideo id præſcit, quia liberè peccabo, & liberè decrevit concurrere ad actus meos.

Inſt. Neceſſitas orta ex præſcientia Dei eſt antecedens ad opus, quia illa eſt æterna, & opus eſt hodie, vel erit cras; ergo nulla ſolutio.

Reſpondeo diſt. ant. Antecedit opus quoad exiſtentiam conc. quoad futuritionem neg. antec.

Nam futuritio eſt ab æterno.

Inſt. ergo ſaltem exiſtentia reſpectu præſcientię non eſt libera, quia quod oritur ex neceſſitate antecedenti, non eſt liberum.

Reſp. neg. ſubſumptum, quia in ſua exiſtentia non poteſt aliter eſſe, quàm in ſua futuritione, cùm ſit utrobique idem.

Objic. 2. Præſcientia Dei de futuris liberis ſupponit decretum Dei de illis; ſed quod eſt ab illo decretum, neceſſariò, & inevitabiliter fit; ergo futura hæc neceſſariò ſunt, vel erunt. Maj. patet ex dictis & min. patebit ex diſp. ſeq. Nam voluntas Dei efficax ſemper impletur, & quidem illa neceſſitas eſt antecedens; ergo eſt inevitabilis.

Reſp. diſt. min. Neceſſa riò fit neceſſitate conſequenti, & in ſenſu compoſito decreti, conc. min. antecedenti, & in ſenſu diviſo, neg. min. & 2. p. prob. Nam illud decretum Dei de futuris liberis non prædeterminat noſtram voluntatem, nec facit, ut ſe ipſam determinet, ſed potiùs ſupponit ejus determinationem, aut ſaltem illam comitatur, & condeterminat, ut diximus in Phyſica, &, ſi opus fuerit, iterùm dicemus infrà de voluntate: decretum illud Dei eſt de concurſu, non de præcurſu cum ea.

Concl. 2. *Ad conciliandam Dei præſcientiam de futuris contingentibus cum libertate non ſufficit ſcientia media, ſeu conditionata.* Eſt communis inter Thomiſtas, & meliores Scotiſtas.

Pro intelligentia, & probatione concluſionis, repetendum ex dictis, quòd recentiores utuntur ſcientia conditionata, quam mediam vocant, ad conciliandam libertatem noſtram contingentiæ cum ſcientia Dei, & decretis ejus circa futura libera, quia dicunt, Deum hæc prævidere in ipſamet futuritione ipſorum per ſupercomprehenſionem voluntatis noſtræ, in qua relucent, & continentur virtualiter omnes actus ejus. Videt igitur Deus antecedenter ad ullum decretum circa actus noſtros liberos ſtatus omnes, & ordines, in quibus ponenda eſt voluntas noſtra, & quid in ſingulis ſit de ſe, & liberè operatura. V. g. videt, quòd, ſi voluntas Petri præveniatur tali gratia in talibus circumſtantiis, cooperabitur,

&

& ſanctificabitur liberè, & ex tali prævisione decernit eum ſic prævenire, & vocare, & prædeſtinat ad gloriam, contrarium eſt de Juda, & ſic ex prævisione illa conditionata decernit, quod placet. Et decreta, nec præſcientia non lędunt libertatem, cujus liberam determinationem non prædeterminant, ſed ſupponunt ex ſe prædeterminatam. Nos verò diximus ſupra, quòd hæc futura non videntur in ſe ipſis, nec in voluntate noſtra, ſed in ſua eſſentia, ſuppoſitis decretis ſuis de illorum futuritione per ſuum concurſum concomitantem, ſine quo non poſſunt eſſe nec futura, nec præſentia. His ergo ſuppoſitis

Prob. 1. concl. ex Scoto [1] citato, ubi docet, quòd ſicut ante decretum Dei circa contingentia libera, hæc non habent veram futuritionem, ita nec certò prævideri poſſunt, *tum non ſunt vera contingentia* (ſcilicet ante decretum) *quia nihil eſt tunc, per quod habeant veritatem prædeterminatam, poſita autem determinatione voluntatis divinæ, jam ſunt vera;* ergo ſcientia illa media, ſeu conditionata, ſicut nec habet certitudinem, ita nec ſalvat libertatem cum certitudine præſcientiæ, vel infallibilitate præfinitionis, ac decreti, ex Scoto.

Prob. 2. ex PP. quos ibidem citavimus, & maximè, quia PP. omnes ſtant pro libertate voluntatis noſtræ in ſuis actibus moralibus, & pro æternitate præſcientiæ Dei de illis, & tamen fatentur adverſarii, quòd ante ſæculum præteritum nullus eorum, nec inter antiquiores Theologos uſus eſt notione ſcientiæ mediæ ad tuendam libertatem noſtram cum præſcientia, & præfinitionibus Dei, ergo ſcientia media ſecundum illos SS. PP. & Theologos non eſt neceſſaria ad tuendam libertatem cum præſcientia Dei.

Prob. 3. ratione. Nam cum libertate noſtra in actibus moralibus ſalvanda eſt certitudo præſcientiæ, & præfinitionum Dei de illis; ſed ad hoc non juvat ſcientia media; ergo &c. Maj. continet motivum excogitandæ talis ſcientiæ. Prob. min. Objectum præſcientiæ Dei eſt voluntas noſtra in illis circumſtantiis poſita cum tali gratia; ſed in talibus cicumſtantiis cum tali gratia, &c. quantum eſt ex ſe, eſt libera, & indifferens ad agendum, vel non agendum; ergo

[1] 1. *diſt.* 32. *n.* 22.

ergo de ſe in talibus conditionibus non eſt objectum certum ſcientiæ Dei de actibus ſuis. Prob. min. D. Petrus, v. g. in actu 1. quo negavit Chriſtum coram ancilla, erat omninò liber ad negandum, vel confitendum, aut ſaltem non negandum, alioqui peccatum ejus non fuiſſet liberum; ergo ex qualibet cognitione voluntatis ejus in omnibus illis circumſtantiis non magis dabat occaſionem Deo in æternitate prævidendi peccatum, quàm oppoſitum; ergo tota ratio id providendi aliunde veniebat. Certè, in quocumque ſtatu, & circumſtantiis ſupponatur homo, & prævideatur, in quo ſit liber libertate indifferentiæ veræ, & quantumcumque ſupercomprehendatur, tam continet virtualiter non actum, quàm actum, & conſenſum in bonum, aut malum, quàm non conſenſum; ergo ſcientia conditionata non juvat ad unum videndum præ alio.

Confir. quia apud magnam partem adverſariorum concurſus Dei eſt una, & indiviſibilis actio cum actione noſtra; ergo tam, imò & multò meliùs videtur futuritio in ipſa actione, prout eſt in Deo, quàm prout eſt à nobis, & in voluntate, & potentia ſua, quàm in noſtra. Ant. patet ex Phyſica. Conſ. prob. Nam actio, ſeu volitio ex parte Dei eſt ipſe Deus, & eſt verè æterna; ergo longè melius eſt illi ratio videndi futura libera, æquè, ac neceſſaria, quàm actio ulla creaturæ, à qua non poteſt moveri ad actionem ullam, ut probatum eſt. Et quamvis apud nos concurſus Dei, & creaturæ ſint diſtincti, adhuc ſeorſim intelligi non poſſunt, cùm ſint correlativi.

Alias probationes dedimus ſuprà de impoſſibilitate hujus ſcientiæ ante decretum, ſaltem conditionatum. Nam ſi futurum conditionatum non poteſt præſciri ſine decreto; ergo ſcientia media ante decretum non juvat ad conciliandam libertatem cum præſcientia, & præfinitione. Nam ideò Auctores hujus ſcientiæ illam volunt antecedere decretum, ne iſtud officiat libertati. Item alias remitto ad materias de prædeſtinatione, & de gratia actuali.

Objic. niſi Deus ante decretum circa converſionem Petri ſciret, quòd erat conſenſurus tali gratiæ, ſi eam illi daret, & antequam decerneret dare illam, converſio non eſſet libera, ergo ſcientia conditionata requi-

quiritur adconciliandam libertatem cum præſcientia, & decreto, ſeu præfinitione. Prob. ant. Poſita præſcientia converſionis, & decreto concurrendi ad illam, non poſſet non eſſe,& hæc neceſſitas eſſet omninò antecedens, alioqui Deus falleretur in ſua ſcientia, & fruſtraretur in ſuo decreto, & præfinitione; ſed utrumque repugnat Deo; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & 2. par. maj. ut conſtat ex dictis. Nam & præſcientia, & decretum reſpiciunt converſionem, & cooperationem Petri ut liberam, & ipſummet decretum concurrendi, & liberum, ut patet ex dictis.

Aliæ objectiones eodem ferè recidunt, & ſolventur, ubi de prædeſtinatione, & de auxiliis,

QUÆSTIO XII.

Quotuplex ſit ſcientia Dei.

JAm ſæpe innuimus plura nomina ſcientiæ Dei, & quidem certum eſt eam in ſe, & entitativè eſſe unam, ſicut Deus eſt ſummè unus, & ſimplex, ſed terminativè plures ſortitur appellationes ſecundum diverſas conditiones objectorum ſecundariorum, & ad ſimilitudinem quandam ſcientiæ creatæ.

Dividi ergo videtur, 1. in ſcientiam *de Deo*, qua ſe ipſum agnoſcit, & de *creaturis*, qua cognoſcit illa à ſe. 2. in *præſcientiam*, qua videt res, ante quàm exiſtant, & *ſcientiam*, qua cognoſcit eas exiſtentes, aut ſaltem terminatur ad illas ut exiſtentes in ſe ipſis, nam alioqui ſemper intuetur eas in ſua eſſentia relucentes. 3. in *liberam*, quæ ſic eſt in Deo, ut potuerit non eſſe, ut ea omnis, quæ terminatur ad exiſtentiam creaturarum pro aliqua temporis differentia, & *neceſſariam*, quæ ſic eſt in Deo, ut non poſſet non eſſe. Talis eſt ea, quæ terminatur ad eſſentiam rerum. Nam Deus non poteſt eſſentias rerum ignorare. Et hæc diviſio coincidit cum alia, qua dicitur. 4. dividi in *ſimplicis intelligentiæ*, ſeu *naturalem*, & *viſionis*. Hæc enim eſt libera, & illa neceſſaria. 5. in *ſimplicis notitiæ* qua nudè attingit objecta indifferentia, & *approbationis*, qua attingit bonum morale, & connotat complacentiam quandam voluntatis, & *reprobationis*, qua attingit pec-

peccatum, ſeu malum morale, & connotat diſplicentiam. 6. in *practicam*, quæ dirigit praxim, ſeu operationes voluntatis, & *ſpeculativam*, quæ non ſic dirigit. 7. aliqui dividunt in *abſtractivam*, quæ coincidit cum naturali terminata ad puram quidditatem rerum, & *intuitivam*, quæ coincidit cum ſcientia viſionis, qua intuetur præſentes, ut præſentes. Sed valde impropriè. Nam abſtractiva dicit imperfectionem, & opponitur comprehenſioni, quæ propria eſt omni ſcientiæ Dei. 8. alii in *reflexam*, qua cognoſcit ſe ſcire, & quaſi reflectitur ſuper cognitiones ſuas, & *directam*, quæ terminatur purè, & directè ad objecta. Sed reflexio repugnat ſimplicitati, & comprehenſioni Dei, ſaltem propriè loquendo. Omnis quippe cognitio ejus directè, & ſimpliciter omnia comprehendit. 9. in *naturalem*, & *ſupernaturalem*. Sed nihil poteſt eſſe ſupernaturale Deo.

Circa hæc non occurrit aliqua difficultas gravioris momenti. Nam quoad *practicam*, & *ſpeculativam* patet ex dictis ſupra, quòd, ſi ad rationem ſcientiæ propriè practicæ requiritur dirigibilitas ex parte voluntatis, non datur in Deo, cujus voluntas eſt per ſe recta indefectibiliter, & intellectus ejus non habet aliud munus, quàm proponendi, ſeu oſtendendi objecta volibilia, & nolibilia. Poteſt dubitari de *neceſſaria*, ſeu *naturali*, ſeu *ſimplicis intelligentiæ*, & *viſionis*, ſeu *libera*, an ſit adæquata. Nam multi volunt tertium membrum, quod vocant *ſcientiam mediam*. Sed hoc etiam dubium decidimus ſupra, ubi de ſcientia futurorum conditionatorum. Nam aſſeruimus eam non eſſe propriè mediam, pro ut ſcientia *neceſſaria* ſumitur pro illa, quæ antecedit in Deo omne decretum, ſeu præfinitionem voluntatis, & *viſionis*, pro illa, quæ ſequitur ex decreto, vel præfinitione. Poſſent tamen conſtituere aliud membrum diviſionis *ſcientiæ abſolutæ*, quæ terminatur ad futura abſoluta, & *conditionatæ*, quæ reſpicit futura conditionata. Vocetur autem media, vel non, lis eſſe non poteſt, niſi de voce, quam non curamus; nec in his eſt diutiùs immorandum.

QUÆ-

QUÆSTIO ULTIMA.

Qualis ſit ſcientia Dei, ſeu de proprietatibus ſcientiæ Dei.

PRoprietates communes ſcientiæ creatæ non inquirimus, ſed eas, quæ ſoli divinę conveniunt, quarum præcipuæ ſunt *infinitas*, *efficacitas*, *invariabilitas*, *comprehenſivitas*, *ſimplicitas* oppoſita diſcurſivitati, &c. De *efficacitate* diximus ſuprà examinantes, an, & quo ſenſu dici poſſit cauſa rerum. Reliquas hìc breviter expediemus. Item de *immutabilitate* ſcientiæ conſtat ex dictis de attributo immutabilitatis, quæ cùm ſit abſoluta, & excludat à Deo omnem prorſus mutationem intrinſecam, ſequitur ſatis apertè illum mutari non poſſe in ſuo intellectu per acquiſitionem, & deperditionem ullius cognitionis. Pro reliquis ſit

Concl. 1. *Scientia Dei eſt abſolutè infinita*, *intuitiva*, *& comprehenſiva*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1]. Nam intellectus Dei *eſt intelligens diſtinctè omnia factibilia*, *vel intelligibilia*. Ubi arguo ſic. Intelligibilia ſunt infinita, & hoc actu in intellectu omnia intelligente; ergo intellectus illa ſimul intelligens eſt infinitus; talis eſt intellectus divinus. Habes intellectus, & ſcientiæ infinitatem, etiam extenſivam, ſcilicet infinitorum, imò & *comprehenſivam*, & *intuitivam*, quia omnia cognoſcibilia cognoſcit diſtinctè, id eſt perfectiſſimè. Abſtractiva enim dicit imperfectionem, ut jam notavimus ſuprà.

Prob. 2. quoad 1. par. tum ex Script. *Magnus Dominus noſter*, *& ſapientiæ ejus non eſt numerus*, tum ex Auguſt. [2] *Omnis infinitas quodam ineffabili modo in eo finita eſt*; tum ex dictis de infinitate Dei. Nam intellectus, & ſcientia entitativè, & realiter eſt ipſa Dei ſubſtantia, & formaliter eſt perfectio, & attributum Dei, ſed ſubſtantia Dei eſt abſolutè infinita in ſe, & ſuis perfectionibus, & attributis; ergo & in ſua ſcientia.

Prob. 2. par. ex Scoto de *intuitione*; quia cognitio *intuitiva* dicitur, quæ eſt de re præſenti ut præſenti, in

[1] 1. *d.* 2.*q.*2.*Z. n.* 30. [2] 1.*de civ.c.*18.

in ſe, vel in alio, in quo eminenter continetur; ſed Deus ſic cognoſcit ſe, & omnia, quæ cognoſcit, ſcilicet in eſſentia, quæ eſt ratio cognoſcendi intuitivè quodcumque objectum intelligibile; ergo tota ejus ſcientia, ſeu cognitio eſt *intuitiva*, prob. min. 1. de ſe ipſo non eſt difficultas, 2. de creaturis patet ex dictis, quòd illas omnes videt in ſua eſſentia, in qua eminenter, & nobiliori modo repræſentantur, quàm in ſe ipſis; ergo &c.

Confir. Nam cognitio abſtractiva dicit imperfectionem reſpectu intuitivæ, ſcilicet eſt minoris evidentiæ, & claritatis, certitudinis, diſtinctionis, &c. ergo omnis cognitio Dei eſt intuitiva. [1] *Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*, ait Apoſtolus.

Prob. 3. par. Cognitio comprehenſiva eſt, quæ commenſuratur objecto, & adæquat totam ejus cognoſcibilitatem; ſed talis eſt cognitio Dei non ſolùm reſpectu omnis entis creati, quod eſt finitum, & illa infinita, ſed etiam reſpectu eſſentiæ, & ſui ipſius, eſt enim etiam quoad hoc infinita, ſicut & ipſe; ergo ſcientia Dei tota eſt comprehenſiva.

Objic. 1. contra 1. par. Repugnat infinitum actu; ergo & ſcientia infinita, maximè extenſivè. Nam ſi omnia entia poſſibilia non ſint infinita, ita nec ſcientia de illis erit extenſivè infinita.

Reſp. diſt. ant. Infinitum actu extra Deum, conc. cum Deo, neg. ant. & conſ. Nam ad finitatem objectivam ſcientiæ Dei ſufficit, quòd attingat objectum infinitum, ut eſt eſſentia ſua, & quòd ejus cognoſcivitas non limitetur per omnia entia ſimul, aut ſucceſſivè, ſic quin plura, & plura in infinitum, ſive ultra omnem determinatam, vel determinabilem proportionem, & limites, ſi hæc adeſſent, poſſit attingere. An autem omnia cognoſcibilia ſint actu infinita, non eſt hujus loci examinare.

Objic. 2. Omnia, quæ ſciuntur à Deo, ipſa ſcientia finiuntur, quia eſt comprehenſiva; ergo ut cognita non ſunt infinita. Nam infinitum eſt *impertranſibile* ex Phil. finitum autem *pertranſibile*.

Reſp. neg. conſ. Nam infinitum eſt impertranſibile à potentia per ſcientiam finitam, non per infinitam, qualis eſt ſcientia Dei, etiam comprehenſiva:

Objic.

[1] *Hebr. 4.*

Objic. 1. contra 2. par. Scientia, quæ omninò abſtrahit ab omni exiſtentia objecti ſui, eſt abſtractiva; ſed talis eſt ſcientia Dei naturalis,& neceſſaria de poſſibilibus; ergo ſcientia Dei de poſſibilibus eſt abſtractiva.

Reſp. neg. min. Nam poſſibilia videntur à Deo in eſsentia ſua, in qua perfectiſſimè repræſentantur, & quoad hoc eadem eſt ratio de poſſibilibus, ac de futuris, quæ tamen Thomiſtæ ipſi fatentur eſſe objecta viſionis, ſeu intuitionis.

Inſt. Notitia intuitiva debet attingere actualem exiſtentiam objecti, quam in ſe ipſo habeat immediatè; ſed poſſibilia non habent talem exiſtentiam in eſſentia, ſed tantùm virtualem eminentialem; ergo de illis Deus non habet ſcientiam intuitivam.

Reſp. diſt. maj. Exiſtentiam, quam in ſe ipſo habeat, vel habere poſſit, conc. maj. & neg. min. quam habeat actu, & de facto, ita, ut aliter non poſſit intuitivè ſciri, neg. maj. & conſ. Alioqui, ut dicebam, cognitio futurorum non eſſet intuitiva. Sufficit ergo, ut cognoſcantur ſecundum exiſtentiam poſſibilem,& repræſentatam in eſſentia,in qua continentur virtualiter eminenter.

Objic. 2. Poſſibilia, ut à Deo cognita, habent ſolum eſſe diminutum; ergo non habent exiſtentiam in ſe, ergo non poſſunt cognoſci intuitivè.

Reſp. neg. 2. conſ. ſeu ſubſumptum. Nam ſufficit, quòd illud eſſe diminutum, quod habent in ſcientia, ſit ratum, & firmum in eſſentia, in qua continentur, & quòd non repugnet illis habere illud actuale.

Objic. 3. Notitia intuitiva eſt de objecto exiſtente in ſe ipſo,& ut exiſtente, ita ut per ſe immediatè determinet, & moveat potentiam ad ſui viſionem; ſed notitia Dei de poſſibilibus non eſt talis;ergo non eſt intuitiva.

Reſp. neg. maj. Alioqui nec ſcientia de futuris eſſet intuitiva ab æterno, & ante illorum actualem exiſtentiam. Sicut ergo ſcientia Dei de creaturis, nequidem exiſtentibus, non movetur ab illis, ſed ab objecto primario, quod eſt eſſentia: ita nihil juvat eam exiſtentia, nec nocet non exiſtentia.

Objic. 1. contra 3. par. Si Deus ſe comprehenderet, id fieret, quia nihil ſui lateret ſcientiam ejus de ſe ipſo; ſed hoc non ſufficit ad veram comprehenſio-

nem.

nem; ergo ſcientia Dei de ſe ipſo non eſt comprehenſiva. Prob. min. Nam ſi hoc ſufficeret, viſio beatorum eſſet etiam comprehenſiva Dei, quia nihil eorum, quæ in Deo ſunt, latet eos; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Min. patet ex dictis.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam beatorum viſio non eſt infinita; Deus verò eſt infinitè viſibilis. Alias rationes dedimus ſuprà, ubi de inviſibilitate Dei.

Inſt. *Quod comprehenditur, finitur cognitione ſcientis*, ait Auguſt. [1] ſed omnis finitas repugnat Deo; ergo & comprehenſio. Confir. Nam Deus dicitur immortalis, & incomprehenſibilis.

Reſp. diſt. maj. Finitur, id eſt, totaliter agnoſcitur, & quantùm eſt cognoſcibile, conc. maj. & neg. min. id eſt, accipit aliquam limitationem intrinſecam, neg. min. & conſ. Nam cùm ſcientia Dei ſit infinita æquè, ac cognoſcibilitas Deitatis, non repugnat unam alteri commenſurari, & coæquari. Ad confir. patet eum dici incomprehenſibilem non reſpectu ſui, ſed creaturarum. Nam [2] *Spiritus Dei omnia ſcrutatur etiam profunda Dei*.

Concl. 2. *Scientia Dei non componit, nec diſcurrit; licèt omnes enuntiationes, & diſcurſus noſtros attingat.* Videtur eſſe de fide.

Prob. 1. ex Scoto [3] dicente quoad 1. quòd *intellectus divinus non cognoſcit aliqua diſcurrendo*, & quòd *æquè immediatè ſcit particularia, & univerſalia, & ſic non acquirit cognitionem particularium ex principiis prædeterminatis per voluntatem*.

Prob. 2. ex Script. negante omnem umbram viciſſitudinis, & ſucceſſionis, qualis eſt in actibus diſcurſivis, ubi unum colligitur ex alio, & ignotum ex noto. Loquor enim de diſcurſu formali. [4] *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio*.

Prob. 3. quia in Deo non poſſunt eſſe plures actus ſcientiæ; ſed diſcurſus includit plures actus, plura ſcil. judicia: ergo &c. Prob. maj. quia actus ſcientiæ Dei eſt formaliter infinitus; ergo uno, & ſimplici intuitu percipit cognoſcibilia omnia. Idem eſt de eſſentia, quæ ut objectum primarium eſt infinita in re-

præ-

[1] 12. *de civit.* 18. [2] 1. *Cor.* 2.
[3] 1. *d.* 38. *D. n.* 5. [4] *Jac.* 1.

præſentando; ergo tam ex parte objecti, quam ex parte actus ſcientia Dei eſt ſimplex.

Prob.2. p. 1. ex eodem. [1] *Divina Theologia eſt de omnibus cognoſcibilibus, & cognoſcit omnes veritates virtualiter contentas in quidditatibus rerum ſibi notis*, &, *Non eſt ordo ſecundi objecti ad tertium ſecundum cauſalitatem* ſcilicet, non infert unum ex alio, & cognoſcit omnes affirmationes, & negationes, & illationes noſtras, nihil affirmans, aut negans, aut inferens ex alio.

Prob. 2. ex Script. [2] *Non eſt ulla creatura inviſibilis in conſpectu ejus. Omnia nuda, & aperta ſunt oculis ejus*; ergo & omnes actus, & cognitiones noſtræ, qualeſcumque ſint, ſunt etiam entia habentia ſuum eſſe, & ſuam veritatem.

Prob. 3. quia alioqui ſcientia ejus non eſſet infinita, non ſciret omne ſcibile.

Objic. 1. Deus omnia videt per eſſentiam ſuam, ut per cauſam; ſed ſic ſcire eſt diſcurrere; ergo Deus diſcurrit. Prob. maj. nam diſcurſus nihil eſt aliud, quàm actus, quo unum ex alio, vel per aliud intelligimus.

Reſp. diſt. maj. Ut per cauſam, ſeu per unum indiviſibiliter actum, conc. maj. & neg. min. per actus diſtinctos, neg. maj. Ad prob. Diſcurſus formalis eſt actus, quo unum intelligimus per aliud prius cognitum objectivè, & formaliter per duplicem actum. Deus verò uno, & ſimpliciſſimo actu videt eſſentiam ſuam, & omnia, quæ in ea continentur virtualiter, & eminenter, omnes cauſas, & effectus eorum. Unde non diſcurrit ab una cognitione ad aliam; nulla ibi ſucceſſio.

Inſt. Deus cognoſcit res, ſicut cognoſcibiles ſunt; ſed ſunt cognoſcibiles diſtinctè ſecundùm ſimplices quidditates, tum ſecundum principia in eis virtualiter contenta, tum concluſiones ex illis principiis deductas, aut deducibiles per diſcurſum; ergo cognoſcit per diſcurſum formalem.

Reſp. diſt. maj. Sicut ſunt cognoſcibiles ſine imperfectione ex parte cognoſcentis, conc. maj. ſicut ſunt cognoſcibiles ex parte objectorum ſcibilium abſolutè, neg. maj. & min. Nam de ratione infiniti intellectus eſt, ut uno ſimplici actu, qui ſit infinitus, omnia illa intueatur.

Objic.

[1] *q. 3. prol. X. n. 24.* [2] *Hebr. 4.*

Objic. 2. Deus verè cognoſcit omnes enuntiationes, & diſcurſus, qui de rebus formari poſsunt, ſed hæc non poteſt cognoſcere, quin & ipſe diſcurrat formaliter; ergo diſcurrit.

Reſp. neg. min. Nam hæc cognoſcit objectivè, & uno ſimplici intuitu abſque diſcurſu formali, ſed tantùm diſcurſu objectivo, quatenus diſcurſus noſtri ſunt objectivè in ejus ſcientia.

Igitur uno ſimpliciſſimo intuitu exhaurit Deus omne ſcibile, &, ut inquit Boetius, uno *ictu mentis cernit, quæ ſint, quæ fuerint, veniantque*: *excludit vitalis ſimplicitatis formalem diſcurſum, qui* non exercetur ſine reali actuum diſtinctione. Dico, *formalem diſcurſum*. Nam ſcientia ejus virtualiter, & eminenter æquivalet enuntiationibus omnibus, & diſcurſibus demonſtrativis, quos formare poſsunt omnes creaturæ rationales.

DISPUTATIO IX.

De ideis Divinis.

IDeæ ſpectant ad intellectum, quatenus operum divinorum artifex eſt, & in eis volunt aliqui Deum cuncta cognoſcere extranea, ut diximus. De illis hic ſermonem inſtituimus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſint ideæ in Deo.

IDeæ vox dicitur à videndo, & ſignificat formam, ſeu exemplar, ſeu ſpeciem, & dicitur ab Auguſt. [1] *forma intelligibilis, quam effectus imitatur ex intentione agentis ſibi finem determinantis*, vel *forma intelligibilis intra ipſum artificem exiſtens, ad quam reſpiciens ipſe artifex operatur*. De cauſa exemplari, ſeu ideali diximus in Phyſica, & illam deſcripſimus *id, ad quod reſpicit agens, dum operatur, ut ad ejus imitationem faciat opus*. Quærimus, an ſint in Deo, & quid ſint.

Concl.

[1] 83.q.46.12.*civit*.25.

Concl. 1. *Dantur ideæ in Deo*. Eſt communis, & à multis dicitur eſſe de fide.

Prob. 1. ex Scoto [1] ſic diſcurrente, ut probet requiri ideas ad intelligenda objecta ſecundaria; non ad eſſentiam. *Quando objectum eſt extra intellectum, & non eſt ipſum intelligens, requiritur ſimilitudo objecti in intelligente objectum; quando autem objectum eſt præſens, non requiritur, ſic eſt in propoſito de objecto primo, & ſecundo, quòd eſſentia, ut primum objectum, ſemper eſt ex ſe ratio cognoſcendi ſe, ut autem repræſentat alia, quæ non ſunt ipſa, determinatur ſimilitudinibus ipſorum*, ſcilicet ideis. Et id apertè ſupponit, & docet [2] referens definitionem ideæ ſecundum Auguſtinum.

Prob. 2. ex Script. [3] *Quod factum eſt, in ipſo vita erat*, ſcilicet ſecundum eſſe ideale, & objectivum, quod habent ab æterno in Verbo Dei, omnia, quæ fiunt in tempore. Item, [4] *Fide intelligimus aptata eſſe ſæcula Verbo Dei, ut ex inviſibilibus viſibilia fierent*; id eſt, *ex inviſibilibus rationibus idealibus in Verbo Dei, per quod omnia facta ſunt, res viſibiles ſunt productæ*, inquit S. Tho. [5] Item [6] *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi monſtratum eſt*. Et, [7] *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*, ſcilicet ideam, quæ eſt in nobis.

Prob. 3. ex PP. *Infidelis eſt, qui negat ideas eſſe in mente divina*, inquit S. Thom. Et Auguſt. [8] docet *non eſſe negandum aliquo modo, quòd in Deo ſint formæ, & rationes rerum omnium producibilium*; & alibi [9] docet, *eſſe in divina ſapientia immenſos quoſdam theſauros rerum intelligibilium, in quibus ſunt omnes inviſibiles, & incommutabiles rationes rerum, etiam viſibilium, & mutabilium, quoniam Deus non aliquid neſciens facit*.

Prob. 4. ratione. Nam Deus non operatur quidquam neſciens, ſed tanquam ſummus rerum artifex omnium ſciens, & volens; ſed qui operatur ſciens, & volens, habet ideas rerum omnium, quas facit con-

[1] *Collat. 33. n. 7.* [2] *1. d. 35. n. 12. I.*
[3] *Joan. 1.* [4] *Hebr. 11.*
[5] *ibi. lect. 2.* [6] *Exo. 25.*
[7] *Gen. 2.* [8] *qu. 3. de verit.*
[9] *83. qq. 49. 12. civit. c. 20.*

conformes illis ideis; ergo verè ſunt in Deo ideæ rerum. Prob. min. Omnis cauſa continet in ſe effe-ctum ſuum ſecundum formam, & rationem ipſius, & quidem naturali modo, ſi eſt cauſa naturaliter agens, ut ignis ignem, & formaliter, ſeu intelle-ctualiter, ſi eſt cauſa rationalis, & intelligens; ſed hæc forma in cauſa rationali eſt idea; ergo, &c.

Confir. Nam ſi Deus non haberet in ſe formas rerum, quas facit, eas faceret temerè, & fortuitò, nec potius faceret hominem, quàm leonem, nec hominem bipedem, & erectum potiùs, quàm quadrupedem, & curvum, aut ſerpentem. Sic arguit Damaſc. *Deus omnium auctor eſt*, inquit; ergo *habet rationes, & cauſas, ſeu ideas in ſe*.

Objic. 1. ex Anſel. [1] *Certum eſt in Verbo, per quod facta ſunt omnia, non eſſe ſimilitudines rerum*, & D. Dion. [2] *Deus non cognoſcit res ſecundum ideas*; ergo in Deo non ſunt ideæ.

Reſp. neg. conſ. Nec enim ea eſt mens SS. PP. Anſ. vult Verbum Dei non eſſe ſimilitudinem rerum, quia non procedit ex cognitione creaturarum, ſed potiùs res ſunt productæ ad ſimilitudinem Verbi: Et ſic poteſt intelligi illud Joannis, *Omnia per ipſum*, ſeu ſecundum ipſum *facta ſunt*. Dion. vero negat ideas extra Deum, & in quibus cognoſcit res.

Objic. 2. Idea eſt ſimilitudo rei ideatæ exiſtens in artifice; ſed in Deo nulla eſt ſimilitudo ad creaturas; ergo nec idea creaturarum. Prob. min. Deus enim infinitè differt, & diſtat à creaturis; ergo nihil habere poteſt ſimile.

Reſp. diſt. maj. Similitudo repræſentationis, ſeu expreſſionis, conc. maj. & neg. min. ſimilitudo univocationis, neg. maj. & conſ. Nam idea repræſentat quidem objectivè, & intentionaliter ideatum, ſed nihil reale habet commune cum eo.

Objic. 3. Idea non requiritur, niſi ad dirigendum artificem; ſed Deus non eget directione; ergo fruſtra ſunt ideæ in illo. Prob. min. quia Deus non poteſt errare; ergo non eget dirigente.

Reſp. diſt. min. Non eget directione per aliquid extra ſe, & quod non ſit ipſemet, conc. directione, quæ ſit ab

[1] *Monol. 29.* [2] *de Div. nom. 7.*

ab intra, & per regulam, quæ ſit ipſemet Deus, vel aliquid indiſtinctum realiter ab ipſo; neg. min. Deus ipſe per ſuam ſapientiam eſt ſibi directio, & regula. Et ſic ideæ ſunt aliquid ejus, ſcilicet ipſamet ejus ſapientia.

Ponuntur ergo ideæ in Deo, non ut dirigant ipſum intellectum ad hoc, ut ſic regulatus applicet Dei voluntatem, & potentiam creatricem ad opera extra ſe, nec etiam ut dirigant voluntatem, quæ eſt immediata operatrix, nam neutra potentia indiget directione, utraque enim eſt prima omnium regula, & eſſentialiter recta; ſed tantum ponuntur, ut creaturæ fiant notæ Deo, & proponantur ejus voluntati tanquam primæ cauſæ, & regulæ contingentium, quæ ex eis eligit, quas placet, & dat illis eſſe futurum ab æterno, & eſſe actuale in tempore. Ecce idearum munus in Deo. Sed aliter eſt in creaturis.

Concl. 2. *Idea in Deo eſt ratio æterna in mente ejus, ſecundum quam aliquid eſt formabile ab extra, & ſecundum propriam rationem ejus; & conſiſtit formaliter non in conceptu formali, quo cognoſcit factibilia, ſed in conceptu objectivo.* Eſt Scotiſtarum, & aliorum contra Thomiſtas. Et quidem quoad 2. p. patet ex dictis in Phyſica de cauſa exemplari.

Prob. 1. ex Scoto; [1] qui hanc definitionem tradit in terminis ex Aug. & etiam quantum ad 2. p. Dicit enim, quod non cognitio lapidis, *ſed lapidis intellectus poſſit dici idea; Ipſe enim habet omnes conditiones ideæ, quia ipſe eſt ratio factibilis extra, propria ſibi, ſicut arca in mente poteſt dici ratio arcæ; imò ipſum objectum cognitum eſt idea ſecundum iſtud. Denique ideæ ponuntur ſecundum Platonem, ut videtur, quidditates habentes eſſe cognitum in intellectu divino.*

Prob. 2. 1. p. Nam ſecundum communem acceptionem ideæ non poteſt meliùs explicari divina; nec in hoc videtur poſſe eſſe controverſia.

Prob. 2. p. 1. ex Script. cit. Nam Deus præcipiens Moyſi fabricam Sanctuarii dicit; [2] *Inſpice, & fac ſecundum exemplar, quod tibi in monte monſtratum eſt*; ſed in monte non fuit monſtrata formalis cogni-

[1] 1.*d.*35.*I.n.*12.

[2] *Exo.*25.

gnitio ſanctuarii, ſed ipſum ſanctuarium, prout cognitum, & cognitionis objectum; ergo res, pro ut cognita, & objectivè exiſtens in intellectu Dei eſt idea, ſeu exemplar rerum agendarum.

Prob. 2. ex Auguſt. dicente, ideas in divina intelligentia contineri; ergo non ſunt ipſa formalis intelligentia, ſeu cognitio, ſed objecta intelligentiæ ſecundum eſſe objectivum, quod in illa habent. Et ratio eſt, *quia non intuetur Deus* [1] *quidquam extra ſe poſitum, ut ſecundum id conſtitueret, quod conſtituebat; nam hæc opinari ſacrilegum eſt*; non intuetur autem ſuam cognitionem, ſed res cognitas, & certè quis dubitaret cognitionem Dei non eſſe extra Deum poſitam? ergo loquitur de ideis, pro ut ſunt objectivè in illo.

Prob. 3. Idea, ſeu exemplar eſt *id, quod reſpiciens agens operatur*; ſed agens non reſpicit ad formalem ſuam cognitionem, ſed ad rem, prout cognitam, ſeu per actum expreſſam; ergo res, ut cognita, habet propriè rationem ideæ tam in Deo, quàm in agentibus creatis, ſublatis imperfectionibus creatis. Prob. min. nam ſi per impoſſibile Deus non cognoſceret ſuam cognitionem de rebus creatis, adhuc poſſet eas producere, prout ſunt; ergo cognitio de illis non eſt idea.

Confir. Nam idea eſt formaliter id, cui conformatur ideatum, ſed ideatum, v. g. ſtatua, non conformatur formali conceptui, ſed objectivo, ſit extra, talis, qualis concipitur intra mentem, ex Ariſt. creaturæ non conformantur cognitioni divinæ, ſed objectis ejus; ergo &c.

Objic. 1. Majoris eſt perfectionis in agente, quòd faciat opus ſecundum ſuum formalem conceptum, quàm ſecundum objectivum; ergo id dicendum de Deo ſummo, & perfectiſſimo agente. Prob. ant. Nam perfectiores opifices non aſpiciunt ad externa exemplaria, habilis ſcriptor non efformat characteres niſi ex mente ſua, & id patet ex Primis inventoribus operum, qui nullum anteà exemplar viderant, & exigentia objectivæ ideæ venit ab imperfectione operantis; ergo Deus non eget ideis objectivis.

Reſp. neg. ant. & probationes ejus. Nam licèt eximii

[1] *ibid.*

mii opifices non adhibeant exemplaria externa, habent tamen interna, nec ullum eſt agens intellectuale, niſi temerè, & fortuitò agat, quod non habeat in mente id, quod operatur ad extra. Et ſic nulla eſt imperfectio, ſed perfectio in Deo, ut noverit ab æterno, quod facit, & quæ facturus eſt, & ea intueatur in eſſentia ſua, in qua repræſentantur.

Objic. 2. Idea debet eſſe forma realis in Deo: ſed creaturæ ſecundum illud eſſe objectivum non ſunt quid reale, ſed rationis; ergo in hoc ſtatu non ſunt ideæ in Deo. Prob. maj. Ens rationis non poteſt eſſe cauſa entis realis; ſed ideæ ſunt cauſæ rerum realium exemplares; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Forma realis objectiva, ſeu intentionalis, conc. maj. & neg. min. realis exiſtens in ſe extra animam, neg.maj. Et ſic diſt.maj. probationis. Ens rationis, id eſt, fictitium, ut chimæra, non poteſt eſſe cauſa merè Phyſica, & Phyſicè influens, conc. ens intentionale objectivum non poteſt eſſe cauſa realis intentionaliter influens, neg.maj. & conſ. Nam idea influit in effectum realem, quatenus intentionaliter, & objectivè exiſtens in mente divina eſt forma, ſecundum quam format ideata.

Objic. 3. Si creaturæ ipſæ, ut cognitæ, eſſent ideæ Dei, ipſe penderet à creaturis in earum productione; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. maj. Nam idea verè influit in effectum, & quidem dirigendo ipſum Deum in ſuis operibus, ſicut exemplar artificem.

Reſp.neg.maj.& ſuppoſitum ejus. Supponitur enim illud eſſe objectivum, quod habent res in Deo, & ſecundum quod habent rationem ideæ, eſſe quid realiter diſtinctum à Deo, quod falſum eſt. Sunt enim ipſamet eſſentia Dei, quatenus infinita eſt in repræſentando, & cauſando, continens omnia virtualiter eminenter.

Inſt. Prius eſt creaturas poſſe fieri à Deo, quàm habere ullum eſſe; ergo non poſſunt habere rationem ideæ per ullum eſſe, ne quidem objectivum. Prob. ant. Prius eſt creaturas eſſe in ſe entia ſaltem poſſibilia, quàm cognoſci ut factibilia; ſed in illo priori non ſunt ideæ, nec habent eſſe cognitum; ergo

go ut cognitæ non ſunt ideæ ſui ipſarum.

Reſp.neg.ant. utrumque.Non enim ſunt aliter, nec priùs cognoſcibiles in Deo, & à Deo, quàm cognitæ, & exiſtentes objectivè. Nam unum, & idem eſt eſſe ſic cognoſcibiles, & ſic cognitas. Imò priùs deberent eſſe cognoſcibiles, & cognoſci, quàm eſſe factibiles, & fieri.

Objic.4. ex Aug. Dionyſ. & aliis PP. Ideæ ſunt formæ principales, ſeu rationes rerum ſtabiles, quæ ipſæ formatæ non ſunt, ac per hoc æternæ, & quarum viſione anima beatiſſima fit; ſed hæc non conveniunt creaturis, ſed ſoli eſſentiæ divinæ; ergo ſola eſſentia divina, non autem creaturæ, ut cognitæ, habet rationem ideæ. Prob. min. Creaturæ non ſunt non formatæ, nec increatæ, nec earum viſione anima fit beata.

Reſp.diſt.min.Creaturæ in eſſe ſuo reali exiſtentiæ, quod habent extra Deum, conc. in illo eſſe objectivo, quod habent in mente divina, & pro ut relucent in eſſentia ejus, neg.min.Imò de iis & in hoc ſenſu loquuntur Patres, & ſolùm impugnant ideas platonis, qui ideas ſuas putabat eſſe formas, & naturas quaſdam communes, & realiter exiſtentes ab æterno, ſaltem ut illi imponitur ab Ariſt. & aliis quibuſdam.

Inſt. Per cognitionem idearum anima beatiſſima fit; ſed anima non fit beata viſione creaturarum; ergo iſtæ non ſunt ideæ.

Reſp.diſt.maj. Fit beatiſſima completivè, & beatitudine extenſiva, & ſecundaria ſimul cum cognitione eſſentiæ, & attributorum aliorum, con.maj. & neg. min. ex ſola cognitione idearum, & præciſè, neg.maj. & conſ. Nec enim id ſomniavit Aug. Certum eſt enim eſſentiam eſſe objectum motivum, & primarium intellectus divini, & viſionis beatæ, creaturas verò ſecundarium, & terminativum.

QUÆ-

QUÆSTIO II.

An ſint plures ideæ in Deo, an omnium, quæ Deus cognoſcit, & an ſint in intellectu, an in voluntate.

CErtum eſt, ſi Deus habeat ideam unius rei factibilis, habet omnium, ſeu de omnibus; quia eadem eſt ratio de omnibus. Sed quæritur, an illæ ſint in Deo plures.

Certum eſt 2. voluntatem eſſe rerum omnium effectricem: *Omnia, quæcumque voluit, fecit*. Ideò, ſicut idea eſt in artifice, quæritur, an ideæ divinæ ſint formaliter in voluntate, an in intellectu.

Certum eſt 3. Deum cognoſcere peccata, privationes, negationes, & mala tam culpæ, quàm pœnæ. Et ideò quæri poteſt, an ideæ eorum omnium ſint in Deo.

Concl. 1. *In Deo ſunt plures ideæ, & quidem non omnium, quæ cognoſcit, ſed omnium, quæ directè facit, ſeu entium poſitivorum, & realium, quæ producit, vel producere poteſt ad extra.*

Prob. 1. ex Scoto [1] cit. Nam probans definitionem ideæ ex Auguſtino datam, *Deus*, inquit, *omnia cauſat, vel cauſare poteſt non irrationabiliter; ergo rationabiliter; ergo habet rationem, ſecundum quam format, non autem eamdem omnium, ſingula propriis rationibus* (ſecundum proprias ideas) *format*.

Prob. 2. ex PP. quoad 1. p. Nam inquit Auguſt. [2] *Quemadmodum inconveniens eſt aſſerere eamdem eſſe rationem anguli, & quadrati, ita inconveniens eſt dicere eamdem eſſe in Deo rationem hominis, & huius hominis*; ergo à fortiori, non debet dici, quòd in Deo ſit eadem idea, ſeu ratio hominis, & leonis. Nam homo, & leo plus differunt, quàm homo, & homo, quàm Petrus, & Paulus. Eadem autem eſt ratio de omnibus tam individuis, quàm naturis. Item Dion. *In Deo ſunt exemplaria rerum*; ergo plures ideæ.

Prob. 2. Idea eſt ratio, ſeu forma in mente divina, quam reſpiciens Deus omnia producit, ſed entia producta ſunt plura; ergo & ideæ.

[1] *ibid.* [2] *Ep. ad Nebrid.*

Confir. Nam omnia facit ad extra talia, qualia ipſi repræſentantur in æternitate; ſed ipſi repræſentantur ſingula ſecundum propriam rationem ſuam; ergo ſingulorum habet ideas diſtinctas.

Confir. 2. Nam ſicut Deus, ut prudenter, & rationabiliter, & non cæcè agat ad extra, debet habere ideas aliquas, ita & debet habere ſingulas de ſingulis, ut rationabiliter ſingula faciat.

Prob. 3. Nam pluralitas idearum non repugnat ſimplicitati divinæ, & magis congruit rerum naturæ, & modo agendi rationalis agentis, quod ex ſe eligit, quod vult producere, & producit conforme ideis ſuis, quod non faciunt aliæ cauſæ æquivocæ, ut Sol, qui in effectibus ſuis determinatur à cauſis externis, & caſu producit *ranam* potiùs, quàm *muſcam*, ſaltem quantum eſt ex ſe, ergo in Deo tot ſunt ideæ, quot res producibiles.

Prob. 2. p. quia Deus cognoſcit negationes, privationes, mala culpæ, & entia rationis, & tamen hæc non facit, imò nequidem directè, & per ſe illa cognoſcit, ut probatum eſt ſuprà; ergo nec habet eorum ideas.

Reſtat igitur, ut habeat tantùm ideas entium realium, & poſitivorum, quæ producit ad extra, & poſitivè.

Dixi, *ad extra*. Nam licet *ad intra* producat Verbum, & Spiritum Sanctum, non tamen eorum habet ideas, tum quia Verbum producit naturaliter omnia, tum quia fortè non cognoſcit Perſonas illas divinas in ſigno, ſeu inſtanti ullo, antequam generet, & ſpiret; de quo videbimus in Tract. de Trin.

Objic. 1. Si ſunt plures ideæ, vel diſtinguuntur formaliter, aut realiter; ſed neutrum dici poteſt; ergo non ſunt plures. Prob. min. 1. Non realiter, quia repugnaret ſimplicitati, & nulla eſt diſtinctio realis in Deo, niſi inter oppoſita relativè. 2. non formaliter, quia eſſentia divina, ut repræſentans hominem, non diſtinguitur formaliter à ſe ipſa, ut repræſentante leonem; ſed eſſentia, ut repræſentans creaturas, habet rationem ideæ; ergo &c.

Reſp. neg min. Nam diſtinguuntur ſaltem formaliter, & min. prob. Nam eſſentia eſt quidem ratio motiva cognoſcendi creaturas, & ſic eſt idea mediata, &

fun-

fundamentaliter, ſed formaliter ſunt ſingulæ creaturæ, ut cognitæ ab intellectu, in eſſentia, & ſecundum illud eſſe objectivum, & eſſe eſſentiæ diſtinguuntur; imò & quaſi realiter potentialiter, quia diſtinctio ſequitur eſſe, & eſt proprietas entis. Quale eſt ens, talis diſtinctio. In Deo creaturæ ſunt objectivè, & in potentia ad eſſe reale exiſtentiæ; ita & ſic diſtinguuntur in illo, ſcilicet realiter potentialiter.

Objic. contra 2. p. Idea eſt *forma, ad quam reſpiciens agens operatur*; ſed Deus non operatur poſſibilia; ergo non habet ideas rerum poſſibilium, quia hæc numquam erunt, & præterea illorum ideæ eſſent fruſtra.

Reſp. diſt. maj. Operatur, vel operari poteſt, conc. operatur de facto, ita, ut non habeatur de iis, quę agens poteſt operari, neg. maj. Deus non operatur poſſibilia, ſed ea poſſet operari, ſi vellet. Et ſicut perfectio eſt in nobis, ut habeamus ideas plurium rerum, quas non facimus; *Bonum eſt omnia ſcire*; ita & in Deo, & quidem à fortiori, cujus potentia eſt infinita.

Objic. contra 3. p. Deus non habet ideā materiæ primæ, licèt ſit ens poſitivum, & producibile; ergo Deus non habet ideas omnium poſitivorum, quæ poteſt producere. Maj. prob. ex S. Thoma, qui negat ideas de materia prima, quia illa non habet eſſe proprium diſtinctum à forma, & numquam ſine iſta producitur; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam, ut patet ex Phyſica, materia habet propriam exiſtentiam, & poteſt produci, & exiſtere ſine forma.

Dixi, *quæ producit, aut producere poteſt*. Unde quia non producit, nec producere poteſt naturas univerſales ſaltem ſeorſim à ſingularibus, ita nec earum ideas habet, item nec de relationibus, quæ per reſultantiam emergunt, nec de peccatis, quæ non ſolùm non facit, ſed etiam facta odit, & punit.

Concl. 2. *Ideæ ſpectant formaliter, & objectivè ad intellectum divinum*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] & præcipuè, cùm dicit, quòd de mente Auguſt. *Ideæ ſunt objecta ſecundaria cognita, ſicut dictum eſt priùs, ſecundum quæ*

 fiunt

[1] 1. *d.* 38. *G. n.* 8. & *d.* 39. *A. n* 2.

ſunt aliqua extra; &, *quod repræſentant operabilia* ſed cognitio operabilis non eſt ſcientia practica, niſi virtualiter includat principium, vel concluſionem practicam; ſic non eſt de ideis in intellectu divino, quæ non dictant. Et infrà dicit, quòd *ideæ naturaliter repræſentant illud*, *quod repræſentant*; *quia ideæ ſunt in intellectu divino ante omnem actum voluntatis divinæ*. Ergo ex Scoto ideæ ſunt in intellectu tam formaliter, quàm objectivè.

Prob. 2. ex Aug. [1] relato à Doctore dicente, quòd *idea eſt ratio æterna in mente divina*. Nam nomen *mentis*, ſignificat intellectum: Et in id conſentiunt omnes alii PP. & Theologi.

Prob. 3. tum ex definitione ideæ, quæ eſt *ratio*, *ſeu forma*, *ad quod reſpiciens agens operatur*. Nam reſpicientia ſpectat ad intellectum, qui eſt oculus animæ. Tum ex ipſa etymologia nominis. Nam idea græcè dicitur à ſpectando; ſed *ſpectare* pertinet ad intellectum, & munus eius eſt dirigere, vel oſtendere, ſeu proponere opus, quale faciendum eſt.

Objicies 1. Omne agens rationale agit per voluntatem æquè, ac per intellectum; ergo ideæ non magis ſpectant ad voluntatem, quàm ad intellectum. Probat. conſ. quia oſtendunt opus faciendum, ut fiat rationabiliter, debere fieri cum intentione; ergo idea tam eſt intenta, & prævolita, quàm præconcepta.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam intentio, & prævolitio voluntatis non oritur immediatè ex inſpectione ideæ, quæ ſpectat ad intellectum, ſed mediante præconceptione, & hoc propter ordinem harum potentiarum. Intellectus primò concipit opus faciendum, & 2. illud ſic conceptum proponit voluntati, quæ determinat illud facere.

Inſt. Ideò Deus in tempore producit res, quia ſic voluit, & prædefinivit ab æterno, & eo modo, & tales producit, quales prædefinivit, ſcilicet ſecundum ideas; ergo eas producit per, & ſecundum ideas, quas habet in voluntate.

Reſp. neg. conſ. quia idem actus intellectus, & cognitio, qua propoſuit opera facienda ab æterno, proponit in tempore ſecundum eaſdem ideas.

Objic.

[1] 83. qq. 46. 7.

Objic. 2. D. Dion. [1] dicit ideas eſſe in voluntate, quia vocat eas exemplaria, quæ Scriptura appellat prædeſtinationes, & bonas voluntates; ergo ideæ ſpectant ad voluntatem.

Reſp. neg. conſ. Nam D. Dion. non dicit illa exemplaria eſſe actus voluntatis, nec ad illam ſpectare formaliter; ſed tantùm in executione, quatenus voluntas decernit, & prædeſtinat producere res in tempore ſecundum illa exemplaria ſibi per intellectum propoſita. Hæc ſufficiant de ideis. Vide, quæ diximus de cauſa exemplari in Phyſica.

DISPUTATIO X.

De voluntate Dei.

SAtis fusè diximus de intellectu, & ſcientia Dei. Jam loquemur de voluntate, quia ſicut appetitus ſequitur boni apprehenſionem, ita voluntas cognitionem, ſeu intellectionem, & per iſtam operatur omnia, ſicut per illum cuncta videt, & ab ipſius nutu pendent omnia quoad eſſe, & conſervari.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit voluntas in Deo, & quotuplex.

NOmine voluntatis in Deo, ſicut in creaturis, intelligitur illa facultas, ſeu virtus, qua amat bonum, & odit malum, finem vult, eligit media ad ipſum conſequendum opportuna. Aliquando ſumitur etiam pro ipſis actibus divinæ voluntatis. Sed hìc agimus de voluntate in actu primo, & pro ut eſt facultas volitiva, & quærimus an ſit in Deo, & quid illa ſit. Quod breviter expediemus.

Concl. 1. *Dari voluntatem formaliter in Deo, fides, & ratio docent.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui ubique ſupponit, aut docet voluntatem in Deo, ſicut intellectum, tam per modum potentiæ, & actus primi, quàm per modum

[1] *de de Div. nom. c. 5.* [2] *1. d. 8. q. 4. D. n. 5. coll. & collat. 16. n. 3. & de rer. princ. q. 4. n. 11.*

actus ſecundi, & has potentias diſtingui formaliter inter ſe, & ab eſſentia.

Prob. 2.1. p. ex Script. [1] *Omnia quæcumque voluit fecit*. Et: [2] *Conſilium meum ſtabit*. Et: *Omnis voluntas mea fiet*. Et: [3] *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, inquit D. Paulus. Et: [4] *Voluntati ejus quis reſiſtet*. Et: *Ut probetis, quæ ſit voluntas Dei*.

Prob. 3. ex unanimi Patrum, & Theologorum conſenſu.

Prob. 2. p. ſcilicet, *quòd ratio id doceat*. Nam 1. Deus eſt infinitè perfectus; ergo in eo debet admitti omnis perfectio ſimplex, & poſſibilis; ſed voluntas in ſe eſt perfectio ſimpliciter ſimplex; ergo &c. 2. quia eſt ſummus Dominus, & judex omnium; ſed hoc non poſſet eſſe, niſi polleret intellectu ad cognoſcendum tam bona, quàm mala, & voluntate præmiandi bonos, & puniendi malos; per intellectum ſcit, & per voluntatem vult creare mundum, illum conſervare, & dirigere in ſuos fines, &c. 3. quia in omni ente eſt appetis ſuus ſuo eſſe proportionatus, in ente naturali naturalis, in ēte ſpirituali, & rationali rationalis, qualis eſt voluntas. 4. quia reperitur in Angelo, & homine, & eſt in illis magna perfectio; ergo à fortiori in Deo; nam quidquid perfectionis eſt in creaturis, eſt formaliter in Deo ſine imperfectione. 5. primum, & perfectiſſimum agens debet eſſe intelligens, & volens, intendere finem, eligere, & ordinare media ad illum; ſed hæc nequit facere, niſi cognoſcens ſit, & volens; ergo &c. 6. quia niſi eſſet in Deo voluntas libera, nihil fieret contingenter, quod falſum eſt; ergo non ſolum fides, ſed etiam ratio naturalis probat voluntatem eſſe in Deo formaliter. Nihil enim vetat illas auctoritates ſumi formaliter.

Objic. 1. Voluntas eſt quidam appetitus; ſed appetitus dicit imperfectionem; ergo repugnat Deo. Prob. min. Appetitus eſt de re, quæ non habetur, eſt de bono abſenti; ergo notat imperfectionem.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam appetitus deſiderii eſt quidem de bono abſente, ſed appetitus amoris.

[1] *Pſalm.* 113. [2] *Iſ.* 46.
[3] *Ephe.* 1.
[4] *Rom.* 9. & 12.

ris, quietis, gaudii, & complacentiæ eſt de re præſente, & poſſeſſa.

Inſt. Appetitus ille vel ſumitur pro principio elicitivo actus volendi, aut pro naturali, aut innato pondere in bonum; ſed utrumque repugnat Deo; ergo & voluntas, prob. min. 1. De innato; quia ille eſt proprius rebus inanimatis, prob. 2. de actu; nihil contingens poteſt eſſe in Deo quia eſt totus, ens neceſſarium, & indefectibile; ſed actus voluntatis ſunt contingentes, & poſſunt ineſſe, vel non ineſſe; ergo &c. prob min. Voluntas eſt eſſentialiter libera in ſuis actibus libertate contradictionis, ſeu exercitii, vel contrarietatis; ergo &c.

Reſp. neg. min. & diſt. maj. prob. 1. par. Nihil contingens intrinſecum, & ad intra, conc. ad extra, & velut extrinſecum, & ſecundarium, neg. maj. Et diſt. min. Actus voluntatis ad extra, & circa creaturas, conc. ad intra, & circa ſe ipſum, neg. min. Nam, ut videbimus, voluntas ad intra, & circa objectum primarium non eſt libera niſi libertate eſſentiali, & à coactione, quæ ſtat cum neceſſitate; ad extra verò, & circa objectum ſecundarium, eſt quidem libera libertate contingentiæ, ſed ſine imperfectione, ut videbimus.

Quantùm verò ad appetitum innatum per modum ponderis, neg. etiam illum repugnare Deo, quia ſequitur rationem entis, & ſubſtantiæ vitalis, & non reſpicit bonum abſens, ſed præſens; ergo nihil eſt imperfectionis.

Objic. 3. ex Ariſt. Voluntas eſt movens motum; ſed motus paſſivus repugnat Deo; ergo & voluntas, prob. min. quia Deus eſt primum movens, & prorsùs immobilis.

Reſp. diſt. maj. Movens motum metaphoricè ab extrinſeco, vel intrinſeco, conc. ab extrinſeco ſemper, aut ſaltem primariò, neg. maj. Nam voluntas Dei non movetur niſi à ſe ipſo velut objecto primario. Unde diſt. pariter min. Motus verè paſſivus, & ab extrinſeco, conc. impropriè paſſivus, & ab intrinſeco, neg. min. & ant. probationis.

Inſt. ex Aug. [1] *voluntas eſt motus rationalis*, eſt

Dd 6 ani-

[1] *De lib. arbit. & duabus ani.*

animi motus ad aliquid proſequendum, aut fugiendum; ſed omnis talis motus Deo repugnat; ergo & voluntas.

Reſp. diſt. maj. Voluntas creata, conc. increata, neg. maj. Nec de iſta loquitur Auguſt. loquitur de volitione creata, & non de increata, nec etiam de voluntate creata in actu primo, ſcilicet de facultate volitiva, ſed de volitione.

Objic. 4. Deus non habet objectum voluntatis, vel finem, quem intendat; ergo nec voluntatem, qua velit, & intendat finem, prob. ant. ex Scoto, [1] Dei ineffectibilis nulla eſt cauſa finalis.

Reſp. diſt. ant. Finem ſui, con. finem volitorum, ſeu effectuum, quos extra ſe producit, neg. ant. Nam *omnia propter ſemetipſum operatur*, & ut docet Scotus, [2] Deus *agit propter finem effectus, non propter finem ſui, quia non eſt agens ſui.*

Concl. 2. *Voluntas in Deo eſt potentia vitalis intellectualis, per quam producit, & operatur ad intra neceſſariò, & contingenter ad extra; & diſtinguitur formaliter ex natura rei tum ab eſſentia, tum ab intellectu, & aliis attributis, imò & ab ipſis actibus ſuis.* Eſt communis, exceptis particulis, in quibus dicitur *potentia*, &, *diſtingui formaliter*. Nam in his adverſantur Thomiſtæ, & alii, nolentes eam habere rationem *potentiæ*, nec *actus primi*, ſed *actus ſecundi*, & *puriſſimi*, & eam eſſe omninò eſſentiæ identificatam à parte rei.

Prob. autem 1. ex Scoto, [3] in quo legitur verbis ferè expreſſis, In Deo eſt voluntas, *inquit*, ſicut apparuit diſtinct. 2. ex quæſtione de attributis, diſtinct. 8. & ex hoc, quòd Deus ex natura ſua eſt beatus, beatitudo non eſt ſine voluntate, vel actu voluntatis: eſt etiam voluntas ſub ratione principii productivi, &c. & ſic producit Spiritum Sanctum. Diſtinguit ergo Scotus duplicem actum in voluntate ad intra ipſius Dei, ſcilicet actum productivum Spiritus Sancti, qui actus dicitur ſpiratio, & ſub hoc reſpectu dicitur notionalis, quia

[1] 1. d. 1. q. 5. n. 6.
[2] *Ibid.*
[3] 1. d. 10. q. n. 2.

quia id præſtat, prout eſt in Patre; & Filio; & *operativum*, quatenus eſt facultas eſſentialis, & communis tribus Perſonis, & actus, ſeu operatio eſt amor, quo amat, & fruitur eſſentia ſua, & quo eſt formaliter beatus, & uterque actus eſt neceſsarius; ad extra verò eadem voluntas eſt principium amoris, quo amat creaturas, & hoc liberè contingenter.

Probatur 2. quoad primam partem, nempè quòd ſit *potentia, quæ habeat rationem actus primi* reſpectu omnis volitionis, & quòd diſtinguatur. Nam, ut diximus de intellectu, omnis actus ſecundus ſupponit primum. Quod ſic probat de intellectu, [1] *Nullus intellectus habet eſſe actuale proprium, & primum intellectus per aliquem actum intelligendi convenientem ſibi, vel ſuppoſito*, &c. Idem eſt de voluntate, quæ non poteſt conſtitui per actum ſuum proprium. Et certè voluntas, & actus volendi ſe habet tanquam principium operandi, & operationis; ſed eſſe, & operari formaliter diſtinguuntur; ergo voluntas habet verè rationem potentiæ, ſeu actus primi, & diſtinguitur formaliter ex natura rei ab actibus ſuis.

Secunda pars patet ex dictis. Nam amor Dei ad intra, ſive notionalis, ut ſpiratio, ſive eſſentialis, quo Deus amat eſſentiam, & attributa, verè eſt neceſſarius, ita ut voluntas non poſſit non ſpirare, prout eſt in Patre, & Filio, neque non amare, & non frui eſsentia ſua, prout eſt in tribus; ergo &c. De hoc dicemus in tractatu de Trinitate.

Prob. 3. p. de diſtinctione ex dictis de aliis attributis, & præcipuè de intellectu. Nam eſſentia eſt conceptibilis ſeorſim à voluntate, & actibus, ſeu operationibus ejus, & voluntas ſeorſim ab eſſentia, & ab operationibus actualibus ſuis, & ſingulis conveniunt prędicata diverſa, & oppoſita. V. g. voluntas eſt operativa, & ſpirativa, non verò eſſentia; voluntas eſt communis tribus Perſonis divinis, non autem ſpiratio, &c. ergo voluntas, eſſentia, & operationes, & actus voluntatis Dei diſtinguuntur formaliter.

Objic. contra 1. p. Voluntas, quæ eſt potentia, ſeu

quæ

[1] *quodlib.* 1. *K. n.* 12.

quæ habet rationem actus primi, eſt productiva, & receptiva ſui actus ſecundi: ſed in Deo non eſt potentia verè activa, nec receptiva; ergo voluntas Dei non eſt potentia, ſed actus purus. Prob. min. Nam alioqui producens, & productum, potentia, & actus ſuus diſtinguerentur realiter.

Reſp. diſt. maj. Eſt productiva per influxum, & actum phyſicum, aut metaphyſicum, conc. per influxum, ſeu actionem phyſicam tantùm, neg maj. Nam ſufficit emanatio metaphyſica, quæ eſt quaſi productio. Unde diſt. min. In Deo non eſt potentia phyſicè productiva ſui actus, conc. metaphyſicè, & per quandam emanationem, neg. min. & conſeq. & probat. ejus. In creatis potentia phyſicè producit ſuum actum, qui realiter ab ea diſtinguitur; non verò in divinis, ubi non eſt verè, ſed quaſi productiva.

Objic. 2. Velle Dei eſt ipſum eſse Dei: ſed ad ipſum eſse Dei non datur potentia; ergo nec ad actum, ſeu ad velle ejus. Prob. maj. Velle Dei, quo ſe amat, eſt abſolutè neceſsarium; ergo ad illud non datur potentia, ſed eſt actualiſſimum, ſeu actus puriſſimus.

Reſp. diſt. maj. Eſt ipſum eſse Dei realiter, conc. formaliter, neg. maj. & min. Nam potentia eſt quidem realiter ipſa Dei eſsentia, non verò formaliter.

Inſt. ex Auguſt. Tam ſcire, quàm velle Dei eſt ipſum ejus *eſſe*, ſeu ſubſtantia; ergo actus voluntatis non diſtinguitur à voluntate, nec voluntas ab eſsentia. Prob. maj. Omnes perfectiones ſimpliciter conſtituunt divinam eſsentiam: ſed voluntas, & velle eſt perfectio; ergo non diſtinguitur, ſed conſtituit Dei eſsentiam; ergo eſt formaliter ejus eſse, ſeu ſubſtantia.

Reſp. ut ſuprà. Eſt ejus eſſe realiter, non formaliter, & ſimil. diſt. maj. probat. Conſtituunt realiter, & quaſi ſecundariò, conc. formaliter, & primariò, neg. maj. & conſeq. utramque. De quo patet ex dictis ſuprà de quidditate Dei, & attributis.

Inſt. 2. Deus habet omnes perfectiones optimo modo: ſed modus habendi illas formaliter eſt nobilior modo eas habendi tantùm realiter, aut radica-

liter,

liter, aut eminenter; ergo velle, & aliæ perfectiones continentur formaliter in eſſentia formaliter.

Reſp. diſt. maj. Optimo modo poſſibili, conc. imaginabili, neg. maj. Modus autem habendi volitionem, & alias perfectiones per identitatem formalem non eſt optimus modus poſſibilis, ideò habet illas per realem identitatem radicalem, & eminentialem, non autem per identitatem formalem. Alias objectiones ſolvimus, de intellectu, & intellectione.

Concl. III. *Tam voluntas, quàm volitio Dei eſt entitativè & ſummè una, terminativè autem multiplex.* Eſt communis.

Prob. 1. p. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd ſicut voluntas noſtra poteſt diverſis volitionibus tendere in diverſa volibilia, ita illa voluntas poteſt unica volitione ſimplici illimitata tendere in quæcumque volibilia, & licèt in nobis poſſit diſtingui voluntas, ut eſt receptiva, & ut eſt operativa, & ut productiva, ipſa enim eſt productiva actuum, & ipſa, quæ habet (*actus ſuos*) operatur formaliter volendo, & ipſa eſt receptiva volitionis ſuæ, non ita eſt in Deo.

Prob. 2. eadem pars, quia diſtinctio, & multiplicitas realis tam voluntatum, quàm volitionum repugnat divinæ ſimplicitati, & infinitati; ergo, &c.

Prob. 2. pars ex diverſis diviſionibus, quas aſſignant Theologi. Primò enim dividi ſolet in *volitionem*, qua proſequitur bonum, & *nolitionem*, qua averſatur malum. 2. in *neceſſariam*, qua ita vult aliquid, ut non poſſet non velle, ut amor ſuæ eſſentiæ, & *liberam*, ſeu *contingentem*, qua vult aliquid, quod poſſet non velle; & talis eſt omnis volitio, ſeu decretum circa futura. 3. in voluntatem *beneplaciti*, quæ eſt volitio actualis, & efficax, qua vult, & amat bonum, vel odit malum, & *ſigni*, quæ non tam eſt actus voluntatis, quàm effectus, aut ſignum ejus, quo ſignificat Deus velle, aut nolle aliquid. De prima intelliguntur hæc loca Scripturæ, [2] *Beneplacitum eſt Deo omnibus timentibus eum*. Et hæc propriè dicitur voluntas,

[1] *d. 39. L. & M. n. 21.* [2] *Pſ. 146.*

tas, ſeu volitio; 2. verò metaphoricè, ſicut teſtamentum dicitur ultima voluntas hominis, quia eſt inſtrumentum, quo ſignificatur ejus voluntas. Imò aliquando conjungitur cum aliquo nolle, ut cùm dixit Abrahæ, ut immolaret Iſaac. Voluntas *ſigni* manifeſtatur quinque modis, ſeu ſignis, ſcilicet præcepto, prohibitione, conſilio, permiſſione, & effectu, ſeu operatione. Quæ hoc verſu continentur.

Præcipit, & prohibet, permittit, conſulit, implet. Voluntas ergo ſigni ſæpè terminatur potiùs ad ſignum, quàm ad rem ſignificatam, verbi gratia, ad præceptum, aut conſilium, &c. *Deus ſignificare poteſt metaphoricè ſe velle id, quod non vult voluntate propriè accepta*, inquit S. Thom. [1] V. g. nolebat mortem Iſaac, ſed diſpoſitionem obedientiæ in Abraham ad eum immolandum. Voluntas autem ſigni ſumitur aliquando pro re, quam Deus vult. 4. voluntas *beneplaciti*, quæ verè eſt in Deo, ſubdividitur in *antecedentem*, quam Deus habet ex ſe ſolo, & propria ſua inclinatione, præciſè ab omnibus circumſtantiis, in quibus eſt implenda, & *conſequentem*, quam ex ſe ſolo non habet, ſed ex præſuppoſitis aliquibus circumſtantiis pendentibus à voluntate creata. Per antecedentem dicitur velle omnium ſalutem, quia quantum ex ſe, & ex bonitatis, & miſericordiæ inclinatione, vellet omnes ſalvare, ſed per conſequentem non vult ſalvare, niſi perſeverantes in gratia, & vult damnare peccatores. Et hæc diviſio, ut vides, ſe tenet potiùs ex parte rerum volitarum, quàm voluntatis divinæ, in qua nihil eſt *antecedens*, nec *conſequens*, nihil prius, nec poſterius: in his attenditur qualitas, & diſpoſitio objectorum. Alio modo antecedens dicitur *primaria*, & conſequens dicitur *ſecundaria*. *Primaria* eſt id, quod quiſpiam ex ſe ipſo vult, *ſecundaria* autem eſt id, quod *earum rerum, quæ contingunt, cauſa vult*, inquit Damaſc. [2] 5. voluntas eadem *beneplaciti* iterum dividitur in *efficacem*, & *inefficacem*, in *abſolutam*, & *conditionatam*. 1. eſt, quæ ſortitur effectum ſuum, ſeu ad cujus executionem, quantum eſt ex ſe, applicat media. 2. quę non ſor-

[1] 1. p. q. 19. a. 11. ad 2. [2] *l. con. Manich.*

ſortitur effectum, & ad cujus effectum, & finem non applicat media. 3. qua ſine ullo reſpectu, & ſuppoſitione vult aliquid, ut volitio creandi mundum. 4. verò, qua vult aliquid ex ſuppoſitione alicujus conditionis, quæ ſe tenet ex parte noſtra. Talis eſt voluntas ſalvandi homines, videlicet ſi & ipſi velint cooperari ſuæ gratiæ, & perſeverare in gratia. Horum omnium explicatio magis patebit ex dicendis ſuo loco.

QUÆSTIO II.

De objecto voluntatis Dei, an Deus velit ſe, & creaturas, & quomodo.

Quæſtio procedit de objecto tam motivo, quàm terminativo, tam primario, quàm ſecundario, tam materiali, quàm formali. Et ſuppoſitis iis, quæ diximus de intellectus objecto, facile erit deciſio præſentis.

Concl. I. *Deitas ſub ratione Deitatis, ſeu bonitatis ſuæ eſſentialis eſt objectum primarium, & adæquatum divinæ voluntatis, creaturæ verò ſecundarium, & terminativum.*

Prob. 1. ex Scoto. [1] Sciendum, quòd voluntas divina habet aliquod objectum primum, ut eſſentiam divinam, quæ eſt ſibi perfectio intrinſeca, quia omnis potentia operativa exigit objectum ſuum primum: ſed voluntas divina non exigit neceſſariò aliquid aliud à Deo, ſicut nec alia ejus perfectio intrinſeca; & tamen ſicut intellectus Dei intelligit omnia alia à ſe, ita voluntas ejus vult omnia alia à ſe. Ergo ex Scoto eſſentia, ſeu Deitas, in ſua bonitate, ſeu perfectione eſſentiali, & intrinſeca eſt objectum primum voluntatis ejus, & alia omnia externa Deo ſunt objectum ſecundarium.

Prob. 2. quoad 1. partem. Nam eſſentia ſub ratione Deitatis habet omnes conditiones objecti primarii, & adæquati, eſt maximè propter ſe, & per ſe volibilis, & eſt infinita in ſua perfectione eſſentiali, ſicut

[1] *Reper.* 1. *d.* 17. *q.* 3. *n.* 3.

ſicut & voluntas, & eſt radix omnium aliarum perfe-ctionum, & volibilitatis aliorum volibilium; ergo; &c. Prob. ant. ex dictis de intellectu, & de infinitate Dei, & ex dicendis de motivo primario, & radicali volibilitatis creaturarum,

Prob. 2. p. Nam creaturæ omnes, ſicut nullum habent eſſe à ſe, ſed per participationem à Deo, ſita nec intelligibilitatem, nec volibilitatem à ſe, ſed ſecundariò, & dependenter à Deo, & terminativè. Unde dicitur: *Omnia propter ſemetipſum operatur Dominus*, & omnia alia à ſe non amat, niſi in ordine ad ſe ipſum, inquit Doctor.

Confirm. quia ſi moveretur, & determinaretur voluntas ejus ab alio ente, quàm à ſe ipſo, vileſceret ejus voluntas, & volitio, ſicut diximus de intellectu. Nam actus ſpecificantur ab objectis primaris, & motivis.

Objic. 1. Si Deus amaret ſuam eſſentiam, amaret amore concupiſcentiæ, vel amicitiæ: ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt objectum primarium ſuæ voluntatis. Prob. min. 1. Non amore concupiſcentiæ, quia verſatur circa jucundum, vel utile, & velut abſens. 2. non amicitiæ, quia iſte amor eſt ad alterum, & eſt reciprocus.

Reſp. neg. maj. Nam amor Dei eſt amor complacentiæ, quo ſibi complacet in propria ſua bonitate, ſeu perfectione infinita. Et dici poſſet amicitiæ, ſed impropriè. Dicamus breviter, eſſe amorem divinum, & ineffabilem.

Objic. 2. Deus amat etiam ſua attributa, perſonas, & bonitatem attributalem: ſed hæc non continentur in bonitate eſſentiali; ergo bonitas eſſentialis non eſt formale objectum bonitatis divinæ, nec eſſentia cum illa bonitate eſt objectum adæquatum.

Reſp. diſt. min. Non continentur formaliter, & explicitè, conc. realiter, & radicaliter, neg. min. & conſ. Nam eſſentia ratione infinitatis ſuæ omnia per identitatem complectitur, & ſicut eis eſt aliqualiter ratio, ſeu fundamentum eſſendi; ita & volibilitatis.

Inſt. Si eſſentia ſub bonitate eſſentiali eſſet ratio volendi attributa, & perſonas, eſſet finis, aut cauſa eorum: ſed neutrum dici poteſt, ergo &c. Prob. maj.

ex

ex Doct. [1] Nihil habet cauſam finalem, niſi habeat efficientem, quia, inquit, *cauſalitas cauſæ finalis eſt movere efficiens ad agendum*; ſed nihil eſt in Deo, quod habeat cauſam efficientem; ergo eſſentia, nec bonitas eſſentialis non eſt motivum amoris attributorum, & perſonalitatum.

Reſp. ex eodem, quòd licèt Deus non ſit finis ſui, tamen reſpectu ſuæ voluntatis eſt illud objectum abſolutum, cui nata eſt competere ratio finis, quia eſt ſummum bonum, &c. Unde in forma, neg. maj. & ad prob. dico, quod, ſicut eſſentia Dei non habet propriè rationem cauſæ nec reſpectu ſui, nec reſpectu attributorum, vel perſonalitatum, ita nec finis, ſed, ut loquitur D. Dion. [2] *fine, & principio ſe carere excellenter oſtendit divinus amor, tanquam ſempiternus circulus propter bonum, ex bono, in bono, & ad bonum indeclinabili converſione circumiens, & in eodem, & circum idem & procedens ſemper, & manens, & remeans.*

Concl. 2. *Deus ſe ipſum vult, & amat neceſſariò, & liberè libertate eſſentiali, item & poſſibilia, ſed creaturas, ut exiſtentes, vel futuras, amat liberè libertate contingentiæ.*

Prob. 1. p. ex Scoto. [3] Dico, quòd in actu voluntatis divinæ eſt neceſſitas ſimpliciter, & hoc tam in actu diligendi ſe, quàm in actu ſpirandi. Probat. hoc 1. quia Deus neceſſariò eſt beatus, ergo neceſſariò videt, & diligit objectum beatificum, *quod eſt Deus ipſe*, 2. quia voluntas infinita ad objectum perfectiſſimum ſe habet perfectiſſimo modo, quo poteſt ſe habere; ſed voluntas divina eſt hujuſmodi; ergo ad ſummum diligibile ſe habet modo perfectiſſimo, quo poſſibile eſt voluntatem ſe habere ad ipſum; ſed hoc non eſſet verum, niſi ipſum neceſſariò, & actu adæquato diligeret; ergo id ita eſt.

Prob. 2. Actus ille eſt realiter ſubſtantia Dei, quia eſt in ſe ſummè neceſſarius, & objectum eſt infinitè, & neceſſariò amabile; ergo amor Dei erga ſe eſt neceſſarius tam ex parte entitatis actus, quàm objecti.

Prob. 3. quia voluntas Dei eſt neceſſariò recta, & indefectibilis; ergo neceſſariò, & ſummè diligit ſuam eſſen-

[1] 1. d 1. q. 5. n 9. [2] *de Div. nom.* 4.
[3] *quodlib.* 16. *A. n.* 2.

eſſentiam, & attributa, quæ ſunt ſummè, & neceſſariò diligibilia, ſicut ſunt neceſſariò, & ſummè bona. Idem patebit, ubi de proceſſione Spiritus Sancti, qui producitur per viam amoris neceſſarii.

Prob. 2. p. de libertate talis amoris. Nam, ut diximus tract. de anima, libertas eſſentialis non opponitur cum neceſſitate, ſed cum agente naturali. Ideò diximus tract. de Beatitudine, quòd in patria beatorum voluntas *ſic erit, ut malè velle non poſſit, nec ideò libero carebit arbitrio*, inquit Auguſtin. [1] *multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit ſervire peccato*, nam *aut voluntas non eſt, aut libera dicenda eſt*; ergo id à fortiori dicendum eſt de voluntate Dei. Probat. conſ. Nam voluntas eſt in Deo formaliter, & infinitè perfecta; ergo & libera; quia libertas eſt eſſentialis voluntati, quatenus tendit in objectum ſuum per modum inclinationis, & ponderis, ſe ipſam ex ſe determinans ad agendum ab intrinſeco, non autem ab ullo extrinſeco. Ideò hæc libertas opponitur tantùm neceſſitati naturæ, aut coactionis, non autem neceſſitati inevitabilitatis, quatenus abſtinere non poteſt ab illo amore, nec illum evitare; in quo differt ab intellectu, & potentiis naturalibus, quæ agunt ex determinatione naturæ. Hoc magis patebit infrà de libertate Dei, & de ſpiratione.

Prob. 3. de poſſibilibus. Nam duobus modis Deus ſe habet ad poſſibilia, voluntate *efficaci* illis volendo exiſtentiam pro tempore aliquo determinato, & hæc volitio eſt libera contingenter, quia ſic illa vult producere in tempore illo, ut poſſet non velle, 2. voluntate *inefficaci*, nihil determinando circa illorum exiſtentiam, ſed ſimpliciter, & purè ſibi complacendo in eorum poſſibilitate, & eam approbando; ſed hæc complacentia, & approbatio neceſſaria eſt; ergo Deus ſic amat neceſſariò poſſibilia. Prob. min. Voluntas Dei, quæ neceſſariò recta eſt, fertur ad omnia ſecundum bonitatem, quam habent ſingula in ſuo gradu; ſed hæc poſſibilitatis bonitas in ſuo gradu eſt neceſſaria; ergo à Deo amatur neceſſariò. Prob. min. Nam ſicut ex ſe habent eam poſſibilitatem, quæ annexa eſt rerum eſſentiæ, ita & bonitatem.

Confir.

[1] *Enchir.* 4.

Confir. Si voluntas Dei ferretur contingenter in res poſſibiles, poſſet facere, ut non eſſent poſſibiles, quia ſicut contingenter vult futuras, potuiſſet facere, ut non eſſent futuræ: ſed conſ. eſt contra omnes; ergo neceſſariò fertur in res poſſibiles.

De libertate autem eſſentiali hujus volitionis, ſeu amoris idem eſt, & à fortiori de amore ſui.

Prob. denique de futuris. Nam Deus ad extra agit liberè contingenter, ſeu libertate contradictionis. Nam ſi Deus ad extra nos ageret contingenter, nullum eſſet contingens in rerum natura, ut probatum eſt in Metaphyſica. Deus enim omnia ſe ſolo faceret totaliter, non expectato creaturæ concurſu, quia cauſa neceſſaria agit, quantum poteſt; ergo cùm habeat potentiam infinitam, & carentem omni termino virtutis ſuæ tam intenſivè, quàm extenſivè, ageret ſemper, & ſecundum ultimum ſuæ potentiæ; ergo ſic Deus vult exiſtentiam rerum, ut poſſet non velle, ergo vult, & amat eas liberè, & contingenter.

Objic. contra 2. p. Amor, quo Deus amat, eſt eſſentialis, & communis tribus Perſonis divinis; ergo & naturalis Deo, ſeu neceſſarius neceſſitate naturali, non autem liber ullo modo. Prob. conſ. Eſt à naturali pondere appetitus innati Deo; ergo eſt illi prorſus naturalis.

Reſp. diſt. conſ. Naturalis, prout naturale opponitur ſupernaturali, aut accidentali, aut violento, con. prout naturale opponitur libero à coactione, aut determinatione naturæ, neg. conſ. Utrumque fatemur, ſcilicet amorem Dei erga ſe eſſe ex innata propenſione, & appetitu rationali, ſed hoc non impedit libertatem ejus, quam dicimus eſſentialem, ſed potiùs juvat.

Inſt. iſte actus, quo Deus ſe diligit, eſt verè ad unum determinatus, quia eſt neceſſarius; ergo nulla reſponſio.

Reſp. diſt. ant. Eſt determinatus ex propenſione propria ipſiuſmet voluntatis, conc. aliunde, neg. ant. & conſ. Nam ſe ipſum determinat Deus delectabiliter, & complacenter ad ſui amorem.

Objic. 2. Quod eſt liberum, ſic à voluntate pendet, ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis poſſit agere, vel non agere; ſed Deus non eſt ſic indifferens ad ſui amorem; ergo nec liber. Prob. min. Nam

ille

ille amor eſt ab intrinſeco determinatus, ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Quod eſt liberum libertate contradictionis, conc. libertate eſſentiali, neg. maj. & conſ. Nam hæc libertas, ut diximus, inſeparabilis eſt à Dei voluntate, quæ ſe ipſam determinat ſponte, & delectabiliter ad amorẽ illum, quāvis non poſſit non amare.

Inſt. Hæc libertas ſic ſumitur, ut opponatur coactioni, vel neceſſitati; ſed neutro modo ſalvatur difficultas; ergo nulla ſolutio. Prob. min. Nam 1. actus naturalis non eſt coactus, quia eſt à principio intrinſeco, & tamen non dicitur liber. 2. fatemur eam ſtare cũ neceſſitate; non verò ei opponi; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Neutro modo ſumitur hìc à nobis libertas, ſed prout opponitur naturali determinationi ad unum, ut ſæpe dictum eſt in Phil. & alibi.

Objic. contra 3. par. ex Scrip. Deus *omnia, quæcumque voluit, fecit*; & quę vult, facit; ſed non facit merè poſſibilia; ergo non vult, nec amat neceſſario poſſibilia, liberè, & contingenter illa amat.

Reſp. diſt. maj. Quæ vult efficaciter, & conſequenter, conc. quæ vult ſimplici complacentia, & inefficaciter, neg. maj. & conſ. Nam. actus voluntatis Dei circa poſſibilia eſt ſimplicis complacentiæ, & inefficax, circa futura autem eſt efficax, & conſequens.

Inſt. Omnis actus voluntatis Dei neceſſarius eſt de intrinſeca ejus perfectione; ſed nulla Dei perfectio intrinſeca pendet à creaturis, ſive poſſibilibus, ſive futuris; ergo nulla volitio poſſibilium eſt neceſſaria.

Reſp. diſt. maj. Entitativè eſt de ejus perfectione, conc. terminativè, neg. maj. Et diſt. min. ſimiliter. Nulla perfectio Dei pendet à creaturis dependentia propria, & in eſſendo, & quaſi à priori, conc. impropriè, & terminativè, & quaſi à poſteriori, neg. min. & conſ. Nam ſicut ſcientia Dei tam viſionis, quàm ſimplicis intelligentię non dicitur dependere propriè, & à priori, ſeu quoad eſſe, à poſſibilibus, vel futuris, licèt utraque neceſſariò intelligat, ita nec voluntas ejus, licèt poſſibilia neceſſario amet ſimplici complacentia. Idem eſt de amore, quo amat exiſtentia; licèt ſit neceſſarius neceſſitate immutabilitatis, ſuppoſito decreto efficaci de illorum creatione.

Inſt. 2. Voluntas Dei non amat neceſſariò, niſi ſum-

ſummum bonum ; ſed poſſibilia non ſunt ſumm um bonum ; ergo .

Reſp. ad maj. Non amat quidem ſummè,& efficaciter niſi ſummum,ſed ſicut quodcumque, & qualecumque bonum , & eſſe intelligit perfectè , ita & diligit ſecundum illud eſſe, & bonitatem , quam habet.

Inſt. 3. Illa ſimplex complacentia non reſpicit exiſtentiam rerum , nec eſt actus voluntatis , ſed intellectus approbantis naturas rerum ; ergo non eſt vera volitio . Prob. conſ. quia nihil verè , & ſyncerè amamus, niſi in ordine ad exiſtentiam .

Reſp. neg. ant. maximè quoad 2. par. & ant prob. Nam complacentia eſt verè actus volũtatis ſequens ad cognitionem rei , ſeu judicium intellectus.

Objic. 2. Poſſibilia ſunt purè nihil ; ſed Deus non poteſt velle purè nihil ; ergo non amat poſſibilia ullo modo.

Reſp. diſt. maj. Sunt purum nihil actuale reale, conc. nihil poſſibile, & ſecundum eſſentiam, neg. maj. & conſ. Sic diſtin. min. Deus amat futura , ut futura , licèt ut futura non ſint quid reale actuale ; ſic poſſibilia amat in ſua poſſibilitate .

Inſt. Amare eſt velle bonum amato ; ſed Deus non vult ullum bonum poſſibilibus; ergo non amat. Prob. min. Non poteſt velle illis bonum ullum prius exiſtentia; ſed hanc non vult illis , alioqui non eſſent poſſibilia ; ergo .

Reſp. diſt. maj. Amare amore benevolentiæ, aut amicitiæ , conc. amore ſimplicis complacentiæ ; neg. maj. Ad hunc amorem ſufficit approbatio quædam & complacentia in illorum bonitate , qualiſcumque ſit.

Objic. contra 4. par. Cognitio Dei de futuris,& exiſtentibus eſt neceſſaria ; ergo amor . Ant patet , quia non poteſt ea ignorare , alioqui poſſet limitare ſcientiam ſuam . Prob. conſ. Voluntas non minùs eſt infinita , & determinata ad poſſibilia , quàm ad exiſtentiam, & ad futura; ergo ſicut cognoſcit neceſſariò , ita & amat .

Reſp. diſt. ant. Cognoſcit neceſſariò futura, ſuppoſita volitione creandi, conc. antecedenter, vel abſolutè, neg. ant. Unde ſicut poſſet Deus non velle illa eſſe futura , ita & poſſet non cognoſcere futura .

Objic. 2. Deus neceſſariò amat ſuas proprias perfect.o-

fectiones, ut gloriam, libertatem, amorem, potentiam, &c. ſed creaturarum exiſtentia eſt manifeſtatio ſuæ gloriæ, &c. ergo eam neceſſariò vult, non verò contingenter.

Reſp. diſt. maj. diligit in ordine ad ſe, ſeu ad intra, & in entitate ſua abſoluta, conc. maj. & neg. min. in ordine ad extra, neg. maj. Tota illa manifeſtatio eſt exercitium potentiæ, & beneficium creaturæ, non ipſius Dei, qui totus ſe ipſo, & in ſe ipſo eſt infinitè beatus.

QUÆSTIO III.

De libertate voluntatis Dei an, & qualis ſit, ſeu quid importet formaliter in actu libero.

JAm ſuppoſuimus voluntatis Dei libertatem duplicem eſſe, 1. *eſſentialem*, quæ conſiſtit in modo ejus naturali, & proprio agendi non ſolùm ſponte, & incoactè, ſed etiam delectabiliter, & complacenter, & ſtat cum neceſſitate volendi; unde per hanc operatur ad intra, 2. *contingentiæ*, ſeu contradictionis, qua operatur ad extra, & in hoc conſiſtit, quod quæ vult, potuiſſet non velle. Unde

Non eſt de voluntate Dei, ſicut de noſtra. Nam noſtra eſt libera non ſolùm libertate contradictionis, ſcilicet ad velle, & non velle, ſed etiam contrarieatatis, ſeu ad actus poſitivos, & contrarios; ſcilicet ad velle, & nolle, ad amare, & odiſſe; non ſic divina, quia hoc argueret imperfectionem in Deo, ſcilicet aliquam mutabilitatem, & potentialitatem, Item voluntas noſtra eſt 1. *productiva* ſui actus, qui ab ea realiter diſtinguitur, 2. eſt *receptiva*, ſeu *paſſiva* reſpectu actus ſic producti, & 3. eſt *operativa* per eundem, quatenus per amorem à ſe productum, & in ſe receptum unitur objecto ſuo, vel per odium elogantur ab eo; at voluntas Dei 1. non *producit* actum ſuum propter ſimplicitatem ſuam, & immutabilitatem, ſed hìc ab ea manat per emanationem quaſi metaphyſicam, & illi, ac eſſentiæ realiter identificatur; ideò non ſe habet propriè *paſſivè*, neque ut *receptiva* reſpectu actus ſui

ſui ob eamdem rationem, ſed tantùm eſt *operativa*, quatenus per ſe unitur objecto ſuo abſque actu, ſic diſtincto, vel producto, vel recepto. Quod valde notandum eſt.

Item adhuc differunt, quòd noſtra tendit ad diverſa objecta per actus diſtinctos propter ſuam, & actuum ſuorum finitatem; divina verò tendit ad plura, imò ad omnia objecta ſua unico realiter, & formaliter actu propter infinitatem tam potentiæ, quàm actus ejus.

His ita ſuppoſitis, ex dictis in Tract. de anima, quærimus hìc, an Dei voluntas ſit verè, & formaliter libera, & qua libertate, & in quo formaliter conſiſtat illa libertas.

Concl. 1. *Voluntas Dei eſt verè, & formaliter libera libertate contingentiæ*. Eſt de fide contra Philoſophos putantes Deum agere ad extra neceſſariò.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *ponitur ergo libertas in voluntate divina per ſe, & 1. in quantum eſt potentia operativa, dico, quòd divina nihil aliud reſpicit pro objecto* (per actum poſitivum) *ab eſſentia ſua, ad quodlibet igitur aliud contingenter ſe habet, ita, quod poſſet eſſe oppoſiti*, (ſcilicet contradictoriè,) *& hoc conſiderando ipſam, ut eſt prior naturaliter tendentia in illud objectum*. Et alibi docet, [2] quod *ſi per impoſſibile intelligeremus Deum adhuc volentem non determinaſſe ad alteram partem, ſed quaſi deliberaret, utrum vellet iſtum prædeſtinare, aut non, benè poſſet intellectus noſter capere, quòd contingenter ipſum prædeſtinaret, &c.*

Prob. 2. ex Script. [3] *Omnia, quæcumque voluit, fecit*; & in perſona patris familias: [4] *An non licet mihi, quod volo facere?* &, [5] *Omnia operatur unus, ac idem ſpiritus, dividens ſingulis, pro ut vult; & operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*; & cum ſe comparat figulo, qui ad arbitrium ex eadem maſſa facit vas honoris, & opprobrii; & ſic de aliis innumeris textibus hanc veritatem docentibus.

Prob. 3. ex SS.P. Nam Ambroſius hìc urget Arrianos negantes Spiritum S. ſui juris eſſe, [6] *In tantum proceſſiſtis impietatis, ut negetis, quòd filius Dei*

 libe-

[1] 1. *d.39.L. & M.n.22.* [2] *D.4.B.n.3.* [3] *Pſ.134.*
[4] *Matth.11.* [5] *Ephe.1.* [6] *2. de fid.3.*

liberæ ſit voluntatis, ac certè ſoletis etiam S. Spiritum derogare, & negare non poteſtis ſcripsum eſſe, Spiritus, ubi vult, ſpirat, & omnia operatur, dividens ſingulis, prout vult: hoc eſt libero voluntatis arbitrio, non pro neceſſitatis obſequio. Et Hieron. dicit, quòd *ſi homo talis fuiſſet, qui bonum non voluntate, ſed neceſſitate perficeret, non eſſet Deo ſimilis, qui ideò bonus eſt, quia vult, non quia cogitur; ſcilicet ad extra bonus eſt electione, non neceſſitate.* Idem docent alii, ſcilicet ideò *hominem ad imaginem Dei eſſe factum, quòd ſit liber, ac ſui juris, quoniam, ut Deus, eſt liberi arbitrii, & quod vult, facit*, inquit S. Machar. *Arbitrii libertas eſt planè quid divinum præfulgens in anima quaſi gemma in auro*, ait Bern. [1] hinc.

Prob. 4. ratione 1. quia libertas eſt perfectio ſimpliciter ſimplex naturæ intellectualis; ergo eſt in Deo; alioqui non eſſet infinitè perfectus. Prob. ant. Eſt enim dominium, quod illa natura habet in ſuos actus, vel in objecta illorum, quæ poteſt velle, aut non velle, etiam poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis. Dico, *vel in objecta illorum*. Nam Deus non habet quidem dominium in actus ſuos, quia ſunt aliquid ejus, ſed in objecta, quæ ab ejus arbitrio pendent in fieri, & conſervari. 2. quia dantur entia contingentia quoad eſſe; ergo Deus vult, & agit ad extra contingenter. Ant. eſt de fide. Prob. conſ. quia ſi neceſſariò, & non plenè liberè creaſſet mundum, illum ab æterno creaſſet, & omnia ſimul, quæcumque poteſt, crearet; cauſa enim omnis neceſſaria agit ad extremum potentiæ ſuæ. 3. quia non deberemus Deo gratias agere, cùm ex neceſſitate, non ex liberalitate bonus eſſet nobis, nec illum orare, quia nec precibus moveretur. 4. potiùs ipſe penderet à creaturis, quàm iſtæ ab ipſo; nam agens neceſſarium refertur neceſſariò ad effectum, & effectu ceſſante ceſſat & illud. 5. omnia etiam fierent neceſſariò, nec ulla eſſent contingentia, ut diximus, &c.

Objic. 1. Omnis actus voluntatis divinæ tam eſt neceſſarius, quàm actus intellectus; ergo voluntas Dei non eſt magis libera, maximè contingenter. Prob. ant. Omnis actus, ſeu volitio Dei eſt realiter ipſe Deus, æquè, ac omnis intellectio, alioqui eſſet com-po-

[1] *Hom. 5. in Cant.*

poſitio accidentalis in Deo, & mutatio.

Reſp. ut ſuprà diſt. ant. Entitativè, conc. utrumque ant. terminativè, neg. ant. Nam volitio Dei ad extra terminatur ad objecta, quæ, & quomodo placet, licèt in ſe entitativè ſint ipſe Deus realiter.

Objic. 2. Neceſſarium eſt rem eſſe futuram, vel non futuram; ergo Deus neceſſariò vult, vel non vult futura; ergo non vult liberè contingenter. Ant. patet. Nam ex duabus propoſitionibus contradictoriis una eſt neceſſariò, & determinatè vera. Prob. conſ. Nam iſtæ non minus contradictoriè opponuntur, quàm illæ; ergo, &c.

Reſp. neg. 2. conſ. ſeu ſubſumptum. Nam licèt non detur medium inter velle, & non velle futura, datur tamen electio alterutrius, quæ eſt in libertate Dei, quæ dicitur contradictionis, ſeu exercitii.

Inſt. Non poteſt cogitari ullum inſtans, ne quidem rationis, in quo Deus non ſit determinatus ad unum; ergo neque ullum, in quo ſit liber ad eligendum alterutram partem contradictionis. Prob. ant. Voluntas Dei tam eſt eſsentialiter, & ultimò determinata, & actuata, quàm eſsentia: ſed non poteſt cogitari inſtans ullum rationis, in quo eſsentia Dei non ſit ultimò determinata, & actuata; ergo & voluntas; ergo pro nullo inſtanti, ne quidem rationis, poteſt cogitari libera, ſeu indeterminata. Prob. maj. Voluntas eſt idem cum eſsentia, & eſt pariter infinita formaliter; ergo & pariter actuata infinitè, & eſsentialiter.

Reſp. neg. ant. & diſt. maj. Actuata entitativè, conc. terminativè, & ad extra, neg. maj. & conſ. prob. Alioqui enim etiam voluntas, & Dei potentia deberet actu, & ſimul habere terminationes omnes ad creaturas, quas poteſt habere, & ſic omnes ſimul exiſterent. Præterea falſum eſt, quod in Deo non poſſit cogitari ordo aliquis prioritatis, vel poſterioritatis rationabiliter cum aliquo fundamento, ut dictum eſt ſuprà.

Inſt. 2. In illo priori, quo voluntas cogitaretur indeterminata, eſset in potentia, & imperfecta; ſed hoc illi repugnat; ergo & illud. Prob. maj. Eſset in potentia ad actum volitionis, aut nolitionis; ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam vera potentialitas, quæ imperfectionem dicat, debet eſſe realis, aut ſaltem inter formalitates finitas, quales non ſunt voluntas, & volitio divina. Unde in illo inſtanti præciſionis, quo concipitur voluntas Dei ut deliberans, & eligens inter velle, & non velle, eſt potentialitas negativa, non poſitiva.

Objic. 3. Contingentia dicit imperfectionem; ergo libertas contingentiæ non eſt in Deo. Prob. ant. Ideò potentia dicitur operari contingenter, vel quia poteſt impediri, vel quia poteſt ſucceſſivè unum actum ponere, vel contrarium; ſed utrumque dicit imperfectionem, 1. dicit impotentiam, & 2. mutabilitatem; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. Imò perfectio eſt non neceſſitari à re contingenti. Ad probationem, neg. maj. Contingentia enim neutrum dicit, ſed facultatem volendi, aut non volendi.

Inſt. Omne infinitum eſt neceſſarium; ſed omnis volitio Dei eſt infinita; ergo & neceſſaria, ergo nulla eſt contingens.

Reſp. diſt. min. Entitativè, conc. terminativè, ſeu pro ut tranſit ſuper objectum, neg. min. Ens creatum eſt objectum voluntatis, ſicut & intellectus; ideo non dependet ab eo, licèt actus eorum tranſeant ſuper illud.

Concl. 2. *Libertas in Deo nihil eſt diſtinctum à volitione ipſa Dei entitativa, ac neceſſaria, & infinita, quæ vult neceſſariò neceſſaria, & contingenter contingentia*, ſeu quæ vult eſſe aliqua, cùm poſſet velle non eſſe, aut non velle eſſe, ſeu terminari, vel non terminari ad illa. Eſt communior inter Theologos omnis Scholæ.

Prob. 1. ex Scoto [1] dicente, quòd *voluntas divina non eſt indifferens ad diverſos actus volendi, & nolendi*; ergo non eſt niſi unus actus ſimpliciſſimus in voluntate Dei. *Ipſa* tamen voluntas divina libera eſt ad oppoſitos effectus, ſed hæc non eſt prima libertas, ſicut nec in nobis. Remanet ergo libertas illa, quæ eſt per ſe perfectionis, & ſine imperfectione, ſcilicet ad objecta oppoſita, ita, quòd, ſicut poteſt voluntas diverſis volitionibus tendere in diverſa volibilia, ita

[1] 1. *d.*39. *L.* & *M. n.*21. & 22.

ita illa voluntas poteſt una volitione illimitata, & ſimplici tendere in quæcumque volibilia .... *&*, quòd voluntas divina nihil aliud ab eſſentia ſua reſpicit neceſsariò pro objecto, ad quodlibet aliud igitur contingenter ſe habet, ita, quòd poſset eſse oppoſiti, &c. ergo ex Scoto volitio eadem Dei, qua neceſſariò reſpicit eſsentiam ſuam, reſpicit contingenter creaturas exiſtentes, aut futuras propter ſuam perfectionem infinitam, qua æquivalet virtualiter pluribus actibus, quibus voluntas creata tendere poteſt in objecta diverſa per diverſos actus, v. g. per amorem, vel odium, volitionem, aut nolitionem, ſeu non volitionem.

Prob.2. quia non poteſt meliùs explicari hoc ineffabile myſterium, quod ſummis Theologis inexplicabile apparet, ut videre eſt apud illos, qui tot modos explicandi excogitant, & inter ſe tam longè diſſident. Nam alii cum Cajetano putant Deum liberè velle per volitionem à ſe realiter diſtinctam, quæ poſſent non eſse, in quo videntur lædere Dei immutabilitatem, & ſimplicitatem. Alii ponunt libertatem in denominatione extrinſeca petita ab objectis, quatenus ſunt contingentia, & ſic hanc perfectionem extra Deum ponunt. Alii in relatione rationis, quæ fingitur reſultare in voluntate, aut volitione æterna ad objecta contingentia, & ſic libertatem faciunt ens rationis, ſaltem formaliter. Alii in eadem volitione æterna cum connotatione objecti voliti, quæ ſit de intrinſeca ratione volitionis liberæ, & ſic, ni fallor, ponunt libertatem Dei in relatione intrinſeca Dei ad creaturas, quæ realis eſt, aut rationis; ſi rationis, ergo coincidit hæc opinio cum præcedenti, ſi realis, ergo ponunt aliqualem connexionem Dei realem, & æternam cum creaturis. Quæ breviter tetigiſse ſufficiat Tyronibus.

Prob.3. Nam libertas eſt verè in Deo, ſeu in volitione, ac decreto ejus æterno; ergo nihil eſt diſtinctum realiter ab ejus eſsentia, & volitione, ſeu decreto. Ant. patet ex præcedenti. Prob. conſ. Nam quidquid eſt verè in Deo, eſt Deus ipſe realiſſimè cum ſumma neceſſitate, & ſimplicitate eſsendi; ergo tam libertas decreti, ſeu volitionis, quàm ipſum decretum eſt una ſimplex perfectio, & entitas in Deo,

& repugnat penitùs eam potuiſse non eſse in Deo magis, quàm quæcumque alia ejus perfectio repugnat potuiſse non ineſse. Dixi, *qua vult neceſſariò neceſſaria, & contingenter contingentia*; quia, ut dicebam, actus volitionis Dei, cum ſit emitativè formaliter infinitus, æquivalet pluribus, ſeu infinitis, quorum aliqui eſsent contingentes, & alii neceſsarii.

Prob.4. De libertate Dei ad effectus contingentes debemus loqui, ſicut de immenſitate ad præſentiam in eiſdem, & ſicut de omnipotentia ad novas productiones, & de ſcientia reſpectu viſionis, quæ non importat quid diſtinctum à ſcientia naturali, &c. nam hæc, & ſimilia nihil addunt illis perfectionibus neceſsariis, & infinitis, niſi puram terminationem; ergo ſimiliter libertas, qua vult mundum creare, nihil ponit in Deo novum, & diſtinctum à volitione, qua vult ſe ipſum, & ſuas perfectiones, niſi puram terminationem ejuſdem volitionis ad mundum, quem ſic creat, aut vult creare, ut poſset non creare, aut non velle creare.

Objic. 1. Volitio neceſsaria poteſt eſse in Deo ſine ulla denominatione intrinſeca volentis liberè; ergo non eſt ab ipſa volitione neceſsaria. Patet ant. Nam ideò dicitur volens liberè, quòd poſset non velle.

Prob. conſ. quia forma totalis denominans ſemper denominationem tribuit, quandiu eſt in ſubjecto apto; ergo ſi denominatio liberè volentis venit à volitione ipſa neceſsaria, numquam hæc eſse poteſt ſine illa.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. Si denominatio ipſa non ſit libera, con. ſi ſit libera, & contineatur in tali forma propter infinitam perfectionem ejus, neg.ant. & conſ. Nam denominatio liberè volentis in Deo eſt libera, & venit à volitione neceſsaria, prout virtualiter continet, & æquivalet duabus, aut infinitis liberis, & neceſsariis.

Objic.2. In inſtanti, quo Deus præſupponitur volens neceſsariò, habet omnia, quæ habet in inſtanti poſteriori, quo dicitur volens liberè: ergo tam deberet dici volens liberè, quàm neceſsariò. Prob. ant. Nihil enim advenit de novo in 2. quod non haberet in 1. inſtanti; ergo non benè ſic datur ratio formalis liber-

libertatis Dei, ſcilicet quòd conſiſtat formaliter in ipſa volitione neceſsaria. Prob. conſ. Non poteſt inesse ratio denominationis ſine ipſa denominatione, ſed in 1. inſtanti aderat tota ratio denominationis liberè volentis æquè, ac ratio volentis neceſsariò; ergo tunc dici deberet liberè volens æquè, ac neceſsariò.

Reſp. diſt. ant. Habet omnia ad actum volitionis infinitæ, & ex parte voluntatis, conc. ant. ex parte objecti, neg. ant. & conſ. Nam in 1. inſtanti objicitur volitioni eſsentia, & alia, quæ ſe tenent ex parte objecti neceſsarii, & primarii, in 2. objiciuntur objecta ſecundaria, quæ poſset non velle, ſicut dicimus de Intellectione, quòd 1. determinatur ab eſsentia & iis, quæ circa illam ſunt, & 2. ad creaturas, quamvis ſit unus, & ſimpliciſſimus actus.

Inſt. ergo libertas illa dependet à creaturis; ſed conſ. eſt abſurdum, ſic enim aliquid Dei, aut Deus ipſe haberet aliquam dependentiam à creaturis; ergo &c. Prob. Ideò Deus diceretur volens liberè, quia volita eſsent contingentia; ergo libertas volitionis penderet à contingentia volitorum.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Nam illud, *ideò*, non dicit cauſalitatem, & dependentiam. Verum quidem eſt, quòd contingentia ſunt contingenter liberè volibilia; ſed illa libertas ſe tenet ex parte Dei.

Objic. 3. Neceſsarium, & contingens immediatè opponuntur; ergo non poſsunt uniri in actu voluntatis Dei; ergo libertas contingentiæ non poteſt conſiſtere in volitione neceſsaria, ſeu volitio Dei non poteſt eſse ſimul neceſsaria, & contingens.

Reſp. diſt. maj. In rebus finitis, in quibus ſunt formæ, ſeu qualitates formales diſtinctæ, conc. in ente infinito, neg. maj. Nam communicabilitas, & incommunicabilitas uniuntur in Deo ratione eſsentiæ, & relationum, ſic voluntas, & ejus volitio, cùm ſit infinita, æquivalet virtualiter pluribus actibus, quorum alii ſunt neceſsarii, alii liberi.

Moneo vero 1. per hanc explicationem facilè conciliari poſse alias ſententias de libertate Dei, in quo conſiſtat. 2. non eſse hìc quærendum omnimodam claritatem, quia nequidem libertas creata facilè capi poteſt, quantò minùs divina, quæ conciliandа eſt

cum ſumma ſimplicitate, & immutabilitate. Unde Theologi ferè omnes hoc inter myſteria recondi tiora reponunt.

QUÆSTIO IV.

De actibus voluntatis, ſeu de decretis, ac prædefinitionibus divinis, an, & qui, & quales ſint, & quis ordo illorum.

Decretum, ſeu prædefinitio, nihil aliud eſt, quàm volitio libera Dei, qua ab æterno ex ſe, & efficaciter vult aliquid eſse futurum, aut non futurum pro tempore. Aliud eſt *abſolutum*, quo efficaciter ex plenitudine potentiæ ſuæ aliquid vult fieri. Aliud *conditionatum*, quo vult aliquid eſse, aut fieri dependenter ab aliqua conditione, qua non adveniente non vult rem fieri, & non fieri. Tale eſt illud, quo vult damnare Judam, & ſalvare Petrum, ſi videlicet ille perſeveraverit in peccato, & iſte in gratia. *Conditio* autem vel eſt ponenda, & pendet ab ipſo ſolo, vel à creaturæ concurſu, & cooperatione; ſi ab ipſo ſolo, vel non decernit, vel decretum eſt abſolutum ſaltem æquivalenter; ſi verò pendet à creaturæ cooperatione libera, decretum eſt verè conditionatum, ut patet in exemplis allatis. Aliud *antecedens*, quo aliquid decernit futurum, maximè circa homines, ex ſe abſolutè, & independenter à præviſione, aut attentione ad concurſum illorum liberum. Et iſtud Thomiſtæ vocant *præfinitionem*, qua decreto prævio ad omnem voluntatis noſtræ determinationem, & ante omnem præviſionem ejus præfinit, & decernit actiones noſtras, aliud *conſequens*, quo aliquid decernit ex præviſione operationis noſtræ. Tale eſt decretum de damnatione Judæ ex præviſione peccati ejus finalis. Aliud denique *concomitans*, quo ſimul cum homine ſe determinat ad aliquid faciendum. Verbi gratia, quia per infinitatem ſuam continet in ſe humanam voluntatem, videt in ſe, quidquid illa vult, & ad quod illa ſe determinat, & ſimul decernit cum illa cõcurrere,& efficere,quod illa facit,aut factura eſt.Uno verbo,per decretũ iſtud Deus ſeſe condeterminat cum voluntate creata ad futuritionem actuũ ejus.Et in hoc differt ab *antecedenti*, quo decernit futura independenter omninò à voluntate creata, & à *cõſequenti*,quod omninò ſupponit determinationem vo-

lun-

luntatis creatæ. Aliud dicitur *indifferens*, de quo mox.

Porrò jam diximus ſuprà, hunc ordinem inter actus intellectus, & voluntatis divinæ, in 1. inſtanti rationis intellectus cognoſcit poſſibiles eſse cauſas ſecundas agentes tam naturaliter, quàm liberè, & in 2. eas ut tales proponit ſuæ voluntati, quas ut tales vult, & decernit futuras, & ſuo modo ſe acturum, & cum illis concurſurum, accommodando ſe illarum modo agendi, ſcilicet naturaliter cum agentibus naturalibus, & liberè cum liberis, in 3. intellectus prævidet creaturas omnes ſic à voluntate decretas, & quid cum omnibus circumſtantiis in quolibet ordine liberè, aut naturaliter poſsent agere, eas ſic inſpectas voluntati repræſentat, quippe continens eas eminenter, virtualiter, & perfectè, quoad totam earum virtutem, & indifferentiam, ſeu libertatem in modo agendi, nihil horum poteſt eum latere, pro ut ſe ipſum comprehendit, ut diximus, & in 4. inſtanti eius voluntas decernit concurrere ad illa omnia, & pro ſingularum modo agendi, & in ſingularum ordine ad ea, quæ prævidit illas eſse facturas, & quidem non *conſequenter*, quaſi verò ab eis motivum accipiat ſic decernendi, & ſe determinandi, nec *antecedenter*, quaſi verò eas ipſe ad ſic agendum determinet, aut determinare decernat, ſed omninò *concomitanter*, ita, ut ſeſe condeterminet, prout videt eas ſeſe determinaturas, & ex eo inſtanti concurſus ejus paratus eſt, & quidem proportionatus modo agendi ſingularũ.

Primum horũ decretorum dicitur *indifferens*, & *generale*, quia per illud Deus decernit concurſum paratum ad quemlibet modum agendi creaturæ, ſc. naturalem cum agẽtibus naturalibus, & liberum, ſeu indifferentẽ cum agentibus liberè, & indifferenter; ſed poſteà, & in inſtantibus ſequentibus habet decretum magis *abſolutum*, & *determinatum*. *Indifferens* verò, & *generale* coincidit cum *conditionato*, quia æquivalet iſti, *ſi Petrus voluerit reſiſtere ancillæ tentanti ad negandum Chriſtum, concurſus meus paratus eſt, ſi voluerit ſuccumbere tentationi, & negare, concurſus eſt paratus ad actum illum phyſicum*. Decreto huic indifferenti opponitur *determinatum*, & *abſolutum*, quod eſt de futuritione abſoluta, & determinata, quale eſt illud concomitans. Inter ipſa autem de-

creta (ſi tamen pluraliter dicenda ſunt) non datur ordo *intrinſecus*, & realis, quandoquidem ibi nulla eſt diſtinctio realis, ſed *extrinſecus* eſt, ſi quis eſt, ſcilicet petitur ab objectis, ad quæ volitio Dei terminatur, & quatenus ex modo noſtro concipiendi putamus eam determinari ad unum, priuſquam ad aliud, & quaſi actibus pluribus virtualiter diſtinctis, ſeu æquivalentibus multis. Sic videtur petere ipſorum inter ſe ordo, v. g. quæ habent rationem finis, ſub illo reſpectu exigunt prædefiniri, & decerni priùs, quàm media, quæ ſub hoc reſpectu non decernuntur propter finem, & rurſus inter hæc media prius decernuntur, quæ ſunt propinquiora fini. Et quando objecta ex ſe petunt hunc ordinem, dicitur ordo *poſitivus*; quia congruit illorum naturæ; ſi verò ſint ad hoc indifferentia, ita ut non repugnet illis aliter decerni, dicitur ordo permiſſivus. Rurſus alius eſt ordo *intentionis*, alius *executionis*. Ille eſt, qui primò reſpicit finem ut aſſequendum per media; iſte verò, qui directè reſpicit media, per quæ finis eſt acquirendus. *Ordinate volens* (ait Scotus) [1] *priùs vult finem, & poſtmodùm ea, quæ ſunt media ad finem conſequendum, & inter media illud, quod eſt fini proximius, ſecundum cauſalitatem, & efficacitatem*. Sicut autem ordo *intentionis* quoad objecta eligenda pendet ex Dei arbitrio, & per conſequens ordo *executionis*. His ſuppoſitis, quærimus hic, 1. an dentur in Deo ab æterno decreta, ſeu *præfinitiones*, ſeu *prædeterminationes* de rebus futuris fiendis per cauſas ſecundas tam liberas, quàm naturales, 2. qualia ſint illa decreta, an ſcilicet *efficacia*, *antecedentia*, & *abſoluta*, & *determinata*, an ſaltem, & tantùm *concomitantia*, *inefficacia*, *conditionata*, & *indifferentia*, & maximè pro futuris liberis, & 3. an detur aliquis ordo inter illa decreta, & qualis ille ſit. Dabunt hæc lucem iis, quæ diximus de ſcientia Dei, quandoquidem diximus futura videri ab eo in ſuis decretis.

Concl. 1. *Deus de facto nihil facit ſive ſe ſolo, ſive cum creaturis in tempore, quod non decreverit, ſeu prædefinierit ab æterno, & quidem omnia uno, & ſimpliciſſimo actu voluntatis.* Eſt communis, & de fide.

Prob. 1.

[1] 3.d.7.q.3.n.3.

Prob.1. ex Scoto [1] dicente, quod *neceſſe eſt pone-*
redeterminationem primam in voluntate reſpectu fa-
ctibilium, & quòd, ut jam ſuprà diximus de medio, in
quo Deus videt futura, *intellectus oſtendit omnia o-*
perabilia tam in univerſali, quàm in particulari vo-
luntati, quorum omnium aliqua acceptat tam prin-
cipiorum practicorum, quàm particularium operabi-
lium. Idem docet pluribi, ſupponens ſemper om-
nia, quæ prævidet fienda in tempore, hæc prævide-
re in decretis, & prædefinitionibus æternis ſuæ vo-
luntatis. Et diſt. ſequenti docet, Deum eſſe intel-
ligentem, & volentem alia exiſtere contingenter per
contingentiã rerum, & quòd voluntas poteſt unica vo-
litione ſimplici illimitata tendere in quæcumque vo-
libilia. Quod ita fieri docet: Intellectus divinus de-
terminationem videt voluntatis divinæ, videlicet il-
lud pro A. quia voluntas illud determinat fore pro
eo, &c.

Prob.2. ex Script. dicente, quòd [2] *Attingit à fine*
uſque ad finem fortiter, & ſuaviter diſponens omnia.
Et quod, [3] *Tanquam momentum ſtateræ, ſic eſt*
ante te (Deus) *orbis terrarum*. Et [4] *Quomodo au-*
tem poſſet aliquid permanere, niſi tu voluiſſes, & quòd
Hoc factum, quod ipſe voluiſti, & quod, [5] *Elegit*
nos ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti, &
immaculati coram ipſo, &, [6] *Operatur omnia ſe-*
cundum conſilium voluntatis ſuæ, &c. *Tu creaſti om-*
nia, propter voluntatem tuam erant, & creata ſunt.
Hæc, & ſimilia non poſsunt intelligi, niſi de voli-
tione æterna propter ſimplicitatem, & immutabili-
tatem, & æternitatem ejus. Et idem patet ex illis
verbis Iſaiæ, [7] *Juravit Dominus exercituum di-*
cens, ſi non, ut putavi, ita erit, & quomodò mente
tractavi, ſic eveniet. Et denique, *Apud Deum de om-*
nibus rebus tam fixa eſt ſententia, quàm certa præſci-
entia, inquit S. Auguſt.

Prob.3. ex SS. PP. 1. ex Athanaſ. ſic explicante il-
lud Apoſtoli, *Operatur omnia ſecundum conſilium* (æ-
ternum) *voluntatis ſuæ, Sciens autem hæc paravit*
 Deus,

[1] 1. *d.*38. *D.n.*5, [2] *Sap.*8.
[3] *&* 11. [4] *Judith.*9.
[5] *Eph.*5. [6] *Apoc.*4.
[7] *Iſ.*14.

Deus, quæ differri non poterunt, nec prætermitti, quin peragantur tanquam divinitùs ſint præſinita, *idque per multam erga nos providentiam*, & ex Aug. [1] *Jam ſemel ſtatuit, quemadmodùm feratur ordo univerſitatis, quam condidit, neque enim aliquid nova voluntate adminiſtrat*; & Iren. [2] *Nihil omnino horum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & quæ fient, Deum fugit, ſed per illius providentiam unumquodque eorum & habitum, & ordinem, & numerum, & quantitatem accipit, & accepit propriam*, &c. & D. Greg. [3] *Cuncta Deus præſciens ante ſæcula decrevit, qualiter per ſæcula diſpoſuit*.

Prob.4. ratione. Nam providentia æterna ſe extendit ad omnia, ad quæ ſe extendit ejus potentia, ſeu cauſalitas, ſed hæc extenditur ad omnia prorſus, quæ fiunt in tempore; ergo & providentia, ſeu decretum, ſeu prædefinitio voluntatis ejus. Min. patet ex dictis in Philoſophia de concurſu Dei, & ſuprà de ſcientia ejus infinita. Prob. ant. quia, ut dicebamus, non eſſet perfectè immutabilis, nec ſimplex, ſi aliquid poſſet velle in tempore, quod non velit ab æterno.

Confir. ex dicendis de providentia. Illa enim includit actum intellectus, quo prævidet omnia, & ſingula, quatenus dirigi poſſint in ſuos fines, & actum voluntatis, quo illa diſtinctè velit ſic dirigere; ergo habet decretum, & prædefinitionem æternam de omnibus, & de ſingulis, quæ fiunt in tempore tam ab homine, & liberè, quàm ab aliis agentibus, & neceſſariò, vel naturaliter, ſeu quomodocumque.

Prob.2. p. Nam in Deo non poſſunt admitti plures realiter, & entitativè volitiones, ſicut nec plures intellectiones, propter ejus ſimplicitatem; ergo omnia vult, & prædefinit una ſimpliciſſima volitione æterna.

Objic.1. Si actus humani eſſent ab æterno prædefiniti, jam non eſſent liberi; ſed conſ. eſt falſum; ergo & ant. Prob. maj. Illi actus non poſsent non eſse tales, quales prædefinirentur ante omnem uſum libertatis noſtræ; ergo eſſent neceſſariò tales, & quidem neceſſitate antecedenti.

Reſp.

[1] 3. *lib. ar.* 3.
[2] 3. *con. hær. c.* 45.
[3] 12. *mor.* 2.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. Decreta illa antecedunt, & quidem duratione, ſed cauſalitate concomitantur; non prædeterminant, ſaltem phyſicè, ſed condeterminant, ut diximus ſuprà, & in Phyſicis. Qui admitterent ſcientiam mediam, reſponderent illas prædefinitiones, ſeu decreta ſubſequi prævifionem conditionatam conſenſus voluntatis creatæ. Qui verò ſuſtinent decretum antecedens, neg. conſ. 2. argumenti, quia, cùm decretum Dei ſit liberum, & de concurrendo cum noſtra libertate, nullam inferunt ei neceſſitatem. Sed hoc mihi difficile captu videtur. Potiùs admitterem ſcientiam mediam, niſi 1. ſufficeret.

Inſt. Suppoſita prædefinitione actus amoris, v.g. non poſſum elicere actum odii, ergo ea ſuppoſita non manet libertas. Prob. ant. Nam actus odii non eſt prædefinitus: ſed non poſſum habere niſi actum prædefinitum; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. utriuſque arg. Nam ſicut præciſa omni prædefinitione actus amoris, quem elicio, eſt liber, licèt in ſenſu compoſitò non poſſim non odiſſe, imo neque non amare, ita nec in ſenſu compoſito præfinitionis illius, quia hæc ſupponit meam condeterminationem ad illum amorem.

Objic. 2. ex PP. Nam Origenes docet, [1]. quòd *multa ſine voluntate Dei geruntur*. Et Damaſc. dicit, [2] *Deum omnia quidem præſcire, ſed non omnia prędefinire, præſcit enim omnia, quæ ſunt in noſtra poteſtate, & arbitrio, at ea non prædefinit*; & id probat dicens: *Neque enim vitium admitti vult, neque voluntati vim affert*; & Greg. Nyſſ. dicit, [3] *Ea, quæ ex noſtra libera pendent voluntate, non eſſe ſubjecta divinæ providentiæ*; ergo ex PP. Deus non prædefinit actus humanos.

Reſp. neg. conſ. Neque id ſomniarunt SS. PP. ſed dum ſic loquuntur, id intelligunt de actibus malis, ut Origenes, & eas prædefinitiones negant, quæ eſſent de actibus malis formaliter ut malis, ſeu ſecundum malitiam, vel quæ prædeterminarent phyſicè voluntatem, & ſic libertatem læderent, ut notat S. Thomas. Quod apertè patet ex verbis Damaſc. & Nyſſ. loquitur de mente Philoſophorum, non ex

[1] *Hom.* 3. *Geneſ.* [2] 2. *de fid.* 30. [3] 8. *Ph. c.* 4.

ex ſua, illi quippe putabant ordines, & decreta providentiæ non compati cum libertate noſtra. Sic Chryſoſt. dicit, [1] quòd decretum Dei *non antecedit voluntates noſtras, ne lædatur arbitrium noſtrum*. Abſolutè autem abſtinendum à dicere, quòd prædefiniat peccata, ne videamur favere hæreticis, qui Deum faciunt auctorem peccati.

Inſt. Hæ prædefinitiones non ſunt neceſsariæ; ergo non aſſerendæ. Nihil enim eſt ſuperfluum in Deo. Prob. ant. Eſſent neceſsariæ ad ſalvandam vel Providentiam in Deo de omnibus, vel dependentiam cauſæ ſecundæ à 1. ſed neutrum dici poteſt, ergo non ſunt neceſsariæ. Prob. min. 1. quia ad Providentiam, quæ dirigat ſingula in ſuos fines, non debet omnia prædefinire, ut patet de peccato, ex quo elicit gloriam ſuam per oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, licèt illud, ut tale non prædefiniat. 2. quia dependentia cauſæ 2. non conſiſtit in hoc, quòd ab eo prædeterminetur ſivè extrinſecè per decretum, ſive intrinſecè per qualitatem ullam, ſed ſufficit, quòd creatura habeat à Deo vim omnem cauſandi, & quòd nihil poſſit cauſare ſine concurſu ejus immediato; ergo prædefinitio non eſt neceſſaria ad ſalvandam providentiam in Deo, nec dependentiam creaturæ ab ipſo in cauſando.

Reſp. neg. antec. 1. argumenti, & min. 2. & ant. 3. quoad utramque partem. Nam 1. providentia, licèt non prædefiniat peccata quoad malitiam, & quoad formale morale ſaltem poſitivè, tamen prædefinit quoad materiale, ſeu entitatem phyſicam; & permiſſivè ipſam malitiam, vel, ſi ma vis, quoad utrumque tam materiale, quàm formale, ſed non ita eſt de aliis actibus, & maximè de bonis, quorum Deus eſt principalis auctor, 2. Dependentia cauſæ ſecundæ à Deo non eſſet perfecta, niſi indigeret ejus concurſu actuali ad omnes ſuas actiones, & debet Deus decernere, & velle illum concurſum exhibere in tempore, ſicut decrevit ab æterno.

Concl. II. *Deus non prædefinit actus humanos per decretum antecedens, nec per conſequens, ſed per concomitans*. Eſt communis quoad 2. p. ſed non ita

[1] *hom. 12. Epiſt. ad Heb.*

ita quoad 1. in qua etiam Scotiſtæ diſſentiunt non-nulli.

Prob. autem 1. ex Scoto dicente, [1] quòd *ſicut voluntas creata mereri poteſt determinationem, ita etiam poteſt concomitanter ſequi, quòd voluntas divina non præordinaverit hominem ad gloriam*. Vides, quòd quia voluntas Judæ, v. g. poteſt mereri damnationem, colligitur Deum non præordinaſſe ad gloriam; ergo decreta Dei, ſeu præfinitiones non antecedunt uſum libertatis noſtræ, ſed potiùs comitantur, aut ſequuntur. Idem colligitur ex eo, quòd dicit, *Deum videre peccatum futurum, quia decernit concurrere ad actum illius materialem*. Non eſt prævifio Dei de peccato futuro per hoc ſolùm, quod ſcit ſe permiſſurum hunc peccare finaliter, ſed cum hoc requiritur, quòd ſciat ſe cooperaturum iſti in actu peccandi, &c. cooperatio autem Dei connotat creaturæ cooperationem comitantem; ergo Deus prædefinit actus humanos decreto concomitanti virtualiter eminenter voluntatis noſtræ determinationem.

Prob. 2. ex Patribus, pro quibus ſit unus Damaſc. qui hanc veritatem docet ferè in terminis, & clariſſimè. [2] *Scire intereſt, Deum omnia præſcire, non autem omnia prædeterminare, & prædefinire, præſcit enim etiam quæ in noſtra poteſtate, & arbitrio ſita ſunt, at non item ea prædefinit*. Et jam dixerat. *Quæ in noſtra poteſtate ſunt, non providentiæ, ſed libero noſtro arbitrio aſſignari debent*. Idem docent alii.

Prob. 3. ex dictis diſp. præced. Poſito decreto illo antecedenti vel poſset voluntas non elicere actum prædefinitum, vel non poſſet non producere; ſi poſſet non producere, ergo fruſtrare poſſet decretum efficax, & abſolutum Dei, quod falſum eſt, & nemo id dixerit, ſi non poſſet non elicere; ergo non eſſet libera, quod erroneum eſt in fide, maximè ex definitione Concilii Tridentini. Prob. conſeq. ex Scoto. [3] Nam quando aliquid ſequitur neceſſariò ad aliquod antecedens, quod non eſt in poteſtate agentis, ita nec illud conſequens, ſed actus volunta-tis.

[1] *d. 40. D. n. 5.* [2] *2. de fid. c. 29; et 30.*
[3] *2. d. 37. M.*

tis noſtræ ſequerentur neceſſariò ex decreto, ſeu præfinitione divina antecedenti, quæ non eſt in poteſtate noſtra; ergo nec actus noſtri eſſent in noſtra poteſtate. Maj. negari non poteſt. Min. etiam eſt evidens. Nam decretum antecedens abſolutum præcedit omnem uſum libertatis noſtræ, & abſolutè à ſolo Deo dependet; ergo non relinquit voluntati noſtræ ullam indifferentiam ad velle, vel non velle id, quod prædefinitum eſt, ſed ad unum eſt penitus prędeterminata; quia, inquit Scotus. [1] *non poteſt ſtare ordinatio ſui cum oppoſito ejus, quod ordinavit.*

Confirm. Nam talis prædeterminatio cùm ſit extrinſeca, & præcisè nihil ponat in voluntate noſtra, non videtur, quomodò poſſit hanc prædeterminare, niſi per qualitatem aliquam in ea cauſatam, & quidem naturalem pro actibus naturalibus, vel ſupernaturalem, ſc. gratiam prædeſtinantem phyſicè pro actibus ſupernaturalibus: ſed neutrum dici poteſt; ergo &c. Min. patet. Quomodò enim decretum, quod eſt in Deo, prædeterminatet voluntatem, quandiu eſt penitùs extra illam? Prob. min. Nam de qualitate phyſica prędeterminante id patet ex dictis in Phyſ. & de gratia pariter prædetęrminante phyſicè dicemus in tract. de gratia.

Dices, ſufficere tam ad prædeterminationem, quàm ad ſalvandam libertatem ejus, quòd tam volitio Dei, quàm concurſus qualiſcumque ejus ſit infinitæ perfectionis, & liber, adeòque accommodatus modo agendi ejus liberè, ſufficere uno verbo, quòd velit aliquid fieri liberè, ut ita fiat.

Contra. Poſito quocumque decreto tali, quo velit Deus me hoc velle liberè, vel poſitis omnibus ad volendum prærequiſitis, hìc, & nunc poſſum velle, aut non velle, vel ſum determinatus ad velle; ſi poſſum velle, aut non velle, ergo velle meum non eſt abſolutè prædefinitum, quia poteſt contingere contrarium; ſi non poſſum non velle, ergo neceſſariò volo, non autem liberè. Et certè tam difficile, & abſurdum videtur dicere, quòd Deus poſſit ſalvare libertatem per prædeterminationem, quàm quòd poſſit refrigerare per calorem. Non enim minùs opponuntur prædeterminatio

[1] 1. *d.* 4. *fin.*

natio phyſica, & præindifferentia, ſeu indifferentia in actu 1. quàm frigus, & calor, imò quàm frigus, & non frigus.

Probatur 2. p. Nam decretum conſequens non eſſet *prædefinitio*, ſed *poſtdefinitio*, quia ſubſequeretur actum prædefinitum, & faceret decreta, & prædefinitiones utcumque dependentes à voluntate creata.

Reſtat ergo 3. pars, ſcilicet, Dei prædefinitiones conſiſtere, &; fieri per decreta concomitantia, quatenus voluntas Dei continens per ſuam infinitam perfectionem voluntates noſtras, & omnes volitiones earum in omnibus circumſtantiis, in quibus eas eliciunt, ſe ſe etiam cum illis determinat ad volendum concurrere ad eaſdem ſe ſe illis condeterminans, & ſic eas prædefinit abſque læſione libertatis noſtræ, & ſine depreſſione majeſtatis ſuæ.

Prob. 2. Non aliter Deus prædefinit actus voluntatis noſtræ ab æterno, quàm ſicut eos nobiſcum vult; & operatur in tempore: ſed in tempore actus noſtros liberos vult, & operatur per voluntatem, & concurſum concomitantem, non verò prædeterminantem phyſicè per ullum actum antecedentem, ad quem illi conſequantur neceſſariò, ergo & ita eos prędefinit ab æterno per decretum pariter concomitans.

Certè; ut jam monui, potiùs confugerem ad ſcientiam mediam, per quam prævidens Deus, quid ſim voliturus in talibus circumſtantiis, ſi ipſe velit concurrere, ſe ſe determinat ad volendum concurrere, & ſic præfinit meum illum actum. Hæc enim ſcientia favorabilior eſt ad ſalvandam noſtram libertatem contingentiæ, quam decretum illud abſolutum, & antecedens.

Igitur, quia eſſe Dei continet eminenter virtualiter omnia entia per ſuam infinitatem, & intellectus ejus eſt pariter virtutis infinitę, & continet etiam eminenter omnia intelligibilia in eſse intelligibili, & ſic ab æterno, & una realiter intellectione, intelligit omnia, quæ illi poſſent objici per totã æternitatẽ æquè, ac ſi eſſent illi præſentia per ſuam realẽ exiſtentiam; ergo ita eſt de voluntate ejus, hæc continet eminẽter

vir-

virtualiter omnes appetitus, & voluntates exiſtentes, futuras, & poſſibiles, & omnes effectus, & actus eorum tam diſtinctè, & clarè, ac ſi realiter illi coexiſterent, & coagerent, & videt per conſequens in ſe, quidquid illæ ſint volituræ, & voliones earum tam liberas, quàm neceſſarias, & quidquid ipſa ejus voluntas in tempore eſt volitura cum illis conformiter ad modos illarum agendi tam liberè, quàm naturaliter in quibuſcumque circumſtantiis; ergo ſicut in tempore, & de facto ſic ſe condeterminat, & coagit cum illis, ut ſe accommodet earum libertati ſine ullo influxu prædeterminante, & antecedente, ita & prædefinit ab æterno & ſuos illos concurſus, & illarum actiones, ſcil. decreto, & prædefinitione virtualiter concomitante, non autem antecedente, nec prædeterminante. Nec ſuppetit aptior modus conciliandi libertatem noſtram cum Dei præſcientia, & prædefinitionibus, ac decretis.

Supponitur ſemper lex generalis, qua *Deus res, quas condidit, ſic adminiſtrat, ut eas ſuis modis agere ſinat*, ut docet Auguſt. [1] ſcil. liberas ſinit agere liberè, & naturales naturaliter, & eam legem inviolatam obſervat in ſuis decretis, & actibus, ideòque hæc ſunt accommodanda illi, ſicut & ipſe eadem eidem conformat.

Objic. 1. Scotum, quem pro decreto antecedenti citat P. Macedo inſignis alioqui Scotiſta. [2] 1. *Intellectus divinus videt determinationem voluntatis divinæ, videlicet illud fore pro A, quia voluntas illud determinat fore pro A. Scit enim voluntatem eſſe immutabilem, & non impedibilem*; ergo voluntas determinat futuritionem rerum per decretum antecedens, in quo eam futuritionem certò prævidet. Nam [3] *voluntas eligens unam partem facit illud eſſe determinatè verum*. Nam, ut diximus diſp. præced. ante illud decretum nulla eſt futuritio certa, *poſita autem determinatione voluntatis divinæ futura contingentia, ſeu libera jam ſunt vera pro illo ſecundo inſtanti*. 2. quia tota contingentia, & libertas actuum noſtrorum venit à liber-

[1] 7. *de civit.* 5. [2] *collat. diſſe.* 4. *ſ.* 6.
[3] *d.* 39. *n.* 21. & 22.

à libertate voluntatis ejus, qua vult eos fieri contingenter. *Cum iſtis ſtat contingentia objecti cogniti, quia voluntas volens hoc determinatè, contingenter vult hoc*; & hoc probat, [1] quia contingentia *eſt modus poſitivus entitatis, ſicut neceſſitas eſt alius modus, & omne poſitivum, quod eſt in effectu, eſt principaliùs à cauſa priori*, &c. ergo ſufficit, quòd Deus velit actus noſtros eſſe liberos libertate contingentiæ, ut ſint de facto liberi; ergo ex Scoto, tota determinatio, ſeu prædefinitio actuum voluntatis noſtræ eſt à decreto antecedente, non verò à concomitante.

Reſp. neg. conſeq. Nec enim in ullo ex his textibus fit mentio de illa antecedentia cauſali reſpectu volũtatis creatæ, nec rectè ex illis infertur, ſed tantùm, quod veritas, & certitudo præſcientiæ fundatur in decretis, & præfinitionibus: quod tam verum eſt de concomitantibus, quàm de antecedentibus.

Inſt. ex eodem Macedo. Scotus loquens de prædeſtinatione dicit, quòd *Deus non prævidet iſtum benè uſurum libero arbitrio, niſi quia vult, & præordinat iſtum benè uſurum eo, quia ſicut dictum eſt diſt. 39. certa prævisio futurorum contingentium eſt ex determinatione voluntatis divinæ*, &c. ergo decretum circa futura libera, de quo loquitur Scotus, eſt verè antecedens.

Reſp. neg. conſeq. Nam Scotus per hæc verba nihil aliud prætendit, quàm quod dicebamus, ſc. præſcientiæ certitudinem de contingentibus fundari in decretis voluntatis Dei, quæ concomitantur determinationem, ſeu condeterminant noſtram ad bonum illum uſum.

Inſt. 2. Scotus dicit, quòd *ſi offerantur voluntati divinæ duo æquales in naturalibus, quæro, quarè iſtum præordinat benè uſurum libero arbitrio, & illum non?* Reſpondet, *non eſt hujus, ut videtur, aſſignare rationem, niſi voluntatem divinam, & hæc eſt prima diſtinctio inter illos*, &c. ergo tota ratio prædeſtinationis petitur ex ſolo decreto Dei abſoluto, & antecedenti.

Reſp. Neque hanc conſ. eſſe veram. Nam ratio præordinationis illius rectè peti poteſt à voluntate divina,

[1] *ibid. n.* 14. [2] *ibid. n.* 36.

vina; quamvis non ſit abſoluta,& neg.ant. Nam effe-ctus rectè tribuitur cauſę principali,qualis eſt voluntas Dei in caſu iſto,licèt voluntas illius, qui præordinatur benè uſurus,concurrat etiam, ſed ut cauſa minùs principalis, & mota, & excitata,& adjuta ad bonum per gratiam actualem exhibēdam,quod maximè verum eſt,quia hoc videt Deus in ſuo decreto de concurſu exhibendo tali homini. Præterea Scotus hoc non dicit aſſertivè ut certum,ſed quaſi dubitanter. *Non eſt hujus, ut videtur, aſſignare rationem*, &c. Et re vera ſi hoc dicit in favorem prædeſtinationis gratuitæ, ſeu ex impræviſis meritis; diceret aliter in favorem opinionis de prędeſtinatione ex pręviſis meritis,quam etiam proponit quaſi problematicè. Eodem modo, & idem reſpondendum ad alium textum ab eodem Auctore ex quodlibetis. Nam ibi tantum vult Scotus futura non videri à Deo, niſi mediante determinatione voluntatis ſuæ, à qua habent certam futuritionem. Et id verum erit de determinatione, ſeu prædefinitione concomitanti æquè, ac de antecedenti.

Objic. 3. ex eodem. Cùm objicitur Scoto, quòd *ſi cauſa ſuperior determinat, ergo voluntas in ſuo ordine cauſandi determinatur*, reſpondet, quòd *propter determinationem eius* (cauſæ ſuperioris) *ſervatur contingentia voluntatis, quia determinatio divina eſt in ſuo ordine contingens; ac proinde non auſertur contingentia cauſæ ſecundæ per contingentiam cauſæ primæ*; ſed decretum quantumvis abſolutum, & antecedens Dei circa voluntatem noſtram erit ſemper contingens: ergo non poterit auferre libertatem, ſeu contingentiam ab actu prædefinito.

Reſp. diſt. maj. & conſ. In ſenſu Doctoris non auſertur contingentia extrinſeca effectus reſpectu Dei, conc. intrinſeca reſpectu voluntatis, neg.maj.& conſ. Scotus ergo ibi loquitur de contingentia extrinſeca effectus reſpectu Dei, qui ad extra nihil vult, niſi contingenter, non de libertate contingentiæ intrinſeca voluntati, quæ ſuppoſito illo decreto abſoluto, & antecedenti non poſſet non elicere actum ſic prædefinitum in ſenſu compoſito, licèt in ſenſu diviſo id poſſet.

Objic. 4. Non magis, nec aliter voluntas ut libera con-

continetur virtualiter eminenter in Deo, quàm alia agentia neceſſaria, & hæc continentia utrorumque eſt neceſſaria: ſed ex continentia neceſſariorum non colligitur libertas eorum, quæ nulla eſt; ergo neque libertas voluntatis per id ſalvatur, quod continetur virtualiter eminenter in Deo.

Reſp. diſt. maj. Non aliter continentur ex parte Dei, conc. ex parte objectorum, ſeu rerum, neg. maj. Nam agentia neceſſaria continentur neceſſariò, & ut agentia ex neceſſitate, libera autem continentur quidem neceſſariò, ſed ut agentia ex libertate, & ſingula ſecundum propriam rationem agendi cognoſcuntur in Deo, & à Deo, & inde ſequitur voluntas Dei agendi cum ipſis juxta rationem, & modum agendi ſingulorum, & ſingula conſervandi in illis modis, ita ut libera liberè ſinat agere. Et ad hoc requiritur, ut nihil ſine ipſis determinet, aut prædefiniat.

Inſt. 1. Actus noſtri non ſunt liberi, quia continentur virtualiter eminenter in Deo: ſed quia liberè producuntur & à Deo, & à nobis; ergo ex continentia illa voluntatum, & actuum noſtrorum non rectè infertur eorum libertas.

Reſp. diſt. conſeq. Non rectè infertur libertas præcisè ex illa continentia, conc. non rectè infertur concomitantia virtualis decreti æterni cum libera determinatione voluntatis noſtræ, neg. conſ. Nam continentia illa facit, ut decreta ejus non ſint prædeterminantia, ſed condeterminantia, ſimultate non durationis, nec ordinis, ſed cauſalitatis, quia ſicut in tempore, & in executione Deus non agit in effectum priùs cauſaliter, quàm voluntas noſtra, ita nec in æternitate prius eum vult, quàm nos.

Objic. 5. Hæc concomitantia tollit ſubordinationem cauſæ 2. à 1. inducit non unitatem, ſed dualitatem, & ſocietatem inter cauſas illas: ſed conſ. eſt falſum, & erroneum, ergo & illa concomitantia. Prob. maj. Nam ſic ambæ ſe ipſas, & ex ſe independenter ab invicem, ſed ut ſociæ ſe determinant; ergo ſunt duæ cauſæ diſtinctæ, & non ſubordinatæ unius actus.

Reſp. 1. hoc argumentum retorqueri poſſe non in Thomiſtas, qui propter illud aſſerunt prædeterminationes phyſicas, ſed in Scotiſtas, & alios, qui prædeterminationes reſpuunt. Nam ſimultas cauſæ 1. & 2.

& 2. in agendo non minùs tollere videtur unitatem, & ſubordinationem, quàm in decernendo; ſed iſti Auctores volunt, quòd voluntas noſtra ex ſe, & liberè ſe determinet ad actum ſuum, ſicut & Deus ad concurrendum, & ideò illud arguit ſocietatem; ergo ita & iſtud.

Reſp.2. neg. maj. & conſ. prob. Nam, ut diximus in Phyſicis, cauſa 1. dat eſſe, & operari liberè cauſæ 2. & hæc dependet à concurſu 1. quæ ſe ſola, ſi vellet, producere poſſet effectum, quem ex clementi bonitate vult ſecum produci à creatura. Hæc ſine dubio arguunt maximam ſubordinationem.

Objic. 6. Non minùs continentia virtualis æterna eſt antecedens reſpectu actuum liberorum, quàm decretum ullum; ergo ſi decretum antecedens læderet libertatem, ita & illa continentia..

Reſp. diſt. ant. Non minùs antecedentià durationis, conc. antecedentià cauſalitatis, neg. ant. & conſ. Nam cùm illa continentia æterna, & virtualis ſit de condeterminatione voluntatis noſtræ ſuppoſita lege generali de conſervandis omnibus cauſis ſecundis in ſuo proprio modo agendi, non cauſat illa, nec impedit libertatem condeterminationis noſtræ in tempore, quo impediret decretum abſolutum, & antecedens.

Alias objectiones facilè reſolves ex iſtis. Vide P. Maſtrium. Plures etiam ſolutas reperies ſuprà de medio præſcientiæ in Phyſica de prædeterminatione.

Concl. 3. *Deus non prædefinit peccata quoad formalem malitiam, niſi permiſſivè, nec quoad entitatem Phyſicam, ſeu quoad materiale actuum antecedenter, & abſolutè, ſed tantùm concomitanter*, 1. pars eſt de fide contra Lutheranos, & Calviniſtas, 2. contra prædeterminantes, & alios, 3. eſt communior ſaltem inter Scotiſtas.

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd ſi ad velle voluntatis creatæ concurrunt duæ voluntates, ſcilicet creata, & divina, poteſt eſſe defectus in ipſo velle (*ſcilicet malitia peccati*) à defectu alterius cauſæ, & hoc, quia iſta cauſa poſſet dare rectitudinem, quam tenetur dare, & tamen non dat, alia autem (*ſcilicet divina*) licèt eam non teneatur dare, tamen, quantum eſt de ſe, daret, ſi voluntas creata coopera-

[1] 2. *d.* 57. *T.* *vel q.* 2. *n.*14.

raretur, &c. ergo Deus non vult poſitivè ullo modo defectum, ſeu malitiam peccati, ſed potiùs vellet dare actui malo bonitatem, ſi voluntas noſtra vellet cooperari, licèt velit, & cauſet cum illa actum, qui eſt malus. Idem docet, [1] quòd Deus præſcit ſe cooperaturum Lucifero ad ſubſtantiam illius actus, qui erit peccatum; hoc autem præſcit, quia vult cooperari, ſi eſt peccatum commiſſionis, vel præſcit ſe non cooperaturum illi ad actum neceſſarium, & per conſequens iſte omittet, &c. ſeu peccabit peccato omiſſionis. Et infra, [2] *Non eſt prævifio Dei de peccato futuro per hoc ſolùm, quòd ſcit ſe permiſſurum hunc peccare finaliter, ſed cum hoc requiritur, quòd ſciat ſe cooperaturum in actu peccandi.... concomitatur tamen utramque iſtarum permiſſionum, Deum prævidere ſe nolle prohibere hunc peccare*; ergo ex Scoto, Deus permittit peccatum, & vult concurrere, ſicut de facto concurrit ad ſubſtantiam actus, non verò ad defectum, ſeu malitiam ejus, quæ tota eſt à nobis.

Prob. 2. ex Script. quoad 1. & 2. par. [3] *Nemo cùm tentatur, dicat, quoniam à Deo tentatur, Deus enim intentator malorum eſt.* Item [4] *Ne dixeris per Deum abeſt; quæ enim odit, ne feceris, ne dicas ille me implanavit.* Item [5] *Non Deus volens iniquitatem tu es: odiſti omnes operantes iniquitatem.* Et Apo. [6] *Numquid iniquitas eſt apud Deum? abſit*; ergo Deus non prædefinit, nec poteſt prædefinire peccatum poſitivè formaliter, ſed ad ſummum permiſſivè, ſeu negativè, non impediendo, ut ait Scotus.

Prob. 3. ex Concil. Nam in Concil. Arauſic. 2. [7] *Aliquos ad malum divina poteſtate prædefinitos, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi qui ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis dicimus anathema.* Unde, [8] *Suam voluntatem faciunt homines, non Dei, quando id agunt, quod Deo diſplicet.* Item Concil. Valentinum ſub Lotario Imp. [9] *Deus in malis ipſorum malitiam præſcivit, quia ex ipſis eſt, non prædeſtinavit, quia ex ipſo non eſt.* Leo nonus in decretali Conc. Petrum Antioch.

[1] 1. *d.* 41. *D. n.* 13. [2] *d.* 47. *n.* 6. [3] *Jac.* 1.
[4] *Eccl.* 15. [5] *Pſ.* 5. [6] *Rom.* 6. [7] *Can.* 23. & 25.
[8] *Ibid. c.* 20. [9] *cap.* 3.

tioch. *Crede Deum prædeſtinaſſe ſolummodo bonum, præſciviſſe autem bona, & mala*. Et denique Concil. Trident. anathematizat eos, qui dixerint Deum mala opera ita, ut bona, operari non permiſſivè ſolùm, ſed etiam propriè, & per ſe; ergo Deus non prædefinit peccatum quoad formalem malitiam poſitivè, ſed ad ſummum permiſſivè.

Prob. 4. ex SS. P. *Poſſet peccatum ex aliqua Dei prædeſtinatione eſſe*, ait S. Fulg. [1] *ſi poſſet aliquis hominum parte peccare*. Quod implicat. Et S. Auguſt. [2] *Nunquam legimus in Script. non eſt voluntas niſi à Deo, & rectè non ſcriptum eſt, alioqui etiam peccatorum (quod abſit) auctor eſſet Deus, ſi non eſt voluntas niſi ab illa*.

Prob denique, quia, ut loquuntur iidem SS. PP. non poteſt Deus prædefinire, & velle poſitivè, quod poſitivè prohibet, & punit: ſed punit actus noſtros propter malitiam: ergo nō poteſt illos ut tales velle, & prædefinire. Nam prædefinitio importat volitionem poſitivam, ut res præfinita exiſtat aliquando.

Quod autem prædefiniat permittere peccatum, nemo eſt, qui neget. Alioqui enim nullum eſſet peccatum. Omnia enim ipſe impedire poteſt ſaltem negando concurſum ſuum ad actus malos.

Prob. 2. pars de prædefinitione antecedenti. Illa dicitur Deus prædefinire antecedenter, quæ ex ſe vult, & determinat abſque attentione ad determinationem creaturæ: ſed non poteſt ſic velle peccata, etiam quoad materiale; ergo non prædefinit illa quoad materiale. Major conſtat ex omnium ſenſu de nomine prædefinitionis. Probatur minor tum ex dictis concl. 1. nam ſi ne actus quidem bonos ſic prædefinit, longè minùs malos, tum quia tales prædefinitiones non compatiuntur libertatem noſtram, quam prædeterminant non tantùm extrinſecè, ſed etiam intrinſecè, tum quia potiùs prohibet iſtos actus etiam quoad materiale, v. g. occiſionem, concupiſcentiam, furtum, mendacium, &c. Et de his etiam verificantur aliquo modo loca Scripturæ, Conciliorum, Patrum allegata pro prima parte.

Confirm. maximè de aliquibus peccatis, in quibus vix;

[1] *Li. 1. ad Mony.* [2] *De ſpir. et lit.* 31.

vix, aut rariſſimè poteſt ſeparari malitia formalis à materiali entitate actus, ut in odio Dei, mendacio, blaſphemia, & his ſimilibus, quæ ſunt ex ſe mala. Unde Tertul. dicebat, quòd *excuſabitur omne delictum, ſi dixerimus, nihil fieri à nobis ſine Dei voluntate*, maximè prædeterminante. Unde arguente Deo Cainum pro occiſione fratris, potuiſſet dicere, Tu Domine me prædeterminaſti ad occiſionem, & ſic de aliis. Nec Deus poſſet offendi per actus phyſicos, & naturales, quos ipſe ex ſe, & antecedenter prædefiniſſet futuros. Hinc

Confir. 2. Si Deus prædefiniret entitatem actuum malorum, tolleretur ab eis malitia quoad offenſam Dei; ſed conſ. eſt abſurdum; ergo & ant. Prob. maj. Nam principalis malitia actuum venit à prohibitione; ideò peccatum dicitur *dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*; ſed ſi dicta, facta, & deſideria noſtra prædefinirentur à Deo ab æterno, non eſſent contra legem ejus æternam, ut patet; ergo &c.

Prob. 3. p. de decreto concomitanti. Nam, ut diximus, eo modo definit Deus actus noſtros ab æterno, quo concurrit ad illos in tempore; ſed in tempore producit illos nobiſcum, & concomitanter; ergo & concomitanter illos definit. Min. patet ex dictis in Phyſica de concurſu Dei ad omnes effectus creaturarum, & quidem immediato immediatione tam ſuppoſiti; quàm virtutis.

Prob. 2. ex dictis de præſcientia Dei. Nam ſi Deus non aliter decerneret actus noſtros malos, niſi permiſſivè, ſeu negativè, videret tantùm nos fore liberos per ipſam permiſſionem ad peccandum, vel non peccandum; ergo ex præciſo, & ſolo decreto talis permiſſionis non videret certè, & determinatè nos peccaturos in talibus circumſtantiis.

Prob. 3. Denique non eſt majus inconveniens dicere, quòd cōcomitanter Deus decernat ab æterno concurrere nobiſcum ad actum homicidii, quàm quòd de facto ad illum concurrat phyſicè in tempore; ſed concurrit phyſicè in tempore per concurſum ſimultaneum, & poſitivum; ergo & ab æterno id decrevit. Nihil enim *nova voluntate adminiſtrat*, inquit *Aug.* [1]

[1] *3. lib. arb. c. 6.*

Objic. 1. contra 1. p. pro hæreticis, qui Deum dicunt auctorem peccati, quia Script. dicit eum *inducere* nos ad peccatum, *ſeducere*, *obdurare*, *excæcare*, &c.[1] *Convertit cor eorum, ut odirent populum ſuum, & dolum facerent*. Iſaias dicebat Deo. [2] *Quare errare nos feciſti de viis tuis, indurasti cor noſtrum, ne timeremus te?* Et Deus ipſe, [3] *Suſcitabo ſuper te malum, & tollam uxorem tuam in oculis tuis, & dabo proximo tuo*. Sic auctor eſt adulterii. Et Christus docet nos orare, [4] *ne nos inducas in tentationem*. Et alia ſimilia loca objiciunt, non ut probent Deum cauſam eſſe mali formaliter, ſed tantùm ut probent eum nos prædeſtinare etiam intrinſecè, & ad malum impellere non ſolùm permiſſivè, ſed etiam poſitivè.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nec enim id propriè, & verè ſignificant illa, & ſimilia loca, vel intelliguntur de voluntate permiſſiva negativè, aut poſitiva quoad entitatem phyſicam actuum, & quoad mala non culpæ, ſed pœnæ ex illis actibus venientia in punitionem hominum, vel quatenus per ſubtractionem gratiarum, & ex juſta indignatione, in occaſionibus tentationum incidimus in nova peccata, quibus accumulatis in nos attrahimus vindictam, vel quia permittit nos cadere, ut ex caſibus, vel malis noſtris phyſicis fines bonos providentiæ ſuæ promoveat, dicente Aug. [5] *Non ſineret bonus fieri mala, niſi omnipotens etiam de malo facere poſſet bonum*. Sic permittit ſævitiam Tyrannorum ad exercendam, & coronandam Sanctorũ patientiam. [6] *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ut per eũ bonus exerceatur.*

Inſt. Plura mala dicuntur facta, & determinata Dei prædefinitione, & conſilio. Sic Joſeph à fratribus ſe venditum dicit; [7] *non illorum conſilio, ſed Dei voluntate*, & ipſi dicunt, *Numquid poſſumus Dei reſiſtere voluntati?* Et de Chriſti morte, & Judæorum ſcelere, *hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum*. Et *Convenerunt Herodes, & Pilatus facere, quæ manus tua, & conſilium tuum decreverunt fieri*, inquiunt Apoſtoli; [8] ergo etiam poſitivè Deus ab æterno vult mala fieri ab hominibus.

Reſp.

[1] *Pſal.* 104. [2] *Iſa.* 37. [3] 1. *Reg.* 12. [4] *Matth.* 6. [5] *Enchir.* c. 100. [6] *in Pſ.* [7] *Ge.* 41. & 50. [8] *Act.* 2. & 4.

Reſp. neg. conſ. Nam hæc, & ſimilia loca probant tantum, quòd Deus hæc prædicit, non à ſe fienda, ſed à prava hominum voluntate per ſimplicem ejus permiſſionem, & condeſcenſionem ex generalis concurſus debito, & quidem talia mala per ipſum in bonos fines ordinata, ut venditionem Joſeph in ſalutem Ægypti, & ipſorum fratrum, & familiæ, & Chriſti iniquiſſimam condemnationem in redemptionem hominum, &c. Et ſic ea, quæ iniquè geſſerunt homines, in bonum Deus convertit, & prædefinivit futura.

Inſt. 2. Non ſolum permittit, ſed etiam præcipit homicidia innocentum, ut in Abraham, & Iſaac, & furta bonorum Ægyptiorum Iſraelitis, & Oſeæ fornicationem, & Semei, ut malediceret David, &c. ergo à fortiori hæc, & ſimilia mala poteſt prædefinire.

Reſp. diſt. conſ. Nam actus quidem ſimiles poteſt prædefinire, ut bonos, conc. ut malos, neg. conſ. Illi enim, & ſimiles actus non fuerant mali,ſed boni. Occiſio Iſaac erat ſacrificium Deo, & optimum ex obedientia patris; expoliatio Ægyptiorum juſta; Oſeæ dat jus in corpus mulieris fornicariæ, & quando David videtur maledictiones Semei tribuere Dei juſſioni, reſpicit eas in ſe paſſivè, non activè in Semeo, & non ut juſſas, ſed purè ut permiſſas, & hoc in bonum ſuum, ſcilicet in expiationem peccati ſui. Dixit enim Deus *ut videat humilitatẽ meam.* Et,ut ait Aug.[1]*hoc permiſit Deus malitiæ Semei in pœnam ejus futuram, & in coronam patientiæ David.*

Objic. 2. etiam pro determinantibus, ex Auguſt. *Deum operari intus in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates, quocumque voluerit, ſive ad bona pro ſua miſericordia, ſive ad mala pro merit's eorum;* Sed ea inclinatio eſt antecedens, & prædeterminans, ſaltem moraliter; ergo Deus prædeterminat antecedenter, & ex ſe ad malum. Nec enim hoc poteſt intelligi de permiſſione pura, & negativa.

Reſp. ex ipſomet Auguſt. neg conſ. Nam hæc, & ſimilia non veniunt ex voluntate antecedenti Dei, ſed ex malitia, & meritis hominum. [2]*Fixum enim debet eſſe, & immobile in corde veſtro, quia non eſt iniquitas apud Deum, ac per hoc, quando legitis in Lite-*

[1] *De gra. & lib. ar. 20. & 21.* [2] *Ibid.*

ris veritatis à Deo ſeduci homines, aut obtundi, aut obſcurari corda eorum, nolite dubitare præceſſiſſe mala eorum merita, ut juſtè iſta paterentur, ſcilicet privationem gratiæ, excæcationem, & obdurationem negativam, & permiſſionem malorum conſiliorum, & tentationum. Lege duo illa capita Auguſt. *Invenimus aliqua peccata etiam pœnas eſſe aliorum peccatorum*, ſcilicet, vult iſta, non ut mala culpæ, ſed pœnæ.

Deus ergo dicitur dupliciter inclinare cor, vel indurare. 1. intrinſecè, imprimendo illi motum. Sic inclinat ad bonum per gratias excitantes, & moventes, & impellentes. 2. negativè ſubtrahendo retinacula, & permittendo tentationes, ſeu occaſiones invitantes. Et ſic dici poteſt impellere ad malum in pœnam peccatorum, ſicut diceretur effundere aquam, qui aperiret illi viam, per quam flueret in præceps. De hoc aliàs. Interim ſubjicio eumdem Aug. in hæc verba Apoſtoli. [1] *Quem vult, indurat*, [2] *Deus*, inquit, *dicitur indurare eum, quem mollire noluerit* (eſt induratio negativa) *ſic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit*. Et alibi, *Deum obdurare eſt nolle miſereri*, &c.

Objici poſſunt pro prædeſtinatione antecedenti motiva prædeterminantium. Sed hæc ſoluta ſunt in Phyſica.

Objic. 1. contra 3. p. Ex SS. Patribus, & Conciliis nullo modo Deus vult peccatum poſitivè, nec quoad materiale, nec quoad formale; ergo non magis illud prædefinit concomitanter, quàm antecedenter. Prob. ant. 1. quia Patres abſolutè dicunt Deum nolle, ſed odiſſe peccatum, nec diſtinguunt de materiali, & formali. 2. Concilium Trid. anathema dicit aſſerentibus Deum mala opera velle, & operari, aut bona, & [3] *quidem propriè, & per ſe, adeò, ut ſit ejus opus proprium non minùs perditio Judæ, quàm vocatio Pauli*; ſed per nos, Deus non aliter præfinit actus malos, quàm bonos, nam utroſque præfinit concomitanter; ergo præfinitio concomitans ad peccatum eſt contra mentem Concilii.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam Patres non loquuntur

[1] *Rom. 9.* [2] *Prædeſt. & gra. 4.*
[3] *Seſſ. can. 6.*

tur de peccato, ut peccatum eſt, & de formali, quod conſiſtit in relatione difformitatis actus cum recta ratione, aut lege divina; ideò abſolutè aſſerunt illud eſſe totaliter à nobis, ne vel per umbram videantur favere errori hæreticorum. Ad Concil. Trid. neg. min. Nam longè aliter loquimur de præfinitione actuum bonorum, quàm malorum. Præfinit quidem utroſque concomitanter quoad libertatis humanæ conſervationem; ſed voluntate antecedenti, conditionata, & inefficaci conſulit, ait, præcipit bonos, præmovet, & excitat, & adjuvat voluntatem ad illos per gratias internas, & externas, & per eaſdem avertit à malis, & eos prohibet, & punit ſeveriſſimè, quamvis ex lege ſua generali velit concurrere ad eorum entitatem Phyſicam. Sic Concilii mens ſalvatur.

Inſt. Quod eſt præfinitum à Deo, eſt volitum abſolutè, & efficaciter; ſed talis volitio peccati etiam phyſicè repugnat ſanctitati divinæ; ergo & præfinitio poſitiva concomitans.

Reſp. 1. idem dici poſſe de concurſu Dei in tempore ad actum phyſicum peccati, v. g. ad actum homicidii. *Nam hoc eſt aliquid fieri à Deo agente, quod Deo volente*, & *Deum hoc eſt velle, quod facere*. Ait Auguſt. *Deus nihil facit niſi volens; & idem illi eſt velle, & facere*.

Reſp. 2. neg. min. in ſenſu concluſionis, ſcilicet de materiali, & phyſica entitate actus. Nec enim magis Deo repugnat eam velle ab æterno ex ſuppoſitione volitionis creatæ, quàm eam de facto concauſare in tempore per concurſum phyſicum, ut facit.

Objic. 2. Non poteſt ſeparari malitia ab entitate actus; ergo ſi Deus poſitivè prædefinit entitatem, ita & malitiam. Prob. ant. Multi actus ſunt mali eſſentialiter, & ex objecto, ut odium Dei, mendacium, blaſphemia, &c. ergo ab eis non poteſt ſeparari malitia.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam illi omnes actus in amentibus, furioſis, ebriis, dormientibus pueris, & ex motibus primò primis, ſunt ſine malitia morali.

Reſp. 2. idem dici poſſe de concurſu phyſico ad eoſdem actus in tempore, quem non negant Philoſophi, nec Theologi, excepto Durando.

Conſtat igitur Deum prædefinire ab æterno omnes

mnes actus noſtros poſitivos, non ſolùm naturales, ſed etiam liberos, tam malos quoad entitatem phyſicam, non quoad moralitatem, quàm bonos, non quidem decreto antecedente, abſoluto, & efficaci, ſed poſitivo, concomitanti, ſicut in tempore concurrit ad illos concurſu ſimultaneo, non verò prævio, ſeu prædeterminante, ut diximus in Phyſica.

Concl. 4. *Probabile eſt prædefinitionem permiſſivam peccati, præter negationem voluntatis impediendi illud, includere etiam actum aliquem poſitivum, ſaltem reflexum.*

Prob. 1. ex Scoto dicente, [1] quòd permiſſioni peccati *non reſpondet aliquid in voluntate divina, niſi non velle prohibere* (ſeu impedire) *illud, ſive non nolle, quod eſt negatio actus divini, & poſitivi, & per conſequens* (permiſſio) *non eſt actus poſitivus.* Hanc negationem actus primò, & directè importat permiſſio. *Nam quod dicitur volens ſinere, hoc poteſt intelligi, non quod habeat velle rectum circa illud, quod permittit, ſed actum* (quaſi) *reflexum*, ſupra illud non velle impedire malum.

Ut meliùs capias hoc, diſtinguit Scotus *velle*, & *nolle efficax*, & *velle*, & *nolle inefficax*, ſeu *remiſſum*. Velle *efficax* eſt illud, quo non tantum placet voluntati, quòd res ſit, ſed & illam ſtatim faceret, ſi poſſet: & *nolle efficax* eſt illud, quo non tantùm diſplicet, quòd res ſit, ſed etiam deſtrueret, ſi poſſet. Sic *velle remiſſum* eſt illud, quo ita placet rem eſſe, ut tamen non ponat illam in eſſe, quamvis poſſet; & *nolle remiſſum* id, quo ita diſplicet rem fieri, ut tamen non impediat fieri, quamvis poſſet impedire. *In nobis autem permiſſio propriè videtur eſſe nolitio remiſſa alicujus mali cogniti.* Unde

Ad permiſſionem propriam in nobis requiruntur tria, 1. ut res, quæ dicitur volita, aut nolita *remiſsè* ſit mala, 2. quòd ſciatur illam eſſe malam, non enim permitto, quod non ſcio, 3. quòd illud malum non impediam fieri, cùm poſſem impedire. Sed tamen reflectendo ſupra illam negationem impedimenti, poſſum eam velle, quod Scotus *velle ſinere*,

[1] *l. d. 47. B. & C. n. 3.*

ſinere, & *ita*, inquit, *poteſt*, *quomodo permiſſio divina ſit actus voluntatis*, & *quomodo non*.

Prob. 2. ex Scriptura. Cùm enim dicitur, [1] *ne nos inducas in tentationem*, ſenſus eſt, *ne nos permittas cadere*, inquit S. Bonaventura. [2]

Prob. 3. ex Patribus, *Non fieret*, *ſi non ſineret*, inquit Auguſt. [3] *neque utique nolens ſinit*; *ſed volens*.... *Deum voluiſſe permittere impium eſſe uſque in finem*, *ut in die judicii oſtenderet juſtitiam ſuam in ejus condemnatione*. Et S. Gregor. [4] *Omnipotens Deus*, *quod fieri non prohibet*, *juſtum eſt*, *ut fieri ſinat*, ſcilicet omnipotentiæ tribuit permiſſionem peccati. Idem docet S. Bonaventura; [5] *quia permittere aliquem cadere eſt opus juſtitiæ*; ergo & actus poſitivus. Hinc

Prob. 3. Quod eſt bonum, & juſtum, eſt objectum volitionis Dei poſitivæ; ſed talis permiſſio peccati eſt bonum, & juſtum, & ejus ſapientiæ congruit; ergo eſt objectum volitionis poſitivæ Dei. 2. Illa permiſſio eſt actus providentiæ divinæ generalis; ſed providentia eſt perfectio poſitiva in Deo; ergo, &c. 3. quia voluntas Dei non poteſt habere ſe purè negativè, & quaſi ſuſpenſam circa ullum ens; ergo nec circa peccatum, quod permittit. 4. Denique hic actus nullam dicit imperfectionem in Deo; ergo non eſt negandus.

Objic. 1. Deus non poteſt velle poſitivè mala culpæ; ſed ſic vellet, ſi permiſſio importaret actum poſitivum ejus; ergo, &c. Prob. min. Ille actus eſſet aut volitio poſitiva culpæ, aut nolitio poſitiva; ſed neutrum dici poteſt; ergo, &c. Prob. min. Si eſt volitio, ergo vult culpam poſitivè: ſi nolitio, ergo debet triſtari, ſi contra illam peccatum fiat.

Reſp. neg. min. 1. & 2. argum. Ad 3. dico permiſſionem importare volitionem efficacem non impediendi, & nolitionem remiſſam, ſeu inefficacem, & antecedentem peccati. Unde neg. conſ. utramque: Nam volitio non eſt peccati, & nolitio non ſupponit defectum virtutis impeditivè, ideò non arguit imperfectionem, nec eventus contrarius cauſat triſtitiam.

Ff 4 Inſt.

[1] *Matth.* 6. [2] 2 *d.* 28. *a.* 2. *qu.* 2. *fund.* 1.
[3] *Enchir.* 100. & 10. [4] 1. *ca.* 12.
[5] 1. *d.* 47. *ad ult.*

Inſt. 1. In voluntate Dei non eſt niſi unus ſimpliciſſimus actus, qui eſt velle; ſed illud velle non poteſt eſſe de peccato quoad malitiam; ergo permiſſio peccati non importat actum poſitivum voluntatis Dei, ſed puram negationem actus poſitivi.

Reſp. diſt. min. Velle poſitivum directum, con. reflexum, neg. min. & conſ. Nam nolitione directa odit peccatum, & nollet illud, ſed volitione quaſi reflexa vult illud permittere propter libertatem, quam homini donavit, & ob alios fines ſapientiæ ſuæ.

QUÆSTIO V.

An omnis voluntas Dei ſemper impleatur, & an velit omnes ſalvari.

Non loquimur de voluntate, prout ſignificat facultatem volitivam, ſed potiùs de ipſis volitionibus, ſeu de actibus talis facultatis.

Suppono autem, quòd, licèt unus ſit, & ſimpliciſſimus actus voluntatis divinæ, ſicut & intellectus, quantum eſt ex ſe; tamen ex parte objectorum, & ſecundum modum noſtrum concipiendi, & loquendi ſolent diſtingui, & ex ea diſtinctione pendet intelligentia, & reſolutio hujus quæſtionis.

1. Dividitur in voluntatem *ſigni*, & *beneplaciti*. 1. non eſt propriè voluntas, nec volitio, ſed ſignum aliquod ejus. Sic Scriptura S. & præcepta Decalogi dicuntur voluntas Dei, quia indicant nobis ea, quæ vult à nobis fieri, ut ſunt præcepta affirmativa, vel omitti, ut ſunt præcepta negativa. 2. verò eſt verus, & formalis actus divinæ voluntatis, quo in ſe ipſo, & internè vult aliquid fieri, vel omitti.

2. Rurſus voluntas *beneplaciti* dividitur in *antecedentem*, & *conſequentem*. 1. dicitur ea, qua Deus ex ſe vult aliquid in ſe abſolutè, & nudè ſpectatum, præcisè à circumſtantiis, in quibus debet fieri, & exiſtere. 2. è contra reſpicit rem in circumſtantiis, in quibus debet fieri. v. g. cùm aliquis ſiſtitur judicii, hic illum amat, & vellet ſalvum, ſi reſpicit eum, ut hominem, aut amicum, vel propinquum; ſed ſi reſpicit illum, ut homicidam, vel furem, vult illum ſuſpendi, & mori. Sic

Deus

Deus reſpiciens Judam, ut hominem, vel Apoſtolum, vult eum vivere, & ſalvari; ſed reſpiciens eum, ut proditorem, & obſtinatum, vult eum damnari. Hæc voluntas dicitur *conſequens*, quia reſpicit hominem in circumſtantia conſequente, ſcillcet in peccato finali.

S. Damaſcenus paulò aliter explicat illos actus 1. dicit *antecedentem*, quia *in ſolo Deo exiſtit, & nullam ex noſtris meritis, vel demeritis occaſionem capit*. 2. verò dicit *conſequentem*, quia etiam ex noſtris operibus ortum habet. Sic voluntas Dei ſalvandi Judam non reſpicit ad opera ejus futura, nec ab eis movetur, ſed à ſola ſua bonitate, & charitate divina; ideò dicitur *antecedens*. Voluntas verò eum damnandi reſpicit peccata ejus finalia, & ab eis movetur; ideo dicitur *conſequens*, quia ſcilicet conſequitur illa peccata, & eorum prævisionem.

3. Dicitur *efficax*, & *inefficax*. Illa eſt actus, quo Deus non ſolùm vult aliquid exiſtere, ſed etiam applicat media utilia, & ſufficientia ad illud eſſe, iſta verò eſt quædam velleitas, & ſimplex complacentia in aliquo bono, poſſibili quidem, ſed numquam futuro, quia nulla applicat media ſufficientia ad illud obtinendum. Hoc modo voluntas Dei reſpicit entia purè poſſibilia; quæ numquam fient, nec exiſtent.

4. Quidam confundunt voluntatem *effectricem* cum *efficaci*, ita, ut omnis ea, quæ dicitur *efficax*, ſit etiam effectrix, ut ſc. talis ſit non ſolùm in actu 1. quatenùs intendit ſyncerè rem fieri, quantum eſt ex ſe, & ex parte ſua offerat media ſufficientia ad ejus exiſtentiam, ſed etiam ita, ut de facto, & in actu 2. fiat, pro ut ipſe intendit. Verùm melius eſt eas diſtinguere, ita, ut iſta dicatur propriè *effectrix* ſcilicet in actu 2. illa verò purè, & ſimpliciter efficax, ſc. in actu primo.

4. Alia dicitur *abſoluta*, alia *conditionata*. 1. ferè convenit cum *conſequente*, quatenùs Deus vult aliquid fieri, & facit illud, vel ſe ſolo, ut creationem, vel cum cauſis ſecundis independenter ab ulla conditione. Sic vult damnationem Judæ ſuppoſita prævisione peccati ejus finalis, & ſalutem Petri ex prævisione perſeverantiæ ejus in gratia. 2.

etiam ferè coincidit cum antecedenti, quatenus Deus vult aliquid dependenter ab aliqua conditione ponenda ex parte noſtra. Sic vult ſalutem Judæ, quantum eſt ex ſe, ſcilicet ſi Judas velit cooperari gratiæ, & in ea perſeverare finaliter.

5. Quidam confundunt voluntatem *conſequentem*, & *beneplaciti* cum *abſoluta*, & *efficaci*, & eam vocant voluntatem *ultimò determinatam*; & ſimiliter *antecedentem* cum *inefficaci*, & *conditionata*, & eam vocant *non ultimò determinatam*. Sic videtur loqui Doctor ſubtilis, [1] dicens, *velle illud, voluntate beneplaciti, eſt ultima determinatio, quæ poteſt poni ex parte voluntatis ipſius omnipotentis volentis ponere effectum in eſſe*. Nos tamen juxta allatas diſtinctiones voluntatum, ſeu volitionum, loquemur deinceps in hac materia.

Concluſio 1. *Voluntas Dei efficax, conſequens, & abſoluta, ſeu determinata ultimatè, ſemper impletur: non verò antecedens, & quæ non eſt ultimò determinata*, Eſt de fide.

Prob. 1. ex Scoto cit. [2] *Voluntas Dei, quantùm ad omnia, ſemper debet impleri, quia ſicut omnipotens poteſt omne poſſibile, ita quando voluntas Divina determinat ſe ad aliquid ponendum in eſſe, ultima determinatione, illud erit*; ergo ſemper impletur.

Confir. Nam inquit, [3] *ſi cauſa determinata ad aliquid, ultima determinatione, non poneret effectum in eſſe, hoc non videretur, niſi propter impotentiam ejus, ut puta, quia non ſufficeret ex ſe, vel quia eſſet impedita ab aliquo alio, vel propter mutabilitatem ejus, antequam effectus intelligatur poni in eſſe; ſed omnipotens nec eſt impotens, nec impeditus, nec mutabilis; ergo &c.*

Prob. 2. 1. p. ex Script. [4] *Voluntati ejus quis reſiſtet?* & [5] *Omnia, quæcumque voluit, fecit*. Et ipſemet dicit per Iſaiam, [6] *Omnis voluntas mea fiet*, ſcilicet efficax, & abſoluta. Et Eſther dicebat, [7] *Non eſt, qui tuæ reſiſtere poſſit voluntati*. Et Sapiens: [8] *Juxta voluntatem ſuam facit tam in virtutibus cæli, quàm in habitatoribus terræ*. Et Daniel: [9] *Non eſt, qui reſiſtat manui ejus*. Et ſic de aliis innumeris Scripturæ locis.

Prob.

[1] 1. d. 46. A. 2. [2] *ibid.* [3] *ibid.* [4] *Rom.* 9. [5] *Pſ.* 113. [6] *Iſa.* 46. [7] *Eſth.* 12. [8] *Eccl.* 8. [9] *Dan.* 4.

Prob. 3. ex SS. PP. qui omnipotentiam ejus in voluntate ponunt. *Satis enim fuit ad omnia, velle*, ait Chryſoſt. [1] *Quod cæteris artificibus eſt materia, & inſtrumenta, nec non tempus, & labor, & ſcientia, hoc univerſum Deo voluntas eſt*, inquit Theodor. [2] ergo ſicut Deus poteſt omnia velle invincibiliter, ita & facere; & ſicut nihil poteſt impedire, ne velit, ita nec fruſtrare volitionē ejus. Et Auguſt. *Deus non ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quia quidquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.* Et ſic de aliis.

Prob. 4. ratione allata Scoti. Nam quòd voluntas Dei abſoluta nō impleatur, venire poteſt vel ab impotentia volentis, vel à mutatione volitionis, quæ vellet non facere, quod decreverat facere, vel ex reſiſtentia creaturæ; ſed nullum horum dici poteſt; ergo &c. Prob. min. 1. non ex impotentia, quia ſupponitur, & eſt omnipotens. 2. non ex mutatione volitionis, quia eſt immutabilis. 3. neque ex reſiſtentia, quia omnipotentia eſt irreſiſtibilis; ergo &c.

Objic. 1. Chriſtus Deus queritur de voluntate ſua fruſtrata, & non impleta, ergo &c. Prob. ant. [3] *Quoties volui congregare filios tuos... & noluiſti?* Et Apoſtolus dicit, quòd *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, & multi non ſalvantur; ſed illa voluntas erat efficax, & abſoluta; ergo hæc non ſemper impletur.

Reſp. neg. min. Erat enim quidem efficax, ſed antecedens, & conditionata, ſi videlicet omnes Iſraelitæ, & homines omnes vellent cooperari eidem gratiæ, id, quod reliquit eorum arbitrio.

Objic. 2. Ergo homo peccando reſiſtit Dei voluntati, & mandatis. Ideò dicebat S. Stephanus: *Vos ſemper Spiritui S. reſiſtitis*. Sed voluntas Dei, qua dedit mandata, eſt abſoluta; ergo ei reſiſtitur.

Reſp. neg. min. Nam illa voluntas eſt quaſi conditionata, ſtatuens præmia obſervantibus, & pœnas tranſgreſſoribus. *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.* Et, *ſi quis ſermonem meum ſervaverit, mortem non guſtabit*. Vides conditionem, ſub qua præcipit? nempe vitam, ſi velimus obedire; & mortem, niſi obediamus, & utrumque relinquit arbitrio noſtro.

Concluſio 2. *Deus voluntate ſyncera, efficaci, &* ante-

[1] *ora. 2. in comp.* [2] *ſer. 4. Conc. Græ.* [3] *Matth. 22.*

antecedente vult ſalvare omnes homines nullo excepto, ne quidem illis, qui damnantur. Eſt communior contra non paucos, etiam Scotiſtas. Nam contrarium docent Emin. Brancatus, Vulpes, & Macedo, qui conantur trahere Doctorem in ſuam ſententiam. Sed pro nobis ſtant Faber, Smiſing, Maſtrius, Poncius, Lichetus, Barro, Durand. Fraſſen, &c. cum recentioribus, & aliis plurimis ex aliis Scholis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui occaſione præcedentis concluſionis, & explicans locum cit. Apoſtoli, ait, *Licèt illud dictum Apoſtoli poſſit de diſtributione accommoda intelligi pro omnibus, qui ſalvi fiunt; tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente ſic, Vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, ſcilicet quantum eſt ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente*, &c. Et in reportatis, [2] cùm dicitur, vult omnes ſalvos fieri, *diſtingue de voluntate antecedente, & conſequente*. Voluntas antecedens, qua vult omnes ſalvos fieri, eſt illa, qua vult illa bona eis, quibus poſſunt pervenire ad ſalutem. Voluntas verò conſequens eſt illa, qua vult alicui propter merita ſua benedictionem &c. Hæc adeò clara ſunt pro noſtra ſententia, ut mirum ſit, quòd ab ullo Scotiſta poſſit in contrarium citari.

Dices, Scotum loqui de voluntate ſigni, quæ reſpiciat ſola media, per quæ poſſent omnes ſalvari, ſcilicet, pro quanto dedit eis dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem, non autem de voluntate beneplaciti, qua velit omnibus gloriam æternam.

Contra. Nam id omninò gratis dicitur, ut detorqueantur verba Doctoris à ſuo vero, & literali ſenſu. Illa adjutoria, & gratiæ ſufficientes, ex Dei intentione, ordinantur ad ſalutem omnium, etiam reproborum, ſicut ad finem. Nam qui vult media, formaliter ut media, vult etiam eorum finem; ſed ille finis eſt ſalus æterna; ergo qua voluntate vult illa media omnibus, eadem vult eoſdem ſalvare, ſcilicet, *quantùm ex parte ſui, & voluntate ſua antecedente*, quæ non non eſt voluntas nuda exterior, & ſigni, nec voluntas exterior, & metaphorica, id. ſignum volitionis internæ.

Dices

[1] 1.*d*.46.*A*.2. [2] *Ibid*.*n*.2.

Dices 2. Scotus negat *Deum habere voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum*, v. g. Judam; ergo illa eſt nuda voluntas ſigni.

Contrà. Voluntas beneplaciti, quam negat ibi Scotus, *eſt determinata ultima determinatione, quæ poteſt poni ex parte voluntatis ejus omnipotentis, & volentis effectum ponere in eſſe*; ſed illa eſt voluntas abſoluta, & conſequens, de qua non loquimur; ergo Scotus illam ſolam negat in Deo reſpectu reproborum, & ſalutis omnium, & admittit antecedentem efficacem. Idem docent SS. Doctores, Seraphicus, & Angelicus, ut mox patebit.

Prob. 2. ex Script. qua conſtat claré, Deum velle omnium ſalutem, etiam peccatorum, & nullius mortem, & omnibus præparare, & offerre gratias, & media ſufficientia ad gloriam; ergo Scriptura docet Deum velle efficaciter, antecedenter, ac ſynceré omnes ſalvari. Prob. ant. Deus dicit per Ezechielem, [1] *Numquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus, & non ut convertatur, & vivat? nolo mortem morientis. Revertimini, & venite.* Et Chriſtus de Patre ſuo; [2] *Non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt, ut pereat unus ex puſillis iſtis.* Ibi aderat Judas. Et D. Petrus, *Non vult aliquos perire, ſed omnes ad pænitentiam reverti.* Et D. Paulus volens, ut pro omnibus oremus, [3] *quia id acceptum eſt coram Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Et dat rationem, quæ in rigore facit pro omnibus etiam reprobis, ſcilicet vult omnes ſalvari, quia *unus eſt Deus, & unus mediator Dei, & hominum homo Chriſtus, ideſt dans ſemetipſum redemptionem pro omnibus*; ergo ſicut unus, & idem eſt Deus omnium, & Chriſtus unus, & idem mediator, & Redemptor etiam Judæ, ac reproborum, ita & vult ſynceré, & veré ſalutem omnium, & non tantùm verbo tenus, ſeu voluntate ſigni, nec ſine urgentiſſima ratione debent hæc oracula detorqueri ad alios ſenſus, quàm ad literales. Prob. conſ. Nam ex Auguſtino, & communi omnium Theologorum, & Patrum mente, quando Scripturæ S. verba poſſunt intelligi literaliter, & proprio ſenſu, non recurritur ad ſenſus

[1] c. 18. [2] *Matth.* 18. [3] 1. *Ti.* 2.

ſus metaphoricos, & improprios, ut volunt adverſarii, ut eludant vim horum textuum.

Eodem argumento utitur ſapiens.[1]Nam *quia Deus puſillum, & magnum ipſe fecit, æqualis eſt ei cura de omnibus*; ſed eſt creator reproborum æquè, ac Sanctorum; ergo æquè eos ſalvare vellet, quantum eſt de ſe, ſcilicet ſi vellent æqualiter ipſi ſalvari. Et quoad hoc apud illum non eſt [2]*diſtinctio Judæi, & Græci*; (audi rationem) *nam idem Dominus omnium .... & Omnis, qui invocaverit nomen Domini, ſalvus erit*. Per ipſum non ſtat, quin omnes credant, & invocent; omnes vocat ad fidem. *Sapientia clamitat in plateis*, non in occultis.

Confir. hoc ex S. Ambroſ. [3] *Quis operator negligat operis ſui curam? quis deſerat, quod ipſe condendum putavit? Nam aliquid non feciſſe, nulla injuria fuit; ſed non curare, quod fecerit, ſumma inclementia*; ergo cùm Deus ſit æqualis omnium creator, ita & quantum eſt ex ſe, curat omnes æqualiter, ut perducat eos ad vitam.

Dices, Deum curare omnes, quia omnibus parat media ad ſalutem, non autem, quia vult omnes ſalvari.

Contra. Nam abſurdum, & quaſi contradictorium eſt, quòd Deus det omnibus media ſufficientia ad ſalutem, & quòd non velit, ut omnes ſalventur. Quis enim vult media, niſi ex amore finis?

Confir. 1. ex illis Script. locis, quibus dicitur, quòd [4] *Deus proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*: Itē quòd *Chriſtus*[5]*unus pro omnibus mortuus eſt*; & quòd *Ipſe eſt Salvator omnium .... & propitiatio pro peccatis totius mundi*. Sed hæc non eſſent propriè vera, nec voluiſſet omnes redimere, niſi voluiſſet omnes ſalvare; ergo &c.

Confir. 2. ex SS. Patribus, qui verba illa Apoſtoli explicant in ſenſu litterali, ſcil. de voluntate vera ſalvandi omnes, ut S. Bonaventura. [8] *Cùm Apoſtolus dicat, quòd Deus vult omnes ſalvos fieri, neceſſe habemus contendere, quòd Deus velit, & cùm non poſſit exponi de voluntate ſigni, neceſſe habemus exponere*

[1] *Sap*.6. [2] *Rom*. 10. [3] 1.*offic*.13. [4] *Rom*.8. [5] 2.*Cor*.3.
[6] 1.*Ti*.2.*lect*.1.

nere de voluntate beneplaciti. Et citat locum Damaſceni, & reſpondet ad quæſtionem cum magiſtro, [1] *quòd Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quantum in ſe eſt, voluntate antecedente*. Et S. Thomas, poſtquàm retulit alias explicationes hujus textus minùs proprias illius totalitatis hominum, dicit hunc textum quoad voluntatem beneplaciti exponi poſſe 4. modis, 1. ut ſit locutio cauſalis, quia facit ſuos ſanctos velle, ut omnes ſalvi fiant, 2. ut ſit diſtributio accommoda ad omnes, qui ſalvabuntur, quia nullus ſalvatur niſi per voluntatem ejus, 3. ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, non pro ſingulis generum..... & hoc magis facit ad intentionem Apoſtoli. 4. ſecundum Damaſcenum, ut intelligatur de voluntate non conſequente. Et dato exemplo de mercatore, qui voluntate abſoluta, & antecedente vult ſalvare omnes merces ſuas, & voluntate conſequente, ex metu naufragii, vult eas projicere, ſic in Deo ſalus omnium hominum in ſe conſiderata habet rationem, ut ſit volibilis, & Apoſtolus hic ita loquitur, & ſic Dei voluntas eſt antecedens, cenſet textum Apoſtoli ſignificare voluntatem Dei antecedentem eſſe, ut omnes ſalventur. Et dat rationes [1] propter quas Apoſtolus ſic loquitur, & quæ faciunt pro nobis. Unde Pater Nicolai concludit, *Quid expreſſius, ut ſingulos intelligatur eo modo ſalvare velle, quo Damaſcenus dicit, & voluntate quidem Beneplaciti, ſicut S. Thomas?*

Confir. 3. ex eodem. Nam alibi docet, [2] quòd Deus, quantum eſt ex ſe, paratus eſt omnibus gratiam dare, vult enim omnes ſalvos fieri, ſed illi ſoli gratia privantur, qui in ſe ipſis impedimentum gratiæ poſuerunt. Sicut ſole mundum illuminante, in culpam imputaretur illi, qui oculos clauderet, licèt videre non poſſet, niſi lumine ſolis præventus; ita cor humanum, ex ſe ad inferiora tendens, non poteſt ſurſum elevari, niſi tractum per gratiam, ſi verò non elevatur, non eſt defectus ex parte trahentis, quia, quantum eſt ex ſe, non deficit, ſed propter impedimentum ejus, qui non trahitur. Quid clarius pro hoc aſſerto de voluntate Dei ſalvan-

[1] *Ibid.*
[2] *3. con. Gent. cap. 259.*

vandi omnes, imò & de gratia ſufficienti, qua trahit omnes, quantum eſt ex ſe.

Confir. 4. Quia S. mater Eccleſia nos docet orare his verbis, [1] *Omnipotens Deus, qui ſalvas omnes* (deſiderio, & voluntate) *& neminem vis perire, reſpice ad animas Diabolica fraude deceptas, &c.*

Prob. 3. ex aliis SS. Patribus, ex Chryſoſt. [2] *Imitare Deum; ſi omnes ille vult ſalvari, pro omnibus debes orare, illius & tu concorda voluntati.* Item Deus *illuminat omnem hominem .... ſcil. quantum in ſe eſt; ſi autem ſponte ſua, mentis oculis conniventibus ad hujus lucis radios aciem mentis dirigere noluerunt, non ex luminis natura in tenebris perſtiterunt, &c.* Item *Quantùm ad Deum attinet, ſalvæ fuiſſent omnes Tribus Iſrael, imò & omnes mortales.* Huc facit doctrina Concil. Trid. docentis Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe: [3] *Non omnes tamen beneficium mortis ejus accipiunt.* Non enim obtuliſſet mortem pro illis, niſi eos ſalvare voluiſſet. Et Concil. Colon. docet, [4] quòd Deus miſericors vult omnes homines ſalvos fieri, quod ad ſe attinet, voluntate antecedenti .... Deus adeò vult omnes homines ſalvos fieri, ut nemini quantùmlibet ſcelerato gratiam ſuam ſubtrahat; ergo illa voluntas eſt verè efficax.

S. Cyprian. [5] monet, ut oremus pro omnibus exemplo Dei Patris, *qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos;* nemine dempto. Et Ambroſ. [6] *Quantum in Deo fuit, oſtendit, quòd omnes voluit liberare.* Et S. Paulin. [7] *in omni loco, plura quotidie mirabiliora ſigna crebreſcunt, ut omnem hominem, quantum in ipſo eſt, ſalvum faciat.* Et Anſel. [8] *Miſericors Deus vult omnes homines ſalvos fieri, quoad ſe attinet, voluntate antecedenti.... Deus adeo vult omnes homines ſalvos fieri, ut nemini quantumlibet ſcelerato gratiam ſuam ſubtrahat.* Et S. Hieron. [9] Deus vult omnes ſalvos fieri; *ſi tamen vocanti Deo conſentire voluerunt,* inquit. Audiamus Auguſtinum, quem adverſarii profitentur ſequi, & nobis objiciunt. [10] *Vult omnes homines ſalvos fieri.... non ſic*

[1] *Fer.6.paraſc.* [2] *Hom.7.1.Ti.* [3] *Seſſ.6.c.3.* [4] *Inchi.* [5] *De ora.Dom.* [6] *de parad.c.8.* [7] *Ep.1.ad Apr.* [8] *De vol.Dei.* [9] *1.Ti.2.* [10] *De Spir.& lit.33.*

ſic tamen, ut eis adimat liberum arbitrium, quo benè, vel malè utentes juſtè judicentur...... Infideles contra Dei voluntatem faciunt, cùm Euangelio non credunt; nec ideò tamen eam vincunt, ſed ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono; ergo Deus vellet, ut omnes, etiam infideles, crederent, ut poſſet eis dare illis ſummum illud bonum, & ſi non dat, per illos ſtat. Et alibi dicit, [1] *Deum neminem deſicere, antequam deſeratur*, ſed hoc falſum eſſet, ſi aliquos non curaret, nec vellet ſalvare, nam illos planè deſereret, alioqui poſſent ſalvari. Item [2] *Cùm voluntate humana, gratia adjuvante divina, ſine peccato, in hac vita, eſſe poſſit homo, cur non ſit? poſſem facillimè, & veriſſimè reſpondere, quia homines nolunt.* Addit, & notat S. Fulgent. [3] in iſtis Auguſtini verbis, *Attende, quæſo, mi chariſſime, quia ut homines non adjuventur à Deo, in ipſis cauſa eſſe dicitur, non in Deo;* ergo Deus vult juvare & ſalvare etiam eos, qui juvari, & ſalvari nolunt, ex Auguſtino, & Fulgentio. Item docet, [4] quòd Deus, ut medicus, *filium ſuum miſit in mundum, ut ſalvetur mundus per ipſum*, unde concludit: *Deus, ut bonus medicus, ſanare vult ægrotos omnes, ſed ipſi ſe interimunt nolentes obſervare præcepta medici*, & ſic nolunt ſalvari. *Salvari non vis ab ipſo? ex te judicaberis.* Qui autem ſunt illi, qui nolunt ſanari, niſi reprobi? [5] *Sanabit te Chriſtus; ſed opus eſt, ut ſanari velis. Sanat omninò ille quidem, ſed non ſanat invitum. Quid enim in te beatius, quàm ut tanquam in manu tua vitam, ſic in voluntate tua ſanitatem habeas;* ergo Deus de ſe vult omnes ſanare, ſed non omnes ſanantur, quia reprobi nolunt ſanari. Et id docet clariſſimè Auguſt. [6] *Quomodò fieri poteſt, ut Deus nolit aliquos ſalvari, qui etiam ſalvari volunt? ..... Si veriſſimè credendum eſt, atque profitendum Deum velle omnes ſalvari, ſiquidem Apoſtolus, cujus eſt ſententia, ſollicitè præcipit, ut Deo pro omnibus ſupplicetur, ex quibus, quòd multi pereant, pereuntium eſt meritum, quòd multi ſalventur, ſalvantis eſt donum...*

[1] *Ar.*·.& 14. [2] 2. *de pecc. Mer.* 17.
[3] 1. *Ad mon.* [4] *Tr.* 12. *Joan.*
[5] *In Pſ.* 101. [6] *Ar.* 3.

num. Quid clarius dicere potuit Auguſt. ut doceat, quòd Deus vult ſalvare omnes, licèt ex eis multi pereant propria culpa?

Denique S. Proſper Auguſtini diſcipulus, cùm illi objiceretur, quòd *non omnes velit ſalvari, ſed certum numerum electorum*, reſpondet, & tandem concludit, *Omnium ergo hominum cura eſt Deo; & nemo eſt, quem non aut Euangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conveniat, ſed infidelitatem ipſis adſcribamus hominibus. Fidem autem hominum donum Dei eſſe fateamur, ſine cujus gratia nemo currit ad gratiam*; ergo S. Proſper, poſt Auguſtinum, docet Deum velle poſitivè omnes ſalvare.

Prob. 4. ratione, qualis poteſt dari de inſcrutabilibus Dei conſiliis, & qualis aliis patet, & aliis ſcripturæ textibus, & Patrum ſententiis. Deus creavit omnes homines, & Angelos ad finem vitæ æternæ; ergo ex tunc voluit ſalvare omnes per media, per quæ finis ille haberi poteſt, & quidem voluntate antecedente, & quantum eſt ex ſe. Ant. patet. Nam Deus, ut agens perfectiſſimum, nihil facit, quin deſtinet & illud ad finem convenientem, qualis eſt beatitudo pro hominibus, & det illis media neceſſaria, & ſufficientia. Prob. conſ. Nam voluit ſic finem illum hominibus, ut eum conſequerentur per merita ſua libera; ſed hæc merita pendent à libera hominum cooperatione, quæ quidem vult ex ſe voluntate antecedenti, ſed non abſolutè conſequenti, & ad illa excitat, & offert auxilia ſufficientia; ergo ex ſe vult omnibus illum finem, & ſalutem, voluntate ſcil. antecedenti, & conditionata, ſc. ſi ipſi velint cooperari gratiæ, & applicare media ad illum finem conſequendum.

Dixi. 1. *Voluntate ſyncera, & efficaci*. Quia non eſt ſimplex velleitas, & complacentia, ſed actus poſitivus, ex cujus vi præparat, & offert media, ſcil. auxilia ſufficientia, quibus omnes poſſunt conſequi finem illum, ſi velint eis uti, ut patet ex Patribus, & Scriptura ipſa, quæ narrat, quæ Deus agat, ut convertat peccatores, & infideles, ut magis patebit de gratia, quam nulli negat.

Dixi. 2. *Voluntate antecedente, & conditionata*, ſcil.

ſcil. ſi homines velint cooperari gratiæ, qua vult eos prævenire, & juvare. Nam, inquit Aug. *Qui fecit te ſine te, non ſalvabit te ſine te*. Et, ut loquitur S. Thom. *Deus non ſalvat nolentes*.

Objic. 1. Si Deus ſic vellet poſitivè, & verè, & efficaciter omnes ſalvari, providiſſet, & daret omnibus remedia ſufficientia, quæ poſſent omnibus applicari; ſed hoc non fecit; ergo nec illud voluit. Prob. min. 1. de infantibus morientibus in utero matrum, & quibus ob alia accidentia, quæ prævidebat, non poſſunt applicari remedia contra peccatum, & ideò pereunt ſine propria ſua culpa; & *Deo ſolo nolente* (ut applicentur) *antequam detur* (baptiſma) *pereunt*, inquit Auguſt. [1] ergo iſtis non dat media ad ſalutem. Hoc eſt præcipuum argumentum adverſariorum; ſed plus habet apparentiæ, quàm ſolidæ difficultatis.

Reſp. neg. min. & 2. conſ. Nam ut Deus dicatur velle efficaciter, quantum eſt ex ſe, ſalutem parvulorum, ſufficit eum præparaſſe media de ſe ſufficientia, quæ, ſi cauſæ ſecundæ regulariter agant poſſunt eis applicari; nec tenetur (ut ſalvet rectitudinem ſuę intentionis) facere miracula per potentiam abſolutam, ut impediat deordinationem cauſarum illarum, & maxime cauſarum liberarum, v. g. parentum, aut miniſtrorum negligentiam, imprudentiam, aut malitiam. Ex miſericordia inſtituit Baptiſmum (ut olim alia remedia contra peccatum originale) & alia Sacramenta, quibus poſſunt ſalvari infantes, ſicut & alii peccatores, & ex ſe ſic ordinavit curſum cauſarum ſecundarum, ut poſſent omnes naſci, & vivere: deordinationes autem veniunt ex illis cauſis, maximè ex hominibus, ex quibus ſequuntur abortus. Denique hæc, & ſimilia inconvenientia veniunt ex nuda permiſſione Dei, non ex poſitiva ejus voluntate.

Objic. 2. de gentibus barbaris, quæ naſcuntur in ſylvis, vel regionibus incognitis, ubi nihil audiunt, vel audire poſſunt de Deo, vel Chriſto; ergo iſtos non vult Deus ſalvari, quia nulla eis providit media ſufficientia ſalutis.

Reſp.

[1] *De nat. & gra. 6. De 60. præſent. 12.*

Reſp. neg. 1. conſ. & 2. ant. Nam & iſtos vult Deus *ad agnitionem veritatis venire*, nec deſunt eis ad media ſufficientia, ut patet ex Euangelio, [1] *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, & ex dictis de impoſſibilitate ignorantiæ invincibilis Dei, & ex dicendis de fide, & gratia.

Inſt. Saltem ante adventum Chriſti, [2] *dimiſit gentes ingredi vias ſuas*, & ſolis Judæis providit media ſalutis, [3] *Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis*, ergo alias nationes noluit ſalvare per fidem, *nec venire ad agnitionem veritatis*.

Reſp. neg. conſ. Nam inde ſolùm infertur, quòd Judæos ſpecialibus gratiis donavit; non autem, quòd alias nationes prorſus deſeruit, nec quòd eis negavit gratias communes, & ſufficientes, quibus poſſent pervenire ad cognitionem veritatis, & Dei.

Objic. 3. cum hæreticis, Deus non ſolùm deſeruit multos ſine auxiliis, & mediis ad ſalutem, ſed etiam poſitivè eos reprobavit, aut induravit ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, & potentiæ; ergo iſtos noluit ſalvare. Prob. ant. 1. de Pharaone dixit Deus, [4] *Idcircò poſui te*, (induratum) *ut oſtendam in te fortitudinem meam*, ſeu, *in hoc ipſum excitavi te, ut oſtendam in te virtutem meam*. Et Apoſt. dicit, [5] quòd *Deus volens oſtendere iram ſuam, & potentiam, ſuſtinuit vaſa iræ apta in interitum*, Et Sapiens, [6] *Operatus eſt impium in diem malum*. Et Aug. ſæpè docet Deum ex ſolo beneplacito ſuo decreviſſe aliquos ſalvare, & alios damnare; ergo Deus ex ſe non vult omnes ſalvare.

Reſp. neg. 1. ant. & 2. conſ. Nec enim id ſignificant illi, & ſimiles textus, ſed ſolùm, quòd illi, quos deſerit, aut reprobat, id facit ex voluntate conſequente, attenta eorum pertinacia in malo, & contemptu gratiæ. Nec in alio ſenſu potuit ſic loqui Auguſtinus, ut patebit ex dicendis de reprobatione. Notent Hæretici verba Apoſtoli ad reprobos, & obſtinatos, *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? ſecundum duritiam, & impœnitens cor theſaurizas tibi iram*. Vides Deum primò velle

[1] *Jo.* 1. [2] *Act.* 14. [3] *Pſal.* 147.
[4] *Exo.* 9. [5] *Rom.* 9. [6] *Prov.* 16.

le converſionem peccatoris, & ſecundariò tantùm pęnam, ſcilicet ob impęnitentiam.

Inſt. Deus dicitur poſitivè indurare, & excęcare; ergo gratis id reſpondetur. Prob. ant. Deus induravit cor Pharaonis. [1] Et per Iſaiam dicit. [2] *Excęca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & aures ejus claude, ne forte videant, & convertantur, & ſanem eos.* Et per Pſalmiſtam. [3] *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum.* Imò & orantes ipſe non exaudit. Nam Antiochus, [4] *orabat ad Dominum, à quo non erat miſericordiam conſequuturus.* Et de Eſau, [5] *Qui non invenit pęnitentiæ locum, quamquam cum lacrymis requiſiſſet eum.* Et de relapſis, [6] *Impoſſibile eſt eos rurſus renovari ad pœnitentiam.* Et de voluntariè peccantibus, [7] *Quod illis non relinquetur pro peccatis hoſtia;* ergo Deus non vult iſtos ſalvare, ſed perdere, & indurare.

Reſp. neg. 1. ant. & 3. conſ. quia non rectè infertur ex illis textibus. Excęcatio venit à Deo permiſſivè tantùm, & poſitivè à peccatoribus, quos [8] *excęcat malitia.* Ipſimet ſeſe indurant, ut [9] *Spiritui Sancto reſiſtant dura cervice nolentes congregari ſub alis* protectionis, & diſciplinæ, & nolentes *facere uvas. Quid enim potuit Deus facere vineæ ſuæ, quod non fecerit? an non expectavit, ut faceret uvas? &c.* Et queritur, *Tota die expandi manus ad populum non credentem,* &c. Et monet per Pſalmiſtam, *Hodie, ſi vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda veſtra,* ergo Deus non indurat corda, ſed ipſi homines ſe indurant.

Idem eſt de derelictione: Nam, inquit Conc. Trid. ex Aug. [10] *Deus neminem deſerit, niſi priùs deſeratur.* Et Chriſtus queritur de Judęis [11] *incraſſantibus cor ſuum,* & graviter audientibus, *Oculos ſuos clauſerunt, ne videant.*

Inſt. SS. Patres explicant illos textus de induratione, & derelictione, qua fit, ut illi peccatores non poſſint pœnitere, nec ſalvari, & eam tribuunt Deo; ergo non valet ſolutio. Prob. ant. Nam, inquit S. Iſidorus, [12] *Nonnulli ita à Deo deſpiciuntur, ut deplorare ſua* ma-

[1] *Exo.* 9. [2] *Iſ.* 6. [3] *Pſ.* 80. [4] 2. *Maca.* 9. [5] *Heb.* 12. [6] *Ib.* 6. [7] *Ib.* 10. [8] *Act.* 7. *Prov.* 1. [9] *Mat.* 23. & 5. [10] *SS.* 6. *c.* 11. [11] *Matth.* 13. [12] *De ſum.* 60.

mala non poſſint. Et S. Gregor. de Judæis dicit, [1] *per montes Gelboe ſuperba Judæorum corda deſignantur: ipſi enim ab omni rore gratiæ ſiccantur*; ergo ex Patribus induratio eſt à Deo.

Reſp. neg. 1. ant. & d. 2. Ab omni rore gratiæ extraordinariæ, con. ordinariæ, & ſufficientis, neg. ant. Nam Deus numquam ſic indurat per omnimodam gratiæ ſubtractionem, ſed negat peccatoribus illis gratias excellentes, & extraordinarias, quia ordinarias, & ſufficientes neglexerunt, & ita ſibi imputare debent ſuam derelictionem, & indurationem.

Objic. 4. ex Scoto. Non reſiſtitur Dei voluntati poſitivæ, & ultimò determinatæ; ſed voluntas beneplaciti talis eſt; ergo per eam non vult omnes ſalvari, alioqui omnes ſalvarentur.

Reſp. neg. min. vel diſt. maj. Voluntati beneplaciti, & conſequenti, & abſolutæ, con. antecedenti, & conditionatæ, neg. maj. & min. Nam iſta non eſt ultimò determinata.

Inſt. Illa voluntas eſt determinata pro ſalute omnium, & quidem ex ſe abſolutè, & ſe ſola; ergo &c. Prob. ant. Non poteſt recipere determinationem, nec conditionem à creatura, neque ab extra, quia hoc diceret paſſibilitatem, & imperfectionem in Deo; ergo de ſe eſt abſoluta, & determinata.

Reſp. diſt. 1. ant. Determinata antecedenter, & conditionatè, con. conſequenter, & abſolutè, neg. ant. & 2. conſ. Nam licèt conditiones, ſub quibus Deus vult ſalutem omnium, debeant poni à Deo, non tamen ipſi imponuntur à creatura, ſed ſibi ipſe illas ſumit ex ſua ſumma ſapientia, & bonitate, nolens ſalvare nos, niſi velimus cooperari gratiæ ejus, & ſaluti noſtræ, nec ideò accipit à nobis determinationem. *Latet hìc conditio* (inquit Ambroſ.) *vult enim eos ſalvare, ſed ſi accedant ad eum. Nec enim vult, ut nolentes ſalventur, ſed vult ſalutem eorum, ſi ipſi velint*.

Objic. 5. cum Brancato varias auctoritates [2] S. Auguſtini, quibus probat, 1. quòd, ſi vellet Deus ſalvare omnes, ipſi ſalvarentur, quia certa, & efficaciſſima eſt ejus voluntas, & quamvis multa poſſit, & non velit, nihil tamen vult, quod non poſſit 2.

[1] 4. *Mor. c.* 3. & 4. [2] 1. *Ti.* 2.

2. *quærent cauſam, cur velit omnes ſalvare, ſi non ſalventur?* Reſponderi ſolet, quia hoc ipſi nolunt, quod quidem de parvulis dici non poteſt, quorum nondum eſt velle, aut nolle: & quoad alios non putat id dici poſſe, tanquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate, &c. Quod repetit ad Julianum. [1] *Si Deus vult omnes ſalvari, cur tot millia parvulorum, qui non accepto baptiſmate moriuntur, non veniunt ad Regnum Dei? Numquid aut homines non ſunt ... aut aliquis dicere poteſt, Deus quidem vult, ſed ipſi nolunt, qui nondum velle, aut nolle norunt?*

3. Docet, per omnes homines intelligi, non de ſingulis generum, ſed de generibus ſingulorum, [2] *ut omne genus humanum intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, &c.* ſcil. ex ſingulis illis generibus, & differentiis vult aliquos ſalvari, ſed non omnes prorſus.

4. Intelligit hoc de omnibus electis, qui ſalvantur. [3] *Ita dictum eſt, vult omnes homines ſalvos fieri, ut intelligantur omnes prædeſtinati.* Hæc, & alia loca citat P. Macedo; [4] ergo Auguſtinus non cenſet Deum velle omnes omninò ſalvari.

Reſp. 1. neg. conſ. quia ſi rectè intelligatur, Auguſtinus loquitur de voluntate conſequente, & abſoluta, non de antecedente, & conditionata, ut patet de 1. textu, *efficaciſſima ejus voluntas.* Idem eſt de parvulis. Meritò enim negat eam reſponſionem pro illis valere, ſicut pro adultis; ſed non minùs verum eſt, quòd velit eos ſalvare, ſi cauſæ ſecundæ vellent cooperari, ut naſcerentur vivi, & baptizarentur. 3. nec inde ſequitur ejus voluntatem ſuperari ab humana, ſicut non dicitur ſuperari per noſtram inobedientiam, modò id non fiat impunè, nec id fieret, niſi ipſe permitteret ex alia ſua lege. Non negat Auguſtinus, quin Deus velit à nobis audiri, quando nos vocat per gratias ſuas, & tamen fatetur, & eſt de fide, quòd vocanti Deo ſæpè reſiſtimus, nec ideo vincitur ejus voluntas, quia non illi reſiſtimus impunè.

4. Ex-

[1] *L. 4. c. 8. Epi. 207.*
[2] *Enchir. c. 10.* [3] *De cor. & gra. 14.*
[4] *Collat. 12. diff. 2. ſ. 4.*

4. Explicatio de ſingulis generum adducitur quidem etiam à S.Thom. & Scoto, ſed ambo fatentur noſtram eſſe magis propriam, & literalem. Illa vera eſt de voluntate conſequente, & abſoluta: noſtra autem vera eſt de antecedente, & conditionata.

5. Si loqueretur Apoſtolus tantùm de generibus ſingulorum, eodem ſenſu dici poſſet, quòd *vult omnes damnari*, nam ex ſingulis illis generibus plures damnantur. Item & quòd omnes vult reprobari; quod impium eſſet, & piarum aurium offenſivum, & ſcandaloſum; ergo non ſatis benè ſic explicatur mens Apoſtoli, nec Auguſtini.

Reſp.2. nos poſſe Auguſtino Auguſtinum opponere, & per ipſummet reſpondere, ut patet ex locis pro nobis citatis, vel deberent dicere ipſum ſibi eſſe contrarium.

Objic. deniq; Scotus [1] diſtribuens inſtantia, & ſigna in ordine prædeſtinationis, ſemper dicit voluntatem antecedentem, & poſitivam Dei eſſe de electis, & negativam de reprobis; ergo ex Scoto, Deus non vult poſitivè ſalutem reproborum, ſed tantùm electorum. Prob. ant. Deus in 1. ſigno, in quo vult Petro beatitudinem, nihil vult Judæ; ſed tantùm eſt ibi negatio voluntatis gloriæ, & in 2. inſtanti, quando vult Petro gratiã, adhuc nullus actus poſitivus voluntatis divinæ eſt circa Judam, ſed tantùm negativus. Et alibi ſic diſcurrit. [2] In 1. ſigno Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni, in 2. intellexit omnes creaturas, in 3. prædeſtinavit aliquos ad gratiam, & gloriam, & circa alios habuit actum negativum non prædeſtinandi; ergo ex Scoto nullum eſt inſtans, in quo Deus habuerit actum volendi omnes ſalvare.

Reſp.1. neg.1. antec. & 2. conſ. Nam Scotus ibi loquitur de voluntate abſoluta, conſequenti, & ultimò determinata per electionem ſingulorum, ut patet legenti. 2. quia verba illa Scoti utrobique notantur, ut additiones, ſaltem in antiquis, & ſic non cenſentur eſſe de vero textu ejus. 3. quia alibi docet, [3] quòd Deus ordinatè volens, priùs vult ſeipſum, vel bonitatem ſuam ut finem, 2. vult bonum

[1] 1.*d*.41. *A*.12.
[2] 3. *d*. 19.6.
[3] 2. *d*. 20. *q*. 2. *A*.2.

num creaturæ rationalis ultimatum, quod eſt communicatio beatifica ſuæ bonitatis creaturæ tali, & poſtea vult gratiam, quæ ordinatur ad talem beatitudinem, &c. ergo ex Scoto, Deus generali ordine voluit rationali creaturæ hunc finem ultimum, ſeu ſalutem. Unde miror P. Macedo, egregium Scotiſtam, vim tantam feciſſe in illis textibus ad trahendum Scotum in ſuam ſententiam de prædeſtinatione gratuita.

Confir. hoc. Nam Scotus ſic loquitur in ſententia prædeſtinationis gratuitæ, cui ipſe non multùm adhæſit, ſed fuit problematicus; ergo nec multùm adhærebat huic ordini ſignorum, ſeu inſtantium, & actuum voluntatis Dei, nec inde inferri debet mens ejus in hac quæſtione.

Conſtat ergo Deum, quantum eſt ex ſe, habere veram, & ſynceram voluntatem dandi omnibus hominibus gloriam ſuam, non quidem voluntatem abſolutam, & ultimò determinatam, ſeu conſequentem, ſed antecedentem, & conditionatam, ſc. ſi voluerint omnes cooperari gratiæ, per quam eos ad id vocat, & quidem voluntatem efficacem, quatenus illis omnibus præparat, offert, & dat auxilia, quibus id conſequantur, & quibus poſſent ſalvari, niſi ex malitia ſua, & ex libertate propria, ut adulti, aut aliena, ut parvuli, impedirentur.

2. Conſtat, quòd hæc non eſt purè voluntas *ſigni*, cui non reſpondeat ullus actus internus, ſed eſt voluntas *beneplaciti*, & poſitiva in ſenſu explicato, quod magis patebit infra de prædeſtinatione, & reprobatione, & de gratia ſufficienti, quæ omnibus datur.

QUÆSTIO VI.

An detur aliqua cauſa divinæ voluntatis.

QUæſtio procedit de volitione Dei libera, & de cauſis extrinſecis, maximè de finali, & meritoria. Nam 1. certum eſt actum voluntatis neceſſarium, & ad intra non poſſe habere cauſam propriam, quia cauſa, & effectus realiter diſtinguuntur, volitio autem Dei eſt ipſe Deus per ſummam identitatem realem. 2. Certum eſt, quòd ne quidem vo-

litio ad extra, & libera non habet cauſam efficientem propter eamdem rationem, ſed quæritur de cauſa finali ex parte noſtra, ita, ut moveatur à creatura ad aliquid volendum, ſive illud motivum habeat rationem finis *cujus*, vel *cui*, vel rationem meriti.

Volitio Dei tria dicit, 1. entitatem ſuam intrinſecam. 2. effectum, quem ponit ad extra, & in tempore. 3. terminationem ejus ad hunc effectum, ſeu relationem quandam tendentiæ ad effectum; & hæc rurſus ſpectari poteſt vel *activè*, pro ut voluntas ponit illum effectum, vel *paſſivè*, pro ut effectus ab ea recipit eſſe, & terminat tendentiam illam, in qua fundatur relatio dependentiæ illius ab ea. Certum eſt autem non poſſe dici de volitione quoad entitatem, & quoad tendentiam activam, quod habeat cauſam ex parte noſtra. Nam ſub utraque ratione eſt quid intrinſecum Deo, qui nihil accipere poteſt ab extra propter ſummā independentiā, & ſimplicitatem. Reſtat quæſtio de volitione quoad effectus ſuos, an moveatur ex parte noſtra ad illos producendos, ſeu an illi producantur à Deo ex aliquo motivo, vel merito ex parte creaturarum.

Solent diſtingui hæ tres propoſitiones. 1. *Unum ens creatum eſt propter aliud* 2. *Deus vult unum eſſe propter aliud*, & 3. *Deus vult unum, quia vult aliud*. Duæ primæ ſunt veræ, quia cauſalitas, & dependentia tota ſe tenet ex parte objectorum; quorum unum ex ſe, vel ex diſpoſitione Dei ordinatur ad aliud, ſed 3. non poteſt dici in rigore, quia importat aliqualem dependentiam volitionis Dei à rebus creatis, ita ut unum ens creatum ſit motivum Deo volendi aliud.

Concl. 1. *Volitio Dei non habet propriè cauſam ullam finalem neque in Deo, neque in creaturis, ſed tantùm quaſi cauſam, ſeu rationem volendi, & hæc primariò eſt ipſa Dei eſſentia, ſeu bonitas, creatura verò eſt tantum ſecundaria.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia *ſola eſſentia divina poteſt eſſe prima ratio agendi tam intellectui divino, quàm voluntati; quia ſi aliquid aliud poſſet eſſe prima ratio agendi, vileſceret illa potentia.* Vides 1. Scotum non agnoſcere motivum primarium agendi

[1] 3. d. 32. F.

di in Deo, niſi eſſentiam, & 2. quòd non vocat propriè cauſam, *ſed rationem agendi*, 3. quòd creaturæ ſunt tantùm ratio ſecundaria. Et hoc patet ex dictis de objecto tam voluntatis, quàm intellectus. Et alibi dixerat, quòd Deus, *ut ordinatè volens*, *primò vult ſe ipſum tanquam finem: Secundò vult bonum creaturæ rationalis ultimatum, quod eſt communicatio beatifica ſuæ bonitatis creaturæ tali*, *& propterea vult gratiam*, &c.

Prob. 2. quoad 1. par. Quando cauſa finalis movet, id facit per aliquid realiter diſtinctum à voluntate, & partialiter cauſatum ab objecto movente, & movens, & motum realiter diſtinguuntur; ſed utrumque repugnat in Deo; ergo ibi non poteſt admitti ulla vera cauſalitas etiam finalis, ergo ſi volitio ejus habeat aliquam cauſam, non erit propriè cauſa, ne quidem finalis, ſed quaſi cauſa, ſeu quaſi ratio volendi.

Conf. ex Patribus. *Voluntas divina non eſt propriè ex ratione*, inquit Anſel. [1] *ne aliquid ei ſit proprium principium*. Et Aug. *Cùm voluntas Dei omnium cauſa ſit, à nullo alio cauſari poteſt*. Et Bernar. [2] *Amat Deus, & ipſe eſt, unde amat*.

Prob. 3. quia finis movet ad ſui conſequutionem; ſed Deus nihil conſequi poteſt, quia ſe ipſum, & omnia perfectè, & eſſentialiter poſſidet; ergo nihil poteſt eum movere propriè ut cauſa finalis.

Prob. 4. Ea eſt differentia inter cauſam, & rationem agendi, quòd cauſa influit verè in actionem, ſeu volitionem per modum efficientis, aut finis, & ab ea diſtinguitur realiter, & ſic volitio dependet ab illis, ratio verò non influit verè, nec infert dependentiam in effectu, ſeu volitione, licèt voluntas ob illam velit; ſed in Deo nulla eſt dependentia, vel diſtinctio realis; ergo nec cauſalitas, vel cauſa realis.

Confir. ex Philoſ. [3] *Prima ſubſtantia ſemper eſt in actu puro, quod habet cauſam, eſt in potentia ad illam*; ſed in Deo repugnat omnis potentialitas; ergo & cauſalitas.

Prob. 2. p. Nam ſi volitio Dei non habet veram cauſam in ſe ipſo, multò minùs ab extra, & à creaturis.

[1] 1. *Gen. con. Manich.* [2] *ſer. 59. cant.*
[3] 13 *Metaph.*

Prob.3.par. ſcil. quòd habeat quaſi cauſam, ſeu rationem, propter quam agit, & hæc primaria ſit bonitas, 1. ex Scriptura, nam [1] *Omnia propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*, 2. quia voluntas, ſeu bonitas infinita, ſicut non poteſt perfici, ita nec moveri propriè per bonum ullum finitum; ergo ſi Deus moveatur aliquo modo ad agendum per aliquod bonum, id non poteſt petere extra ſe ipſum, in quo eſt fons, & cumulus omnis boni, ſaltem primariò. 3. quia voluntas non ſe habet paſſivè ad ullam creaturam; ergo nec poteſt ex ea ſumere primam rationem volendi. 4. quia, ut diximus, ſola bonitas, ſeu eſſentia divina eſt objectum primarium tam voluntatis, quàm intellectus ejus; ergo extra illam non habet primariam, nec ultimatam rationem agendi.

Prob.4.par.1. quia etiam ex dictis creaturę ſunt de objecto ſecundario, & terminativo voluntatis Dei; ergo ex eis etiam ſumere poteſt ſecundarium motivum, ſeu rationem agendi, ſaltem quatenus terminant volitiones ejus in aliquo ordine, tum inter ſe, tum ad finem ultimum.

Prob 2. ex Scriptura. [2] *Propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis peccati*. Et [3] *ſic Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum daret*, ſcilicet amat nos Deus, & ex amore noſtri incarnatus eſt. Item ex Apoſtolo totam hanc veritatem habemus, cùm dicit Corinthiis, *Omnia veſtra ſunt*, ſcilicet mundus propter hominem, qui eſt finis cui, *vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, qui eſt finis ultimus rerum omnium.

Porrò hæc ratio volendi, quam tribuimus creaturæ, aliquando conſideratur ſecundum naturam objecti creati, aliquando ſecundum meritum aliquod. Juxta ordinem naturæ dici poteſt velle partes propter totum, & cęlum, elementa, plantas, beſtias, & alias partes univerſi propter hominem: in ratione meriti vult dare gloriam, & augmentum gratiæ propter bona opera, & damni pœnas propter peccata; ergo verè dici poteſt, quòd Deus voluit res aliquas eſſe propter alias, ex ordinatione ſcilicet ſapientiæ, & bonitatis ſuæ, ſed non poteſt rectè dici, quòd una ſit ei cauſa volendi aliam, ſed quòd ipſe velit unam eſſe pro-

[1] *Prov.16.* [2] *Eph.2.* [3] *Jo.3.*

propter aliam, & ille ipſe eſt ſibi ratio ſic volendi, & hunc ordinem rebus ſtatuendi.

Objic. con. 3. par. Deus in Scriptura verè, & poſitivè dicitur velle aliqua propter creaturas, v. g. incarnationem propter redemptionem, &c. ergo creaturæ ſunt verè cauſæ motivæ volitionum aliquarum Dei.

Reſp. diſt. ant. Ita, ut creaturæ ſint motiva ſecundaria, & terminativa illorum actuum, con. primaria, & motiva, neg. ant. Nam in hoc ſenſu non loquitur Scriptura, nec Patres.

Objic. con. 4. par. Quòd Deus aliquid velit propter aliud à ſe, eſt imperfectio; ergo non poteſt dici, quòd creatura ulla ſit ratio Deo quidquam volendi. Prob. ant. Nam hoc arguit dependentiam talis volitionis ab illo objecto creato; ergo &c.

Reſp. neg. ant. & rationem ejus. Nam, ut diximus, ratio agendi non importat ullam veram cauſalitatem, etiam in objecto primario, & multò minùs in ſecundario, & terminativo, quales ſunt creaturæ, imò arguit hoc maximam virtutem ſapientiæ, & bonitatis, aut juſtitiæ, quòd ex intentione dandi gloriam homini velit dare gratiam, & ex juſtitia decernat pœnas propter peccata. Semper enim in ſe, & ex ſe ſumit rationes ſic volendi.

QUÆSTIO VII.

An Deus neceſſariò velit id, quod eſt optimum, & an æqualiter velit omnia tam majora, quàm minora bona.

EX harum quæſt. deciſione magis patebit, qualis, & quanta ſit libertas voluntatis divinæ. Nam quærimus 1. an ex omnibus, quæ Deus poteſt facere, faciat ſemper optimum. Et, ſi hoc eſſet, non poſſet facere mundum alium iſto meliorem, & ſic de aliis ejus operibus, & quoad hoc non eſſet liber, imò & faceret neceſſario, quidquid facere poteſt. 2. quærimus, an æqualiter velit omnia, ita ut non magis velit Angelos, quàm homines, nec iſtos, quàm muſcas, aut ranas.

Hoc autem conſiderari poteſt vel ex parte actus volitionis, ſeu amoris Dei, vel ex parte objectorum

ejus, quæ ut ſunt perfectiora, & nobiliora, ſive naturaliter, ſive gratuitò, ſeu ex naturæ donis, vel gratiæ, videntur inæqualiter amata, ſicut majora dona receperant.

Concl. I. *Deus neceſſitate determinatur ad optima facienda.* Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] docente, quòd Deus liberrimè facit, quidquid operatur ad extra. *Dico, quòd voluntas divina nihil aliud reſpicit neceſſariò pro objecto ab eſſentia ſua; ad quodlibet igitur aliud contingenter ſe habet;* ergo ex Scoto Deus liberè vult, quidquid vult ad extra, tam ad creandam ranam, quàm Angelum.

Prob. 2. ex Scriptura, quæ illum comparat figulo, qui ex eadem maſſa luti facit vas in contumeliam, & vas in honorem; quod non eſſet ei liberum, ſi neceſſariò faceret optimum. 2. quia nulla adeſt hujus neceſſitatis ratio, neque ex Scriptura, neque ex Patribus, neque ex lumine naturali. Verum quidem eſt, quòd omnia, quæ fecit, in ſuo genere, & ſpecie ſunt optima, *Dei perfecta ſunt opera;* ſed abſolutè, & in univerſum, cùm potentia ejus, & ſapientia ſit infinita, nullus dubitat, quin poſſet facere, ſi vellet creaturas iſtis nobiliores, & nobiliores in infinitum. 3. quia in ſpecialibus non eſt aſſignabilis abſolutè optima, ita, quin ſint poſſibiles meliores in infinitum; ergo ne Deus quidem poteſt facere ſic optimam. 4. quia fruſtra peteremus ab illo aliqua fieri nobis. Nam ſi illa eſſent optima, faceret illa neceſſariò, &, ſi non eſſent optima, hæc non poſſet facere.

Prob. denique. Nam ſi detur, aut poſſibile ſit aliquod optimum, quo Deus non poſſit melius facere, maximè eſt opus Incarnationis: ſed hoc non fecit Deus ex ulla neceſſitate; ergo ad nullum poteſt neceſſitari. Probatur min. primò ex eorum opinione, qui putant illud opus non futurum Adamo non peccante, 2. ex Scriptura, quæ illud opus tribuit amori Dei in nos, & miſericordiæ illius. Certum eſt enim, quòd ille amor, & miſericordia eſt purè contingens, & libera. [2] *Sic Deus dilexit mundum,* &c. & [3] *ſecundum miſericordiam ſuam ſalvos nos fecit.*

[1] *d.*39. *q.*5. [2] *Jo.* 3. [3] *ad Ti.*

fecit. 3. quia communiter Theologi docent cum SS. Patribus, potuiſſe Deum aliter nos redimere, quàm per Incarnationem, & mortem Chriſti, ut videbimus ſuo loco. *Poterat ſine ullo adventu Chriſti ſolummodò loqui Deus*, inquit Athanaſ. [1] *& abſolvere maledictionem, &c.*

Objic. 2. ex Scriptura, & Patribus, Adeò perfecta ſunt Dei opera, [2] *ut non poſſimus ei quidquam addere, quæ fecit Deus, ut timeatur*. Et: *Opera Domini univerſa bona valde*. Et Damaſcen. [3] *Sic fieri omnia Dei providentia, ut meliori modo exiſtere prorſus nequeant*. Et Auguſt. [4] *Quidquid vera ratione meliùs occurrerit, hoc ſcias feciſſe Deum*; ergo Deus fecit, quod eſt optimum, nec potuit aliter facere, &c. Et alibi: *Uſque adeò deſipiendum eſt, ut homo videat aliquid meliùs debuiſſe fieri, & Deum credat noluiſſe*.

Reſpon. neg. conſeq. 1. quia licèt admitteremus Deum nihil meliùs facere potuiſſe, quàm quod fecit; adhuc non ſequeretur id feciſſe neceſſariò, & non liberè. 2. quia ex his textibus habetur tantùm, quòd quæ fecit, ſunt in ſuo genere, & ſpecie optima. *Dei perfecta ſunt opera*. Et cùm creabat: *Vidit Deus, quòd eſſet bonum*. Fecit ergo Deus optima ſecundum regulas ſuæ ſapientiæ, & quidem hæc fecit liberrimè.

Objic. 2. ex con. Francofurd. *Credamus Deum omnia velle, quæ ſunt meliora*; Et ita docent plurimi SS. Patres, ergo &c.

Reſp. 1. quòd etſi Deus de facto feciſſet meliora, tamen non feciſſet ex neceſſitate, ſed omninò liberè. 2. loquitur de rebus creatis, quæ ſingulæ in ſua ſpecie ſunt perfectiſſimæ. Et ita ſunt intelligendi Patres.

Concl. II. *Deus ex parte actus voluntatis ſuæ vult omnia æqualiter: inæqualitas tota eſt ex parte objectorum ſecundariorum, & tendentiæ paſſivæ*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto [5] quia ex parte Dei *una eſt potentia, unum objectum primum, & habet unum actum infinitum adæquatum ſibi .... ex perfectione hujus actus ſequitur, quia perfectè tendit in primum,*

[1] *Ser. 3. cont. Arrian.* [2] *Eccl. 3. et 39.* [3] *2. de fide 29.* [4] *3. de lib. arb. 1.* [5] *3. d. 32. F. n. 5.*

quod etiam perfectè tendat in omnia, circa quæ primus terminus eſt totalis ratio agendi, ſola autem eſſentia poteſt eſſe totalis ratio agendi tam intellectui divino, quàm voluntati, &c. . . Ex hoc patet, quomodò eſt æqualitas in Deo in diligendo omnia, comparando actum ad agens. Sed comparando actum ad connotata, ſive ad ea, ſuper quæ tranſit, eſt inæqualitas, non tantum, quia illa volita ſunt inæqualia, vel inæqualia bona ſunt ei volita, ſed etiam, quia ſecundum ordinem aliquem tranſit ſuper illa, &c.

Confirm. exemplo figuli, qui ex eadem terra *facit vas in honorem, & aliud in contumeliam*; & ſimiliter materiam, quæ licèt ex ſe ſit nuda; & homogenea, tamen Deus vult hanc partem eſſe ſub nobiliſſima forma, v. g. hominis, & aliam partem ſub forma ignobiliſſima. Ecce inæqualitatem, ſed ex parte terminorum volitorum. Sic intelligitur illud Scripturæ, [1] *Puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus.*

Prob.2.quoad 1.p.quia actus,quo Deus vult omnia, eſt entitativè unus, & ſimplex, & realiter idem cum voluntate, & eſſentia, & eadem eſſentia, ſeu bonitas Dei eſt prima ratio volendi omnia: ſed tam volitio, quàm objectum primarium ex parte Dei eſt ſummè & una, & ſimplex; ergo & ſummè æqualis. Nec de hoc poteſt dubitari.

Prob. 3. p. 1. Nam volitio, & amor Dei ad extra menſuratur ex bonis ab eo acceptis: ſed hæc ſunt inæqualia; ergo & inde volitio, ſeu amor dicitur inæqualis. 2. quia, ut dicebat Scotus, vult Deus omnia ordinatè: ſed ordinatè volens vult inæqualiter objecta ſecundum ordinem, quem habent inter ſe in ordine ad finem ultimum. [2] *Illud, quod eſt propinquius fini ultimo, conſuevit dici finis eorum, quæ ſunt remotiora* . . . . Patet igitur inæqualitas volibilium quantum ad ipſa volita, non ut volitio eſt ipſius voluntatis, ſed ut tranſit ſuper objecta modo prædicto. Nec tamen illa inæqualitas eſt propter bonitatem præſuppoſitam in objectis quibuſcumque aliis à ſe, quæ ſit ratio ſic, vel ſic volendi, ſed ratio eſt in ipſa voluntate divina, quia ſicut ipſa acceptat alia in tali gradu, ita ſunt bona in

[1] *Sap.6.* [2] *ibid.*

in tali gradu, & non è contra; vel ſi detur, quòd in eis oſtenſa ſunt ab intellectu, oſtenditur aliquis gradus bonitatis eſſentialis, ſecundum quem rationabiliter debet complacere voluntati; hoc ſaltem eſt certum, quòd complacentia eorum, quantum ad actualem exiſtentiam eſt merè ex voluntate divina abſque alia ratione ex parte illorum determinante ipſam. Habes planam Scoti doctrinam.

Hæc inæqualitas confirmari poteſt ex Scriptura, & Patribus. Nam inter duos Apoſtolos Petrum, & Judam, illum voluit ut Petram fundamentalem Eccleſiæ, & ad prædicandum Chriſtum, iſtum verò *ad effundendum ſanguinem ejus*, ut loquitur Auguſtinus, [1] ex duobus inimicis, Juda, & Paulo hunc voluit ut vas electionis, illum ut vas iræ: &, ut loquitur Apoſtolus, ex duobus fratribus, *antequam aliquid boni, vel mali egiſſent, Jacob dilexit, Eſau autem odio habuit* Deus; ergo Deus vult inæqualiter objecta ſecundaria, quantum eſt ex parte ipſorum.

Confirm. 2. ex Auguſtino: [2] *Omnia diligit Deus, quæ fecit, & inter illa, magis diligit creaturas rationales, & ex illis eas amplius, quæ ſunt membra Unigeniti ſui, & multò magis ipſum Unigenitum ſuum.*

Objic. 1. con. 2. p. Volitio Dei reſpectu, & ex parte cujuſcumque objecti eſt infinita; ergo & æqualis.

Reſp. diſt. ant. Eſt infinita entitativè, & in ſe, & etiam ſecundum tendentiam activam, conc. terminativè & ſecundum tendentiam paſsivam in termino, neg. ant. & conſ. Nam loquimur de volitione Dei terminativè ſecundum terminationem, ſeu tendentiam paſſivam in rebus volitis.

Objic. 2. Si Deus magis diligeret meliora ullo modo, magis diligeret Chriſtum, quàm totum mundum, & omnes creaturas: ſed conſequens eſt falſum; ergo & antec. Prob. min. Nam potiùs è contra magis dilexit mundum, quàm Chriſtum, [3] *Sic Deus dilexit mundum, ut filium ſuum daret*, & ipſe Chriſtus plus dilexit nos, quàm ſe, quia *propter nimiam charitatem ſuam, qua dilexit nos*, &c. &

[1] *De corrept. et grat.* [2] *Tr. 110. in Joan.* [3] *Jo. 3.*

Majorem charitatem nemo habet iſta, ut animam ſuam ponat pro amicis ſuis, ergo, &c.

Reſp. neg. min. & conſ. prob. Nam primarium motivum Incarnationis, & finis mortis Chriſti fuit gloria Dei, & ipſiuſmet Chriſti, quem *oportuit pati, & ita intrare in gloriam ſuam*. Id patet ex Apoſtolo ſuprà citato dicente, omnia hæc eſſe propter nos, & nos propter Chriſtum, & hunc propter Deum. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Item *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*.

QUÆSTIO VIII.

De paſſionibus, an ſint in voluntate Dei.

PAſſionem deſcripſimus in Morali: *Motum potentiæ appetitivæ natum ex apprehenſione boni, aut mali cum aliqua non naturali cordis mutatione*. Et ſi addas, *appetitivæ rationalis*, ſeu *ſpiritualis*, diſtingues ſpiritualem à ſenſitiva. Diximus autem ex Scoto, quòd paſſio aliquando ſumitur pro actu appetitus, quo proſequitur bonum, vel fugit malum, aliquando verè pro illa impreſſione, quæ in voluntate, aut appetitu relinquitur ex illis actibus proſequutionis, & fugæ, & propterea vocatur *paſſio*, à verbo *patior*. V. g. amor ſumi poteſt pro actu elicito voluntatis vitaliter operantis, quo proſequitur bonum, vel pro paſſione ex illo actu relicta in voluntate, quę conſiſtit in aliqua dulcedine ſpirituali, quam percipit ex unione cum objecto amato. Et hoc ſenſu certum eſt nullam paſſionem poſſe admitti in Deo, & maximè reſpectu ullius objecti creati, quia eſt actus puriſſimus, & ſimpliciſſimus, & planè immutabilis, & impaſſibilis. Unde non poſſunt admitti, niſi quatenus *paſſiones*, ſeu *affectiones* ſumuntur in priori ſenſu, ſcilicet pro actibus voluntatis ejus vitaliter operantis circa bonum, & malum.

Certum eſt autem plures actus, & affectiones, quas dicimus paſſiones, tribui Deo in Scriptura. V. g. tribuitur amor. *Sic Deus dilexit mundum*, & *Ipſe prior dilexit nos*, & *Deus charitas eſt*, &c. Et odium, ut

cùm

cùm dicitur, *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Ira, & furor: *Iratus eſt furore Dominus*. &c. Sed dubium eſt, an propriè, & formaliter ſint in Deo, an verò metaphoricè tantùm.

Certum eſt autem, quòd, ſi quæ hujuſmodi paſſiones, ſeu affectiones in Deo admittantur, ibi ſunt ſine illis defectibus, quibus ſunt obnoxiæ in creaturis. Ideò dicebat illi Auguſtinus: [1] *Amas, nec æſtuas, zelas, & ſecurus es, pœnitet te, et non doles, iraſcer s, et tranquillus es, opera mutas, ſed non conſilium*, &c. Loquimur ergo de paſsionibus quoad actus illarum, non quoad paſsiones, & motus.

Concl. I. *Amor verè, & formaliter eſt in Deo, quo ſe amat neceſsariò, & creaturas contingenter, item et odium tam inimicitiæ, quàm abominationis*. Videtur de fide, quoad 1. p. & patet ex dictis ſuprà de voluntate.

Prob. 1. p. ex Scoto [2] dicente, quòd *Deus diligit omnia*, quia eſt intelligens, & volens, & per conſequens beatificabilis; ergo per cognitionem, & amorem ſui. *Et ſicut intellectus poteſt in quodlibet intelligibile, ita omnis voluntas poteſt in quodlibet volibile*; ergo voluntas divina poteſt dil gere omnia diligib l.a, ergo de facto diligit. Nam in Deo potentia, & actus non ſeparantur.

Prob. 2. ex Scriptura, & Patribus. Nam dicitur, *Deus charitas eſt*, & de Deo Patre, *Sic Deus dilexit mundum*, & de Verbo, quòd propter *nimiam charitatem, qua dilexit nos, factus eſt in ſimilitudinem carnis*, &c. & de Spiritu Sancto, quòd per eum *charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris*, & *Qui habet mandata mea, & ſervat ea, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum*, &c. Idem aſſerunt SS. Patres ubique. *Omnia diligit Deus, quæ fecit*, inquit Auguſtinus. [3]

Prob. 3. ratione. Nam in Deo eſt voluntas, ergo & amor, qui eſt primus, & principalis actus voluntatis, & velut radix reliquorum omnium, & quidem amor concupiſcentiæ, quatenus fertur in bonum, ut bonum, & benevolentiæ, quatenus illud ſibi, & nobis amat. 2. certum eſt ex dicendis de Trinitate, quòd Spiritus Sanctus eſt amor perſonalis, & pro-

[1] *Medit.* 29. [2] 3. *d.* 32. *A. n.* 2. [3] *ibid.*

productus, ſc. eſt terminus amoris, quo Pater, & Filius ſe amant, eſt, *quo Genitus à Generante diligitur, Genitoremque ſuum diligit*, ait Auguſt. [1] quod tamen non poteſt ita propriè intelligi de Deo quoad ſe, quaſi ſibi amet, aut cupiat aliquid, quod non habeat eſſentialiter, ſed eſt potiùs infinita complacentia in bono ſuo ſummo.

Prob. 2. p. de amore ſui, & quidem neceſſariò, ex dictis ſuprà de objecto voluntatis ejus, quod diximus eſſe eſſentiam, ſeu bonitatem eſſentialem. Nam cùm voluntas ejus ſit eſſentialiter recta, non poteſt non amare bonum infinitum, qualis eſt ipſe. Præterea Deus eſt neceſſariò beatus, ergo neceſſariò fruitur ſeipſo.

Prob. 3. p. de creaturis exiſtentibus, & futuris (nam de his loquimur) ex dictis ibidem. Nam voluntas Dei omninò libera eſt; ergo ſi amat creaturas, id facit contingenter. Quòd autem eas amet, jam probatum eſt, tum quando eas diximus eſſe de objecto ſecundario, tum ex textibus citatis, ubi Scriptura docet, eum diligere mundum, &c.

Confirm. Nam velle bonum rei cuipiam, aut in eo ſibi complacere, eſt illam amare: ſed Deus vult bonum creaturis omnibus, & quidem efficaciter, quia illis confert omnia, quæ habent; ergo &c.

Prob. 3. p. de odio 1. ex Scriptura, cùm apud Malachiam Deus dicit: [2] *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, & *Poſui montes ejus in ſolitudinem, & hæreditatem in dracones deſerti* . . . . Hunc locum recitat Apoſt. [3] Item *Odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*; ergo odium eſt in Deo, & quidem *inimicitiæ*, quod reſpicit perſonam, ſcil. peccatorem, & *abominationis*, quod reſpicit malum in ſe, ſeu peccatum. Idem patet ex aliis locis. [4] *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem, perdes omnes, qui loquuntur mendacium*, & [5] *Altiſſimus odit peccatores*, ecce odium in perſonas ut peccatrices, & [6] *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem*, ecce odium *abominationis* peccati.

Prob. 2. de inimicitia. Odium inimicitiæ eſt actus, *quo quis vult malum alteri, ut malum*: ſed Deus vult

[1] 6. *de Trin.* 5. [2] *Malach.* 1. [3] *Rom.* 9.
[4] *Pſ.* 5. [5] *Eccl.* 12. [6] *Pſ.* 48.

vult malum pœnæ, v. g. damnationem peccatoribus, quatenus eis malum eſt, & per illud torquentur; ergo in Deo eſt odium inimicitiæ. *Ego*, inquit, *in interitu veſtro ridebo*.

Confirm. quia loca illa Scripturæ loquuntur de perſonis peccatorum; & nihil cogit illa aliter interpretari, quàm litteraliter, quia tale odium nullam imperfectionem importat in Deo, ergo, &c.

Dices. Deus quidem vult pœnam damnatis, ſed ex juſtitia, & ideò illa volitio non eſt actus inimicitiæ, ſed juſtitiæ.

Contra. Nam volitio mali non ceſsat eſse actus odii perſonæ, cui volumus malum, quamvis ſit ex motivo juſtitiæ; ſicut volitio boni non ceſsat eſſe actus amicitiæ, licèt ulteriùs ordinetur ad alium finem alterius virtutis, aut vitii, v.g. actus charitatis imperatus à pœnitentia, vel actus pœnitentiæ imperatus à charitate; ergo &c.

Confirm. Nam non negamus in Deo amicitiam veram pro Sanctis, quia charitas ipſa, qua ſancti ſunt, eſt amicitia, & tamen amor Dei ad creaturam ultimò refertur ad ſeipſum, ut ſæpè diximus, *Univerſa propter ſemetipſum operatur Dominus*; ergo ita eſt de odio, licèt ultimò referatur ad juſtitiam, aut aliam virtutem.

Objic. cont. 1. & ult. part. Nihil dicens imperfectionem debet admitti in Deo: ſed amor dicit imperfectionem, & idem eſt de odio; ergo &c. Prob. min. 1. quia tam amor, quàm odium eſt paſſio. 2. quia amor eſt vis unitiva, & concretiva, ex D. Dionyſ. [1] & Deus eſt actus purus, & ſimpliciſſimus; ergo amor dicit imperfectionem.

Reſp. neg. min. & ant. 1. prob. Nam amor, quem agnoſcimus in Deo, eſt actus vitalis, quo Dei voluntas tendit in bonum, non autem paſſio, & ſimiliter odium. Nam ex Scoto, amare, & odiſſe eſſentialiter ſignificant velle bonum, & nolle malum. Ad 2. antec. Eſt concretivus moraliter, aut metaphyſicè, & in creatis, conc. phyſicè, & realiter, & in Deo, neg. ant. Hæc enim de amore dicuntur tantùm, quatenus reſpicit bonum per complacentiam, & per velle, quod ſignificat quandam unionem-

Deus

[1] 4 *de div. nom.*

Deus amat bonum ſibi identificatum; & eſſentiale per amorem, ſeu actum formaliter diſtinctum.

Objic. 2. Amor fertur in objectum ſecundum ſe, præſcindendo à præſentia, vel abſentia; ſed Deus non poteſt ſic præſcindere, maximè circa ſe ipſum; ergo nec amare. Prob.maj. Nam ſi feratur in bonum, ut præſens, eſt gaudium, ſi ut abſens, eſt deſiderium; ſed non poteſt ſe reſpicere, niſi ut præſentiſſimum; ergo circa ſe non poteſt habere amorem, ſed purum gaudium.

Reſp.neg. utramque maj. Nam amor fertur in rem, ut bonam, ſive ſit abſens, ſive ſit præſens, ſub aliis verò conſiderationibus induit novas formalitates diſtinctas. Unde gaudium infinitum ſequitur amorem infinitum, quo Deus ſe amat, quia ſe amat, & ſe perfectè poſſidet.

Inſt. Actus, quo ſe intelligit Deus, eſt eſſentialiter viſio, quia ſe videt, ut præſentem; ergo & actus, quo ſe amat, eſt eſſentialiter gaudium, quia ſe amat, ut poſſeſſum.

Reſp. neg. conſ. Et diſparitas eſt, quia objectum cauſat intellectionem, ut præſens, non verò amorem, ut præſens, ſed ut bonum, & conveniens, quomodocumque exiſtat.

Objic. 3. Ille amor eſſet *efficax*, vel *inefficax*, vel *amicitiæ*, vel *concupiſcentiæ*; ſed nihil horum dici poteſt eſſe in Deo; ergo nec amor. Prob.min. 1. non efficax, quia nec ſe, nec ſibi poteſt aliquid efficere, 2. non *inefficax*, quia iſte eſt amor imperfectus, & tepidus, & remiſſus. 3. nec *amicitiæ*, quia hæc eſt inter duos. 4. nec *concupiſcentiæ*, quia ſupponit bonum acquiſibile, & arguit aliqualem indigentiam; ergo nulla ſpecies amoris decet Deum.

Reſp.neg.min. Eſt enim quidam amor divinus, id eſt, ineffabilis, & ſupereminens, qui habet omnes perfectiones amoris ſine defectu; eſt efficaciſſimus, quia infinitus, eſt amicitiæ, quia propter ſe, & ſibi complacens in bonis ſuis.

Objic. de odio inimicitiæ ex Script. Deus nihil *odit eorum, quæ fecit*, præter peccatum, ſed omnia amat præter peccatum; ergo non habet odium, maximè inimicitiæ.

Reſp.diſt.maj. Nihil *odit eorum, quæ fecit*, ſecundum

ea,

ea, quæ fecit, ſcilicet quoad naturam, con. quoad ea, quæ in ipſis non fecit, ſeu quoad malos mores, neg. maj. Nam, ut dicebamus, *abominatio eſt Deo omnis arrogans*. Item *impius, & impietas ejus*.

Inſt. odium inimicitiæ eſt volitio mali, quatenus malum eſt perſonæ odioſæ; ſed Deus non poteſt ſic velle malum; ergo nec odiſſe per inimicitiam. Prob. ex illo axiomate; *Nemo intendens ad malum operatur*, & *Velle malum, ut malum, opponitur Charitati*; Deus autem charitas eſt, quæ *non nec quidem cogitat malum*, ſed patiens eſt; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Ut malum phyſicum perſonæ odioſæ, & offendentis bonum aliquale offenſi, con. ut malum purè, aut morale, & culpæ, & ſine bono aliquo, neg. maj. Et idem dico ad prob. Deus reſpicit malum damnatorum, ut opus juſtitiæ ſuæ vindicativæ, ſub quo reſpectu eſt bonum aliquale ipſius juſtitiæ, & Dei, & univerſi, ſed ipſis damnatis, & inimicis Dei eſt purè malum, & nocivum.

Concl. 2. *Amor Dei erga creaturas rationales poteſt dici amicitiæ aliqualis; erga irrationales verò eſt amor concupiſcentiæ.*

Prob. 1. p. 1. ex Scoto. [1] *Concedo, quod charitas propriè dici poteſt amicitia, licet non omninò accipiendo amicitiam ſtrictè, ſicut accipit Philoſophus ibi, ſed aliquantulum extendendo .... Deus habet honeſtatem, & redamationem, ſicut & amationem ....* æqualitas autem eſt ratio amicitiæ ſtrictè ſumptæ, ſed excellentia eſt ratio habitus magis ſimilis, vel perfectioris, quàm ſit amicitia, &c. Ideò, dixi, *aliqualem amicitiam*.

Prob. 2. ex Scriptura. Nam homines juſti vocantur amici Dei. [2] *Nimis honorati ſunt amici tui Deus*, & [3] *Sapientia amicos Dei conſtituit*. Et Chriſtus dicit Apoſtolis; *Jam non dicam vos ſervos, ſed amicos*, & *Vos amici mei eſtis*; ergo &c.

Prob. 3. Amor amicitiæ conſiſtit in hoc, quòd quis velit alteri bonum, quatenus ei conveniens, ſeu propter ipſum, & quòd redametur ab amato; ſed talis eſſe poteſt amor Dei ad Angelos, & homines; ergo & amor amicitiæ. Prob. min. Nam Deus poteſt velle, & vult de facto juſtis bona propter ipſos, volun-

[1] 3. d. 27. P. n. 20. [2] Pſ. 138. [3] Sap. 7.

quatenus inde nihil ſibi accreſcit utilitatis, & iſti poſſunt, & debent eum redamare, & de facto amant eum propter ipſum, & pro viribus volunt ei, & procurant gloriam, & honorem ex benevolentia reciproca; ergo ille amor habet aliquales conditiones amicitiæ.

Dixi, *aliqualis*. Nam, ut notabam ex Doctore, ſtricta amicitia exigit æqualitatem inter amicos, ſed hæc conditio ſuppletur per honeſtatem, & meritum Dei amantis, & amati, & ideò dicitur *ſuper amicitia*.

Prob. 2. p. 1. ex Scoto [1] *Dico, quòd licet inanimata non ſint propriè diligibilia ex charitate, quæ eſt amicitia, & ad ipſa non eſt amicitia propriè loquendo, poteſt tamen habere ad ipſa aliquod velle ex charitate, quale ſcilicet habendum eſt circa illa*. Poſſum enim ex charitate, velle arborem eſſe, & arborem mihi ſervire &c. Et ille amor eſt concupiſcentiæ.

Prob. 2. Nam Deus vult illis omnibus creaturis vera bona, bonum eſſentiæ, & exiſtentiæ, & conſervationis, & hoc immediatè propter homines, & ultimatè propter ſe ipſum, juxta illud Apoſtoli, *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*; ſed talis amor eſt concupiſcentiæ; ergo &c.

Objic. 1. con. 1. p. Amor amicitiæ *imprimis eſt inter æquales*, ait Ariſt. [2] ſed inter Deum, & inter creaturas rationales non eſt æqualitas, ſed infinita diſtantia; ergo non tam ſunt objecta veræ amicitiæ.

Reſp. ex dictis, diſt. maj. Amicitiæ ſtrictæ, & ſecundum omnes conditiones eam comitantes, con. aliqualis, & veræ, ſecundum principaliores conditiones, neg. maj. & conſ. Homo non eſt æqualis Deo, ſed per Dei amorem elevatur aliquo modo ad ipſum, & per charitatem fit aliquo modo *conſors divinæ naturæ per gratiam*, & diſponitur ad participationem gloriæ, ubi *ſimiles ei erimus*, &c.

Inſt. Amor amicitiæ terminatur ad amatum, quia amatur propter ſe; ſed nulla creatura poteſt ſic amari à Deo; ſed tantùm propter Deum, qui eſt primarius, & ultimus finis omnium; ergo ille amor non poteſt eſſe amicitiæ.

Reſp. diſt. maj. Terminatur ad amatum, quatenus ama-

[1] *3. d. 32. I. n. 7.* [2] *8. Ethic. 7.*

amatur propter aliquam honeſtatem, quæ in ipſo eſt, con. terminatur ultimatè, neg. maj. Alioqui nec inter ipſos homines poſſet haberi amicitia, quia Deus eſt ſuper omnia amandus.

Objic. con. 2. p. Amor concupiſcentiæ eſt, quo amatur aliquid, ut bonum amantis commodum; ſed nihil tale poteſt amare Deus, & maximè circa creaturas irrationales, ergo illas non amat amore concupiſcentiæ.

Reſp. diſt. maj. Ut bonum amantis, aut alicui amato, ex pura, & propria bonitate, con. ex indigentia, vel utilitate propria, neg. maj. & conſ. Deus amat creaturas irrationales propter homines, & vult illis bona ex liberalitate ſua, non verò ex ulla indigentia, nec ob ullam propriam utilitatem, niſi ut ſatisfaciat ſuæ bonitati, & maximè charitati ſuæ in hominem. De hoc aliàs.

Concl. 3. *Gaudium, & ira ſunt verè in Deo ſublatis imperfectionibus, non autem deſiderium, neque fuga, neque timor, neque ſpes, neque deſperatio, neque triſtitia, neque audacia, nec pænitentia, niſi valde impropriè.* Eſt communis.

Prob. 1. p. Gaudium, ſeu delectatio eſt effectus voluntatis, quo ſibi complacet in bono poſſeſſo; ſed Deus ſe ipſum ut boni infiniti cumulum perfectè poſſidet; ergo in eo delectatur, & gaudet. Nec de hoc video dubitari.

Confir. quia eſt ſe ipſo perfectè beatus; ergo in ſe ipſo, & de ſe ipſo perfectiſſimè gaudet. Nam licèt Scotus doceat gaudium non eſſe de eſſentia beatitudinis, tamen ſpectat ad perfectam ejus integritatem.

Prob. 2. p. Nam *ira* in Scripturis paſſim tribuitur Deo. [1] *Iratus eſt furore Dominus*, & *Neque in ira tua corripias me*, & *Ira in indignatione tua*, &c. 2. ex Scoto. [2] *Ira eſt appetitus vindictæ ſecundum rationem apparentem propter parvipenſionem apparentem*; ſed talis affectus in Deo eſt; tum quia id patet ex mille textibus Scripturæ, in quibus Deus dicitur *ultionum Dominus*, & *iratus*, &c. tum quia nihil imperfectionis arguit in Deo, denique quia ſicut in Deo admittimus appetitum iraſcibilem; ergo & actum iræ., . Ant. patet. Nam appetitus iraſcibilis, & con-

[1] *Pſ. 37. 29. & 105.* [2] *3. d. 34. n. 16.*

concupiſcibilis ſunt correlativi; ſed iſtum admittimus; ergo illum debemus admittere.

Prob. 3. & 4. p. Nam *deſiderium* eſt volitio boni abſentis, & *fuga* eſt nolitio mali imminentis; Sed neutrum dici poteſt de Deo, cui nec deeſt bonum, quod poſſit deſiderare ſibi, cùm ipſe ſit ſummum bonum, & bonorum omnium fons, & cumulus, nec eſt malum, quod ipſi immineat, vel poſſit accidere; ergo &c.

Poteſt quidem *deſiderare* nobis, ut ſalutem æternam, & fugere etiam aliqua pro nobis, v. g. peccatum, & mortem æternam; ſed loquimur de his affectibus in Deo reſpectu ſui.

Prob. 5. de *ſpe*, & *timore*, ob eamdem rationem. Nam *ſpes* tendit in bonum abſens, arduum, obtinendum à ſuperiore, vel potentiore; Deus verò nec caret bono ullo poſſibili, nec quidquam illi arduum eſt, non habet ſuperiorem, aut potentiorem; ergo non eſt capax ſpei.

Prob. 6. de *deſperatione*, qua ob nimiam difficultatem deſiſtimus à proſecutione boni, quia apprehendimus illud, ut impoſſibile. Et hoc quantum repugnet Deo, evidens eſt.

Prob. 7. Idem eſt de timore, & triſtitia, nam ille reſpicit malum arduum, & imminens, iſta malum præſens, & nolitum; neutrum accidere poteſt Deo; ergo nec timere, nec triſtari poteſt, ſaltem ſibi. Dico, *ſaltem ſibi*, quia poſſumus quidem ex charitate timere, & triſtari de malo alieno; & ſic fortè poſſet Deus timere, & triſtari poſſet de malis noſtris, ſed non propriè, quia nos ſic triſtamur, & timemus pro aliis, quatenus eorum mala reputamus noſtra, quod de Deo dici non poteſt.

Prob. 8. Idem eſt de *audacia*, quæ reſpicit proſecutionem boni, vel depulſionem mali ardui non obſtantibus gravibus periculis. Nam nihil tale poteſt dici de Deo, qui nec bonum habet proſequendum, nec malum amovendum, nec pericula, vel impedimenta ſuperanda, voluntati quippe ejus nil reſiſtit; ergo non poteſt admitti audacia in Deo.

Prob. 9. Denique nec *pœnitentia*, quæ in latiſſima acceptione ſignificat diſplicentiam de iis, quæ fecimus, & maximè de malis, & arguit tum peccabilitatem,

tatem, ſeu peccatum, tum mutabilitatem in pœnitente, ſed utrumque repugnat Deo; ergo & pœnitentia.

Dixi autem, *niſi valde metaphoricè*, quia hæc ſolent dici de Deo ſecundum modum noſtrum loquendi, quando illi tribuimus occaſiones, quibus excitantur in nobis tales motus, v. g. quando illum ſic offendimus ingrati, ut demus illi cauſam pœnitendi bonorum, quæ fecit nobis, ut quando legimus de illo, quòd *tactus dolore cordis intrinſecùs*, dicebat, *Pœnitet me feciſſe hominem*, ſcilicet merebantur homines talem pœnitentiam in Deo, ſi fuiſſet illius capax. Ideò dicit Auguſt. [1] *praſcientem omnia non poſſe pœnitere*.

QUÆSTIO IX.

De virtutibus voluntatis Divinæ, an, & quid ſit ſanctitas Dei, an virtutes morales in Deo ſint.

Virtutes Theologicæ ſunt *fides*, & *ſpes*, & *charitas*. Et de his nulla reſtat difficultas. Nam *fides*, & *ſpes* dicunt imperfectionem, illa defectum ſcientiæ, iſta boni abſentiam. De charitate autem dicebamus in præcedenti, in Deo eſſe verum amorem tam ſui, quàm noſtri, & ideò veram charitatem. An autem hæc habeat rationem virtutis, & maximè habitualis, non vacat diſputare, nec tanti eſt momenti.

Morales ſunt, *prudentia*, *temperantia*, *fortitudo*, & *juſtitia*. Prima pertinet ad intellectum, 2. ſupponit defectus indignos Deo, ſcilicet appetitus moderandos circa delectabilia, & tertia circa mala repellenda, aut ſuſtinenda, ſive, ut loquitur Scotus, *temperantia* moderatur appetitum concupiſcibilem, & fortitudo iraſcibilem. Reſtat igitur quarta, quæ non videtur tot defectus ſupponere.

Sanctitas autem defectus omnes excludit, & virtutes omnes complectitur, & omnibus perfectionibus ſupereminet. Ideò Angeli, & Beati in cœlo nihil magis celebrant, & omnes laudes ejus compen- dioſè

[1] 2. *ad ſimpl. qu.* 2.

dioſè explicant verbo *ſanctitatis*, *inceſſabili voce proclamantes*, *Sanctus*, &c. Et hanc breviter ſic explicandam cenſeo.

Concl. 1. *Perfectiſſima, ſeu infinita ſanctitas eſt in Deo, & conſiſtit in ſumma conformitate voluntatis ejus cum lege æterna, quæ excludat omnem prorſus umbram peccati*. Eſt de fide quoad 1. p. contra Rabinos quoſdam, & Luciferianos. Illi ſomniarunt Deum peccaſſe auferendo lumen à Luna, ut illud conferret Soli, & ideò in noviluniis ſingulis fuiſſe inſtituta ſacrificia expiationis; iſti verò eum peccaſſe, cùm Luciferum dejecit è cœlo, ut videre eſt apud S. Tho. [1]

Prob. 1.p.ex Script. [2] *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum*, & [3] *Non eſt ſanctus, ut eſt Dominus*, ſcilicet, eſt ſanctus per eſſentiam, & *Dominus eſt ſanctus in omnibus operibus ſuis*, &c.

Prob. 2. ex SS. Patribus. *Nihil pretioſius invenimus, quo Deum nominare poſſimus, niſi ut Sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius eſt Deo*, ait Ambroſ.[4] Itē *Quoniam omnium Auctor rerum omnium pleniſſimus eſt ex una exuperantia, quæ omnibus antecellit, Sanctus Sanctorum dicitur*, inquit Dionyſius, &c. [5]

Prob. 3. Nam ſanctitas formalis conſiſtit in conformitate poſitiva morum, ſeu voluntatis ad legem æternam, ut mox patebit; ſed illa conformitas eſt in voluntate Dei per eſſentiam; ergo & ſanctitas: & quidem ita neceſſariò, ut aberrare ab ea non poſſit, quia eſt ipſa ſibi regula, & indefectibilis rectitudo, quod ipſi Philoſophi licèt ethnici agnoverunt. Nam Cleanthes, ut apud Clem. Alexandr. *Si bonum* (loquitur de Deo) *quale ſit, me rogas, audi; ordinatum, juſtum, ſanctum, pium, ſeipſum continens*, &c. *Id etiam* patet ex dictis. Nam Deus neceſſariò ſe amat infinitè; ergo & neceſſariò eſt Sanctus. 3. quia Deus eſt id, quo melius excogitari non poteſt; ergo & infinitè Sanctus.

Prob. 2. p. Ea ſanctitas meliùs explicari non poteſt, & ita de facto explicatur à SS. Patribus. *Sanctitas, & ab omni ſcelere libera, & omninò perfecta*, omni-

[1] 1.*con.Gent.* [2] *c.*95.*Lev.*9. [3] 1.*Reg.*
[4] *De Spir.S.c.*18. [5] *Div.nom.c.*12.

omnique ex parte immaculata puritas, inquit, Dionyſius cit. [1] Meritò igitur explicatur per inviolabilem, ſeu ſummam conformitatem cum æterna lege. Sic enim Chriſtus ſuam divinam ſanctitatem commendat, quòd venerit, [2] *non ut faciam voluntatem meam*, inquit, *ſed voluntatem ejus, qui miſit me*. Addidi majoris claritatis gratia, *quæ excludat omnem prorſus umbram peccati*. Nam ſic explicatur, & aſſeritur ſanctitas Dei.

Porrò Deus ſanctus eſt, 1. *radicaliter* à ſe ipſo, quia eſt radix, & fons omnis ſanctitatis, & puritatis: 2. *objectivè*, quia eſt objectum, & menſura omnis ſanctitatis, quæ maximè ita eſt in ejus amore. 3. *exemplariter*, quia eſt norma ſanctitatis, & regula per legem æternam. 4. *formaliter*, quia amor Dei eſt ipſa formalis puritas, ſeu adhæſio ſummæ puritati. *Juſtus Dominus in omnibus viis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis*, ſcil. omnes affectus, & operationes ejus inviolabiliter conformantur legi æternæ, & ideò implacabiliter odit peccatum. 5. *eminenter*, & *cauſaliter*, quia non tantùm nobiliſſima, & infinita, & indefectibili ſanctitate præditus eſt, ſed & ipſa eſt principium omnis ſanctitatis, tum *efficiens*, quia Deus eſt, qui cauſat, & influit eam hominibus, & Angelis, tum formale, quia ipſe eſt ratio, non quidem informans, ſed altiori, & ſupereminenti modo, tum *exemplare*, quia omnis ſanctitas per divinam regulatur, & menſuratur, tum *finale*, quia in Deum dirigitur omnis ſanctitas.

Hinc colligis differentiam ſanctitatis divinæ à creata, ſcilicet ex illis prærogativis. Nam Deus eſt ſanctus, & ſanctificans, Angelus, & homo ſunt ſancti ſanctificati, ſcilicet 1. ſe ipſo, & per eſſentiam eſt ſanctus, illi per gratiam, & per qualitates, vel actus acceſſorios, 2. ſanctitas divina eſt ſubſtantialis, ſeu ſubſtantia ipſa Dei, ſicut & quælibet aliæ perfectiones ejus, creata verò eſt accidens, & ſubſtantię illorum ſuperaddita, & ſupernaturalis, 3. divina eſt infinita, noſtra eſt finita, & ſic increata nec creſcere, nec minui poteſt, noſtra utrique motui eſt ſubjecta, 4. illa eſt æterna, & ſuperior ſine comparatione, & imparticipata, noſtra eſt temporalis, inferior, ſeu

[1] *ibid.* [2] *Jo.6.*

ſeu dependens, & participata, &c. Ideò cantat Eccleſia, *Tu ſolus ſanctus, tu ſolus dominus, tu ſolus altiſſimus*, ſcilicet per excellentiam, & per ſe.

Concl. 2. *Aliquo modo poſſunt admitti in Deo virtutes morales temperantiæ, & fortitudinis, non tamen propriè, nec per ſe, & ſublatis imperfectionibus.*

Prob. 1 ex Scoto [1] dicente, quòd Angelicæ voluntati poſſet competere habitus, quo velit mihi bonum temperantiæ, in quantum eſt mihi bonum conveniens, & habitus iſte non poteſt dici charitas ...... nec poteſt dici alius, quàm temperantiæ, quia per *mihi*, & *tibi* non variatur ratio formalis habitus ...... & hoc modo conſequenter poſſet poni in Deo eſſe rationem virtutum moralium, ſicut in eo conceditur charitas ſine accidentalitate ejus, &c. Hinc

Probatur 2. quoad 1. p. Nam de facto Deus vult nobis temperantiam, & fortitudinem; ſed illæ volitiones non pertinent ad alias virtutes, quàm ad illas; ergo, &c.

Prob. 2. p. Nam licèt per quandam extenſionem actus, quo Angelus, v. g. aut aliquis Beatus vellet me temperatum eſſe, aut fortem, dicitur pertinere ad iſtas virtutes morales, tamen propriè, & in rigore per illas intelliguntur habitus, vel actus, quibus inclinamur ad moderandos in nobis proprios appetitus; ſed in Deo non ſunt formaliter ulli tales habitus, vel actus, ſicut nec ulli motus, vel appetitus moderandi; ergo nec illæ virtutes. In quo non poteſt eſſe controverſia realis, ſed de puro nomine.

Dixi etiam, *ſublatis omnibus imperfectionibus*; cum quibus illi primi actus, & habitus dicuntur poſſibiles in creaturis, in quibus ſunt formales, accidentales, & acquiſiti, vel infuſi, &c. Nam quoad hæc, & ſimilia repugnant Deo, ut patet ex dictis.

Objic. De ratione virtutis eſt, ut ametur propter ſeipſam; ſed Deus non poteſt ſic amare quidquam extra ſe; ergo nec virtutes. Maj. patet. Nam bonum virtutis eſt bonum honeſtum, quod eſt amabile propter ſe. Prob. min. ex dictis. Nam ſola eſſentia, & bonitas Dei eſt objectum primarium voluntatis ejus, & ideò omnia vult, & facit propter ſemetipſum. Reſp.

[1] 1. d. 33. K. n. 16.

Reſp. diſt. maj. Ametur per actū formal'ter, & immediatum, qui dicitur virtutis, conc. propter ſe ultimatè, neg. maj. & diſt. min. Deus non poteſt amare quaſi reflexè, & ultimatè, con. directè, & immediatè, neg. min. Deus poteſt velle, & amare quodcumque bonum directè, & immediatè, & terminativè, ſed ultimatè, & motivè, ac reflexè non poteſt amare, niſi ſeipſum. Nos ipſi, cùm amamus virtutem, & facimus actus virtutis, id facimus ultimatè propter Deū, licèt immediatè amemus virtutem.

QUÆSTIO X.

De juſtitia, an & qualis ſit in Deo.

De juſtitia ſpecialem inſtituimus quæſtionem, quia de illa ſunt difficultates ſpeciales, quas ut diluamus

Præmitto 1. quòd ex Theologis, & Juriſperitis, Juſtitia eſt *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum cuique tribuendi.* Jus hìc ſumitur pro debito, & deſcribitur *facultas utendi re pro libito citra injuriam alterius.* De quo fuſiùs in tr. de juſtitia, & jure. Ideò ſi non reddatur cuique, quod ſuum eſt, ſeu jus ſuum, fit illi injuria.

Porrò aliquid dicitur debitum, 1. ex naturali *congruentia*, vel *connexione*. Sic cuilibet rei ad naturalem ejus perfectionem debetur certa quantitas, figura, temperamentum. Et huic debito reſpondet juſtitia generalis, quæ inclinat Deum ad cuique rei tribuendum, quidquid requirit ad ſuam perfectionem naturalem. Sic artifex debet operi ſuo perfectionem. Et hæc ſine dubio eſt in Deo. *Dei enim perfecta ſunt opera*, & *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*, id eſt, perfecta in ſua ſpecie. 2. *Debitum ex lege.* Sic homo debet conformari in affectibus, & actibus ſuis legi æternæ, Et juſtitia huic reſpondens dicitur inclinans voluntatem ad ſe conformandum legi huic, & id præſtat per omnes actus virtutis. Et hoc ſenſu homines virtutibus dediti dicuntur *juſti* in Scriptura, quatenus in ſuis operibus confor-

formantur legi æternæ. Hoc ſenſu non dubitatur, quin Deus ſit juſtiſſimus, quia ſanctiſſimus eſt, & juſtitia idem ſignificat cum ſanctitate.

3. *Debitum ex promiſſo*, præſertim ſub pacto, & conditione,qua poſita ex parte promiſſarii debet promittens adimplere promiſſum. Et huic debito reſpondet juſtitia, quæ dicitur veritas, ſeu fidelitas, qua inclinatur voluntas ad ſtandum promiſſis. *Et hæc* etiam juſtitia, ſeu veritas perfectiſſimè eſt in Deo, qui perfectiſſimè, & exactiſſimè præſtat, quæ promittit, ſi nos ex parte noſtra conditionem promiſſis annexam præſtemus.

4. *Debitum ex perfecto*, ſeu *ſtricto jure*. Et huic ſi non ſatisfiat, fit injuria creditori. Naſcitur autem 1. vel ex acceptione rei alienæ,vel contractibus,vel damnis illatis. Et huic reſpondet juſtitia ſtricta, quæ dicitur commutativa, & quæ inclinat ad reddendum cuique debitum ad æqualitatem accepti, aut damni illati, vel læſionis, vel irrogatæ injuriæ, &c. 2. ex officio diſtribuendi bona communitatis cum certa proportione. Et huic debito reſpondet juſtitia, quæ dicitur diſtributiva, inclinans voluntatem ad diſtribuenda bona communia ſingulis, juxta regulas, & proportionem bonorum ipſorum, & perſonarum, &c. De his duabus ſpeciebus juſtitiæ procedit principaliter quæſtio. His poſitis ſit

Concluſio. *Aliqua juſtitia debet admitti in Deo,non tamen commutativa ſtricta: aliqua etiam diſtributiva, ſed neque hæc rigoroſa dici poteſt.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui juſtitiam definit ex Anſelmo ſecundum rationem generaliſſimam. Juſtitia eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſervata, & addit ex Philoſopho, quod eſt ad alterum. Et utroque modo accipiendo patet, quòd juſtitia competit Deo. Primo modo habet enim rectitudinem voluntatis, imò voluntatem inobliquabilem, quia ipſe eſt prima regula, & ſervata propter ſe, id eſt ſpontaneè propter ſe ſemper habita. 2. modo etiam patet, quia poteſt habere rectitudinem ad alterum, &c. 2. illi etiam tribuit juſtitiam legalem, non quaſi ſubjaceat ulli legi, aut legiſlatori, ſed quatenus ipſe ſibi eſt lex, & agit ſecundum verita-
tes

[1] 4.d.46.q.1.A.n.2.

tes practicas, v. g. ſecundum iſtam, *Deus eſt amandus*: quia, inquit, *ſi non debet dici lex* (pro nobis eſt lex naturalis) *ſive judicium practicum legis, ſaltem eſt veritas practica præcedens* omnem determinationem voluntatis divinæ. 3. admittit in Deo *juſtitiam particularem* in ordine *ad ſe, quaſi ad alterum*; quia *voluntas ſua determinatur per rectitudinem ad volendum illud, quod decet ſuam bonitatem. Et hæc eſt quaſi redditio debiti ſibi ipſi, ideſt, ſuæ bonitati, tamquam alteri, &c.* ergo his tribus modis Scotus admittit juſtitiam in Deo, non autem commutativam, nec diſtributivam.

Prob. 2. ex Script. [1] *Fidelis eſt Deus, & juſtus.* Et, [2] *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Et *juſtitia, & pax oſculatæ ſunt.* Et *Juſtitia de cælo proſpexit.* Et Paulus [3] vocat Deum juſtum judicem, *reddet mihi juſtus judex.* Et denique nihil uſitatius in Scriptura, quàm hujuſmodi loquutiones, & appellationes juſtitiæ.

Prob. 3. ex Patribus 1. ex Tertull. [4] *A primordio creator tam bonus, quàm juſtus pariter utrumque proceſſit, bonitas ejus operata eſt mundum, juſtitia modulata eſt*, &c. & Auguſt. [5] *De omnipotentia Dei, & juſtitia dubitare dementis eſt*, Et: *Nec quiſquam de eo optimè exiſtimat, qui non eum omnipotentem .... rectorem quoque juſtiſſimum eorum omnium, quæ creavit*, &c. Ita de cæteris omnibus.

Prob. 4. ratione, quia hæc virtus eſt magna perfectio ſine imperfectione; ergo eſt in Deo formaliter, quia continere debet formaliter omnem perfectionem ſimpliciter ſimplicem, alioqui non eſſet infinitè perfectus. Prob. ant. quia juſtitia formaliter dicit rectitudinem inobliquabilem voluntatis ejus à veritatibus practicis.

Confir. Nam Deus verè, & poſitivè vult ſibi exhiberi à nobis cultum, & obſequia debita, vult etiam, ut homines reddant unicuique ſuum inter ſe, & odit iniquitatem, eamque rigoroſè punit; ſed tales volitiones ſunt actus veræ juſtitiæ æquè, ac ſi ipſe in ſe erga nos vellet talem rectitudinem, quia, inquit Doctor, *Per mihi, & tibi non variatur ratio forma-*

[1] *Job.* 1 [2] *Pſal.* 118. *et* 84. *et* 74. [3] 2. *Tim.* 4. [4] 2. *con. Marcio.* 12. [5] 3. *lib. arb. c.* 18.

formalis habitus; ergo & verè in Deo eſt virtus juſtitiæ.

Prob. 2. p. ex eodem [1] Si loquamur de reliqua juſtitia, quæ ſimpliciter eſt ad alterum, illa dividitur in commutativam, & diſtributivam ... prima illarum non poteſt ſimpliciter eſſe in Deo reſpectu creaturæ, quia non poteſt ſimpliciter eſſe æqualitas, ſed poteſt eſſe aliqualiter ſecundum proportionem, ſicut inter Dominum, & ſervum, &c. ergo ex Scoto, juſtitia commutativa non eſt in Deo in toto rigore juſtitiæ erga creaturas.

Prob. 3. ex Patribus, qui omnes agnoſcunt, Deum non ex juſtitia, ſed ex bonitate debitorem noſtrum ſe facere, nec ad æqualitatem, ſed ſuperabundanter retribuere, nec tam pro acceptis obſequiis, quàm pro promiſſis beneficiis. Lege Auguſt. [2] *O magna bonitas Dei, cui cùm pro conditione reddere debeamus obſequia, ut ſervi Domino, famuli Deo, ſubjecti potenti, mancipia redemptori, amicitiarum nobis præmia repromittit, ut à nobis obſequia debitæ ſervitutis extorqueat ... Nā unde invitat præmio, terret ſupplicio, niſi ut benignitatis conſilio à ſe formato homini conſulat, redempto provideat?* &c. S. Bernard. [3] *Neque talia ſunt hominum merita, ut propter illa vita æterna debeatur de jure, aut Deus aliquam injuriam faceret, niſi eam donaret*; Sed ſi ex juſtitia rigoroſa id deberet, nonne faceret injuriam, & injuſtitiam non donando? Et S. Gregor. [4] *Si opus virtutis exercuero ad vitam, non ex meritis, ſed ex venia convaleſco*. Et S. Baſil. *Manet ſempiterna requies illos, qui in hac vita legitimè certaverint, non ſecundum debitum operum, ſed ſecundum debitum Dei munificentiſſimi*. Et Anſel. [5] *Juſtus es* (*Domine*) *non quia reddis debitum, ſed quia facis, quod decet te ſummum bonum*. ergo ex Patribus in Deo non eſt juſtitia commutativa rigoroſa, quia Deus non tam ex debito, quàm ex bonitate, largitate, congruitate, aut fidelitate promiſſionis retribuit.

Confir. ex Concil. Trident. [6] quod referens Apoſtoli

[1] 4. *cit. n.* 4. [2] *Ser.* 3. *de verit. Dom.*
[3] *Ser.* 1. *de Annuntiat*
[4] *Pſal.* 114. [5] *Proſol. c.* 10.
[6] *SS.* 6. *c.* 16.

ſtoli verba, *Abundate in omni opere bono ſcientes, quòd labor veſter non eſt inanis in Domino, non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri .... magnam habet remunerationem*, Audi Concilium, *Benè operantibus, & in Deo ſperantibus proponenda eſt vita æterna, & tanquam gratia Filiis Dei miſericorditer promiſſa, & tanquam merces ex ipſius promiſſione bonis ipſorum operibus, & meritis fideliter reddenda*, &c. ergo ex Concilii mente in Deo ad creaturam non eſt juſtitia rigoroſa, & pura, ſed immixta gratiæ, & largitati, quippe [1] *ex bonitate vult eſſe hominum merita, quæ ſunt ipſius dona*.

Prob. 3. ratione. Nam ad rigorem juſtitiæ requiritur 1. æqualitas dati, & accepti, ita, ut creditor non poſſit plus exigere, quàm debitor ſolvit, ſed debeat eſſe contentus, 2. ut datum, & retributum ſit ex bonis propriis dantis, & retribuentis, nemo enim poteſt conſtitui debitor ratione accepti, quod ſuum eſt aliunde, 3. ut qui accipit, teneatur ſtricto jure ad retribuendum, ita, ut accipiens fiat verè, & rigoroſè debitor dantis, nec poſſit negare debitum ſine injuria dantis; ſed hæ conditiones repugnant Deo erga creaturas; ergo & juſtitiæ rigor. Prob. min. 1. de æqualitate, quia [2] *non ſunt condignæ paſſiones hujus vitæ ad futuram gloriam*, nec habent ſanctiſſimi viri, ut David, *quid retribuant Domino pro omnibus, quæ retribuit, &c.* &, *Merces eorum magna nimis*, ut dicemus *tract. de merito*, nec eſſet ulla proportio dati cum retributione, niſi Deus ex gratia, & libera acceptatione elevaret opera noſtra, quia quæcumque poſſumus offerre Deo, non ſunt noſtra, ſed mille titulis ei debentur, & ſunt bona ejus, *qui ex bonitate velit hominum eſſe merita, quæ ſunt ejus dona*, inquit Trident. & ipſamet Scriptura id docet. [3] *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi*. Certè, ſi inter homines ſervus non poteſt in rigore dominos ſuos facere debitores, nec filius patrem, niſi ſit emancipatus, quantò minùs creatura Deum, qui eam non poteſt manumittere, nec emancipare à dependentia, & ſervitute per illam ſibi debitam?

 Uno

[1] *Ibid.*
[2] *Rom.* 8.
[3] 1. *Paralip.*

Uno verbo, ex Ariſtotele, [1] inter patrem & filium non emancipatum, uxorem, & maritum, ſervum & dominum *non poteſt intercedere juſtum propriè rigoroſum, ſed ſimilitudinariè*; ergo multò minùs inte Deum, & creaturas.

Prob. eadem min. quoad 3.p. quia niſi Deus ex pacto ſuo gratuito vellet acceptare opera noſtra cum voluntate retribuendi, aut in meritum, vel in ſatisfactionem, nullam faceret nobis injuriam, & nihilominus deberemus ei; ergo ex juſtitia rigoroſiſſima debitores ſumus Deo, non ipſe nobis, nec poteſt eſſe, ob ſuam dignitatem divinam, quia ex parte noſtra fundatur in eſſentiali dependentia noſtra ad ipſum in eſſe, & conſervari, & operari, & ex parte Dei in eſſentiali, & ſummo, & abſolutiſſimo ejus eſſe, & dominio. Et ita cenſent SS. Patres citati.

Conſtat ergo [2] inter Deum, & creaturam non adeſſe juſtitiam ſtrictam, ſed aliqualem, ſcil. ſimilitudinariam, & ſecundum proportionem, ſicut inter dominum, & ſervum. Dominum enim liberalem decet retribuere majus bonum, quàm ſervus poſſit mereri, modò ſit talis proportio, quòd ſicut ſervus facit, quod ſuum eſt, ita dominus retribuat, quod ſuum eſt, & eodem modo puniendo citra condignum.

Prob. 3.p. ex eodem Scoto. [3] Nam juſtitia diſtributiva reſpicit naturas, & perfectiones ſuperadditas, ut cuilibet naturæ diſtribuatur perfectio proportionata. Sicut in Rep. noſtra perſonis ſecundum gradus ſuos proportionaliter diſtribuuntur bona pertinentia ad gradus earum; ſic in Hierarchia univerſi ab Hierarcha, ſcil. Principe Deo, diſtribuuntur perfectiones nobiliores, ſeu convenientes tali naturæ, &c. Et hæc juſtitia poteſt eſſe ſimpliciter, quia ſimpliciter poteſt dare naturis perfectiones debitas, vel convenientes eis ſecundum gradus perficientes; ergo, ex Scoto, juſtitia diſtributiva eſt formaliter in Deo.

Prob. 2. Nam juſtitia ſub hoc conceptu maximè decet Dei ſapientiam, & providentiam, quæ nulli deeſt, *& in ſuis diſpoſitionibus non fallitur*, & maximè in gubernatione, & providentia naturali. Nam licèt

[1] 5. *Ethic.6.*
[2] *Scotus ibid.n.4.*
[3] *Ibid.*

licet etiam in moralibus, & ſupernaturalibus ſervet ordinem perſonarum, & eis diſtribuat, & diſpenſet gratias, tamen hic ſe habet magis liberè, & arbitrariè, *dividens ſingulis, prout vult*. In naturalibus verò magis determinatur à naturis rerum. *Cujuſque naturam in proprio ſalvat ordine, & virtute*, inquit Dionyſius [1] &, ut dicebamus ex Tertull. *Bonitas Dei operata eſt mundum, juſtitia modulata eſt*.

Confirm. ex Scriptura & Patribus, ubi legimus Deum pœnas infligere juxta proportionem peccatorum. [2] *Quantum glorificavit ſe, & in deliciis fuit, tantum dat illi tormentum, & luctum.* Et Tertull. [3] *Omnibus delictis ... pœnam per judicium deſtinavit*. Et, ut ait Apoſtolus, [4] *Referet unuſquiſque, pro ut geſſit*, &c.

Dixi, *aliqualem*. Nam neque hæc juſtitia in rigore poteſt eſſe in Deo, qui a nullo jure ſic obligari poteſt ad diſtribuenda bona ſua, quin pro arbitrio ſuo poſſet aliter diſponere ſine ullius injuria.

Ratio eſt, quia in humanis bona, quæ Princeps diſtribuit, ſunt bona Communitatis, & Reip. quæ talem exigit juſtitiam in illorum diſtributione, & Princeps ad eam proportionem tenetur ex lege naturali, & divina, vel etiam & humana: Deus verò nullis ſubeſt legibus, ipſa ejus voluntas ſibi lex, & regula eſt. Quod facit, hoc ipſo juſtum eſt, quia ſic placet ei. Aliter de Principe, qui peccat in Deum, & homines, ſi non ſervat debitam proportionem in diſtribuendis bonis Communitatis.

Objic. 1. con. 1. p. Scriptura, & Patres dicunt, Deum eſſe juſtum muneratorem, & ipſam gloriam eſſe coronam juſtitiæ. [5] *Repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus juſtus judex*. Item, [6] *Non eſt injuſtus, ut obliviſcatur operis veſtri boni*. Item; [7] *Ei, qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum*. Et ipſe, [8] *Quod juſtum fuerit, dabo vobis*. Et, *Voca operarios, & redde illis mercedem ſuam*, ergo juſtitia eſt verè in Deo, etiam dum retribuit gloriam.

[1] *Div. nom. c. 8.* [2] *Apoc. 18.*
[3] *De pœn. c. 3.* [4] *2. Cor. 5.*
[5] *2. Tim. 4.* [6] *Hebr. 6.*
[7] *Rom. 4.* [8] *Matth. 20.*

Confir. ex Patribus: Nam, inquit Auguſt. [1] *Non eſt injuſtus Deus, ut juſtos fraudet mercede juſtitiæ*, & [2] agnoſcit eum debitorem, *In his, quæ nondum habemus, tenemus debitorem*; ſed debitor tenetur ſolvere ex juſtitia; ergo in Deo agnoſcit veram juſtitiam commutativam. Et ſic de aliis.

Reſp. neg. conſ. Scriptura enim, & Patres loquuntur de juſtitia lato modo, ſcil. pro fidelitate, qua inclinatur Deus ad remuneranda bona opera noſtra, licèt fundata in ejus gratia, & aliunde illi debita.

Idem dico ad SS. Patres. Vocant enim gloriam mercedem, & coronam juſtitiæ, quia promiſit eam bonis operibus noſtris per modum mercedis, ſed quæ infinitè ſuperat merita, & hæc fundantur in ipſius gratia, & donis; ſed tamen eam plùs, aut minùs amplam, & intenſam dat pro menſura aliquali meritorum, ideò dicitur corona juſtitiæ. *Bonitas ejus, qui promiſit, dabit, ne in malitiam convertatur fides ejus*, inquit Anſel. [3] &, *Reddit debita, nulli debens*, ait Auguſtinus, ſcilicet debet præmia, quia promiſit, & ex fidelitate potiùs, quàm ex ſtricta juſtitia.

Inſt. nihil vetat verba Scripturæ ſumi literaliter, & de juſtitia ſtricta; ergo ſic debent ſumi, & non Metaphoricè. Prob. ant. Juſtitia propria, & ſtricta non dicit imperfectionem, ſed potiùs perfectionem in Deo; ergo nihil vetat eam dici de Deo literaliter, & rigoroſè. Prob. ant. Dicit rectitudinem voluntatis Dei erga alterum, *eſt conſtans voluntas unicuique jus proprium tribuens*; ſed hoc non dicit imperfectionem, ſed potiùs perfectionem in Deo, qui eſt ipſa inviolabilis rectitudo; ergo, &c.

Reſp. neg. ant. 1. & 2. argum. & diſt. maj. 3. Dicit rectitudinem ad alterum tribuentem ei jus ſuum ad æqualitatem, & ex ſtricto debito, con. rectitudinem quomodocumqne, v. g. ſine ſtricto debito, vel ſine æqualitate; neg. maj. & min. Nam debitum omne ſtrictum dicit in Deo aliqualem dependentiam, & in creatura independentiam reſpectu ejus, quippe quod retribuitur ex debito, & ad æqualitatem arithmeticam dati, tranſit ſub pro-

[1] *Nat. & gra. c.* 2.
[2] *Ser.* 16. *de ver. Apoſt.* [3] 1. *confeſſ.* 4.

proprietatem creditoris, & unus dicitur verè debitor alterius, quæ repugnant in Deo.

Inſt. 2. Obligatio ad illam æqualitatem non venit præciſè ex natura dati, & accepti præciſo pacto, ſeu promiſſione liberali, ſed talis æqualitas, & obligatio non repugnat Deo; ergo nec juſtitia illa ſtricta. Prob. maj. Deus, ſuppoſito pacto, tam tenetur dare gloriam pro potu aquæ frigidæ, quàm ſi datum illud æquaret regnum gloriæ; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Æqualitas aliqualis juſtitiæ minùs rigoroſæ, con. juſtitiæ rigoroſæ, neg. maj. & conſ. Idem dico ad ant. prob. Nam promiſſio, & pactum illud dandi regnum gloriæ pro potu aquæ fundatur in gratia, & liberalitate infinita Dei acceptantis, & promittentis, & ideò teneretur eam retribuere ex fidelitate potiùs, quàm ex rigore juſtitiæ.

Objic. 2. In homine datur juſtitia ſtricta erga Deum; ergo & in Deo ad hominem. Hæc enim ſunt correlativa. Prob. ant. Deus poteſt exigere ab homine, quod ſibi ab eo debetur, & peccator tenetur ex juſtitia ſatisfacere, quantum poteſt, ad æqualitatem offenſæ, & ad actus religionis; ergo &c.

Reſp. neg. conſ. & rationem ejus. Nam inter Deum, & hominem non valet ea reciprocatio, ſicut nec inter dominum, & ſervum, nec inter patrem, & filium. Iſte debet patri, & Domino, quidquid habet, & à fortiori, homo Deo; ſed dominus nihil debet ſervo, nec Deus homini, niſi ex pietate.

Objic. 3. Satisfactio Chriſti pro peccatis noſtris fuit de toto rigore juſtitiæ, etiam ex parte Dei Patris; ergo in Deo Patre eſt juſtitia rigoroſa ad Chriſtum; ergo & ad alios.

Reſp. neg. ant. Fuit quidem pleniſſima, & ſuperabundans, ſed non ex juſtitia ſtricta, ut ſuppono ex dicendis de Incarnatione, ſi Deus dederit.

Objic. 1. con. 3. p. Juſtitia diſtributiva non minùs obligat ad ſervandam æquitatem in diſtributione bonorum ordinis naturæ, & gratiæ, quàm commutativa ad æqualitatem dati, & accepti in retributione; ſed propter hanc obligationem, per nos, juſtitia commutativa repugnat Deo; ergo & propter illam repugnat eidem diſtributivæ.

Reſp. 1. con. totum de diſtributiva ſtricta, quam

neque admittimus in Deo, præcipuè quia non poteſt admitti in Deo debitum, vel obligatio ulla ad creaturam, & quia non diſtribuit bona communitatis, ſed ſua, & ſic nulli poteſt facere injuriam juxta Euangelium, [1] *Tolle, quod tuum eſt, Amice, non facio tibi injuriam, An non licet mihi, quod volo facere?* &c.

Reſp. 2. neg. conſ. & paritatem. Nam juſtitia diſtributiva in ordine naturæ, & gratiæ oritur ab ipſo Deo, qui ſibi legem imponit juxta illud, *Qui dat eſſe, dat conſequentia ad eſſe*. Dum creat hominem, obligat ſe ad providendum illi neceſſaria ad illud eſſe, dum eligit Petrum ad fundandam Eccleſiam, & regendam illam, obligat ſe ad providenda illi auxilia, & gratias tali oneri ſuſtinendo neceſſarias. Et ſic de cæteris. Adhuc tamen fatendum eſt, eam obligationem non eſſe de ſtricta juſtitia, quia fundatur in electione prorſus gratuita; & quando illi providentiæ deeſſet, nulli faceret propriè, & ſtrictè injuriam.

QUÆSTIO XI.

De miſericordia, an, & qualis ſit in Deo.

NIhil magis decertatum in Scripturis, & Patribus, quàm miſericordia Dei, *quæ ſuperexaltat judicium*, & qua *plena eſt terra*. Sed pauci advertunt, quomodò hæc virtus admitti poſſit in Deo. Nam communi ſenſu miſericordia importat diſplicentiam de miſeria alterius cum voluntate ſublevandi eum, & juxta etymologiam vocis, *miſericors* eſt, *quaſi habens miſerum cor*, inquit Doctor, [2] quia *compatiens miſeriæ alienæ, in hoc habens miſerum cor, id eſt communicans in miſeria*.

Miſericordia igitur dicit 1. actum, vel habitum inclinantem ad nolendam miſeriam alterius, & volendum ſublevare illum, 2. paſſionem, ſeu diſplicentiam, ſeu miſeriam illam cordis. Deſcribitur a Tullio, [3] *ægritudo ex miſeria alterius injuria laborantis:* Et Auguſtino, *Alienæ miſeriæ in corde noſtro compaſſio, quæ utique, ſi poſſumus, ſubvenire com-*

[1] *Matth.* 20. [2] 4. d. 46. q. 2. *Ar.* 2. [3] *Tuſcul. qq.*

compellimur: 1. dicit rationem formalem virtutis hujus, 2. verò ſecundariam paſſionem ejus...

Concl. *Miſericordia quoad formale ſignificatum verè, & formaliter eſt in Deo, non verò quoad paſſionem*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] Quantum ad iſtam operationem nolendi miſeriam ſive imminentem, ſive præſentem, miſericordia eſt propriè in Deo, quia ſicut nullum bonum evenit, niſi volente Deo, ita nihil prohibetur, ne eveniat, niſi Deo volente; multæ autem miſeriæ poſſibiles evenire alicui prohibentur, ne eveniant; ergò Deus habet nolle circa illas. Ita eſt de miſeria præſente. Nulla enim tollitur, niſi Deo nolente illam.

Prob.2. ex Script. & Patribus. [2] *Deus miſericors, & clemens, patiens, & multæ miſerationis..... qui cuſtodit miſericordiam in millia*, Et *Miſerator, & miſericors*, Et *Multæ miſericordiæ*, Et [3] *Miſericordia Domini plena eſt terra, &c.* Nam inquit Auguſt. [4] *In terra abundat hominis miſeria, ſuperabundat Dei miſericordia*, Et alibi, *Si auferas compaſsionem, ita ut remaneat tranquilla bonitas ſubveniendi, & à miſeria liberandi, inſinuatur divinæ miſericordiæ qualiſcumque cognitio*. Et alibi, *Deus zelat ſine ardore, iraſcitur ſine perturbatione, & miſeretur ſine dolore*.

Prob. 3. quia hæc virtus in hoc ſenſu nullam dicit imperfectionem in Deo, ſed ſummam perfectionem, quæ decet ejus infinitam bonitatem, quantum ad voluntatem ſublevandi homines à miſeriis peccati, & damnationis, ut de facto dicit; *Nolo mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat*, & diximus, eum velle ſalvare omnes homines voluntate antecedenti.

Prob. 2. p. Quia omnis paſſio, ut triſtitia, & dolor, repugnat infinitæ ejus felicitati, & ſimplicitati, eſtque imperfectio; ergo miſericordia, quantùm ad compaſſionem, ſeu condolentiam, & contriſtationem cum miſeris non eſt in Deo.

Objic. 1. Miſericordia inclinat per modum naturæ ad tollendam miſeriam alterius, quia inclinat per modum habitus, ſed non ſic inclinat Deum; ergo non eſt

[1] *Ibid.* [2] *Exod.* 30. [3] 5. *Pſ.* 85. & 82. [4] 2. *ad Simpl.*

in Deo. Prob. min. tum quia voluntas divina non agit per modum naturæ, ſed liberè, tum quia non tollit omnes miſerias, maximè in damnatis, & pluribus aliis; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus. In creatis, con. in Deo, neg. maj. & rationem ejus. Nam in creatis inclinat per modum naturæ, quia habitus realiter diſtinguitur à voluntate, & adhuc ibi non impedit uſum libertatis, in Deo autem virtutes non ſic diſtinguuntur, & ſic minùs impediunt ejus libertatem ad extra. Unde quòd non levet omnes miſerias, imò aliquas velit, aut permittat, venit vel ex juſtitia, vel providentia, & ſapientia, quæ ex his vult elicere bona. Voluntate antecedente vult nobis omnia bona, nullas vellet miſerias; ſed voluntate conſequente vult pœnas damnatorum, &c. *De ſuo eſt optimus, eſt de noſtro juſtus*, inquit Tertullianus.

Objic. 2. In Deo non eſt vera juſtitia; ergo nec miſericordia. Prob. conſ. Nam juſtitia, & miſericordia pertinent ad eamdem virtutem; juxta illud: [1] *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi, juſtitia, & pax oſculatæ ſunt*.

Reſp. 1. neg. ant. Nam aliud eſt non eſſe juſtitiam ſtrictam, ut docemus, aliud non eſſe veram virtutem juſtitiæ. Sed quidquid ſit de ant.

Reſp. 2. neg. conſ. & ant. prob. Nam in Deo diſtinguuntur formaliter, & habent diverſas definitiones, ut patet.

Objic. 3. Nihil poteſt tribui Deo, quod importat relationem intrinſecam ad creaturas; ſed miſericordia ſic importat; ergo non poteſt tribui Deo. Prob. min. Nam miſericordia reſpicit eſſentialiter miſerias noſtras; ergo &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Nam miſericordia in Deo eſt perfectio in ſe abſoluta, nec tam reſpicit intrinſecè miſerias noſtras, quàm ab ipſis reſpicitur, ut ab illa subleventur; ſicut ſcibile creatum reſpicit ſcientiam Dei potiùs, quàm ſcientia illud. Eſt ergo in Deo reſpectus *ſecundum dici*, quatenùs miſericordiam concipimus in ordine ad miſerias noſtras.

Concl. 2. *Miſericordia, & juſtitia ſunt attributa in Deo formaliter diſtincta*.

Prob. 1.

[1] *Pſal.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] quia ſicut in Deo *intellectus non eſt formaliter voluntas, nec è converſo, licèt unum ſit alteri veriſſima identitate idem, ita juſtitia non eſt formaliter, vel quidditativè idem miſericordiæ, vel è converſo*. Juſtitia generaliter in Deo ſumitur pro condecentia ſuæ bonitatis, & ſic ad eam ſpectant, quæcumque condecentia ſunt ſuæ bonitati. Et in hoc ſenſu miſericordia eſt quædam pars juſtitiæ, quia ſuæ bonitati condecens eſt miſereri. Sed hæc acceptio juſtitiæ eſt generaliſſima, & complectitur omnes virtutes, ſumpta verò ſpecialiter prout importat debitum ad ſuam bonitatem, velut ad alterum, ſic diſtinguitur ab aliis virtutibus, & maximè à miſericordia, quæ præter bonitatem, quæ eſt primarium ejus objectum, reſpicit aliquid in creatura, prætermiſſo etiam juſto, quod poteſt eſſe in creatura, nempe exigentiam.

Prob. 2. Nam juſtitia in ſuo conceptu ſpecifico, & formali reſpicit debitum ſuæ bonitati, miſericordia verò reſpicit, ſaltem ſecundariò, & indirectè aliquid in creatura, ſc. miſeriam ejus ex motivo illam ſublevandi; ergo illæ virtutes formaliter diſtinguuntur ex natura rei, cùm habeant diverſa objecta formalia, & immediata, licèt conveniant in objecto quaſi materiali. Nam minus requiritur ad diſtinctionem, quàm ad identitatem.

Objic. ex Scoto. [2] Miſericordia eſt actus juſtitiæ; ergo non diſtinguitur ab illa.

Reſp. diſt. ant. Actus juſtitiæ generalis, quæ complectitur omnes virtutes, con. juſtitiæ ſpecialis virtutis, & in proprio ſenſu, neg. ant. Nam ſic conſtituunt diverſas ſpecies virtutum, & miſericordia potiùs ſpectat ad charitatem, quàm ad juſtitiam ſpecialem.

Concl. 3. *Probabile eſt, quòd in omnibus Dei operibus ad extra relucent inſeparabiliter duæ illæ virtutes divinæ, juſtitia, & miſericordia, maximè in* operibus gratiæ.

Prob. 1. ex Scoto. [3] Probabiliter tenetur, quòd in opere divino concurrunt miſericordia, & juſtitia, juxta illud, *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas*. Et accedit ratio, quia artifex voluntate

[1] *ibid. q.* 3 *C. n.* 4. [2] 3. *d.* 34. *M. n.* 19 [3] 2. *d.* 46. *q.* 4. *A n.* 2.

producens conformiter regulæ ſuæ, juſtus eſt, quia juſtitia reddit unicuique, quod ſibi debetur, artificiato maximè debetur, quòd concordet regulæ ſuæ. Ecce pro juſtitia, quatenus omnia opera Dei ſunt perfecta ſecundum regulas ſuæ ſapientiæ. Similiter miſericordia eſt in ſubveniendo indigentiæ præſenti, ut non inſit, vel futuræ, quæ imminet, ne inſit, Deus autem producendo quamcumque creaturam ſic, vel ſic ſubvenit indigenti.

Prob. 2. ex Script. & Patribus. [1] *Miſericordiam, & veritatem diligit Deus*, Et *Miſericordia, & veritas obviaverunt ſibi &c.* Et *Univerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas.* Ad quæ verba Auguſt. [2] *Quis explicet, quàm crebro hæc duo conjuncta Divina Scriptura commemorat? Aliquando etiam mutatis nominibus, ut gratia pro miſericordia ponatur..... aliquando pro veritate judicium, ſicut eſt, Miſericordiam, & judicium cantabo tibi Domine*, &c.

Fatetur tamen Doctor, [3] illam rationem, quæ eſt D. Tho. procedere ex ratione juſtitiæ, & miſericordiæ valde generaliter acceptæ, quia ex parte Dei nihil debitum eſt creaturæ, & ratio de miſericordia valde extendit miſericordiam ad ſublevationem, vel excluſionem cujuſcumque defectus, cùm tamen propriè non ſit, niſi ad ſupplendum defectum pertinentem ad miſeriam, non autem omne defectivum poteſt eſſe miſerum, ſaltem propriè, Deo.

Dixi; *maximè in operibus gratiæ*, quia in his attenditur minùs propria juſtitia, cùm præmiat merita, aut punit demerita, quia ſcilicet præmiat ultra condignum, & punit citra. In præmiatione, & punitione lucet juſtitia in exceſſu præmii, & levitate ſupplicii miſericordia.

DIS-

[1] *P. 83. & 84. & 24.* [2] *De peccat. Mer. c. 9.*
[3] *Ibid. n. 3.*

DISPUTATIO XI.

De providentia Dei.

INter divinas virtutes præcipuum locum obtinet providentia, quæ incomprehenſibilis ſapientiæ, prudentiæ, & bonitatis eſt propago, in cujus contemplatione exclamat Apoſtolus, *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus!* Non mirum igitur, ſi in ea cæcutiant cæteri non edocti in cęlo, ut Paulus. Nos ejus, & aliarum Scripturarum, & Sanctorum Patrum ductu caliginem hanc divinam intramus.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit providentia in Deo.

PRovidentiam dicunt aliqui à *pro*, quod ſignificat *antè*, & *video*, quaſi *providere* idem ſit, ac *antè videre*. Quo ſenſu dixit Cicero, [1] *Providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit.* Alii à *procul*, & *video*, quaſi *providere* ſit *à longè videre*. Sic Deus *de cælo in terram aſpexit*, inquiebat David. Sic prævidit ab æterno, quæ hodie, & in ſecula futura ſunt. Dicerent etiam particulas *pro*, & *video*, ſumi poſſe grammaticaliter ita, ut ſit idem, ac *pro vobis video*, ſcil. cum cura, & ſolicitudine pro ſuis creaturis. Nam providentia, de qua hìc agimus, eſt illa Dei virtus, per quam rebus omnibus proſpicit, *ut rectè, & congruenter gubernentur*, inquit Damaſc. [2] *eſt ea cura, quæ ex Deo eſt, in ea, quæ ſunt.* Et ex D. Thom. [3] *eſt ratio ordinandorum ad finem per media apta, & ſufficientia ad illum finem aſſequendum*. Et in hoc ſenſu de illa hìc agimus. Et quærimus, an ſit in Deo talis actus circa creaturas tam in communi, quæ dicitur generalis, quàm in ſingulari, quæ dicitur particularis.

Per

[1] *de Invent.*
[2] 2. *De fide* 29.
[3] 1. *p.* 9. 22. *a.* 1.

Per generalem providentiam intellige, cum Scoto, [1] eam, qua regit res, ſecundum quod natæ ſunt regi, juxta illud Auguſtini. [2] *Res, quas condidit, ſic adminiſtrat Deus, ut eas ſuos motus agere ſinat*. Per particularem verò eam, qua ex electione providet unicuique hominum ſecundum merita præſentia, vel futura, & nobis occulta, ſed ſibi præſentia; quia ejus judicia juſta ſunt ſemper, licèt occulta, ita, ut aliquando adverſitas plus proficiat, quàm proſperitas, inquit Boetius. [3] Et hæc etiam dicitur providentia moralis, & ſupernaturalis.

Concl. 1. *In Deo eſt vera providentia, qua omnia, & ſingula curat, gubernat, & in ſuos proprios fines dirigit per ſufficientia media*. Eſt de fide contra Atheos, & impios Philoſophos, qui cum Democrito, Heraclito, & Epicuro, &c. *neque univerſis, neque ſingulis à Deo provideri volunt*. Primi Deum non agnoſcunt, iſti, & alii ſimilis farinæ negant ei curam eſſe de his inferioribus. *Circa cardines cœli ambulat*, inquiunt apud S. Job, [4] *& noſtra non conſiderat*.

Prob. 1. ex Scoto mox citato: [5] Secundum fidem, & virtutem ita dicendum eſt, quòd Deus habens providentiam generalem de omnibus regit res... & præter iſtam generalem providentiam, habet ex quadam electione, ſecundum quam providet unicuique hominum, &c.

Prob. 2. ex Script. Nam [6] *Dei Sapientia attingit à fine uſque ad finem fortiter, diſponens omnia ſuaviter, & æqualiter. Eſt illi cura de omnibus*. Et *In omni providentia occurrit illis*. Et, [7] *Tua autem, Pater, providentia cuncta gubernat*. Quod exemplis probat Chriſtus D. *Reſpicite volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater veſter cœleſtis paſcit illa*, &c.

Prob. 3. ex Patrib. *Deitas proſpicit cuncta mirabili providentia, & bonitate*, ait Dionyſ. [8] *nihil omninò eorum, quæ facta ſunt, & quæ fiunt, & fient, Deum fugit, ſed per illius providentiam unumquodque & habitum, & ordinem, & numerum, et quantitatem acci-*

[1] *Quodlib. 21. S. n. 15.* [2] *7. Civit.*
[3] *30. 4 conſol. pro. 4.* [4] *Job 22.* [5] *Ibid.*
[6] *Sap. 8. et 6. et 14.* [7] *Mat. 6.*
[8] *Div. nom. cap. 12.*

cipit propriam. Et Lactantius dicit, [1] quòd *Providentiam negare eſt negare Deum eſſe, ſi nihil curat, nihil providet, amiſit omnem divinitatem*, &c.

Prob. 4. ratione ipſa naturali. 1. Natura ipſa nos docet ad Dei opem in malis recurrere, ut patet in repentinis perturbationibus, in quibus ſine deliberatione, & electione Dei nomen invocamus, *velut natura nos ſine doctrina ad Dei opem perducente*, inquit Nemeſius. [2] 2. Ex omnium gentium ſenſu, quæ Deum non colerent ullum, ſi colentis obſequio nullam gratiam refert. *Quippe quid tam vanum, tam ſtultum, quàm templa ædificare, ſacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil aſſequamur?* Inquit idem Lactanti. [3] 3. ex titulo creatoris. Si enim Deus eſt omnium creator, ita & proviſor. *Quis operator negligit operis ſui curam? quis deſerat, & deſtruat, quod ipſe condendum putavit?* ait Ambroſ. [4] 4. ex creaturarum omnium perfectione, ordine ſtabili, & concordi diſcordia. *Deus, à quo omnis mundus, omnis ordo, omnis ſpecies, à quo omnis menſura, omnis numerus, omne pondus.... qui dedit carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationem*, &c. [5] ait Aug. *quomodò hæc faceret, vel feciſſet ſine agentis providentia?* Et, ut notat Boetius, mundus ex tam diverſis, contrariiſque partibus in unam formam minimè conveniſſet, niſi unus eſſet, qui tam diverſa conjungeret, conjuncta verò naturarum ipſa diverſitas invicem diſcors diſſociaret, atque divelleret, niſi eſſet unus, qui, quod nexuit, contineret; ergo quibus rationibus agnoſcimus Deum eſſe, (quæ ſunt purè nobis à natura ipſa oſtenſæ) & quibus rationibus agnoſcimus Deum ut creatorem ſingulorum, iiſdem, inquam, rationibus conſtat Dei providentia de omnibus, & ſingulis quantumcunque exiguis, & vilibus creaturis.

Prob. 5. de ipſis infimis, & viliſſimis. 1. ex Script. [6] *Excelſus Dominus, & humilia reſpicit*. Et [7] *Attingit à fine ad finem*, ideſt, inquit Bernar. [8] à ſummo cælo uſque ad inferiores partes terræ, & à maxi-

[1] *l.* 2. c. 45. [2] *De facult. an. c.* 44.
[3] *De ira Dei c.* 8. [4] 2. *Offic.* 13.
[5] 5. *Trin.* 11. [6] *Pſal.* 137.
[7] *Sap.* 8. [8] *De lib. arb.*

ximo Angelo uſque ad minimum vermiculum. *Et revera ipſe eſt*, [1] qui dat jumentis eſcam ipſorum, & pullis corvorum invocantibus eum, ipſe eſt, qui producit in montibus fœnum, & herbam &c. & ut docet Chriſtus de volatilibus cæli, & de liliis agri; addit alibi de paſſeribus, & de capillis capitis noſtri, quorum nequidem unus cadet. Et 2. inde docet Auguſtinus [2] quòd qui dicebant providentiam ad hæc infima non deſcendere, non ſunt audiendi.... Etenim contra hos loquitur Pſalmus, qui cùm explicaſſet laudes cæleſtium, ſe etiam ad inferiora convertit, *Laudate Dominum de terra, Dracones, & omnes abyſſi: ignis, grando*, Et pro parvis, ac vilibus dicit, [3] quòd *Ita artifex eſt magnus in magnis, ut minor non ſit in parvis, quæ parva, non ſua granditate, quæ nulla eſt, ſed artificis ſapientia metienda ſunt*. Et alibi [4] *Creat minima corpore, acuta ſenſu animantia, ut majore attentione ſtupeamus agilitatem muſcæ volantis, quàm magnitudinem jumenti gradientis*, Et alibi deſcribit pulicis, & culicis mirabilem ſtructuram, [5] *Quis diſpoſuit membra pulicis, & culicis, ut habeant ordinem ſuum, vitam ſuam, motum ſuum?* &c. Denique in viliſſimis, & minutiſſimis non minùs elucet Dei ſapientia, & bonitas, quàm in maximis. *Rerum natura*, inquit Plinius, *nuſquam magis, quàm in minimis tota eſt*, ergo providentia tam reſpicit infima, & minima, quàm ſuprema, & maxima.

Objic. 1. ex Script. Dei cura non deſcendit infra cardines cæli. [6] *Circa cardines cæli ambulat, & noſtra non conſiderat*. Et D. Paulus [7] *Nunquid cura eſt de bobus Deo?* Et David queritur de providentiæ defectu circa bonos, & malos, [8] *Zelavi ſuper iniquos, pacem peccatorum videns*. Item & Jeremias; [9] *Quarè via impiorum proſperatur?* &c. Et Abacuch, [10] *Quarè reſpicis ſuper iniqua agentes, & taces, devorante impio juſtiorem?* ergo vel non eſt in Deo providentia, vel deeſt æquitas, dum hæc permittit.

Reſp. neg. conſ. Nam talia Scripturæ loca benè intel-
le-

[1] *Pſal.* 146. [2] 5. *Ge. lit.* 21.
[3] 11. *de Civit.* 22. [4] *Gen. litt.* c. 6.
[5] *In Pſ.* 48. [6] *Job* 22.
[7] 1. *Cor.* 9. [8] *Pſ.* 72.
[9] *Jer.* 12. [10] *Abac.* 1.

lecta potiùs commendant Dei ſapientiam inſcrutabilem. 1. locus continet opinionem impiorum, quos S. Job impugnat, & arguit. D. Paulus eodem ſenſu loquitur non ex mente ſua, qua dixerat *non Alligabis os bovi trituranti*, ſenſus ergo ejus eſt ex Chryſ. ut probet mercedem tribuendam Doctoribus, [1] *Non curæ eſt, dic quæſo, de bobus Deo? curæ quidem eſt, ſed non ita, ut de eo legem tulerit, ſicut de hominibus, quos magis curat.* David autem, & Prophetæ ex quodam zelo ferventiori, ſeu potiùs ex admiratione queruntur de impunitate malorum, non conſiderantes pro tunc, quòd tribulatio utilis eſt juſtis, vel dat tempus iniquis ad converſionem, vel saginat ad flammas. *Tribulatio*, inquit Auguſtinus, *compellit nolentem, erudit ignorantem, protegit infirmantem, excitat torpentem, humiliat ſuperbientem, purgat pœnitentem, coronat innocentem.* Et, ut docet Apoſt. [2] *Virtus in infirmitate perficitur.* Et Tobiæ dicebat Angelus: [3] *Quia acceptus eras Deo, neceſſe fuit, ut tentatio probaret te.* Et contra eſt de iniquis. Unde Abraham dicit diviti dolenti in inferno: [4] *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua, & Lazarus mala.* Denique Deus *alios coronat, alios damnat; nuſquam errat*, alios probat, *de aliis probat, omnes ordinat*, ait Auguſt. [5]

Objic. 2. ex Patribus, maximè con. 2. p. cura generalis de omnibus, & ſingulis dedecet Deum; ergo non debet admitti. Prob. ant. ex Sanct. Hieronymo. [6] *Abſurdum eſt ad hoc deducere Dei Majeſtatem, ut ſciat per momenta, quot naſcantur pulices, quotve moriantur, quæ cyniphum, & pulicum, & muſcarum ſit in terra multitudo*, &c. ergo &c.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam ibi Hieron. negat eam providentiam Dei circa minima, quam imaginamur cum laborioſa ſolicitudine, & tali, quam habet de homine. Nam ipſemet alibi agnoſcit eam providentiam generalem ſupra illud Euangelii, *Si parva animalia abſque Deo auctore non decidunt* (ut paſſeres) *& in omnibus eſt providentia, & quæ in his peritura ſunt, ſine Dei voluntate non pereunt, vos, qui æterni eſtis, non debetis time-*

[1] *Ibid.* [2] *2. Cor. 12.* [3] *Tob. 13.* [4] *Luc. 16.*
[5] *Ser. 25. 4. Temp.* [6] *In Matth. 20.* [7] *Jo. 9.*

timere, ne vivatis ſine Dei providentia. Quod probat ex aliis textibus ſuprà citatis ... Et concludit, quòd ſi ſine Dei ſcientia parva quoque animalia non decidunt, quantò magis homo, qui Apoſtolica fultus ſit dignitate? Ecce Hieronymum expoſitum per ſe ipſum. Et conſiderans verba iſta, *Veſtri capilli capitis omnes numerati ſunt*, &c. ait: *Ubi numerus eſt, ſcientia numeri demonſtratur*, &c.

Inſt. 1. Vera providentia non eſt ſine ſolicitudine, & animi inquietudine, quia ſemper laborat in conſultando, inquirendo, & conſiderando, quæ poſſunt impedire, aut retardare conſecutionem finis, & vexatur incertitudine eventus: ſed hæc repugnant Deo, ergo, &c.

Reſp. diſt. maj. & rationem ejus. In creaturis, quæ ſunt agentia limitata, conc. in Deo, qui eſt infinitæ ſapientiæ, & potentiæ, neg. maj. & conſ. Illi defectus oriuntur in creaturis ex limitatione ſcientiæ, & potentiæ, at Deus, qui habet ſcientiam, & potentiam infinitam, non eget conſultatione pro mediis eligendis, nec timet de impedimentis. Ideò ejus *providentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, & exactiſſima eſt æquè, ac pacatiſſima.

Inſt. 2. Si hoc eſſet, nihil eſſet fortuitum, nam omnia eſſent præviſa, & prædefinita, ſed multa ſunt fortuita, ex omnium ſenſu; ergo non eſt providentia de omnibus.

Reſp. neg. min. Abſolutè enim falſa eſt quoad Deum, cui nihil fortuitum, quia cuncta prorſus prævidet, & prædefinit; dicuntur fortuita quoad nos, qui non prævidemus futura, nec pervidemus ordines, & diſpoſitiones cauſarum, nec Sapientiæ Dei, *de cujus fonte deſcendunt cuncta ſuis locis, & temporibus, prout diſpoſuit*; ait Boetius. [1]

Objici ſolet difficultas conciliandi providentiæ certitudinem cum libertate humana, quæ non poteſt fruſtrare prædefinitiones providentiæ. Sed ad hæc reſponſum eſt, ubi de præſcientia, prædefinitionibus, & decretis æternis.

Concl. II. *Providentia eſt diſpoſitio æterna, qua ordinat Deus omnia in ſuos fines per illa media, per quæ in* tem-

[1] 4. *de conſol.*

tempore fines illos conſequuntur. Eſt communis quoad rem.

Prob. 1. ex Scoto cit. deſcribente Providentiam *eſſe, qua regit res, ſecundum quod natæ ſunt regi*, ideſt, per media opportuna, & apta ad finem conſequendum.

Prob. 2. Quia ſic ſufficienter explicatur hæc Dei virtus ad mentem Scripturæ, & Patrum, qui nihil aliud intelligunt per Providentiam. Unde Boetius dicit, [1] eam *eſſe rationem Divinam in ſummo omnium Principe conſtitutam, qua cuncta diſponit*. Et Damaſc. eſſe *rerum procurationem, qua Deus fungitur, & voluntatem, qua res omnes aptè, congruenterque gubernantur*. Nam hæc in re coincidunt cum noſtra deſcriptione.

Colligis, non ſolùm omnia, & ſingula entia poſitiva naturalia ſubjacere Dei providentiæ, ſed etiam omnes actus noſtros liberos, etiam malos, ſaltem providentiæ permiſſivæ.

Hoc patet ex 1. concl. & ex dictis de prædefinitionibus. Nam præterquam quòd Deus graviter peccata prohibet, & punit, licèt non velit ea directè, illa tamen permittit ob fines ſibi cognitos, & ex illis bona plurima elicit, tum in oſtenſionem potentiæ, & miſericordiæ, & juſtitiæ, tum in exercitium, & gloriam, & probationem juſtorum. *Ne putetis* (inquit Auguſtinus) [2] *gratis eſſe malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus, aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ut per illum bonus exerceatur.* Et S. Bonav. dicit, [3] *malū eſſe ſub divina providentia, non tanquam ab ea factum, ſed quatenus ab ea ordinatur*. Et S. Thomas dicit, *mala ſubjacere divinæ providentiæ, tanquam præſcita, et ordinata*. Et alibi dicit, quòd multa bona ſunt in rebus, quæ niſi mala eſſent, non haberent locum, &c. ergo etiam peccata ſubjacent divinæ providentiæ. Idem docent alii Patres communiter.

Quæres, *An providentia, quam Deus habet, ſit æqualis de omnibus.*

Reſp. ex dictis ad ſimile quæſitum de voluntate, illam ex parte actûs eſſe æqualem, & in effectibus, & terminis inæqualem. Nam ſine dubio de illis major eſt.

[1] 4. *de conſol. pro* 6. [2] 1. *d.*46.*q.*6.*a.* 1.
[3] 1.*d.* 39.*q.*2.*n.*2.

eſt. 1. quos ad nobiliorem finem ordinat, ut Angelos, & homines, quos fecit ad felicitatem æternam; creaturas verò reliquas diſpoſuit, ut ſervirent homini. *Omnia veſtra ſunt*, inquit Apoſtolus, *vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. 2. illos, quos elegit efficaciter ad gloriam, præfert reprobis. 3. inter electos meliùs providet illis, quibus abundantiores, & ſpeciales confert gratias, & ſic de cæteris. 4. inter alias creaturas animalia præfert plantis, & plantas lapidibus, ac metallis, &c. Nec hìc immorandum.

QUÆSTIO II.

An providentia ſit actus intellectus, an voluntatis.

CErtum eſt, providentiam Dei importare actus intellectus, & voluntatis. Nam 1. Deus per intellectum debet cognoſcere finem, & media cum omni eorum ordine, & efficacia, & poſſibilitatem, & futuritionem finis per illa media, alioqui ageret cęcè, & vagè. Hæc autem ut nos cognoſcimus pluribus actibus, & per diſcurſus, & conſultationes, Deus unico, & ſimpliciſſimo intuitu comprehendit. 2. per voluntatem vult illos fines ſibi oſtenſos ab intellectu, eligit media, quæ ſibi placent, & applicat in tempore. Quæritur ergo, an providentia formaliter conſiſtat in alterutrius potentiæ actibus, vel in utriuſque.

Concl. *Providentia Dei eſſentialiter conſiſtit in ſolo actu voluntatis, quæ vult res omnes perducere ad ſuos fines per media congrua*. Ita Scotiſtæ, & alii poſt S. Bonaventuram contra Thomiſtas, & alios, qui eam ponunt vel principaliter in intellectu, vel æqualiter in utroque. Prob. 1. ex Scoto [1] qui de prædeſtinatione præcipuo actu providentiæ dicit eſſe actum voluntatis, & de providentia Dei circa homines dicit, [2] quòd voluntate antecedente *vult omnes homines ſalvos fieri*, quatenus vult illis adjutoria communia antecedentia, cum quibus poſſunt ſufficienter benè vivere, & ſalvari.

Prob-

[1] 1. *d*. 40. *A*. *n*. 2. [2] *d*. 46. *B*. *n*. 3.

Prob. 2. ex Script. & Patribus, qui providentiæ actus tribuunt voluntati, cùm dicunt, quòd Deus [1] *prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*, & prædeſtinationem exprimunt nomine dilectionis, & reprobationem nomine odii [2] *Jacob dilexi, Eſau odio habui*. Et Damaſcenus: [3] *Providentia eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, convenientem gubernationem ſuſcipiunt*. Et, *Quia bonus eſt*, Deus, *providet*, (ſcil. ex bonitate, & amore) dicit Nemeſius [4] *Providentia*, inquit, *eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, aptè gubernantur*. Et Nyſſenus apud S. Th. [5] *Eſt voluntas Dei, per quam omnia, quæ ſunt, convenientem directionem accipiunt*. Et ſic de aliis; ergo ex Script. & PP. Providentia ſpectat ad voluntatem.

Prob. 3. Nam poſita quacumque cognitione finis, & mediorum utilium non habetur providentia, & poſita volitione illorum habetur; ergo eſt formaliter talis volitio. Conſeq. eſt evidens. Nam ſine parte formali conſtitutiva non habetur conſtitutum. Prob. ant. Nam homo non diceretur benè providere filiis per hoc, quòd ſciret, ad quid illos poſſet deſtinare, & media, per quæ poſſet eò perducere, benè verò per hoc, quod vellet illis talem finem, & media illa; ergo ſic Deus non providet creaturis per hoc, quod cognoſcit eorum felicitatem, & media, per quæ illam conſequi poſſunt, ſed per voluntatem, qua vult illis tale bonum, & talia media.

Dices, hinc probari, quòd providentia non eſt totaliter in intellectu, non verò, quòd non ſit in eo ſaltem partialiter, imò & principaliter.

Contrà. Si, quia cognitio finis, & mediorum prærequiritur, dicis, Providentiam eſſe partialiter, aut principaliter in intellectu, idem diceres de omnibus aliis virtutibus, v.g. de ſpe, charitate, juſtitia, & temperantia, omnes enim prærequirunt cognitionem; ſed conſeq. eſt falſum, & contra communem ſenſum; ergo & antec. Min. patebit ex dicendis de illis virtutibus.

Contra 2. Si per impoſſibile poſſet quis velle finem, & eligere media ſine cognitione adhuc dice-

[1] *Ephеſ.* 1. [2] *ibid.* [3] *Cit.* [4] *de facult. A. n.* 53. [5] 3. *cont. Gent.* 73.

diceretur providere; ergo Providentia formaliter non includit actū intellectus, licèt illum præſupponat.

Objic. 1. Prædeſtinatio, quam fatemur principalem actum providentiæ, eſt actus præſcientiæ, & Scriptura alios actus ejuſdem providentiæ vocat [1] *præſcientiam, prævisionem, reſpicientiam*, &c. ſed hi actus ſunt in intellectu; ergo & providentia. Prob. maj. ex Apoſt. [2] *Quos præſcivit, et prædeſtinavit*, &c. & *prædeſtinavit ſecundum conſilium voluntatis*; conſilium autem, & preſcientia ſunt in intellectu. Item mons, in quo Deus providit de victima holocauſti Abrahæ, [3] dicitur *mons, in quo Dominus videt*, & reſpicere in Deo idem eſt, ac providere conſolationes, & gratias. [4] *Oculi ejus in pauperem reſpiciunt*, & *Reſpexit afflictionem*, & *Reſpexit filios Iſrael*, & *Reſpice de cęlo, et vide*, & [5] *Reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ*, &c. ergo, &c.

Reſp. neg. maj. & ad textus prob. 1. nego, quòd præſcire ſit idem, ac prædeſtinare, licèt ſint connexa. Nam volitio, & decretum dandi gloriam, aut damnandi præcedit præſcientiam, quæ à decreto habet certitudinem, ut diximus. 2. Alii textus ſignificant ſolùm, quòd, quia Deus videt, & reſpicit miſerias, & neceſſitates noſtras, nobis providet ex bonitate, & miſericordia gratias, quibus ab illis ſublevamur; & hoc facit per voluntatem.

Inſt. Auguſtinus [6] vocem *præſcivit* explicat de formali prædeſtinatione; ergo ita eſſe dicendum eſt. Prob. ant. *Quod ait, præſcivit, non rectè intelligitur, niſi prædeſtinavit*. Et ad alium locum Pauli dicentis, *non repulit plebem ſuam, quam præſcivit*, ait, *Hæc Dei dona, ſi nulla eſt prædeſtinatio, quam defendimus, non præſciuntur à Deo*; præſciuntur autem, &c. ergo prædeſtinatio, & providentia eſt in intellectu, ſeu eſt formalis præſcientia.

Reſp. neg. ant. & conſ. prob. Nam Auguſt. vult ſolum præſcientiam ſequi ex prædeſtinatione, nec unam ſine alia eſſe, non autem, quòd ſint ſynonyma. Patet hoc ex ipſo textu. Ait enim, [7] *In hac ergo electione* (quæ eſt actus voluntatis) *& in his reliquis, quæ*

[1] *Rom.* 8. [2] *Epheſ.* 2. [3] *Gen.* 22. [4] *Pſal.* 21. *et* 79. [5] *Luc.* 2. [6] *De bono perſev.* 17. *&* 18. [7] *De prædeſt. SS.*

quæ teſte Paulo per electionem ſalvæ factæ ſunt, vult intelligi plebem, propterea non repulit, quia præſcivit . . . . hæc eſt illa electio, &c. ergo præſcientia ex Aug. ſequitur electionem voluntatis.

Objic.2.ex Patribus. Providentia eſt actus rationis; ergo & intellectus. Prob. ant. ex Dionyſ. [1] *Deitas proſpicit cuncta providentia mirabili*. Ex Boetio, [2] *Providentia eſt ipſa divina ratio*, &c. *& dicitur à videndo, nam providere eſt à longe videre*; ergo &c.

Reſp. neg.ant. & conſ. prob. Nam Patres iſti, & alii loquuntur de providentia ſecundum actum, qui ad eam concurrit, & prærequiritur; & talis eſt actus rationis, ſeu intellectus, & viſionis, quo proponitur voluntati finis, & media. Ob eamdem rationem dicitur hæc virtus à *longe videre*, quia verſatur circa futura bona procuranda, aut mala avertenda.

Inſt. Providentia eſt pars prudentiæ: ſed prudentia eſt habitus, vel actus intellectualis; ergo & Providentia. Prob. maj. Ex Ariſtotele [3] *eos prudentes dicimus, cùm benè ad finem ſtudioſum aliquem excogitaverint ea, quorum nulla eſt ars*. Et Ven.Beda, [4] *Prudentia à providendo nomen accepit*; ergo &c.

Reſp. neg. maj. maximè in Deo, quidquid ſit de Prudentia, & Providentia humana, de qua loquitur Ariſt. & Beda. Nam in creatis Providentia præſupponit quidem magnam prudentiam, ſed tamen formaliter non eſt actus prudentiæ, ſed alterius virtutis; maximè in Deo, in quo eſt potiùs charitas, & miſericordia, aut juſtitia.

Inſtabis 2. Providere eſt ordinare res in ſuos fines: ſed hoc ſpectat ad intellectum; ergo & providere.

Reſp. neg. min. abſolutè. Nam aliud eſt videre, quomodò res poſſint ordinari ad ſuos fines, & aliud eas ſic ordinare; illud ſpectat ad intellectum; iſtud verò ad voluntatem.

QUÆ-

[1] *de div. nom.* [2] 4. *de conſol.* [3] 6.*Ethic.*9.*et* 5.
[4] *L.*2. *ad c.*10. *Proverb.*

QUÆSTIO III.

An conſequutio finis ſit de ratione Providentiæ, ita ut res omnes ſemper finem ſuum conſequantur ut ordinatæ ſunt à Deo.

QUæſtionis hujus ſolutio patere poteſt ex dictis de voluntate Dei, an ſemper impleatur, & de voluntate ſalvandi omnes. Nam ibi reſponſum eſt negativè de voluntate inefficaci, conditionata, & antecedente, & affirmativè de abſoluta, efficaci, & conſequente. Et ſicut voluntas ſalvandi omnes (cùm ſit antecedens, & conditionata) non ſemper impletur; ita eſt de providentia, quæ ſæpiùs eſt voluntas antecedens, & conditionata.

Porrò in Providentia Dei hæc ſpectari debent. 1. mediorum *præparatio*, & *exhibitio*, 2. eorum *applicatio*, & *uſus* à creatura, & 3. finis *adeptio* per illa ſic applicata. Certum eſt autem quoad 1. providentiam Dei ſemper efficacem eſſe, nec poſſe falli, quia perfectè novit mediorum omnium utilitatem, & ſufficientiam, nec eligit, neque exhibet inſufficientia, ſaltem ex ſe. Quoad 2. verò creaturæ, cùm ſint liberæ, ſæpè aberrant à finis aſſecutione, quia poſſunt pro libito acceptare, vel reſpuere media, & gratias à Deo ſibi paratas, & oblatas; & inde ſequitur fruſtrari providentiam quoad finem iſtum, non verò quoad primum, ſcil. quoad mediorum electionem, & exhibitionem.

Suppono etiam, quòd providentia Dei reſpicit plures fines, 1. *generalem*, 2. *particulares*. 1. Reſpicit Deum, & manifeſtationem gloriæ ſuę, & bonum univerſi, & hic finis eſt primarius, & ultimatus; [1] *Univerſa* quippe *propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*. 2. ſunt alii fines proximi, & immediati, & particulares, ad quos res creatæ poſſunt dirigi, etiam à Deo, ut auctore univerſi, per media congrua. Sic beatitudo æterna eſt finis hominis, Deus autem ſemper conſequitur primarium illum finem. Nam quomodocumque, & undecumque gloriam ſuam manifeſtat. Sed fines particulares deficere

[1] *Proverb.* 16.

cere poſſunt, quia, ut diximus ex Auguſtino, *Deus res, quas condidit, ſic adminiſtrat, ut eas motus ſuos agere ſinat*. Ideò ſicut cauſæ ſecundæ inter ſe pugnant, & fortiores impediunt debiliores, ne ſuos effectus producant, ad quos ex providentia generali deſtinatæ fuerant, ita fines illos particulares non conſequitur hæc providentia. Sed finis ultimus nunquam fruſtratur. Ideò ſit

Concl. *Non eſt de ratione providentiæ, ut ſemper conſequatur omnes fines proximos, et particulares; ſufficit, ut aſſequatur primarium, ſive ultimatum, et generalem*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui Deum volentem ſalvare omnes homines, & præparantem ſingulis auxilia communia, *pro quanto dedit eis dona naturalia, et leges rectas, et adjutoria ſufficientia ad ſalutem*, comparat Regi, qui dici poteſt velle, & providiſſe, ut omnes ſubditi pacificè, & quietè vivant, quatenus ſtatuit bonas leges, & præficit miniſtros ad cuſtodiam legum, & tamen *ſi videat aliquem tribulari injuſtè, non ſtatim oporteret, quòd Rex intromitteret ſe ad faciendum illum quietè vivere*. Sic Deus, cùm providet adjutoria *antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter benè vivere, & ſalvari*, dici poteſt, quòd quantum eſt ex parte ſui, vult omnes ſalvari; ergo ex Scoto, ut Deus dicatur alicui velle ſalutem, & illi providiſſe de mediis ad illam, non eſt neceſſe, ut de facto conſequatur ſalutem. Hinc

Prob. 2. Deus ex providentia vult omnes ſalvos fieri, & providet illis ad hoc media ſufficientia, & quantum eſt ex ſe, ſed tamen non omnes ſalvantur; ergo de ratione providentiæ non eſt, ut ſemper conſequantur omnes fines ſuos particulares. Maj. probata eſt ſupra; nec videtur negari poſſe, quin hoc ſpectet ad providentiam. Min. autem eſt certiſſima.

Prob. 3. ex Script. in qua Dei providentia queritur ſe fruſtratam. [2] *Quid potui facere vineæ, & non feci ei, an quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruſcas?* Et Chriſtus repræſentat eum in patre familias, *qui plantavit vineam, & ſepem* circum-

[1] 1.d.46.B.n.3.
[2] Iſa.5.

circundedit ei, *&* locavit eam agricolis, à quibus expectabat fructus in tempore, ſed ipſi negarunt fructus, & ſervos exactores, & ipſum unigenitum Domini occiderunt. Item & in ſervis, quibus diſtribuit pecunias ad uſuram, & reperit unum ex illis, qui fodit talentum, & reddidit ſine uſura. Item de ficulnea infructuoſa, &c.

Prob. 4. quia de ratione providentiæ eſt tantùm dirigere omnia in fines ſuos per media proportionata ex ſe: ſed ad hoc non eſt neceſſe, ut ſemper finis ipſe ſequatur; ergo &c. Maj. patet ex definitionibus allatis. Prob. min. Nam media ſunt congrua rerum naturis, ſi ſinant eas, quæ ſunt liberę, agere motus ſuos, ſc. liberè, & contingenter: ſed iſtæ poſſunt velle, aut non velle conſequi finem ſibi à Deo proviſum, ſequendo, aut reſiſtendo gratiæ ſibi oblatæ, aut infuſæ; ergo &c.

Sufficit ergo, quòd Deus finem generalem ab ipſo unicè dependentem conſequatur, ſc. manifeſtationem gloriæ ſuæ. Nam de facto præparans, & exhibens ſic gratias ſuas omnibus, ſatis oſtendit divitias bonitatis ſuæ, & puniens ingratitudinem, & malitiam eorum, qui reſiſtunt gratiis oblatis, oſtendit juſtitiam ſuam, & ſuſtinens impios, oſtendit patientiam, & clementiam.

Objic. 1. Providentia ſpectat ad voluntatem efficacem, & conſequentem: ſed hæc ſemper impletur; ergo & illa ſemper conſequitur omnem finem ſuum.

Reſp. neg. maj. vel diſt. Ad voluntatem efficacem antecedentem, & conditionatam, & quoad electionem, & præparationem mediorum, conc. ad voluntatem efficacem, abſolutam, & conſequentem reſpectu omnis finis, neg. maj. Nam providentia non dicit volitionem conſequentem, & abſolutam finis dependentis à libertate noſtra, ſed tantùm volitionem finis, & exhibitionem mediorum ſufficientium de ſe, & ſub conditione cooperationis liberæ ex parte noſtra. Et hæc volitio eſt quidem aliquo modo efficax reſpectu electionis, & exhibitionis mediorum, ſed antecedens, & conditionata reſpectu noſtri.

Objic. 2. Si non ſemper conſequeretur finem volitum,

tum, vel eſſet defectus potentiæ, aut prudentiæ, vel ipſa eſſet inutilis, ſed hæc abſurda ſunt; ergo & illud. Min. patet ex Eccleſiæ profeſſione, *Deus, cujus providentia in ſui diſpoſitione non fallitur*, &, *Attingit à fine uſque ad finem fortiter*. Maj. prob. Nam vel falleretur in mediorum electione, & eſſet defectus prudentiæ, vel impediretur ab executione, & eſſet defectus potentiæ, vel certè fruſtra ſic provideret; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nullum enim horum ſequeretur, quia Deus ſemper finem primarium aſſequitur, & prævidet alios non aſſequendos ex malitia hominum, ſine quorum cooperatione libera non vult illos; & ſic nec fallitur, nec deeſt potentia; ſed adeſt ſumma ſapientia, & clementia; & inde commendat juſtitiam, cùm punit obſtinatos, & ingratos, ut patet de vivitoribus injuſtis, & hom icidis.

Inſt. Si Deus prævidet eventus futuros, videt efficaciam, vel inefficaciam mediorum, quæ exhibet, ſi videt inefficaciam, ergo non vult finem obtineri per illa, aut imprudenter eligit, & exhibet illa, ſi videt efficaciam, ergo fruſtratur.

Reſp. eum prævidere inefficaciam, quæ non ſe tenet ex natura mediorum, ſed ex libera reſiſtentia noſtra, & ſic neg. utramque conſ. Videt mediorum ſufficientiam in ſe, & vellet per illa conſequi finem, ſed videt etiam inefficacia fore ex malitia noſtra, cui vim inferre non vult, & ſic voluntate conſequenti non vult illos fines particulares. Deinde finem ſuum primarium conſequitur, quod illi ſufficit, ut non fruſtra exhibeat illa media.

Objic. 3. ex PP. Nazianzenus, [1] *Quantum ad divinæ providentiæ conſtitutionem resfixæ, & ſtabiles ſunt, etiamſi per contraria gradiuntur*. Et Boetius, [2] *Providentia actus, fortunaſque hominum indiſſolubili cauſarum connexione conſtringit, quæ cùm ab immobilibus Providentiæ proficiſcantur exordiis, ipſos quoque immutabiles neceſſe eſt eſſe*; ergo ex Patribus providentia ſemper aſſequitur fines ſuos.

Reſp. diſt. conſeq. quoad finem primarium, conc. quoad particulares, & proximos, neg. conſ. Nec enim de iſtis loquuntur Patres, ſed de univerſali, & primario.

[1] *Orat. ad Jul.*
[2] 4. *de conſol. proſa* 6.

rio. Eſt etiam infallibilis quoad præſcientiam, quæ certò prævidet omnes omnino eventus.

Quæri hìc poſſent alia de Dei providentia, v. g. quomodo omnibus provideat, & an immediatè. Sed non vacat iis immorari, quæ ad Aſcaticos potiùs, quàm ad Scholaſticos ſpectant.

Certum eſt 1. Deum efficere immediatè omnia entia poſitiva, ut creatorem omnium. Quod patet ex Phyſica de concurſu Dei immediato.

2. Certum eſt, omnia conſervari à Deo, dicente Scriptura, [1] *Quomodò poſſet permanere aliquid, niſi tu voluiſſes? aut quod à te vocatum non eſſet, conſervaretur?* Et de Verbo Divino dicitur, [2] quòd *portat omnia Verbo virtutis ſuæ*. Id eſt, inquit Magiſter, *continens, & gubernans omnia*.

3. Probatum eſt in Philoſophia, Deum cooperari, & concurrere ad omnes effectus cauſæ ſecundæ immediatione virtutis, & ſuppoſiti. Audi Auguſtinum ex Scriptura. [3] *Sunt, qui arbitrentur tantummodo mundum factum fuiſſe à Deo, cætera jam fieri à mundo ipſo, ſicut ille ordinavit, & juſſit, Deum autem nihil operari, contra quos profertur illa ſententia Domini, Pater meus uſque modò operatur, & ego operor.*

4. Probatum eſt ſupra, quòd ordinat omnia in ſuos fines per media ſufficientia. *Cum eo eram cuncta componens*, inquit Dei ſapientia, *Quando præparabat cælos, aderam*, &c.

5. Certum eſt, quòd ipſos Angelos adhibet in tutelam, cuſtodiam, & regimen hujus mundi, & ſingulorum hominum [4] *Angelis ſuis mandavit de te, ut cuſtodiant te*. Item [5] *Omnes ſunt adminiſtratorii ſpiritus in miniſterium miſſi propter eos, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. De his ſatis; ad principaliorem actum divinæ providentiæ circa homines, & Angelos deſcendamus.

DI-

[1] *Sap.* 11. [2] *Hebr.* 1. [3] 5. *gen. ad litt.* 20.
[4] *Pſ.* 90. [5] *Rom.* 11.

DISPUTATIO XII.

De prædeſtinatione, & reprobatione.

IN hac materia, ſeu myſterio cæcutire ſe Paulus confitetur, quantumvis in cœlo eruditus de arcanis Divinis, & illud conſiderans exclamat, *O altitudo divitiarum ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus!* &c. Ideò monet Auguſt. [1] *Quanto convenientius, quantò accommodatius eſt modulo noſtro expaveſcere illic, ubi Paulus expavit, & exclamare,* O altitudo, &c. *Quantò melius eſt admirari, quod inveſtigare non ſufficis?* Nos cæcitatem fateamur, quam Deo illuminandam offerimus, & lumine Scripturarum, ac Patrum, & maximè Auguſtini ductu caliginem hanc ingrediamur, ut veritatem, ſi licuerit, aſſequamur.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit prædeſtinatio in Deo.

PRædeſtinationis voce utimur ad ſignificandum intellectus, aut voluntatis divinæ actum, quo ab æterno apud ſe deſtinavit hominibus, & Angelis aliquot dare gratiam, & gloriam in tempore. Nam juxta Eccleſiæ Lugdunenſis ſenſum: *Prædeſtinatum* idem eſt, ac *præfinitum, ſtatum, præfixum, præordinatum*, &c. Ecce ſignificatum quoad vocem. Et quærimus, an in Deo extet tale decretum de hominibus. Tum examinabimus ſtrictiorem ejus definitionem. Dico, *utimur*. Nam ex vi vocis præcisè ſignificat quodcumque firmum, & æternum Dei ſtatutum, ſeu decretum circa creaturas, quia ex Hieron. [2] *prædeſtinare*, idem eſt. ac *prædefinire*, & ſic prædeſtinatio dici poteſt de omnibus, quæ Deus decrevit circa creaturas, & tam de reprobis, quàm de electis. Hoc ſenſu aliquando Patres utuntur hac voce, ut Aug. loquens de duabus civitatibus, quarum unam prædeſtinavit ad gloriam, & aliam ad gehennam. At ex uſu

[1] 21. *contra Fauſt.* 3. [2] *in Epheſ.* 1.

communiori Theologorum ſumitur pro ſolo decreto æterno Dei circa homines, & Angelos, quo ſtatuit eos elevare ad gloriam. Et ita deinceps uſurpabimus.

Hæc prædeſtinatio dividi ſolet *in incompletam*, & *completam*. Iſta ſignificat decretum, quo Deus voluit dare gloriam, & omnia media ad eam conſequendam; illa verò ſignificat decretum circa aliqua media tantùm, v. g. gratias aliquas, ſed non totam coordinationem finis, & mediorum ad finem. 1. dicitur *prædeſtinatio ad gratiam*, 2. *ad gloriam*. De utraque agimus, & maximè de *completa*.

Concluſio I. *Admittenda eſt in Deo prædeſtinatio etiam completa*. Eſt de fide contra negantes providentiam, & ſomniantes omnia fato evenire, & contra alios, qui negarunt animæ immortalitatem, & hæreticos putantes, eam lædere libertatem humanam.

Prob. 1. ex Scoto [1] qui hanc veritatem ubique ſupponit, & de Chriſto dicit, eum fuiſſe prædeſtinatum ſingulariter, & quòd prædeſtinatio eſt præordinatio alicujus glorificabilis ad gloriam, & ad ordinata *(ſeu media)* ad gloriam .... & ſic præordinatur ſumma gloria Chriſto, &c. & directè docet, [2], quòd Deus contingenter prædeſtinat eum, quem prædeſtinat, & poteſt non prædeſtinare, &c.

Prob. 2. ex Script. ubi *Regnum Dei* [3] dicitur *paratum benedictis ab origine mundi*, ſeu ab æterno, & [4] *Quos præſcivit & prædeſtinavit*, & *Quos prædeſtinavit, hos & vocavit*, & [5] *Nos prædeſtinatos in adoptionem filiorum*, & de Chriſto, [6] *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*, &c.

Prob. 3. ex communi Patrum, & Doctorum mente, ut patebit infrà, & jam patet ex dictis de præfinitionibus, & decretis Divinis. Aug. [7] *Deus certis, & immutabilibus cauſis omnia futura prædeſtinavit futura*, &c. Et [8] *Quæ dantur à Deo, & ea ſe daturum præſcivit, profectò prædeſtinavit*.

Probatur denique, quia, ut dictum eſt de immutabili-

[1] *Repor.* 3. d. 7. *A. n.*2. [2] 1. *d.*40. *A. n.*2.
[3] *Matth.* 25. [4] *Rom.* 8. [5] *Epheſ.* 1.
[6] *Rom.* 14. [7] *Tract.* 105. *in Joan.*
[8] *De bono perſev.* 9.

bilitate, Deus non poteſt ullum decretum novum facere, nec facta mutare; ergo quæ in tempore fiunt, ab æterno ſunt decreta, & prædeſtinata. Sed Deus in tempore vult dare gloriam, & gratiam aliquot Angelis, & hominibus; ergo eos ab æterno prædeſtinavit ad illam gratiam, & gloriam.

Objic. 1. non datur prædeſtinatio de aliis creaturis; ergo nec de rationalibus. Patet ant. Non enim dicitur de lapide, quòd ſit prædeſtinatus, nec de beſtiis, &c. Prob. con. Nam creaturæ rationales non ſunt minoris conditionis, quàm irrationales; ergo ſi iſtæ non egent prædeſtinatione, ita nec illæ.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam prædeſtinatio non facit conditionem rationalis creaturæ deteriorem, ſed meliorem. Notat enim in Deo ſpecialem providentiam de illa, quam elevat ad tam ſublimem gloriam.

Objic. 2. Prædeſtinatio derogat Dei potentiæ, & hominis libertati; ergo non debet admitti. Prob. ant. quia ſuppoſito illo decreto Deus non poteſt aliter facere; non poteſt damnare electum, nec ſalvare reprobum, nec ille poteſt damnari peccando finaliter, nec iſte ſalvari, nec vivere bene finaliter.

Reſ. neg. 1. ant. & diſt. 2. Deus non poteſt aliter facere in ſenſu compoſito prædeſtinationis, con. & idem eſt de electo, in ſenſu diviſo, neg. ant. & conſ. Nec in hoc decreto major eſt difficultas, quàm de quocunque alio. Nam propter immutabilitatem quidquid decrevit ab æterno, invincibiliter, & inevitabiliter facit in tempore: nec minùs eſt omnipotens, quia ſemper facit, quod vult. Ita eſt de homine tam reprobo, quàm electo, iſtud decretum non magis, nec aliter ligat eum, quàm quodcunque aliud.

Inſt. Reprobus ex neceſſitate antecedenti, non poteſt benè vivere finaliter, nec electus malè, quia decretum illud antecedit actiones utriuſque, & non poteſt fruſtrari; ſed omnis neceſſitas antecedens lædit libertatem; ergo & prædeſtinatio.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam decretum illud antecedit quidem duratione uſum libertatis bonum, aut malum, ſed non cauſalitate ulla, ſed potiùs illum ſupponit, aut comitatur, ut videbimus.

Objic. 3. Suppoſitio prædeſtinationis inducit præſumptionem, aut deſperationem; ergo non eſt aſſe-

renda. Prob. ant. Homo ſic diſcurrit: Vel ſum prædeſtinatus, vel reprobus, ſi prædeſtinatus, quidquid agam, ſalvabor, ſi reprobus, quidquid agam, damnabor, ergo fruſtra laboro in procuranda mihi ſalute.

Reſp. neg. ant. & ad prob. diſt. Sic diſcurrit temerè, & beſtialiter, con. rationabiliter, neg. ant. Nam rationabiliter dicere potiùs debet, ſi ſum prædeſtinatus, debeo ſolicitè laborare pro mea ſalute, quia non ſum aliter prædeſtinatus ad ſalutem conſequendam, niſi ex bonis meritis, ſi ſum reprobus, debeo vitare peccatum, quia non ſum reprobus, niſi propter peccata. *Ipſa præmii prædeſtinatio ita eſt ab omnipotente diſpoſita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenùs poſtulando mereantur accipere, quod eis omnipotens Deus diſpoſuit donare*, inquit Gregorius. [1]

Concl. 2. *Prædeſtinatio completa eſt creaturæ rationalis electio, ſeu præordinatio ad gloriam, & gratiam, aliaque media neceſſaria ad illam conſequendam.* In re eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, à quo [2] deſcribitur *electio creaturæ intellectualis ad gratiam, & gloriam*. Et alibi, [3] Eſt *præordinatio alicujus ad gloriam principaliter, & ad alia in ordine ad gloriam*. Vides, quòd noſtra deſcriptio coincidit cum utraque.

Prob. 2. ex Patribus. Ab Auguſt. [4] dicitur *præparatio gratiæ in præſenti, & gloriæ in futuro*, & [5] *præſcientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunque liberantur*. Et breviùs, [6] *Gratiæ, & gloriæ præparatio*. Ita eſt de cæteris.

Prob. 3. Nam ſic explicatur Dei actus juxta ſenſum Scripturæ, & Patrum, & totius Eccleſiæ. Dicitur 1. *electio*, ſeu *præordinatio*. Nam per illam Deus verè eligit illos, quibus vult dare gloriam, ab illis, quos reprobat, & ſic electos dirigit, & ſeligit in vitam æternam. 2. *creaturæ rationalis*, id. hominis, & Angeli, quia illi ſoli ſunt capaces viſionis beatæ, & beatitudinis, & per conſequens prædeſtinationis paſſivæ. 3. *ad gratiam, & gloriam*, quia electos ordinat ad gloriam, ut ad finem, & ad gratiam, ut medium, quo

[1] 3. *Dial.* 13. [2] 1. *d.* 40. *A. n.* 2.
[3] 3. *d.* 7. *q.* 3. *A. n.* 2. [4] *De vocat. SS.*
[5] 2. *De perſev.* 14.
[6] *Prædeſt. SS.* 10. & 16.

quo electi pervenire poſſint ad illum finem. Nam qui vult efficaciter finem, vult etiam media neceſſaria ad illum; & licèt prędeſtinatio dici poſſet ad alterutram, ſcil. ad gloriam, vel ad gratiam ſeorſim; tamen neutra ſeorſim ab alia eſſet prædeſtinatio completa.

Confir. ex Apoſtolo cit. qui utramque conjungit. [1] *Quos prædeſtinavit* (ad gloriam, ut finem) *hos & vocavit, quos vocavit, illos & juſtificavit* (ecce gratias vocationis, & juſtificationis) *& quos juſtificavit, illos & glorificavit.*

Objic 1. Prędeſtinatio tam dicitur de reprobis, quàm de ſalvandis; ergo non eſt vera electio ad gloriam. Prob. ant. *Ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus eſt*, ſcil. Judas reprobus; ergo electio dicitur etiam de reprobis.

Reſp. diſt. ant. Dicitur impropriè de utriſque con. propriè, neg. ant. Et diſt. ant. prob. Electio ad Apoſtolatum dicitur de Juda, con. ad gloriam, neg. ant. & conſ. Prędeſtinatio, & electio impropriè, & latè dicitur tam de damnandis, quàm de ſalvandis ſed propriè, & in ſenſu Eccleſiæ dicitur de ſolis ſalvandis.

Objic. 2. Auguſtinus cum Scriptura eam definit per ordinem ad ſolam gratiam; ergo non rectè dicitur ad gloriam. Prob. ant. 1. quia D. Paulus [2] dicit quòd *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum* ſeu ad gratiam adoptionis. Et ex Auguſtino, eſt *præparatio beneficiorum Dei*, &c. ergo ad gratias.

Reſp. diſt. ant. & conſ. prob. Prædeſtinatio incompleta, con. completa, & totalis; neg. ant. & conſ. Unde alibi Auguſtinus facit mentionem *de gratia in præſenti, et gloria in futuro*. ut diximus.

Concl. 3. *Licet prædeſtinatio non ſit ſine præſcientia, et actu intellectus, tamen formaliter eſt actus voluntatis*. Ita Scotiſtæ contra Thomiſtas eam ponentes formaliter in intellectu, & alios ponentes eam in utroque actu æquè principaliter.

Prob. 1. ex Scoto cit. [3] Prædeſtinatio propriè ſumpta dicit actum voluntatis divinæ, ſcil. ordinem electionis per voluntatem divinam..... licèt poſſet accipi pro actu intellectus concomitante iſtam electionem; ergo vult prædeſtinationem impor-

[1] *Ro.* 8. [2] *Ephe.* 1.
[3] 1. *d.* 40. *cit.*

tare formaliter actum voluntatis, & concomitanter ſolum actum intellectus.

Prob. 2. Scriptura prædeſtinationem vocat electionem; ſed electio eſt actus voluntatis; ergo & prædeſtinatio. Prob. maj. [1] *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Et clarius, [2] *Prædeſtinavit nos ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ*. Et reprobationem dicit odium, & electionem dicit dilectionem. *Jacob dilexi, Eſau odio habui*. Et prædeſtinare vocat miſereri, *Miſerebor, cujus miſerebor, & non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*. Sed miſeratio eſt purus actus voluntatis; ergo &c.

Prob. 3. ex Patribus. Nam, inquit Auguſtinus. [3] *Elegit nos, non quia per nos ſancti, & immaculati futuri eramus, ſed elegit, prædeſtinavitque, ut eſſemus. Fecit autem hoc ſecundum placitum voluntatis ſuæ, &c.* Et alibi, [4] *prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt, poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione præſcientia, prædeſtinatione quippe Deus ea præſcivit, quæ fuerat ipſe facturus, &c.* ergo ideò præſcit Deus Petrum ſalvandum, quia illum per voluntatem elegit, & decrevit ſalvare. Sic de Jacob, & Eſau dicit Fulgentius, [5] *Ex duobus fratribus iſtis ... ſola, quem voluit, à maſſa damnationis miſericordia divina diſcrevit*; ergo non intellectioni, ſed voluntati, & miſericordiæ tribuit prædeſtinationem. Et S. Proſper. [6] *Ex omni gente hominum per cuncta ſæcula natorum certum apud Deum, definitumque eſſe numerum prædeſtinati populi, & ſecundum propoſitum Dei vocantis electi*. Sed eligere, proponere, decernere, eſt formaliter actus voluntatis; ergo &c.

Prob. denique 1. ex dictis de providentia. Nam prædeſtinatio eſt actus providentiæ; ſed providentia eſt actus voluntatis formaliter, ut probatum eſt; ergo & prædeſtinatio. 2. quia tam vidit Deus media, quibus ſalvare poterat Judam, quàm ea, quibus ſalvavit Petrum; ergo quod ille reprobatus ſit, & iſte electus, non venit ex ſcientia, vel intellectu, ſed ex voluntate.

Igitur intellectus concurrit ad prædeſtinationem, qua-

[1] *Ephe.* 1. [2] *ibid.* [3] *Prædeſt. SS.* 18.
[4] *Cap.* 10. *ib.* [5] *De remiſſ. pecc.* 4.
[6] *Ep. ad Ruff.*

quatenus 1. voluntati Dei per ſimplicem intelligentiam repræſentat homines, & Angelos, ut beatificabiles, & damnabiles, & hoc in omnibus circumſtantiis, & mediis, quibus beatificari, & damnari poſſunt. 2. voluntas prædeſtinat, & eligit, vel reprobat, ut placet ex meritis, vel ſine meritis. 3. intellectus in illis decretis electionis, & reprobationis videt, qui ſalvandi ſint, & qui damnandi in tempore, & hoc per ſcientiam viſionis. At in neutra cognitione conſiſtit præciſè prædeſtinatio, nec reprobatio, ergo &c. Prob. min. non in 1. quia hæc cognitio non determinat, qui ſalvandi ſint, aut qui damnandi, ſed tantùm qui, & quomodò ſalvari, & damnari poſſent. Non in 2. quia ſupponit jam decretum, & electionem, ac reprobationem; ergo &c.

Objic. 1. ex Script. & PP. Prædeſtinatio *eſt ratio ordinis mediorum ad finem ſupernaturalem exiſtens in mente divina* (ex Boetio) *quibus electi infallibiliter pervenient ad illum finem*, ſed illa ratio ordinis ſpectat formaliter *ad intellectum*; ergo & prædeſtinatio. Maj. patet ex Script. [1] *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam*, ideſt, prædeſtinati. Prob. min. Omnis ordinatio eſt actus ſapientiæ, & prudentiæ, quæ ſpectant ad intellectum.

Confir. ex Auguſt. [2] *Prædeſtinare eſt in præſcientia diſponere futura, & ordinare.* Et alibi, [3] *prædeſtinatio dicitur à prævidendo, & ordinando id, quod futurum eſt*; ergo tota prædeſtinatio eſt in intellectu.

Reſp. neg. maj. ſumendo *rationem* in rigore pro puro actu intellectus, & neg. conſ. illatam ex locis Scripturæ, & Auguſtini. Ex illis enim, & ſimilibus habetur tantum, quod actus intellectus concurrit ad prædeſtinationem proponendo finem, & media, non verò quòd ipſa ſit formaliter talis. Ad probat. diſt. maj. Ordinare directivè, & oſtenſivè eſt actus ſapientiæ, & prudentiæ, con. elicitivè, neg. maj. & conſeq. Sapientia, & prudentia ordinant directivè, & oſtenſivè, ſed non elicitivè, & imperativè, ſeu auctoritativè; hoc ſpectat ad voluntatem, & maximè in Deo, ubi non eget directione, cum ſit ſe ipſa recta, & indefectibilis.

Ii 6 Inſt.

[1] *Act.* 13. [2] *De bon. perſev.* 12.
[3] 8. *hypog. noſt.*

Inſt. Deus ad extra nihil facit, niſi per intellectum à voluntate applicatum; ſed prædeſtinatio eſt actus ad extra; ergo eſt actus intellectus. Prob. maj. ex Script. [1] *Omnia in ſapientia feciſti*. Et, *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*, quod eſt illud conſilium volentis intellectus. Et ipſa prædeſtinatio eſt effectus præſcientiæ, ſicut vocatio eſt effectus prædeſtinationis. [2] *Quos præſcivit, hos & prędeſtinavit*, & [3] *quos prędeſtinavit, hos & vocavit*; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Nam, ut diximus, intellectus in Deo non agit ad extra, niſi oſtenſivè, & quidem ſpeculativè ſine efficientia, & directione practica. Nam voluntas eſt per ſe recta, & inobliquabilis.

Objic 2. prædeſtinare, & ſcribere in libro vitæ ſpectant ad eamdem potentiam; ſed illud ſcribere ſpectat ad intellectum, qui eſt ipſemet liber vitæ; ergo &c.

Reſp. neg. min. Nam ſcribere in libro vitæ eſt determinare numerum electorum, quod ſpectat ad voluntatem, ex cujus decreto illos cognoſcit intellectus.

Igitur prædeſtinatio in recto, & principaliter eſt actus voluntatis, & quidem actus liber libertate contingentiæ, quia eſt ad extra, & reſpicit creaturas, & ſic eſt in Deo, ut potuiſſet non ineſſe; ſic prædeſtinavit, ut potuiſſet non prædeſtinare, ſicut nec creare. *Prædeſtinavit ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ.*

Quæres, An, & quomodò prædeſtinatio ſit pars providentiæ, an ſubjectiva, vel objectiva.

Reſp. utrumque dici poſſe.

1. Verè pertinet ad providentiam, quia, ut patet, eſt ordinatio quædam rerum ad finem per media, ſcil. creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem per media item ſupernaturalia; ergo eſt pars quædam providentiæ.

2. Pars *ſubjectiva* dicitur ea, quæ continetur ſub aliquo genere, ut ſpecies ejus, ſicut *animal* dicitur ſpecies *viventis*, & *rationale animalis*; ſed prædeſtinatio ita ſe habet ad providentiam in genere. Nam contrahit ordinationem generalem omnium rerum

[1] *Pſal.* 103. [2] *Eph.* 1. [3] *Rom.* 8.

rerum ad finem per quæcumque media ad ordinationem ſpecialem creaturæ rationalis ad finem ſupernaturalem per media ſupernaturalia.

3. Pars *objectiva* dicitur illa, quæ reſpicit partem objecti totalis; objectum verò totale providentiæ ſunt res omnes ut ad finem dirigibiles, objectum verò prædeſtinationis eſt pars illius, ſcil. creatura rationalis ut ad finem ſupernaturalem dirigibilis; ergo eſt pars objectiva providentiæ.

Quæres 2. *an prædeſtinatio cadat in naturam, an verò in perſonam, ſeu in naturam ut perſonatam.*

Reſp. eam cadere in naturam ſingularem.

Ratio eſt 1. quia, ut docet Scotus, [1] poteſt negari iſta propoſitio, *Prædeſtinatio reſpicit ſolam perſonam.* Sicut enim Deus poteſt dirigere omne bonum aliud à ſe, *ita & poteſt huic naturæ præoptare bonum illi conveniens*; ſed beatitudo eſt bonum conveniens naturæ intellectuali; ergo etiam ad hanc prædeſtinatur. Min. patet. Nā licèt naturaliter perſonalitas nō ſeparetur à natura ſingulari, ſed eam inſeparabiliter comitetur, tamen beatificabilitas convenit, non ratione perſonalitatis, ſed humanitatis. Nam in noſtra ſententia perſonalitas eſt ultimus terminus naturæ ſingularis exiſtentis, & conſiſtit in negativo.

Confir. 1. quia in Chriſto prædeſtinatio ad gloriam non cadit præcisè in ſuppoſitum, quod eſt divinum, ſeu perſona Verbi, ſed in humanitatem ſingularem ab eo ſuppoſitatam. 2. quia anima ſeparata eſt beatificabilis, & non perſona, ſaltem completa perſonalitate; ergo eſt etiam beatificabilis præcisè à perſonalitate totali, & ultimata.

De facto tamen ſicut natura non eſt ſeparabilis à perſonalitate, ſaltem naturaliter, ita nec prædeſtinabilis niſi perſonata.

QUÆ-

[1] 3. d. 7. q. 3. A. n. 2.

QUÆSTIO II.

De cauſis prædeſtinationis. An prædeſtinatio ſit purè gratuita, & ſine cauſa ex parte prædeſtinati, an verò ex meritis prævifis.

QUæſtio hæc inter omnes Theologicas eſt famoſiſſima, ſicut & difficillima, in qua cęcutiunt oculatiores, & nihil magis ſciunt poſt acres ſpeculationes, quàm ſe neſcire, ut ipſe Paulus, qui in cœlo viderat, & audiverat arcana verba, hoc myſterium vocet *judicia incomprehenſibilia*, & *vias inveſtigabiles*. Nos lumen fidei ſequemur, & ductum ſanctorum Patrum cum Doctore noſtro ſubtili.

Porrò certum eſt ex dictis de voluntate, quòd actus prædeſtinationis non habet propriè cauſam, maximè 1. *efficientem*, quia volitio Dei eſt ipſe Deus, nec 2. *finalem* aliam à ſe, quia nihil eſt diſtinctum ab ipſa ſubſtantia Dei, nec aliud extra ſe ſibi acquiſibile reſpicere poteſt. 3. Cauſa *materialis extrinſeca*, & *ſubjectiva* eſt ſola creatura rationalis, ut dictum eſt. 4. *materialis* verò, & *formalis* intrinſeca ſapiunt compoſitionem. Reſtat 5. de cauſa *morali*, ſeu *meritoria*; de qua eſt magna controverſia, an ſcilicet Deus ad prædeſtinandum Petrum, relicto Juda, moveatur ad eam electionem ex meritis ejus prævifis. Et quæſtio eſſe poteſt tam de prędeſtinatione totali, quæ eſt ad gratiam, & gloriam, quàm de partiali, quæ eſt ad gratiam, aut præciſè ad gloriam ut finem.

Suppono ordinem *intentionis* eſſe oppoſitum ordini *executionis*. Primus incipit per volitionem finis, & terminatur per electionem, & applicationem mediorum. 2. incipit per applicationem mediorum, & terminatur, & quieſcit in aſſecutione finis. Sic Deus ordine intentionis cenſetur velle 1. homini vitam æternam, & 2. vult illi ſubminiſtrare media ad illam conſequendam. In ordine verò executionis vult illi media, & merita ad conſequendam vitam illam. Et ſic gratia, ſeu merita, & gloria ſunt ſibi mutuò cauſæ. Gratia ut principium meriti, quo acquiritur gloria, eſt velut cauſa efficiens gloriæ, ſaltem

tem moralis, & gloria, propter quam acquirendam datur gratia, eſt cauſa finalis ejus, & Deus ab æterno prædeſtinavit homines ad utramque.

Suppono etiam ex dicendis, gratiam dividi in *actualem*, ut ſunt auxilia, & gratiæ prævenientes, excitantes, & adjuvantes, quæ tranſeunt cum actibus, & *habitualem*, ſeu permanentem, ut gratia ſanctificans, quæ per modum habitus inhæret animæ. Et hæc eſt vel *prima*, per quam primò tranſimus à ſtatu peccati ad ſtatum ſanctitatis, vel *ſecunda*, per quam augetur illa ſanctitas primò acquiſita. Rurſus hæc gratia habitualis eſt vel *temporalis*, quæ ad tempus durat, ſed deperditur ante mortem; vel finalis, quæ durat uſque ad mortem, & ultra. De prima gratia tam *habituali*, quàm *actuali* dicitur, quòd non cadit ſub meritum, quia ipſa eſt principium meriti. De ſecundis non ita eſt. Nam ſanctificans poteſt augeri per merita bonorum operum, quæ fiunt in ſtatu, & virtute prioris.

Suppono 3. Deum de facto non decreviſſe dare gloriam, niſi ex meritis propriis, vel alienis. Non datur adultis, niſi eam meruerint per ſuos actus *fidei*, *quæ per charitatem operatur*, ſimul & ex meritis Chriſti, & pro iſtis habet rationem mercedis æquè, ac hæreditatis; infantibus verò morientibus ante uſum rationis, & in gratia per baptiſmum, vel æquivalens medium accepta, datur purè ex meritis Chriſti, & titulo hæreditatis. De hoc conveniunt omnes catholici, contra Prædeſtinatianes, qui totum prædeſtinationis, & ſalutis noſtræ negotium ſoli gratiæ tribuebant, & nihil ſollicitudini noſtræ relinquebant curandum. Ita de reprobatione diſcurrebant cum proportione.

Conveniunt etiam, quòd Deus neque decrevit dare, neque daturus eſt gloriam intuitu meriti ullius naturalis; quod definitum eſt contra Manichæos, & Priſcillianiſtas docentes, prædeſtinationem venire ex aliqua cõſtellatione, & temperamento, ut inquit S. Gregor. [1] & contra Pelagianos, qui docebant, naturam ſibi ſufficere ex libero arbitrio ad conſequendam ſalutem, nec eſſe illi neceſſariam gratiam ullam ſupernaturalem niſi ad melius eſſe, &

[1] *Hom. 1. Euangel.*

& etiam contra Maſſilienſes Semipelagianos, qui licèt crederent, hominem ſine gratia ſupernaturali non poſſe ſalvari, tamen gratiam illam ſaltem primam putabant dari intuitu alicujus operis boni naturæ viribus facti, & ſic initium ſalutis eſſe ex nobis, denique contra Origenem, qui credens omnes animas ſimul cum Angelis creatas ante mundum, putabat aliquas prædeſtinari propter bonos actus factos ante illarum ingreſſum in corpora, & ante peccatum Adæ, & alias reprobari propter peccata ſimiliter commiſſa. His prælibatis, ſit

Concl. 1. *Probabilius eſt Deum non prædeſtinare hominem ad gloriam, niſi ex prævisis meritis.* In hac plurimos omnium ſcholarum etiam Scotiſtas habemus adverſarios æquè, ac ſocios, & patronos.

Scotus autem Doctor noſter videtur problematicus. Nam propoſitis utrimque rationibus tandem ſcribit. [1] *De iſtis opinionibus, quia Apoſtolus videtur diſputans de iſta materia ad Romanos in fine quaſi totum imperſcrutabile relinquere dicens*: O altitudo, &c. *Ideò ne ſcrutando de profundo (ſecundum dictum Magiſtri) eatur in profundum, eligatur, quæ magis placet, dum tamen ſalvetur libertas divina ſine aliqua injuſtitia, & alia, quæ ſalvanda ſunt circa Deum ut liberaliter eligentem. Et qui aliam opinionem tenuerit, reſpondeat ad ea, quæ tacta ſunt contra eam.* Vides Scotum pro ſua modeſtia nihil determinare voluiſſe in hac materia, inquit Pontius; [2] & proinde poſſe quemlibet Scotiſtam ſequi, quam voluerit, opinionem. Lichetus autem alter commentator Scoti diſſimulavit hunc locum. Pontius verò addit, quòd *Scotiſtæ, quotquot tractant hanc materiam, exponunt Scotum*, in favorem prædeſtinationis gratuitæ, *ſed mihi*, (inquit) *manifeſtum videtur, Scotum nihil de hoc determinaſſe*, & pro noſtra ſententia ſe declarat, & concludit, quòd *Deus ab æterno propterea voluit dare efficaciter gloriam prædeſtinatis, ſeu illis, qui eam propter merita in tempore conſequuntur, quia prævidit ab æterno illa ipſa merita, nec habuit aliam volitionem efficacem dandi gloriam ante prævisa merita.*

Et

[1] 1.d.41.D.n.13.
[2] *Ibid.* n.15.

Et hic eſt ſenſus noſtræ concluſionis. Et idem ſentit P.Baro, [1] & Faber. [2]

Prob. 1. ex Script. qua conſtat Deum ab æterno voluiſſe dare regnum ſuum electis propter merita. Nam in judicio dicet electis; [3] *poſſidete Regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi*, ſeu ab æterno, quia *dediſtis mihi manducare .... dediſtis mihi bibere*, &c. Et D. Paulus dicit [4] *Quæ præparavit Deus*, (non dilectis) ſed *diligentibus ſe*. Et S. Jacobus; [5] *Deus elegit .... hæredes Regni, quod promiſit diligentibus ſe*. Unde S. Chryſoſt. [6] loquens in perſona Judicis ait: *Quia ſciebam vos, antequàm nati eſſetis, hujuſmodi facturos*, (daturos manducare, & bibere mihi in pauperibus,) *hæc à me vobis præparata fuere*.

Dices, hæc dici non in ordine intentionis, ſed executionis; quia de facto ſic datur, ideſt datur in Deo duplex decretum, 1. in ordine *intentionis*, quod antecedit omnem prævifionem meritorum, 2. quoad *executionem*, quod ſupponit merita. Sed

Contra. Nam hoc gratis fingitur, & irrationabiliter, & contra ſenſum verborum Scripturæ. Nam ſi Deus in executione non vult dare gloriam ſine meritis, cur decreviſſet dare illam abſolutè, & ſine meritis? an aliter potuit velle in ordine intentionis, & aliter in executione? Unde talis mutatio?

Confir. Nam eodem modo loquitur Euangelium de electis, ac de reprobis; ſed maxima pars adverſariorum, & præcipuè Scotiſtarum non recurrit pro reprobatione ex demeritis ad diſtinctionem intentionis, & executionis, non dicunt, Deum ex prima intentione voluiſſe damnare aliquos ſine meritis; ergo idem dicere debent de electis, quia eodem modo loquitur Scriptura de utriſque. Prob. maj. ex Auguſt. [7] *Quære cauſas vel tantæ mercedis, vel tanti ſupplicii, percipite Regnum, & Ite in Ignem æternum. Quare iſti percepturi ſunt Regnum? quia, eſurivi, & dediſtis mihi manducare. Quare iſti ituri ſunt in ignem æternum?* quia *eſurivi, & non dediſtis mihi manducare*, &c.

Confir.

[1] *Apol.3.act.4.* [2] § 1.*& ſeq.*
[3] *Matth.25.* [4] 1. *Cor.2.* [5] *Jac. 2.*
[6] *Hom.8.in Matth.* [7] *Ser.50. de temp.*

Confir.2. Illa duo decreta (ſcilicet intentionis, & executionis) opponuntur; ergo non ſunt admittenda. Prob. ant. Primum commendat puram liberalitatem Dei, & 2. oſtendit iuſtitiam, & derogat liberalitati, & deſtruit, quod alterum oſtenderat, quippe oneroſum eſt. 1. eſſet inutile, & inefficax quoad gratiam, 2. verò efficax, & executivum, & in iſto quaſi pœnitet Deum ſuæ liberalitatis, quam exhibuit in 1. ſed hæc ſunt indigna Deo; ergo, &c.

Prob. 2. ex aliis locis Script. quibus prævifio meritorum præponitur prædeſtinationi, [1] *Quos præſcivit, et prædeſtinavit conformes fieri*, &c. quod ſic explicant Patres, ut Ambroſ. [2] *Quia non antè prædeſtinavit, quàm præſcivit, ſed quorum merita præſcivit, eorum præmia prædeſtinavit*. Et Sedulius: [3] *Hos, quos præſcivit devotos ſibi, ipſos elegit ad præmia ..... præſcientia gerenda prænoſcit poſtmodum, prædeſtinatio retribuenda deſcribit, illa prævidet merita, hæc prædeſtinat præmia*. Et Primaſius, [4] *Prædeſtinavit, ut qui dono ejus conformis eſſet in vita*, (Chriſto) *eſſet conformis in gloria*. Quid clarius ad mentem noſtram dici poteſt?

Prob. 3. ex Patribus aliis, qui communiter docent, aut ſupponunt prædeſtinationem eſſe ex præſcientia meritorum. S. Epiph. [5] explicans verba Chriſti ad filios Zebedęi, *Sedere ad dexteram non eſt meum dare*, &c. *Hoc vult oſtendere, quòd non juxta perſonarum acceptionem iſta res fiat, ſed pro dignitate .... ſi laboraveritis, erit vobis paratum à Patre meo*. Et Cyrill. [6] *Non eſt meum dare vobis petentibus ſupremum honorem, qui reſervatus eſt in præſcientia Patris illis, quos exceſſus certandi commendaverit*. Et Theophylac. ex S. Hieron. *Non eſt meum dare vobis, quaſi dicat, Eminentia dignitatis non datur perſonæ, ſed merito, et hoc ſecundum prædeſtinationem divinam*; ergo hæc eſt ex prævifis meritis. Et S. Chryſoſt. [7] *Non eſt meum dare vobis, ſed quibus labore, et ſudore paratum eſt*. Certè ſine violentia hæc detorqueri non poſſunt ad alium ſenſum, quàm ad prædeſtinationem ex prævifis meritis. Sic Ambroſ. ſive Au-

[1] *Rom. 8.* [2] *5. De fide 5.* [3] *Ep. ad Rom.*
[4] *Matth. 20.* [5] *Hereſi 69.*
[6] *Li. 3. Theſ. 6.* [7] *Hom. 66. Matth.*

Auctor commentarii Ep. ad Rom. [1] *Miſerebor, cujus miſertus ero, id eſt, ejus miſerebor, cujus præſcius eram, quòd miſericordiam daturus eſſem, & converſurum illum, & apud me manſurum*. Et alibi: *Eligi eſt divinæ benignitatis judicium, & virtutis eorum, qui eliguntur, omninò ſiquidem probatos eligit*.

S. Hieron. [2] *Deus liberum ſervat arbitrium, ut in utramque partem, non ex præjudicio Dei*, (idest ex ſententia anticipata, & antecedente cognitionem cauſæ) *ſed ex meritis ſingulorum, vel pœna, vel præmium ſit*. Et exponens illud, [3] *Jacob dilexi*, &c. ait, *Dilectio, & odium Dei vel ex præſcientia naſcitur futurorum, vel ex operibus*. Et alibi, [4] *Deus non ſalvat nos irrationabiliter, & abſque judicii veritate, ſed cauſis præcedentibus*. Non loquitur de ſalute in executione, ſed in prædeſtinatione, & judicio, ſeu decreto æterno.

S. Aug. [5] quem ſuper omnes ſibi favere præſumunt adverſarii, apertè docet prædeſtinationem ex præſcientia, aſſignans hunc ordinem; [6] *Præſcivit, prædeſtinavit, vocavit, juſtificavit, glorificavit*. Habes ordinem decretorum, ſeu intentionis *præſcivit, & prædeſtinavit*, & ordinem executionis, *vocavit*, &c. Quod alibi repetit. *Illa omnia jam facta ſunt, præſcivit, prædeſtinavit, vocavit, &c.* Ideò prædeſtinationem definit, ut dictum eſt, & addit, [7] *Hæc prædeſtinatio ſignificatur nomine præſcientiæ, ſicut ait Apoſt.* Et ideò prædeſtinatio non poteſt eſſe ſine præſcientia, &, *per Spiritum Sanctum diffundit Deus charitatem in cordibus eorum, quos præſcivit*, ut prædeſtinaret; ergo ex Auguſtino prædeſtinatio naſcitur ex præſcientia meritorum. Unde loquens de Jacob, & Eſau, [8] *Non ſecundum electionem propoſitum Dei manet, ſed ex propoſito electio*, id eſt, non quia invenit bona opera in hominibus, quæ eligat, ideò manet propoſitum juſtificationis, ſed quia illud manet, ut juſtificet credentes, ideò invenit opera, quæ jam eligat ad Regnum; ergo juſtificatio non tam eſt effectus, quàm cauſa electionis ad Regnum.

[1] *cap.9.* [2] *Ep.Epheſ.Ser.1.* [3] *Malach.* 1.
[4] *Ep.* 105.*q.*10. [5] *Nat. & Grat.* [6] *c.* 5. *Cor.*
[7] *De Bon.perſ.*17.
[8] *De Præd.SS.*20.

gnum. [1] *Non tamen electio præcedit juſtificationem, ſed electionem juſtificatio*. Nota rationem, *Nemo enim eligitur, niſi jam diſtans*, (id. diſtinctus per merita, & juſtificationem) *ab illo, qui rejicitur*. Unde quod dictum eſt, *Elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*, non video, quomodò ſit dictum, niſi ex præſcientia operum . . . . [2] *Quomodò eſt juſta, aut qualiſcumque omninò electio, ſi nulla diſtantia eſt?* (inter eum, qui eligitur ab eo, qui rejicitur.) *Si enim nullo merito eligitur Jacob, omninò eligi non potuit, nulla exiſtente differentia, qua eligeretur;* ergo ex Auguſtino Jacob electus eſt ob merita prævisa, ſicut Eſau reprobatus eſt ob demerita.

Certè hæc loca Auguſtini ſunt adeò clara, ut adverſarii cogantur dicere, quòd S. Doctor hæc dicebat junior, quæ ſenior correxit, quaſi ſcripſerit junior ea, quæ ſcripſit Epiſcopus. Deinde falſum eſt eum tetractaſſe dicta in illa q. 2. ſed tantùm, quæ dixit in 1. in cujus margine remittitur lector ad 1. retract. Imò potiùs confirmat dicta in illa 2. q. ut notat P. Fraſſen & P. Baron. [3] *Optandum, ut Auguſtinus parciùs prædicaſſet ſuam illam monarchiam gratiæ tum Dei, tum Chriſti; tum enim hodiè parciùs prodirent ſpuria vitulamina, quæ ejus nomine in perniciem Chriſtianiſmi ſparſa altas radices dant, ut neceſſe ſit ea Pontificiis oraculis reprobari*, ut quòd gratiæ interiori nunquam reſiſtatur, &c. *Cæleſtinus Papa ab Hilario, & Proſpero diſcipulis Auguſtini interpellatus contra Presbyteros quoſdam Galliæ, qui S. Aug. recens mortui doctrinam accuſabant, ſcripſit ad Epiſc. Galliæ decretalem, qua complexus eſt omnia, quæ de peccato originali, de Chriſti gratia, et uſu liberi arbitrii certa eſſe debent. Ibi autem de prædeſtinatione, num fiat ex meritis, an ſine illis etiam prævisis, non ſyllaba una, nec apex, cùm tamen de hac fuerit Preſbyteris illis cum Aug. acerrima concertatio, et illi de hoc fusè apud eum egerint Epiſtolis ſuis, ipſe autem non Epiſtolis reſpondit, ſed libris citatis*, &c. Unde colligit Baron. Pontificem noluiſſe nos obſtrictos ad creden-

[1] *De Spir. et litt.*
[2] *Ad ſimplic. q. 2.*
[3] *Apol. 3. ac. 4. §. 3.*

dendum Auguſtino in materia de prædeſtinatione.

Alia etiam citantur loca non obſcura eiuſdem Auguſtini. [1] *Dicimus, quoniam quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, ut dicit Apoſtolus & ſecundum ſuam gratiam, & ſecundum ſuam juſtitiam*, ſcilicet ex meritis. Et loquens in perſona Dei. [2] *Ego illos elegi, quia vidi mentes illorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal*, Et [3] quærens, quare illum Dominus vocat, & hunc non vocat, uni ſubvenit, & uni non reſpondet; *Audi homo, hunc dignum habet pro bonis operibus ſuis, illum indignum habet pro malis operibus ſuis*. Quid clarius? Item. *Cujus vult, miſeretur, & quem vult, indurat: ſed hæc voluntas Dei injuſta eſſe non poteſt; venit enim de occultiſſimis meritis, quæ & ipſi peccatores, cùm propter generale peccatum unam maſſam fecerint, non tamen nulla eſſe poteſt diverſitas inter illos, præcedit ergo aliquid in peccatoribus, quo quamvis nondum juſtificati, digni efficiuntur juſtificatione*; ergo prædeſtinatio eſt ex prævisis meritis, ex Auguſtino.

S. Proſper Auguſtini [4] diſcipulus ſic loquitur de reprobis. *Reliquerunt, & relicti ſunt, & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt; atque ab hoc licèt fuerint renati, & juſtificati, ab eo tamen, qui illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati*. Idem docet alibi. [5] *Exierunt voluntate, voluntate ceciderunt, & quia præſciti ſunt caſuri, non ſunt prædeſtinati: eſſent autem prædeſtinati, ſi eſſent reverſuri, et in ſanctitate manſuri*. Ecce prædeſtinationem æquè, ac reprobationem ex præſcientia bonorum, & malorum operum.

S. Fulgent. alter diſcipulus Auguſt. *Sicut per miſericordiam præparavit Deus gratuitum juſtificationis donum, ita per juſtitiam præparavit æternæ juſtificationis præmium*. Item, *Prædeſtinavit ad Regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio manſuros*. Longum eſſet alios Patres innumeros citare.

Prob.

[1] *Ser.7.de ver.Dom.*
[2] *Ibid.* [3] *Ser.233.*
[4] *Reſp.ad c.Galor.R 3.7.15.*
[5] *Ad objec.Vinc.R.12.*

Prob. 3. rationibus, & 1. Deus eo modo prædeſtinavit ab æterno dare gloriam, quo illam dat in tempore; ſed in tempore non dat gloriam ſine meritis exiſtentibus; ergo nec ab æterno prædeſtinavit dare niſi ex meritis futuris, & prævifis. Maj. patet ex dictis: Deus enim non mutatur, nec quidquam vult in tempore, quod non voluerit ab æterno in omnibus circumſtantiis, in quibus vult in tempore. Min. autem eſt de fide, & conſtat ex Euangelio citato. *Venite benedicti*, &c. Dices, id eſſe verum in ordine *executionis*, non verò *intentionis*, ubi finis eſt 1. volitus in ſe.

Contra 1. In volitione efficaci finis continetur etiam volitio mediorum, maximè in Deo, qui non procedit ſucceſſivè in volendo, nec in cognoſcendo, ſicut nos procedimus. 2. quia nulla eſt neceſſitas admittendi in Deo duplex illud decretum *intentionis*, & *executionis*; ergo id fecit unico decreto, quo voluit dare gloriam, ſicut de facto dat illam, ſc. ex meritis. Ant. patebit ſolutione objectionum. 3. quia non repugnat decretum intentionis dandi gloriam ex meritis prævifis; ergo cùm non det eam de facto, niſi ex meritis præſentibus, ita nec aliter decrevit dare.

Prob. 2. & conſ. præcedent. argument. Volitio dandi gloriam præcisè à meritorum prævifione vel eſſet efficax, & abſoluta præcisè à modo illo dandi, vel includeret modum dandi eam, ſicut de facto datur; ſed neutrum dici poteſt; ergo non eſt ſine illa prævifione. Prob. min. 1. Non abſoluta præciſiva, quia talis præciſio eſt indigna Deo, & aſſeritur ſine neceſſitate, maxime quia poteſt eodem actu velle utrumque, ſcil. dare ex meritis, ut de facto dat in tempore. Prob. quoad 2. Nam volitio illa dandi gloriam includit finem, & media; ergo ſupponit prævifionem mediorum, ſeu meritorum; non enim vult incognita.

Confir. Nam 1. illud decretum abſolutum dandi gloriam imprævifis meritis vel influit in executionem, vel non influit, ſi non influit; ergo eſt inefficax, & ſuperfluum: ſi influit, & ſi eſt vera cauſa dationis; ergo tam in executione, quàm in intentione datur gloria ſine meritis. Nam ſic gloria datur ex vi talis decreti abſoluti, & antecedentis omnem reſpectum ad me-

merita. Hæc ratio mihi videtur valde efficax.

Conf. 2. Nam primum illud decretum abſolutum non differret ab eo, quod multi ex adverſariis admittunt in Deo de voluntate antecedente ſalvandi omnes homines ante præviſionem ullorum meritorum; ergo ſicut iſta voluntas non eſt formalis prædeſtinatio, nec diſtinguitur, nec excludit reprobationem, ita nec illa voluntas abſoluta antecedens eſſet formalis prædeſtinatio, ſed illa ſola, ex vi cujus vult dare gloriam ex meritis, & ex vi cujus eam de facto dat.

Prob. 3. ex principiis Scoti,[1] Illa ſententia de prędeſtinatione eſt tenenda, *in qua meliùs ſalvatur Dei libertas ſine injuſtitia, & alia, quæ ſalvanda ſunt circa Deum liberaliter eligentem*; ſed hæc meliùs ſalvantur in ſententia de prędeſtinatione ex meritis prę viſis; ergo. Prob. min. 1. Salvatur, & commendatur Dei liberalitas, quia quòd velit dare tantam gloriam per gratiam, & merita, eſt duplex donum, ſc. donum gratiæ, per quam meremur, & gloriæ, quam meremur, prædeſtinatio verò abſoluta non dat per ſe niſi gloriam. 2. Salvatur liberalitas ſine injuſtitia; nam quòd velit dare gloriam Petro, & non Judæ independenter ab ullo merito, eſt gratia ſine juſtitia, eſt potiùs acceptio perſonæ. *Non eſt electio*, inquit Aug. [2] *Non enim eligitur niſi diſtans.* Judas autem, & Petrus in illo inſtanti, & ſtatu, in quo ſupponitur hæc volitio, non diſtant, ambo ſupponuntur in eadem maſſa naturæ, aut peccati originalis; ergo ibi nulla eſt juſtitia, ſed potiùs acceptio perſonarum. 3. Magis commendatur miſericordia, & bonitas, qua [3] *vult omnes homines ſalvari*, ſc. voluntate antecedente, & præparat omnibus media ſufficientia. Nam in alia ſententia Deus non vult ſalvare ex ſe, niſi quos eligit antecedenti decreto illo independenter ab ullis meritis. 4. importari videtur aliqua ſucceſſio, & mutatio in actibus voluntatis Dei. Nam in 1. decreto abſolutè, & ſine conditione vult dare gloriam Petro, & relinquit ſine cauſa ſpeciali, ſaltem negativè, Judam, & per aliud decretum ſequens non vult dare eidem Petro gloriam eamdem ſine meritis, & ſic decretum iſtud

[1] *Ibid.* [2] *cit.*
[3] *1. Tr. 2.*

ſtud 2. eſt conditionatum, (idem eſt de reprobatione poſitiva Judæ) ergo ex opinione adverſa ſequitur mutatio, & ſucceſſio in actibus voluntatis Dei. 5. Non benè ſalvatur libertas creata. Nam ſuppoſito decreto abſoluto, & efficaci, & antecedente dandi gloriam Petro, ſic non poteſt damnari, nec peccare finaliter, & Judas non poteſt ſalvari. Nam voluntas Dei efficax, & abſoluta non poteſt fruſtrari. 6. Sicut aſſeritur prædeſtinatio ſine meritis prævíſis, ita & poſſet aſſeri reprobatio ſine demeritis; ſed hoc eſt injurioſum juſtitiæ divinæ; ergo & illud. Prob. maj. Hoc ipſo, quòd Judas ab illo decreto abſoluto, & antecedenti excluditur, ſaltem negativè, reſtat in ordine reproborum, & quamvis per impoſſibile Deus nihil ampliùs circa illum decerneret, ſufficienter eſſet excluſus à gloria ſine ullo demerito; ergo &c. 7. Denique ex prædeſtinatione abſoluta, & purè gratuita, tollitur omnis ſolicitudo ab homine de ſua ſalute, ſaltem ex vi decreti hujus; ſed hoc eſt maximum inconveniens; ergo &c. Nam omnis homo poſſet dicere. Si ſum prędeſtinatus abſolutè, & efficaciter ſine meritis, quidquid agam, non poſſum perire, & è contra de reprobatione. Hæc autem in noſtra ſententia non ſequuntur. Nam ſicut non ſum prædeſtinatus, niſi ſub conditione meritorum, ita non ſalvabor, niſi laborem ad merendum. Et ſic excitamur ad benè agendum, ut *certam noſtram vocationem, & electionem faciamus*, juxta monitum Petri.

Reſpondetur ad objectiones.

Objic. 1. Scriptura S. tribuit electionem ſoli gratiæ, libertati, & beneplacito Dei. 1. Prædeſtinatos vocat puſillum gregem, [1] cui *complacuit Patri Deo dare regnum*. Et 2. [2] *prædeſtinavit ſecundum propoſitum voluntatis*, non juſtitiæ *ſuæ*. Et quidem, non quia eramus futuri, ſed [3] *ut eſſemus ſancti, elegit nos*. 3. Electio noſtra figuratur per electionem Jacob, & Eſau, *qui cùm nondum nati eſſent, nec aliquid boni egiſſent, aut mali, non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt ei*, Rebeccæ, *major ſerviet mi-*

[1] *Luc.* 12. [2] *Eph.*1.
[3] *Rom.*9.

minori; ſicut ſcriptum eſt, Jacob dilexi, &c. *Igitur non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, qui, *cujus vult, miſeretur*, &c. *Nunquid poteſt figulus ex eadem maſſa facere alind quidem vas in honorem, & aliud in contumeliam?* ergo ex ſolo Dei beneplacito independenter ab omni merito prædeſtinamur. 4. Id enim apertè patet ex illis textibus. 5. Fides non eſt cauſa, ſed effectus prædeſtinationis. Nam dicitur, [1] *Crediderunt, quotquot præordinati erant in vitam æternam*, ſc. ideò crediderunt, quia erant prę-ordinati. 6. Idem patet de Juda, quem excipit à beatitudine, & totam rationem refundit in electionem, velut unicam cauſam. [2] *Beati eritis... non de omnibus vobis dico, ſcio, quos elegerim*. Et clariùs de Judæis, [3] Vos non *creditis, quia non eſtis de ovibus meis*; (id. electis) *nam oves meę vocem meam audiunt, & ſequuntur me*; ergo ideò credimus, & ſequimur, quia ſumus electi, non è contra, nos ſumus electi propter fidem, & merita.

Reſp. neg. hanc ultimam conſequentiam. Nec enim rectè infertur ex illis textibus. Non ex 1. qui loquitur, non de grege electorum, ſed Apoſtolorum. Et quidem iſti non erant omnes electi ad gloriam, ut patet de Juda, & ſi loqueretur de prædeſtinatis, adhuc verba *complacuit*, & *dare* non excludunt juſtitiam ex parte Dei Patris, nec meritũ retributionis ex parte electorum, neque merita excludunt gratiam, & liberalitatem ex parte dantis, & dati, quia omnia merita fundantur in gratia, & ſic vita æterna, & regnum Dei habet rationem doni, & mercedis.

Non ex 2. qui loquitur de electione ad gratias vocationis, & prævenientes, quæ non cadunt ſub meritum, ut patet ex textu.

Non ex 3. qui intelligitur de electione Jacob ad majoratum, antequam naſceretur, non verò ad gloriam ante præviſionem meritorum. Ante iſtam enim non erat eligibilis præ Eſau, quia, inquit Auguſtin. cit. in eo ſtatu non diſtabat ab Eſau, ſed in eadem erat maſſa. Reliqua verba ſunt de electione ad gratiam, & fidem, non ad gloriam; alioqui dicendum eſſet, Eſau reprobationem poſitivam fuiſ-

[1] *Act.* 13. [2] *Jo.* 13.
[3] *Jo.* 10.

ſe etiam ſine demeritis, quia eodem modo loquitur de dilectione Jacob, & de odio Eſau. *Antequam quidquam boni, vel mali egiſſent, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui.* Quod eſt contra maximam partem adverſariorum, & ſapit Calviniſmum. Et S. Thomas [1] dicit, textum illum poſſe intelligi figuraliter de Judæis reprobis, & Gentilibus prædeſtinatis, & qui nati ſunt in fide poſt Judæos.

Non ex 4. Nam præordinatio vel ſignificat diſpoſitionem, & inclinationem illorum ad ſalutem ſuam ſibi procurandam, vel ad gratiam ſanctificationis, vel etiam ad gloriam preordinatione conſequente previſionem meritorum. Nam præordinatio reſpicit executionem, & exiſtentiam operum, non præſcientiam eorum, quam non prævenit, ſed ſequitur.

Non ex 5. Nam ſi velis eum intelligere de electione ad gloriam (*Scio, quos elegerim*) non dicit ſe ſic elegiſſe ex imprævifis meritis, ſed potiùs ex prævifis. Nam reddens rationem, cur non elegerit omnes, ſc. Judam, dicit, quia prævidet, quòd *levabit ſuper me calcaneum ſuum*. Sic explicat Auguſtinus: [2] *Scio, quos elegerim. Quos? niſi eos, qui beati erunt faciendo, quæ præcepit.... Non eſt ex eis iſte* (Judas) *Quare?* quia *panem ejus ſic edebat, ut ſuper eum levaret calcaneum*, ſc. præſciebat ſe ab eo tradendum.

Non ex 6. 1. quia poteſt, & debet intelligi de prædeſtinatione ad fidem, & gratiam, non verò ad gloriam. Nam multi audiunt vocem ejus, & credunt, qui non ſunt electi. *Quandiu rectè ſapiunt, Chriſti vocem audiunt*, inquit Auguſt. [3] *ſtant caſuri, & non ſunt oves*. Alioqui immeritò argueret Judæos, qui non audiunt, & ideò non ſunt de ejus ovili, nec ille Paſtor eorum, & maximè, ſi defectus auditionis, & fidei veniret ex prædeſtinationis negatione, quæ negatio penderet à ſolo Deo ſine ullo reſpectu ad eorum demerita. Dicerent enim, ſi volebas nos audire te, debebas nos eligere, & velle, ut oves, non ut hœdos. 2. ſi loqueretur de prædeſtinatione ad gloriam, adhuc non eſſet ex imprævifis meritis. Nam oves *intelliguntur datæ Chriſto, quæ ordinatæ ſunt ad vi-*

[1] *Ibi. lect. 1.*
[2] *de Trin. 59. in Jo.*
[3] *de Tr. 45. Joa.*

vitam æternam. Nam illi ſupponuntur ordinati, ſeu apti facti (per merita) *ad vitam æternam prius, quàm Chriſto dentur,* inquit Auguſt. [1] Nam quomodo fiunt apti, niſi per bona opera prævisa?

Objic.2. ex Patribus 1. ex Auguſtino, à cujus mente diſcedere in hac materia religio eſt apud Theologos, propter ſummam ejus auctoritatem ab Eccleſia approbatam oraculis Conciliorum, Pontificum, & Patrum, inquit Cardinalis noſter Laurea in opuſculo ſuo de prædeſtin. [2] Sed cum in utramque partem afferantur à doctiſſimis viris textus Auguſtini, non video, quàm grande patrocinium prætendere in eo poſſint adverſarii, cum Auguſtinus per ipſum Auguſtinum impugnari, vel propugnari poſſit, & utrique parti ſit interpretandus, & explicandus, ne ſibi adverſetur. Unde noſtri putant, quòd, cùm videtur docere prædeſtinationem gratuitam, & ex imprævisis meritis, loquitur aliquando de prædeſtinatione ad gratiam, non ad gloriam, aliquando excludit merita ex viribus naturalibus liberi arbitrii contra Pelagianos. Nam, inquit Pennotus, [3] quoties Auguſtinus diſputat in hac materia, agit contra Pelagianos, & Semipelagianos inimicos gratiæ Chriſti, cum quibus non habuit occaſionem diſputandi de prædeſtinatione ex meritis ſupernaturalibus elicitis ex gratia Chriſti. Sic reſpondent Patres noſtri, Faber, & Fraſſen cum aliis.

Notant etiam Sanctus Bonaventura, Scotus, & ipſe Maſtrius, licèt nobis adverſarius [4] cum aliis, quòd S. Auguſtinus diſputans contra Pelagianos negantes gratiæ ſupernaturalis neceſſitatem, & arbitrii vires nimis extollentes, ferè in aliud extremum videtur declinare, extollens admodum gratiam, & deprimens arbitrium, agens verò contra Semipelagianos, qui ſaltem initium fidei, & diſpoſitionem ad gratiam prævenientem eidem arbitrio tribuebant, gratiæ prævenientis exaggerat neceſſitatem, & efficaciam ex Dei liberalitate pura venientem: quod valdè notandum, ut rectè intelligantur plurima Sancti hujus Doctoris dicta in materia de prædeſtinatione, & gra-

[1] *de cor. & gr.9.* [2] *Opuſ. pag.2. & 102.*
[3] *Lib.6.c.25.*
[4] *de Tr.1. de Deo d.21.n.9.*

tia. Ad hoc faciunt notata ex P. Barone ſupra.

Objic. inquam 1. ex lib. de præd. Sanct. [1] ubi ex Apoſtolo dicente, *Elegit nos, ut eſſemus Sancti*, infert, *Non ergo, quia eramus futuri ſancti. . . . Ideo quippe tales eramus futuri, quia elegit nos ipſe prædeſtinans, ut tales eſſemus per gratiam ipſius*, ergo ex Auguſtino, merita ſanctitatis non præceſſerunt prædeſtinationem in præſcientia, ſed eam ſequuntur. 2. Et id confirmat [2] *Non quia tales futuros nos eſſe præſcivit, ſed ut eſſemus tales per electionem gratiæ ſuæ*. Cum ergo nos prædeſtinavit, *opus ſuum præſcivit, quo nos ſanctos facit*. 3. De pueris morientibus poſt Baptiſmum, in quibus non prævidet meritum, nec uſum libertatis bonum, aut malum. Nam hos Deus non prædeſtinat ex prævifis meritis, ſicut nec morientes ſine Baptiſmo reprobat ex demeritis. [3] *Non conſulit parvulis filiorum ſuorum, & nonnullis conſulit parvulis etiam impiorum*, ſcilicet id facit ex pura gratia, quibus vult. Et alibi dicit, quòd ideò non perveniunt ad Baptiſmum, quia non ſunt electi, ſeu *quia non pertinent ad hunc numerum prædeſtinatorum*. 4. De illis parvulis, & de illis, qui Euangelium non audierunt, aut qui audito non crediderunt; quod illud accidit, quia [4] *non ſunt de maſſa diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam*, alii verò ideò ſunt diſcreti, *quia ſecundum propoſitum vocati ſunt. Profectò electi ſunt per electionem gratiæ, ut dictum eſt, non præcedentium futurorum meritorum, quia gratia eſt illis omne meritum*. Quid clariùs pro electione purè gratuita? 5. In Enchiridio [5] loquens cum Apoſtolo de Jacob, & Eſau, *Alter* (Jacob) *cognovit in altero* (Eſau) *non de ſuis diſtantibus meritis ſibi eſſe gloriandum . . . ſed de divinæ gratiæ largitate* (quòd electus eſt) . . . *Sola gratia redemptos diſcernit à reprobis*; ergo ex Auguſtino, electio ad gloriam non eſt ex meritis prævifis.

Reſp. neg. hanc conſ. Nam 1. locus apertè loquitur, & excludit merita ex viribus liberi arbitrii, non verò ſupernaturalia ex gratiæ auxilio. *Præſciebat eos*, inquit, *Pelagius, qui futuri eſſent ſancti, & immacula-*

[1] c. 18. & 19. [2] *ibid.*
[3] *Ep.* 105. & 106.
[4] *Corrept. & gr.* 13. [5] c. 98. & 99.

culati per liberæ voluntatis arbitrium, *& ideò eos ante mundi conſtitutionem in ipſa ſua præſcientia, qua tales eſſe futuros præſcivit, elegit*; ergo hic textus Auguſtini excludit tantùm merita naturalia, non ſupernaturalia, & ſic non eſt ad rem. Idem eſt de 2. loco. Nam ibi refutat eumdem errorem.

Ad 3. & 4. de pueris mortuis ſtatim poſt Baptiſmum, & ante uſum liberi arbitrii, prædeſtinantur ſine meritis propriis, non ſine præviſione applicationis meritorum Chriſti per Baptiſmum, & fidem parentum. Sic diſcernuntur *per gratiam mediatoris*. Nos autem loquimur de adultis. Auguſt. [1] etiam loquitur de electione ad gratiam. Qui enim vocati veniunt, & credunt, & perſeverant, electi ſunt *per electionem ipſius gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum*, quia gratia, per quam eliguntur, & ſeparantur à derelictis, *eſt illis omne meritum*, id eſt, principium omnis meriti, & nullum aliud eam præceſſit. Sic ergo excludit merita naturalia, quæ aſſerebat Pelagius, ſed non ſupernaturalia, quæ habentur ex gratia. Imò docet, iſta omnino præcedere. Nam [2] *cui redderet coronam juſtus Judex, ſi non donaſſet gratiam miſericors Pater? & quomodò eſſet iſta corona juſtitiæ, ſi non præceſſiſſet gratia, quæ juſtificat impium? ....* Sed cum dicunt Pelagiani, hanc eſſe ſolam ſecundum merita noſtra gratiam, qua homini peccata dimittuntur, &c.

Ad 5. de Jacob, & Eſau conſtat ex eodem S. Doct. adducto ſuprà, [3] quòd non loquitur de prædeſtinatione ad gloriam, quæ ſupponit præviſionem meritorum, quibus ſe Jacob diſtinxit ab Eſau, ut præ illo eligeretur. Loquitur ergo ibi de Jacob electione per gratiam vocationis.

Objic. 3. ex Scot. qui pro gratuita electione aſtat ex profeſſo, & videtur in eam magis inclinare, quàm in prædeſtinationem ex meritis, quam non permittit, niſi *ſalvetur libertas divina ſine aliqua injuſtitia*, &c. Sed hæc in ſententia de prædeſtinatione ex meritis non ſalvantur; ergo ex Scoto non eſt ex meritis, ut de facto inſignes Scotiſtæ docent.

Prob. min. Nam ſi Deus non vult dare gloriam

 ſuam,

[1] *De corr. c. 7.* [2] *c. 6.*
[3] *Ibid. c. 8. & Ep. 105.*

ſuam, niſi ex meritis, & ſecundum juſtitiam; non dat liberè, nec liberaliter, ſed à nobis potius determinatur, & obligatur ex juſtitia; ergo, &c.

Reſp. neg. min. & ant. prob. Non enim minus ſalvatur libertas, & liberalitas in eligendo ad gloriam ex meritis prævifis, quàm dicendo, quòd de facto non dat eam ſine meritis, ſed ut coronam juſtitiæ, ut fides docet. Imò melius ſalvamus libertatem ſine injuſtitia, ut vult Scotus, quia & eligit, & prædeſtinat, & dat ex meritis prævifis, ſeu ex aliquali juſtitia, & ſimul ex gratia, quia dat ipſa merita, nempe gratiam, qua meremur. Ideò *cum coronat merita noſtra, coronat ſua dona*, inquit Auguſtinus.

Inſt. Scotus [1] ſic probat electionem gratuitam: *Poteſt aliter dici, quòd prædeſtinationis nulla eſt ratio ex parte prædeſtinati .... quia volens ordinatè priùs vult finem, & ea, quæ ſunt ad finem ..... quia propter finem alia vult; ergo cùm in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad finem perfectum, finis ultimus ſit perfecta beatitudo, Deus volens aliquid iſtius ordinis, primo vult huic creaturæ beatificabili finem, & quaſi poſteriùs vult ei media, quæ ſunt ad illum finem*, &c. ergo ex Scoto Deus vult prius electis gloriam, quàm merita ad illam.

Reſp. 1. ſi Scotus putaret hoc argumentum inſolubile, non permitteret opinionem oppoſitam. Et certè non eſt tale. Nam

Reſp. 2. diſt. ant. Si volitio finis ſit actus diſtinctus à volitione mediorum, nec iſta ſint ullo modo per ſe volibilia, con. ſi eodem indiviſibili actu finis, & media ſint volita, aut volibilia propter ſe, neg. ant. & conſ. Nam Deus unico ſimpliciſſimo actu ab æterno vult dare gloriam per merita, & non aliter, ſicut de facto dat illam, & merita illa, ut gratia, fides, charitas, & aliæ virtutes, ſunt bona per ſe honeſta, & volibilia; ergo independenter à volitione gloriæ Deus poteſt velle ſe communicare homini per gratiam, & virtutes, & poteſt directè velle iſta.

Reſp. 3. cum Barone diſt. ant. Priùs vult finem, ſeu id, quod habet rationem finis, reſpectu volentis, con. quod eſt finis reſpectu ſubjecti, cui vult aliquid, neg. ant. & conſ. *Gloria eſt finis meritorum reſpectu noſtri*,

[1] *Ibid. A. n. 11.*

ſtri, inquit ille Auctor, quia benè agimus, ut conſequamur gloriam; *ſed reſpectu Dei, gloria eſt velut medium, & merita ſunt finis, quia* (inquit ille Auctor) *merita magis faciunt ad partem Dei, nobis autem magis conducit gloria*. Ex meritis accedit Deo gloria, nobis verò ſummum bonum eſt in gloria, Deus glorificatur per merita noſtra, nos verò per beatitudinem coronamur.

Inſt.2. Deus non poteſt velle medium, niſi ex volitione finis; ergo neque merita noſtra niſi ex volitione ſalutis noſtræ per illa acquirendæ.

Reſp. diſt. ant. Medium formaliter ſub ratione medii, con. medium in ſe abſolutè, neg. ant. & conſ. Nam cum gratia, & virtutis opera ſint per ſe bona, ita ſunt in ſe, & per ſe volibilia antecedenter ad gloriam. Paterfamilias in Euangelio conducit operarios, ut laborent in vinea, & propter laborem vult illis dare mercedem, *Quod juſtum fuerit, dabo vobis*; at operarii è contra laborant propter mercedem.

Objic.4. Omnis cauſa eſt prior effectu; ſed prædeſtinatio ad gloriam eſt cauſa gratiæ, & meritorum; ergo prædeſtinatio ad gloriam prior eſt volitione meritorum, & gratiæ.

Reſp. diſt. maj. Prior effectu proprio, & phyſico, con. maj. & neg. min. effectu improprio, & morali, neg. maj. & conſ. Effectus proprius prædeſtinationis ad gloriam eſt datio gloriæ, & viſionis beatæ, non autem collatio gratiæ, quæ potius eſt cauſa tam glorificationis, quàm prædeſtinationis ad eam. Gratia eſt effectus prædeſtinationis ad gratiam ex Auguſtino. [1] *Prædeſtinatio, quæ in bono eſt, gratiæ eſt præparatio, gratia verò eſt ipſius prædeſtinationis effectus*.

Objic.5. Prædeſtinamur ad gloriam, ſicut ad donum perſeverantiæ; ſed ad iſtud prædeſtinamur gratis, & ſine meritis; ergo & ad illam. Prob. min. Nam *donum illud* (ex Tridentino) [2] *aliunde haberi non poteſt, quàm à Deo*, & non cadit ſub meritum.

Reſp. diſt. min. Sine meritis de condigno, con. ſine meritis de congruo, & per viam impetrationis, neg. min. & conſ. Nec aliud colligitur ex mente Concilii,

[1] *de præd. Sanct.* 10.
[2] *Seſs.* 5. *c.* 13.

cilii, imò docet nos præparari ad illud obtinendum per cooperationem ad alias gratias. *Deus enim*, inquit, [1] *niſi illi ipſi illius gratiæ defuerint, ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle, & perficere*. Et S. Auguſt. [2] *Hoc Dei donum ſuppliciter emereri poteſt, ſed cùm datum fuerit, amitti non poteſt, & initium fidei dari etiam non orantibus, alia verò, ut perſeverantiam, non niſi orantibus*.

Objic. 6. ex Bernardo. [3] Ordo, & numerus electorum in gloria eſt ex abſoluta Dei intentione; ſed non poteſt ſic pendere à Deo, niſi prædeſtinet ex puro beneplacito, nam numerus, & ordo meritorum non pendet ab ipſo ſolo, ſed ſimul à cooperatione noſtra; ergo prædeſtinatio non pendet à meritis præviſis.

Reſp. diſt. maj. Ex abſoluta Dei intentione ſuppoſita præviſione meritorum, con. præciſa illa præviſione, neg. maj. & min. Nam æquè facile eſt Deo præſcire ordinem, & numerum eorum, qui merebuntur, & perſeverabunt, quàm damnandorum, & tamen numerus iſtorum non pendet à Deo ſine præviſione demeritorum.

Alias objectiones facilè ſolves ex his principiis. Eas videbis apud Patres noſtros, Fabrum, Fraſſen, & alios.

Concl. 2. *Prædeſtinatio ad primam gratiam non eſt ex præviſis meritis*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto, [4] quia *gratia non habet cauſam meritoriam de condigno in eo, cui confertur*, quod maximè verum eſt de gratia; ergo ſi 1. gratia non cadit ſub meritum ejus, cui confertur, iſte non poteſt prædeſtinari ad eam ex merito præviſo.

Prob. 2. ex Scriptura. Nam ſi prima gratia præparata eſſet homini ex merito rigoroſo, non eſſet vera gratia, ſed merces. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioqui gratia non eſt gratia*, inquit Apoſt. [5] ergo ſi non datur ex merito, ita nec ad eam prædeſtinamur ex merito. Et alibi conſtat, nullum meritum eſſe poſſe in nobis, niſi ex gratia præveniente, & adjuvante, ut cum dicit Chriſtus: [6] *Sine me nihil poteſtis facere*, & idem Apoſtolus, [7] *non ſumus ſufficien-*

[1] *Ibid.* [2] *De do. perſever. 6. c. 16.* [3] *Ser. 78. cant.* [4] *4. d. 2. q. 1. n. 11.* [5] *Rom. 11.* [6] *Jo. 15.* [7] *2. cor. 3.*

ficientes cogitare aliquid ex nobis, &c. & [1] *Deus operatur in nobis velle, & perficere*, &c. & [2] *elegit nos, ut eſsemus ſancti*, non verò, quia eramus ſancti, ut notat Doctor poſt Auguſtinum cit. [3] ergo ne quidem 1. gratia ſanctificans cadit ſub meritum electionis.

Prob. 3. ex Conciliis. Nam Arauſicanum II. [4] *Si quis dixerit ſine gratia Dei . . . . atque ejus adjutorio hominem credere, ſperare, & diligere, aut pœnitere poſse, ſicut oportet, ut ei gratia juſtificationis conferatur, anathema ſit*. Et idem docet Concil. Trident. [5] ergo ipſa gratia prima, ſive actualis, ſive ſanctificans non poteſt mereri; ergo nec prædeſtinamur ad eam ex ullo merito proprio.

Prob. 4. ex Patribus. Nam Auguſtinus [6] ſic argumentatur de prædeſtinatione noſtra, & Chriſti quoad gratiam unionis hypoſtaticæ, *Ille homo, ut à Verbo Patri coæterno in unitatem perſonæ aſsumptus filius Dei unigenitus eſset, unde hoc meruit? quòd ejus bonum, qualecunque præceſſit . . . . ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret?* Sic de homine quoad 1. gratiam, *Ea gratia fit ab initio fidei ſuæ, homo ille ab initio ſuo factus eſt Chriſtus*, ſed factus eſt Chriſtus ſine ullo prævio merito; ergo & nos prædeſtinamur ad gratiam ſine ullo merito prævifo. Et de Apoſtolo Paulo contra Pelagium, qui ejus vocationem tribuebat alicui merito, ſic loquitur, [7] *Sancte Paule Apoſtole, Pelagius Monachus dignum te dicit fuiſse, qui acciperes omnes gratias tui Apoſtolatus; tu ipſe quid dicis?* [8] *Non ſum dignus vocari Apoſtolus, quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei*, &c. *Faciens igitur tantum mali, unde meruiſti tantum boni? Audiant reſpondentem omnes:* [9] *Gratia Dei ſum id, quod ſum; & hoc concludit ex nomine gratiæ, Ideò gratia, quia gratis datur, quia non quaſi merces redditur poſt diſcuſſionem meritorum.*

Prob. denique 5. quia Deus ab æterno decrevit dare 1. gratiam, ſicut eam dat de facto, & in tempore, ſed in tempore dat primam gratiam ſine meritis; ergo non decrevit eam dare ex meritis. Maj. patet.

[1] *Phil.* 2. [2] 1. *Cor.* 4. [3] *Eph.* 1.
[4] *Can.* 6. [5] *SS.* 6. *cap.* 3. [6] *Præd. Sanc.* 15.
[7] *de geſtis Pela.* 14. [8] 1. *Cor.* 15. [9] *Ibid.*

tet. Deus enim non mutatur in ſe, nec in ſuis decretis. Prob. min. Loquimur de 1. gratia vocationis, vel juſtificationis; ſed neutra datur ex meritis; ergo, &c. Prob. min. Nam utraque eſt principium meriti. Nihil enim agere boni poſſumus, ſicut oportet ad gratiam juſtificationis, ſine gratia excitante, & adjuvante, ut dicebamus ex Conciliis, & Scriptura, & nullum eſt meritum proprium, niſi adſit gratia ſanctificans, ut videbimus ſuo loco. Ideò admittitur ab omnibus axioma, *Principium meriti non cadit ſub meritum*. Loquor de merito proprio, & de condigno. Nam certum eſt, quòd adulti ſe diſponunt ad primam gratiam juſtificationis per opera fidei, ſpei, & charitatis inchoatæ, ac pœnitentiæ, ut docet Concilium. Sed hæc ſunt merita impropria, & *de congruo*.

Objic. 1. Si Deus daret gratiam ſine merito, deberet omnibus dare, & ad eam omnes prædeſtinare indifferenter, ne dicatur acceptor perſonarum; ſed non dat, nec debet dare omnibus; ergo dat, & decrevit dare ex aliquo merito.

Reſp. neg. maj. & rationem ejus. Nam *Deus, cujus vult, miſeretur, et quem vult, indurat*, negativè. Acceptio autem perſonarum ſupponit aliquod meritum in perſona derelicta, & debitum aliquod in diſtributione bonorum; ideò injuſtus eſt acceptor perſonarum, qui æqualiter merentibus non diſtribuit æqualiter bona communitatis. Sed Deus, qui bona ſua propria largitur, non tenetur hac lege, & maximè, cum deeſt omne meritum in accipientibus gratias.

Objic. 2. Si Deus prædeſtinaret ad gratiam impræviſo bono uſu liberi arbitrii, exponeret illam, aut læderet libertatem; ſed neutrum dici poteſt; ergo nec illud. Prob. maj. Vel homo accepta gratia poſſet illa abuti, vel non, ſi poſſet abuti, ergo Deus exponeret eam contemptui hominis, ſi non poſſet abuti, ergo non eſſet liber.

Reſp. neg. maj. & ad prob. dico de fide eſſe, quòd homo accepta gratia poteſt abuti, ſi velit, & ei diſſentiri, aut abjicere, aut perdere acceptam, quia Deus dans gratiam, & vocans renuentes; & juſtificans, & erigens relapſos commendat bonitatem ſuam,

[1] *Seſs.6. cap.6.*

am, & ſatisfacit miſericordiæ ſuæ, ac juſtitiæ, dum punit ingratos, & obduratos, & contemptores.

Colligis ergo ex dictis hac quæſtione, & ſupra de voluntate Dei, 1. quòd Deus ex ſe, & voluntate antecedenti vult omnes homines ſalvari, & præparat, & exhibet ſingulis media communia, & ſufficientia, quibus poſſent, ſi eis benè uterentur, conſequi ſalutem, ſed voluntate conſequenti eligit, ac prædeſtinat aliquos ad ſalutem, quia prævidet, quòd adulti bene utentur illis mediis, & gratiis, & in illis perſeverabunt finaliter, parvulis verò, qui poſt baptiſma, & ante uſum rationis morientur, inſervient merita Chriſti eis applicata per Sacramentum. Et in tempore, ex vi talis decreti confert eis gratias illas ſic præparatas ab æterno ex pura liberalitate, & miſericordia.

Colligis 2. quòd ſicut ob rationes allatas movemur ad aſſerendam prædeſtinationem ex prævisis meritis, quæ rationes valent indifferenter pro omnibus puris hominibus electis, ita dicendum de omnibus indifferenter. Dixit tamen Catarinus, & alii, quòd quidam eximii, & ſingulares Sancti, ut B. Virgo, Joannes Baptiſta, Apoſtoli, &c. qui dicuntur eximiè prædeſtinati, hoc habuerunt omninò gratis, & ſine ullis prævisis meritis, non autem alii, ſed ſicut de facto Deus nulli prorſus adulto dat de facto gloriam ſine meritis exiſtentibus, ita videtur, quòd nec eam ab æterno dare decrevit ſine meritis futuris, & prævisis.

Fateor tamen id potuiſſe fieri, ut ſcilicet aliqui eximiæ ſanctitatis ſic fuerint prædeſtinati abſolutè, & ſine ullis meritis prævisis, quia nulla eſt in hoc implicantia; ſed ſine gravi fundamento non puto dicendum id contigiſſe puro ullo homini, ſaltem id valde incertum, licèt plurimi putent B. Virginem Deiparam ſic fuiſse prædeſtinatam ad Dei maternitatem, & ad gloriam tantæ dignitati proportionatam; quia hæc non videtur cadere ſub meritum puræ creaturæ. Sed de hoc aliàs, ſicut de Chriſti D. prædeſtinatione.

Dixi autem in 1. *Concluſione, probabilius eſſe, quòd Deus prædeſtinat ex prævisis meritis*. Nam pars contraria non caret probabilitate, maximè extrinſeca, propter auctoritatem inſignium Theologo-

logorum, & ipſius Scoti, qui pro ſua modeſtia noluit ſe declarare pro ulla parte, ut patet ex allato textu.

QUÆSTIO III.

An, & quomodò Chriſtus Dominus ſit cauſa prædeſtinationis noſtræ.

HÆc quæſtio ſolet etiam agitari in Tr. de Incarnatione, & eſſe poteſt de cauſa, vel phyſica, vel finali, vel exemplari, vel meritoria. 1. *De cauſa phyſica* non dubitatur, quin decretum illud ab eo ſit, qua Deus eſt. Nam *opera Trinitatis ad extra ſunt indiviſa*. 2. nec *de finali*, & maximè ſub eadem ratione Deitatis, imò & concretivè, & abſolutè dici poteſt cauſa *finalis* noſtræ prædeſtinationis, juxta illud. [1] *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*. Item. [2] *Prædeſtinavit nos per J. C. in ipſum*, ideſt, *propter ipſum*. Et Concil. Trident. [3] loquens de noſtra juſtificatione docet, quòd *cauſa ejus finalis eſt gloria Dei, & Chriſti*. 3. nec dubitatur de cauſa *exemplari*. Id enim expreſſè docet Apoſtolus. [4] *Quos prædeſtinavit conformes fieri imaginis Chriſti filii ſui.* Ideò S. Auguſt. [5] docet, quòd *nullum aliud illuſtrius eſt exemplar noſtræ prædeſtinationis, quàm Jeſus Chriſtus*.

Reſtat quæſtio de cauſa *morali*, & *meritoria*. Et quidem nemo dubitat, quin Chriſtus ſit cauſa apertionis cœli, & collationis gloriæ in executione. Nam Deus Pater [6] *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo*, &c. ſumma autem gloria eſt ſine dubio præcipua benedictio. Et pro gratia adoptionis *prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per* J. C. &c. & [7] *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur*, &c. [8] *non eſt in aliquo alio ſalus*. Et id docet Concil. Trident [9] de gratia juſtificante, *Credentes, à Deo juſtificari gratis per gratiam ejus per redemptionem, quæ eſt in Chriſto J.* De his aliàs, ubi de merito

[1] 1 Cor 3. [2] Ephe. 1. [3] SS. 6. [4] Rom. 8.
[5] De Bon. perſever. 24. [6] Ephe. 1.
[7] 1. Cor. 15. [8] Act. 4. [9] SS. 6, cap. 4. & 5.

rito Chriſti. Reſtat quæſtio de decreto æterno prædeſtinationis.

Concluſio, *Deus prædeſtinat homines, & Angelos ad gratiam, & gloriam ex meritis Chriſti prævisis, ſaltem præſcindentibus à carne paſſibili paſſione*. Eſt communior quoad 1. p.

Probatur 1. ex Scoto. Nam inquit, [1] *Incarnatio Chriſti non fuit occaſionaliter præviſa, ſed ſicut finis videbatur immediatè à Deo ab æterno, ita Chriſtus in natura humana, cùm ſit propinquior fini, cæteris prius prædeſtinabatur, loquendo de his, quæ prædeſtinantur*. Scilicet prædeſtinatus eſt Chriſtus, ſicut finis noſtræ prædeſtinationis, & Angelorum, ex Scoto; ergo noſtra eſt propter illum, & quidem antecedenter ad præviſionem peccati Adæ, & ad decretum Incarnationis paſſibilis, ita quòd Chriſtus in carne, ſicut & omnes electi priùs prævidebantur, & prædeſtinabantur ad gratiam, & gloriam, quàm prævideretur paſſio Chriſti, ut medicina contra lapſum; ergo prædeſtinatio Chriſti abſolutè, & præciſè à paſſibilitate eſt aliquo modo cauſa noſtræ.

Confir. ex eodem. Nam inquit. [2] *In commendando Chriſtum malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*, & ut ait Auguſt. *Quidquid tibi vera ratione melius occurrerit ſcias hoc Deum magis feciſſe, quàm non feciſſe*. Unde exiit axioma, *quòd in tantum glorificandus eſt Chriſtus, in quantum poteſt ſine manifeſta contradictione, aut incongruentia*. Sed magis commendatur Chriſtus ſine incongruitate, nec repugnantia, quòd Deus illum primò, & propter ſe ipſum immediatè prædeſtinaverit, & alios omnes propter ipſum, & per ipſum velut cauſam finalem, & meritoriam; ergo ita eſſe dicendum eſt. Min. patet quoad 1. p. & patebit quoad 2. ex objectionum ſolutione; ergo, &c.

Prob. 2. ex Script. cit. [3] *Benedixit nos omni benedictione ſpirituali in Chriſto, ſicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*; ergo omnis benedictio noſtra eſt ex Chriſto, & per Chriſtum, & in Chriſto ut in capite: ſed nulla major benedictio eſſe poteſt nobis

[1] 3.d.19.A.n.11.
[2] 3.d.13.q.4.H.n.9. [3] Eph.1.

bis in illo, & per illum, quam electio ad gloriam, ergo. Et *Glorificavit nos in dilecto filio ſuo.* Item [1] *Quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Chriſti*, &c. Certè ſi Chriſti prædeſtinatio eſt cauſa exemplaris noſtræ, cur non & meritoria? Dices hoc eſſe verum de benedictionibus datis in tempore, & in ordine executionis, non verò intentionis.

Contrà. Nam de facto nulla datur nobis gratia in tempore, & in executione, niſi qualiter decrevit Deus ab æterno, & in ordine intentionis: ſed in executione nulla datur, niſi ex meritis Chriſti; ergo nec decrevit dare ab æterno, & in ordine intentionis. Maj. patet ex dictis. Min. negari non poteſt, & probabitur ſuo loco, ſc. ubi de mente Chriſti.

Confirm. ex eadem, & ex Concil. Trident. [2] citdicente, *juſtificationem impii .... in ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei fieri per ſecundum Adam, & ipſius juſtificationis exordium à Dei per J.C. præveniente gratia eſſe*, &c. Idem patet ex iis locis, in quibus dicitur primus prędeſtinatorum, & quod Deus [3] *poſſedit* eum *in initio viarum ſuarum, antequam quidquam faceret*, &c. & *Primogenitus in multis fratribus*, & *Primogenitus omnis creaturæ*, & quòd ſicut omnes alię creaturæ hujus mundi ſunt propter nos, ita & nos propter Deum, *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti*, &c.

Prob. 3. Nam de facto non datur hominibus, nec Angelis gratia, nec gloria, niſi ex meritis Chriſti, ut dicebam, ergo nec ad utramque ſunt prædeſtinati, niſi ex meritis ejus. Prob. conſeq. Nam eo modo res fiunt in tempore, quo decretæ ſunt ab æterno.

Prob. utraque p. In noſtra ſententia de Chriſto venturo, ut glorificatore, & in carne impaſſibili, ſi Adam non peccaſſet, nihil impedit dicere in ea ſuppoſitione, quòd homines, & Angeli electi ſunt ad ejus gloriæ participationem, & ex prævіſis meritis, quæ habuiſsēt per actus virtutum independentium à paſſione, ergo ita dicere poſſumus de facto.

Prob. in ſententia docente prædeſtinationem noſtram præcedere prævіſionem peccati Adæ. Ibi enim minus habet difficultatis. Quid enim prohibebat, ne Deus prædeſtinaret 1. Chriſtum ad ſummam gratiam, & glo-

[1] *Rom.* 8. [2] *ſeſſ.* 6. *c.* 4. *et* 5. [3] *Prov.* 8.

&gloriam, & merita, ex quorum præviſione, & intuitu eligeret homines, & Angelos ad ejuſdem gratiæ, gloriæ, & meritorum participationem? Certè in hac ſuppoſitione,& diſpoſitione ſalvantur optimè omnia, quæ Scripturæ, & Patres dicunt de illius influxu in noſtram ſalutem, & bona omnia ſupernaturalia, quę homines, & Angeli habent à Deo, & ut membra ejus, quatenus dicitur caput hominum, & Angelorum.

3. In ſententia de prędiſione peccati Adæ ante prædeſtinationem noſtram,facillimè etiam dicitur, quòd Deus 1. elegit Chriſtum, ut mediatorem, & redemptorem, & ideò ad ſummam gratiam, gloriam, & merita, quorum intuitu elegit aliquos ad gloriam, & gratiam; ergo ità dicendum eſt; quandoquidem id innuunt Scripturæ, & Patres, & facit ad laudem ejus.

Objic. 1. ex Script. Licèt dicamur prædeſtinati per Chriſtum, tamen id facit Deus liberrimè, gratis, & ſine ullo merito, *ſed ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ in laudem gloriæ ſuæ*; ergo non ex merito Chriſti. Prob. conſeq. Quod enim fit intuitu meritorum, non fit ex pura gratia, ſed ex juſtitia, [1] *Si gratia ex meritis, gratia jam non eſt gratia, ſed merces;* ſic prædeſtinatio non eſſet in *laudem gratiæ Dei*, ſed juſtitiæ.

Reſp. neg. conſeq. & diſt. antec. probat. Quod fit intuitu meriti proprii, & ſecluſa omni gratia largientis, conc. intuitu meriti alieni, & cum magna gratia dantis, ſeu creditoris, neg. ant. & conſeq. Nam noſtra prædeſtinatio erit ſemper ex immeritis noſtris, & ex meritis alienis, ſcilicet Chriſti, & cum multis gratiis creditoris Dei, qui & principia meritorum de ſuo largitur, & cui aliis titulis ea debentur, & quæ gratioſè acceptat, ut merita, & cum pacto præmiandi, quæ poſſet non ſic acceptare. *Tota Trinitas pro eis* (prædeſtinatis) *paſſionem* (Chriſti) *efficaciter acceptavit*, ait Scotus. Unde Apoſtolus ait, *Gratia ſalvati eſtis per fidem, & hoc non ex vobis. Dei enim donum eſt.*

Inſt. Si Chriſtus meruiſſet nobis prædeſtinationem ad gloriam, non dixiſſet [2] *Non eſt meum dare* ve-

[1] *Rom.* 9. [2] *Matth.* 20.

vobis, ſed dediſset, aut promiſiſſet dare velut bonum ſibi acquiſitum; ergo cum id dixerit, ſignum eſt, quòd non acquiſierat nobis prędeſtinationem per merita ſua.

Reſp. neg. ant. & conſeq. Sic enim locutus eſt filiis Zebedæi petentibus ſeſsiones primas in Regno, non ex meritis, ſed ratione parentelæ carnalis, quæ non eſt titulus gloriæ conſequendæ. Prætereà hic textus non facit ad rem. Nam ratione Deitatis tam poterat id dare, quàm ipſe Pater; cùm ipſemet dixerit aliàs, [1] *Diſpono vobis Regnum, ſicut diſpoſuit mihi Pater*, ſc. eadem auctoritate divina.

Objic. 2. ex Auguſt. *Homo quicumque Chriſtianus fit, qua gratia homo factus eſt Chriſtus*: ſed *homo ille* (ſcilicet Jeſus) factus eſt Chriſtus ex pura gratia ſine meritis, etiam propriis; ergo & omnis Chriſtianus prędeſtinatus eſt ad gratiam ſine ullis meritis etiam Chriſti.

Reſp. neg. conſ. Nam inde ſequitur tantùm, quòd ſicut ille homo Jeſus factus eſt Chriſtus ſine propriis meritis, quia non meruit ſibi unionem cum Verbo, ita nec homo ſibi meretur gratiam Chriſtianitatis, de meritis verò alienis nihil tale ſequitur, nec id intendit Auguſtinus.

Objic 3. Si Chriſtus meruiſset nobis prædeſtinationem, ita & primam gratiam, & ipſam incarnationē, quæ eſt ſumma gratia, & principalis effectus prędeſtinationis; ſed conſeq. eſt falſum; ergo &c. Prob. min. Nam prima gratia, & ipſa incarnatio ſunt principia omnis meriti; ergo non cadunt ſub meritum ullum.

Reſp. neg. min. Nam verè nobis meruit 1. gratiam, & ipſam Incarnationem, non quoad ſubſtantiam, et in ſe, ſed quoad applicationem. Et diſt. ant. prob. Non cadunt ſub meritum proprium accipientis, conc. ſub meritum alterius, neg. ant. Ipſa incarnatio quoad aliquas circumſtantias, ut dicetur ſuo loco, et quoad applicationem, et utilitatem noſtram, cadit ſub meritum non noſtrum, ſed Chriſti.

Inſt. Eodem actu prædeſtinamur ad gratiam, et gloriam, quo Chriſtus ipſe eſt prædeſtinatus ad eſſe; ſed prædeſtinatio Chriſti ad eſſe non eſt ex ullius meritis; ergo nec noſtra ad gratiam, et gloriam. Prob. maj.

[1] *Luc.22.*

mai. Nam prædeſtinatio Chriſti, et noſtra eſt unus ſimpliciſſimus actus, ergo, &c.

Reſp. diſt maj. & ant. prob. Eodem actu entitativè, & materialiter, conc. maj. & min. & antec. eodem actu formaliter, & terminativè, neg. maj. & min. & antec. Actus ille in ſua entitate, & materialiter eſt ipſa Dei voluntas, & ipſe Deus, ſed terminativè eſt quid contingens, & quatenus terminatur ad aliquos homines, & Angelos, cadit ſub meritum Chriſti, qui etiam terminativè eſt prior prædeſtinatus.

Objic. 4. ex Scoto. Electio noſtra in voluntate Dei precedit prævifionem peccati; ergo & meritorum Chriſti, ſaltem in ordine intentionis. Ant. patet in text. Nam *in 1. ſigno Deus intellexit ſe in ratione ſummi boni, in 2. omnes creaturas, in 3. prædeſtinavit hos ad gloriam, et gratiam ... in 4. prævidit illos caſuros ... in 5. præordinavit de medio ... per paſſionem filii*, &c. ergo prædeſtinatio noſtra ex Scoto præcedit prævifionem peccati, & meritorum Chriſti.

Reſp. diſt. ant. Meritorum Chriſti, ut Redemptoris, conc. ut glorificatoris, & ſanctificatoris, neg. antec. & conſeq. Nam ſicut ex eodem, Chriſtus eſt propinquior ſummo illi bono, & fini, ita in 3 ſigno prædeſtinatus eſt, & quidem ſpecialiter, & primò omnium. Loquitur autem Scotus de decreto adventus Chriſti, qualiter de facto extitit, & ut Redemptoris, non verò ut extitiſſet Adamo non peccante, quo caſu veniſſet, ut ſanctificator, & glorificator.

Chriſtus ergo ante prævifionem peccati Adæ prædeſtinatus eſt abſolutè ad ſummam gratiam, merita, & gloriam independenter à meritis paſſionis, & patientiæ, aliarumque virtutum, quæ ſupponunt paſſibilitatem, & per illa merita meruiſſet hominibus gratiam, & gloriam, & predeſtinationem; de facto autem meruit per actus etiam externos paſſionis, & patientiæ, &c.

Propterea dixi in concluſione, *ſaltem meritis præſcindentibus à carne paſſibili*, quia horum prævifio antecedit decretum incarnationis paſſibilis, & adventus Chriſti, ut reparatoris. Sed hæc magis patebunt ex dicendis de Incarnatione.

Quæres 1. *An purus homo poſſit mereri alteri* præ-

prædeſtinationem ad gloriam, vel ad gratiam.

Reſp. quòd de facto nullus purus homo meruit alteri prædeſtinationem ad gloriam, nec mereri potuit, ſaltem de lege poſita.

1. pars conſtat ex Script. docente, id reſervatum ſoli Chriſto, quia Deus [1] Pater *elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem*. Unde S. Gregorius [2] dicit prædeſtinationem noſtram poſſe juvari precibus Sanctorum, non quòd oratio Sanctorum ſit motivum quoddam divinæ voluntatis, propter quod Deus alium prædeſtinat, ſed quia ipſa perennis Regni prædeſtinatio ita eſt ab omnipotente Deo diſpoſita, ut ad hoc electi pro labore perveniant, quatenus poſtulando mereantur accipere, quod eis Deus ante ſæcula dare diſpoſuit, ſcilicet diſpoſuit dare gratias mediante interceſſione Sanctorum. Sic Iſaac obtinuit precibus ſuis fœcunditatem Rebeccæ, &c.

2. par. conſtat, & conf. ex 1. quia de lege poſita puræ creaturæ, puri homines, & Angeli ſunt ſimul prædeſtinati, & voliti; ergo ſtante hac diſpoſitione nullus potuit mereri alteri prædeſtinationem, quia ille debuiſſet priùs eligi, ſicut diximus Chriſtum priùs electum.

Dixi, *ad gloriam*, quia nihil vetat, unum priùs eligi ad aliquam gratiam, ex qua poſſit mereri alteri quaſdam gratias, per quas conſequatur effectum, & executionem prædeſtinationis, ſicut dicitur de S. Stephano, quòd orans pro perſecutoribus obtinuit converſionem S. Pauli.

Dixi 2. *de lege poſita*. Nam non video repugnare, quia Deus potuiſſet priùs eligere aliquem ad tantam gloriam, & gratiam, & tanta merita, ut ea acceptaret in ordine ad impetrandam ſalutem, & prædeſtinationem aliquorum. Reverà tamen videtur tantum privilegium debuiſſe reſervari Chriſto Dei filio.

QUÆSTIO IV.

De effectibus prædeſtinationis.

PEr effectus prædeſtinationis intelligo gratias omnes, & auxilia, quæ Deus confert homini ex vi

[1] *Eph.* 1. [2] 1. *dial.* 8.

vi electionis ejus ad gloriam, ut poſſit finem illum, ſeu gloriam illam conſequi. Tales ſunt gratiæ vocationis actuales, excitantes, adjuvantes, conſequentes, juſtificantes, & donum perſeverantiæ, &c.

Porrò effectus prædeſtinationis alii ſunt *primarii*, & *directi*, quos Deus, ut prædeſtinans, & ex vi actus prædeſtinationis immediatè intendit, ut per illos electio ſortiatur ſuum finem, & electus gloriam conſequatur; alii *ſecundarii*, ſeu *ſubſidiarii*, & *auxiliantes*, quos ſc. Deus non ita directè intendit, nec omnibus prædeſtinatis confert ex vi decreti electionis, ut abſolutè neceſſarios prædeſtinatis ad conſequutionem gloriæ, ſed tamen conferuntur, & inſerviunt illis, quibus dantur, ut faciliùs conſequantur illam. Talia ſunt bona temporalia, divitiæ, ſanitas, paupertas, infirmitates, tribulationes, & ſimilia, quibus juvantur electi ad majora merita, & ad faciliùs obtinendam gloriam. 2. Alii ſunt *occaſionales*, ut peccata, quæ non intenduntur quidem poſitivè à Deo, ut priora illa, nec per ſe juvant ad ſalutem, ſed tamen ſunt occaſiones actuum virtutis, v. g. pœnitentiæ, vigilantiæ, ferværis, &c.

Suppono autem, ut aliàs diximus non ſemel, mutuam quandam eſſe cauſalitatem inter finem, & media. Nam intentio efficax finis eſt cauſa electionis mediorum, & uſus eorum in executione; uſus autem, ſeu applicatio mediorum eſt etiam cauſa finis quoad exiſtentiam, & adeptionem. Sic volitio, qua Deus vult efficaciter gloriam Petro, & prædeſtinatio Petri ad gloriam eſt ratio Deo vocandi Petrum ad fidem, & eum juſtificandi, & ei donum perſeverantiæ conferendi; tanquam media, per quæ conſequi debet finem illum; & viciſſim conſenſus vocationi, bona opera, juſtitia, ſanctificatio, & perſeverantia Petri, quæ in præſcientia Dei fuerunt ratio electionis ejus, ſunt cauſæ glorificationis ejuſdem. Sed, ni fallor, in quæſtione præſenti, illa ſola dici debent propriè effectus prædeſtinationis, quæ Deus directè, & per ſe vult ex vi actus electionis, non autem, quæ videntur aliquo modo cauſæ, ſeu motiva, & rationes prædeſtinandi. Nam, ut aliquid ſit verè effectus prædeſtinationis ad gloriam, debet 1. eſſe à Deo, ut prædeſtinante, &

ex vi decreti de danda gloria. 2. debet pertinere ad ordinem ſupernaturalem; 3. debet eſſe ex gratia Chriſti, 4. debet verè influere ad conſecutionem finis, ſc. gloriæ.

Concl. 1. *Gratiæ vocationis, auxilii, & juſtificationis, quæ concurrunt ad opera meritoria, nec ipſa merita non ſunt propriè effectus prædeſtinationis.* Hæc ſequitur ex præcedenti.

Prob. 1. ex Scoto [1] Nam ſicut in opinione de prædeſtinatione gratuita, & ante omnem prævifionem meritorum, *fides, merita, & bonus uſus liberi arbitrii*, &c. *ſunt ad iſtum finem ordinata*, & Deus vult hæc dare homini, quia ipſum elegit ad gloriam, quam non poteſt conſequi ſine illis; ergo è contra, in opinione noſtra, quam permittit, ſcilic. de prædeſtinatione ex prævifis meritis, docet, quòd illæ gratiæ, & merita, & quæ ad merita conferunt, ſunt potiùs cauſæ morales, quàm effectus prædeſtinationis. Et in Reportatis, [2] ex ſuppoſitione ejuſdem opinionis de electione gratuita dicit, quòd *meritum eſt magis effectus, quàm ratio prædeſtinationis*; ergo contrarium diceret in opinione contraria.

Prob. 2. Quæ præſupponuntur prædeſtinationi, non ſunt ejus effectus, nam effectus non præſupponitur cauſæ ſuæ, ſed potiùs omnis cauſa præſupponitur ſuo effectui; ſed gratia vocationis, & aliæ concurrentes ad opera meritoria, & ipſa merita præſuponuntur prædeſtinationi ad gloriam; ergo non ſunt effectus prædeſtinationis. Prob. min. ex q. præcedenti, ubi probavimus, electionem ad gloriam eſſe ex prævifis meritis; ergo iſta ſunt potiùs cauſæ, quàm effectus prædeſtinationis.

Confir. Nam illa dona ſunt communia prædeſtinatis, & reprobis. *Multi* quippe *ſunt vocati*, & juſtificati, & *pauci electi*, reprobi *ad tempus credunt*, &c. ergo illæ gratiæ; & bona opera non conveniunt ſolis prædeſtinatis; ergo nec ſunt proprii effectus prædeſtinationis ad gloriam.

Objic. 1. Ea ſunt effectus prædeſtinationis, quæ Deus dat ex vi decreti de danda gloria, & ut electus conſequatur illam; ſed Deus dat illas gratias, & merita ex vi decreti electivi, ut media ad conſequen-

[1] 1.*d*.41.*A*. [2] *Ibid*.*n*.9.

quendum finem illum; ergo ſunt veri effectus electionis. Prob. min. ex Apoſtolo, *quos prædeſtinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & juſtificavit*, &c. ergo vocatio, & juſtificatio dantur ex vi decreti prædeſtinativi.

Reſp. neg. min. Nam illæ gratiæ, & opera ex eis facta potiùs fuerunt Deo motiva, & ratio volendi eis gloriam, & eos eligendi. Vel diſt. min. illam de prob. ejus, Deus dat gratias in ordine executionis, con. in ordine intentionis, neg. min. & conſ. Nam Apoſtolus loquitur de prædeſtinatione, & gratiis, ſeu mediis illis, prout in executione contingit, in quâ gratiæ, & merita præcedunt largitionem gloriæ.

Objic. 2. Deus priùs voluit communicare ſe homini per gloriam, quàm per ullum aliud donum, v. g. quàm per dona gratiæ, vel naturæ, & ideò dat ei naturam, & gratiam, ut det ei gloriam; ergo collatio naturæ, & gratiæ eſt effectus prædeſtinationis.

Reſp. diſt. ant. Prius voluntate antecedenti, & conditionata con. voluntate conſequenti, efficaci, & abſoluta, neg. ant. & conſ. alioqui, ſicut voluntate antecedenti vult omnes ſalvari, & dare omnibus gloriam, ita omnes eſſent prædeſtinati, quod nemo dixerit.

Concl. 2. *Donum perſeverantiæ, nec permiſſio peccati non ſunt veri effectus prædeſtinationis ad gloriam; benè verò ipſa glorificatio*. Eſt communis quoad 2. & 3. p.

Prob. 1. ex Scoto, [1] maximè quoad 3. p. Nam *in toto proceſſu, quo creatura beatificabilis perducitur ad perfectum finem, finis ultimus eſt beatitudo perfecta*; ergo beatificatio effectiva, & actualis eſt proprius effectus prædeſtinationis ad gloriam.

Prob. 1. p. ex dictis. Nam perſeverantia finalis in gratia eſt potiùs cauſa, quàm effectus prædeſtinationis; ergo &c. Prob. ant. Deus non prædeſtinat ex quibuſcunque meritis, neque omnes, in quibus prævidet aliqua merita, plures enim cadunt à meritis etiam eximiis, ſed prædeſtinat tantùm eos, quos prævidet perſeveraturos, & morituros in gratia; ergo gratia perſeverantiæ eſt potiùs cauſa, quàm effectus prædeſtinationis ad gloriam.

Con-

[1] *Ibid.*

Confir. Nam fortè donum perſeverantiæ non eſt quid entitativè diſtinctum à gratia juſtificante, & aliis meritis, nec illi ſuperaddit niſi connotationem finalitatis, ſeu carentiæ peccati in morte. Certè qui moriuntur in ipſo inſtanti converſionis, & acceptæ gratiæ, non videntur habere iſtud donum. Quæ enim perſeverantia in momento? Idem eſt de infantibus baptizatis, & morientibus ante uſum rationis; ergo perſeverantia non videtur importare ſupra gratiam, & meritum, niſi durationem gratiæ, & meriti uſque ad mortem. De quo tamen nihil hic deciſum volo. Sufficit ad intentum præſens, quòd perſeverantia ſit ipſum meritum finale; ergo ſi merita prævifa ſunt Deo ratio prædeſtinandi ad gloriam, ſunt cauſæ potiùs, quàm effectus electionis.

Prob. 2. p. 1. ex Script. [1] Nam *odio ſunt Deo impius, & impietas ejus*. Et Deus dicitur *non volens iniquitatem*. Et, *nec habitabit juxta te malignus*, & *Odiſti omnes, qui operantur iniquitatem*, &c. ergo impium eſt dicere, quòd Deus ex amore prædeſtinati, & ex vi prædeſtinationis, quæ eſt actus dilectionis, permittat peccatum.

Prob. 2. ex Concil. Trid. definiente, Deum non operari mala culpæ, neque hæc dici poſſe effectus ejus, nec quòd nos ad ea prædeſtinet; ergo nec dici debent effectus prædeſtinationis.

Prob. 3. quia peccatum potiùs impedit, aut retardat conſecutionem finis prædeſtinationis; ergo tantum abeſt, ut ſit effectus prædeſtinationis.

Prob. 3. p. 1. ex textu ſæpiùs adducto Pauli. *Quos prædeſtinavit, illos vocavit, juſtificavit*; & tandem *glorificavit*. 2. quia in omni proceſſu ordinatè volentis, quod eſt primum in intentione, eſt ultimum in executione, & ipſa ultima executio, & conſecutio finis intenti eſt terminus ultimus, & effectus totius conſilii, & deliberationis; ſed glorificatio eſt conſecutio finis intenti, & voliti per prædeſtinationem; ergo eſt ultimus effectus ejus. Nec in hoc poteſt eſſe difficultas.

Objic. 1. con. 2. p. Deus permittit peccata Tyrannorum propter electos, qui in perſecutionibus perficiuntur, & coronantur, & finem prædeſtinationis obtinent;

[1] *Pſ. 5.*

tinent; ergo permiſſio peccati eſt effectus prædeſtinationis propriæ, aut alienæ. Prob. ant. 1. ex Script. dicente David de Semei, [1] *Dominus præcepit illi, ut malediceret, ſi fortè reſpiciat humilitatem meam*. Sine dubio maledicens peccabat, & David inde proficiebat. Et Apoſtolus dicit, [2] *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt Sancti*, ſcilicet prædeſtinati. 2. ex Patribus. Nam inquit Auguſtinus; [3] *Omnis malus aut ideò vivit, ut corrigatur, aut ideò vivit, ut per illum bonus exerceatur*. Et de aliis dicit, *Superbis eſſe utile cadere in aliquod apertum, manifeſtumque peccatum, unde ſibi diſpliceant, & humilientur*; ergo permiſſio peccati eſt effectus prædeſtinationis æquè, ac alia ulla bona, vel mala.

Reſp. diſt. ant. Permittit ſecundariò, & negativè, & quatenus occaſionaliter conferunt ad bonum aliquod electorum, con. poſitivè, & directè, neg. ant. & conſ. Et hic eſt ſenſus illarum auctoritatum, ex quibus colligitur tantùm, quòd Deus ex providentia generali, qua decrevit relinquere arbitrium homini, permittit, ſeu non impedit peccata, & quòd ex ejus ſapientia, & providentia ſpeciali facit, ut electis ſuis mala illa cooperentur occaſionaliter in bonum.

Objic. con. 3. p. Prædeſtinatio eſt de mediis, non de fine; ſed glorificatio eſt finis; ergo non eſt effectus prædeſtinationis. Prob. maj. ex Aug. [4] *Prædeſtinatio eſt præparatio mediorum, quibus liberantur, quicumque liberantur*; ergo eſt de mediis, non de fine.

Reſp. neg. maj. & diſt. ant. prob. prædeſtinatio partialis, & imperfecta, con. totalis, & perfecta, neg. ant. Auguſtinus autem ibi loquitur de partiali, & imperfecta, non de totali prædeſtinatione, quæ eſt ad finem, & media.

Objic. 2. Glorificatio ipſa eſt finis omnium donorum Dei; ergo non eſt ipſa donum, nec effectus prædeſtinationis ad gloriam; alioqui eſſet cauſa ſui ipſius.

Reſp. diſt. ant. Glorificatio objectiva, & in ordine intentionis, con. effectiva, & in eſſe reali, ſeu executionis, neg. ant. & conſ. Nam objectivè, & in intentione eſt quidem ut finis, & movet ad ſui volitionem,

[1] 3. *Reg*. 16. [2] *Rom*. 8.
[3] 14. *civit*. 13. [4] 2. *de bon. perſe*. 14.

nem, quæ eſt prædeſtinatio, & ſic volita concurrit ad ſui executionem, & exiſtentiam in eſſe reali actuali, & ſic eſt effectus, & cauſa ſui ipſius in diverſo genere cauſæ.

Concl. 3. *Bona naturalia, ſicut nec mala pœnæ, quæ veniunt ex diſpoſitione providentiæ generalis, non ſunt effectus prædeſtinationis, licèt per accidens conferant ad conſecutionem gloriæ.* Eſt communior.

Prob. 1. ex Scoto cit. [1] Nam effectus proprii prędeſtinationis debent provenire ab ipſa volitione prædeſtinativa, [2] qua propter finem alia vult; ſed quęcunque fiunt ex providentia generali, ſive bona, ſive mala, Deus illa non vult directe propter gloriam nobis dandam; ergo &c.

Prob. 2. quia bona etiam moralia ordinis naturalis, & mala pœnæ ſubſunt providentiæ generali, qua diriguntur omnia ad finem naturalem; prædeſtinatio verò eſt actus providentiæ ſpecialis, & in ordine ad finem ſupernaturalem; ergo nec illa bona, nec iſta mala de ſe non ſunt effectus prædeſtinationis.

Confirmatur. Nam in tantum aliqua dicuntur effectus prædeſtinationis, in quantum Deus ea facit ex vi decreti illius æterni de danda gloria hominibus eam merentibus, & in quantum illa conducunt ex intentione ejus ad conſecutionem talis gloriæ; ſed illa bona, & mala non ita dantur, nec ita diſponunt; ergo non ſunt veri effectus prædeſtinationis. Maj. ſupponitur ex omnium ſenſu, qui tales conditiones requirunt ad veros effectus prædeſtinationis. Prob. min. 1. quia nequidem boni actus morales ordinis purè naturalis ſunt diſpoſitiones niſi remotiſſimæ ad finem ſupernaturalem. Et id à fortiori eſt verius de entitatibus phyſicis, ut ſunt bona phyſica corporis, & animi, ut ſanitas, longitudo, & brevitas vitæ, bonum temperamentum, bona indoles, perſpicax ingenium; item à fortiori de bonis fortunæ, ut ſunt opes, honores; & denique de malis pœnæ, de morbis, de defectibus corporis, & animi, &c. Tantum enim abeſt, ut per ſe bona illa diſponant ad finem gloriæ, ut potius

[1] *Ibid.* [2] *Ibid.*

tiùs ſint in plurimis impedimenta. Sunt ad ſummum indifferentia,& illis plures abutuntur in ſuam damnationem. Et denique hæc ſunt communia malis, & bonis, reprobis, & electis, ita, ut Prophetæ dolerent videntes proſperitatem iniquorum. [1] *Zelavi ſuper iniquos pacem peccatorum videns.*

Dixi, *quamvis per accidens poſſint à Deo dirigi, ſic, ut inſerviant conſecutioni finis illius.* Nam ſæpe etiam ex providentia ſpeciali poſſunt dari à Deo tam mala, quàm bona, ut exerceantur electi, & occaſiones habeant merendi ex patientia, & charitate, ut patuit in Tobia, & Joſeph, quos per utramque fortunam exercuit; ſed hæc contingenter, & per accidens, aut de via extraordinaria fiunt.

Porrò Gloſſa in illum Apoſtoli textum, [2] *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, ſic loquitur, *Non ſolùm facit hoc Spiritus Sanctus, ſed etiam facit omnia diligentibus ſe provenire in bonum proſpera, vel adverſa. Tales enim Deus conſolatur proſperis, exercet adverſis.* Proſunt enim mala, quæ fideles piè perferunt, vel ad emendanda, ſive demenda peccata, vel ad exercendam, probandamque juſtitiam, vel ad demonſtrandam hujus vitæ miſeriam, &c. Et è contra mali omnia pervertunt,& eis omnia cooperantur in malum.

Uno verbo dicimus ea omnia eſſe effectus prædeſtinationis, quæ Deus ex vi talis decreti, ac volitionis æternæ diſponit ad perducendum hominem in illum finem, ſcilicet in vitam æternam. Sic de lapſu Petri, qui tot,tantarumque lacrymarum occaſio fuit, diſcurrit Ambroſ. in illud. [3] *Super hanc Petram ædificabo*, &c. *Quarè non ait ædificabo? quia oportebat, ut Petra magis ſolidaretur, ut ad tanti ædificii molem non nutaret.* Et *quarè hinc ſolidior? dum peccat*, inquit, *dum plorat, dum pœnitet, obduruit, & inſtar marmoris obfirmatur, ut ei facilè Eccleſiæ ædificium credi poſſit.*

[1] *Pſal.* [2] *Rom.* 8. [3] *Mat.* 10.

QUÆSTIO V.

De certitudine prædeſtinationis, & ſignis ejus, & numero prædeſtinatorum.

SUb hoc titulo quærimus tria, 1. an prædeſtinatio ſit ita efficax, & infallibilis, ut prædeſtinatus ad gloriam non poſſit damnari, & ſub his terminis proponitur à Doctore, 2. an aliquis certus eſſe poſſit in hac vita de ſua prædeſtinatione, ſeu an habeantur, vel haberi poſſint prædeſtinationis ſigna, ex quibus aliquis certò præſumere poſſit ſe eſſe de numero electorum, 3. an certus ſit numerus prædeſtinatorum, ita, ut augeri, vel minui non poſſint, ſive ita, ut nullus ſalvetur, qui non ſit prædeſtinatus. Quæ breviter expediemus.

Nota autem, quòd certitudo hæc non conſiſtit in hoc, quòd prædeſtinatus nunquam ſit in hac vita extra ſtatum gratiæ, ut ſomniabat Uvicleff, cùm ſit de fide, quòd, exceptis Chriſto, & B. V. Maria, omnes naſcimur in peccato, & conſtet ex Euangelio, Petrum, & Matthæum fuiſſe aliquando peccatores, & Paulum aliquando perſecutorem Eccleſiæ; imò nec conſiſtit in hoc, quòd ſemel juſtificati non excidant à gratia, ut malè ſenſit Calvinus; nam & ipſe Paulus timet fieri reprobus, *Caſtigo corpus meum, ne reprobus efficiar.* Certitudo igitur, de qua agimus, conſiſtit in hoc, quod non fruſtretur ſuo effectu.

Ad 1. autem partis intelligentiam juvabit revidere, quæ diximus de præſcientia, & prædefinitionibus Dei, & quomodò certæ ſint & ſalva humana libertate. Nam ex illis principiis facilè conciliatur etiam infallibilitas, & certitudo prædeſtinationis cum libertate prædeſtinati. Et ideò non fuit neceſſe hoc iterum examinare in præſenti materia.

Concl. 1. *Prædeſtinatio quoad effectum eſt certa, ſed tamen poſſibile eſt prædeſtinatum damnari.*

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui movens hanc quæſtionem docet, quòd *quia Deus contingenter prædeſtinat illum, quem prædeſtinat, & poteſt non prædeſtinare, non ſimul ambo, nec ſucceſſivè, ſed utrumque diviſim in inſtanti æter-*

[1] *Ibid. A. n. 2.*

æternitatis, conſimiliter dico, quòd iſte, qui eſt prædeſtinatus, poſſit damnari, non enim propter prædeſtinationem voluntas eſt confirmata, et ita poteſt peccare, et ita pari ratione in peccato ſtare finaliter, et ita juſtè damnari, ſed ſicut poteſt damari, ita poteſt non prædeſtinari, &c. Idem docet in Reportatis; [1] ſcilicet, quòd ſecundum compoſitionem, & diviſionem, & in ſenſu diviſo verum eſt, quòd prædeſtinatus poteſt damnari.

Prob. 2. de certitudine, quia prædeſtinatio ex parte Dei eſt volitio efficax, qua vult alicui gratiam, & gloriam, & ut taliter volitum præſcit glorificandum; ſed nec volitio Dei efficax poteſt fruſtrari, nec præſcientia falli; ergo prædeſtinatio quoad effectum eſt certiſſima.

Prob. 3. ex Script. & Patribus. Nam Apoſt. dicit [2] *Firmum firmamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc, Cognovit Dominus, qui ſui ſunt*; ergo prædeſtinationis effectus eſt certiſſimus. Item ex Aug. *prædeſtinatio eſt ſcientia, et præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè ſalvantur, quicunque ſalvantur.* Vides certitudinem ſalutis in prædeſtinatis.

Prob. 2. par. 1. quia ipſe prædeſtinationis actus eſt liber Deo, libertate contingentiæ; ergo ſic eſt in Deo, ut poſſet non eſſe. Ant. patet ex dictis de libertate Dei. Nam prædeſtinatio eſt actus ad extra. Conſ. prob. Nam etiam ex dictis patet, quòd in hoc conſiſtit ratio formalis libertatis contingentiæ, 2. etiam quoad nos ille etiam effectus eſt contingens. Nec enim prędeſtinatio Dei tollit libertatem etiam contingentiæ in prædeſtinatis ſic, quin ſit in eorum libertate ſalvari, aut non ſalvari. Et hoc patet ex dictis de præſcientia, & prædefinitionibus divinis, quomodò ſcilicet non lædant libertatem creatam. Et quæ contra hoc objicere poſſunt hæretici, ſoluta ſunt.

Prob. 2. ex eodem Apoſt. [3] *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, ſed et lignea, et fictilia, et quædam quidem in honorem, quędam verò in contumeliam.* Ecce prædeſtinatos, & reprobos. Si quis ergo emundaverit ſe ab iſtis, erit vas ſanctificatum, utile Domino, ad omne opus bonum paratum. Item ex Sapiente,

[1] *Ibid. n.* 15.
[2] 2. *Tim.* 2. [3] *Ibid.*

[1] *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui, adjecit mandata, & præcepta ſua, ſi volueris mandata ſervare, conſervabunt te. Appoſui tibi ignem, & aquam, ad quod volueris, porriges manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, & quod placuerit ei, dabitur illi*; ergo ex Script. prædeſtinatio non impedit, quin homo poſſit ſalvari, aut damnari, ſi velit. Cum rejicit gratiam, fit reprobus, & cum emundat ſe, fit vas honoris, & ſalvabitur, ſi vult vitam, vivet, ſi vult mortem, dabitur illi. Iterùm ex Apoſtolo timente reprobari, *Ne fortè cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar*. Et ad hoc facit famoſum dictum, *Si non es prædeſtinatus, fac, prædeſtineris*; id eſt, ſi in peccatis jaces, per quæ jaces inter reprobos, pœnitentiam age, & emundare per gratiam, & eris inter prædeſtinatos.

Idem videtur docere Eccleſia, quæ orans dicit, *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus*. Ecce determinationem in ſcientia Dei. Addit verò, *præſta, ut omnium fidelium nomina beatæ prædeſtinationis liber adſcripta retineat*. Ecce poſſibilitatem deletionis ex libro.

Prob. 3. ex Scoto. Si prædeſtinatio inferret neceſſitatem, quæ dicitur conſequentis in homine, ita, ut non poſſet damnari, ſi vellet, & reprobus ſalvari, nullus deberet eſſe ſolicitus de obſervantia præceptorum, nec de malis operibus; ſed conſ. eſt impium, & erroneum in fide, ergo prædeſtinatus poteſt damnari. Prob. maj. Nam quidquid, aut quomodocunque ageret, etiam nolens, ſalvaretur, aut damnaretur, quia prædeſtinatio non poteſt fruſtrari, ut patet ex 1. parte; ergo &c.

Objic. contra 2. p. Prædeſtinatus non poteſt non prędeſtinari; ergo neque damnari. Conſ. eſt evidens. Nam prædeſtinari, & damnari opponuntur. Prob. ant. *Præteritum eſt ſimpliciter neceſſarium*, ex Philoſ. [2] ſed prædeſtinatio eſt quid præteritum, eſt enim actus elicitus ab æterno à Deo; ergo prædeſtinatus non poteſt non prædeſtinari.

Reſp. diſt. ant. Formaliter, & reduplicativè, & in ſenſu compoſito, conc. ſpecificativè, & in ſenſu divi-

[1] *Eccle.* 15. [2] 6 *Ethic.*

diviſo, neg. ant. & min. prob. Nam volitio Dei æterna eſt, ideò non tranſit in præteritum, ſed cuilibet tempori reali coexiſtit realiter, & idem eſt Deū prędeſtinare ab æterno, & hodie, & cras prędeſtinare; & quia liberè prædeſtinat, ideò ſic prædeſtinat, ut poſſet non prædeſtinare, & quod prædeſtinatur, poſſet reprobari, ſicut poſſet peccare, & mori in peccato. Sed de facto Deus prædeſtinat ab æterno, & prædeſtinatus morietur in gratia, quia Dei voluntas ab æterno, & in ſe, pro ut continens eminenter virtualiter per infinitatem ſuam voluntatem noſtram, vult, & determinat, & ſeit ſe illi cooperaturum, ut moriatur in gratia, & ſalvetur.

Objic. 2. Si prædeſtinatus poſſet damnari, hoc fieret, vel quia Deus mutaretur voluntate, vel quia homo reſiſteret illi, & fruſtraret voluntatem Dei; ſed neutrum dici poteſt, Deus enim vult efficaciter, & immutabiliter, & voluntas efficax fruſtrari non poteſt; ergo prædeſtinatus non poteſt damnari.

Reſp. neg. maj. Noſtra enim aſſertio verificatur per hoc, quòd Dei voluntas liberè omninò prædeſtinat, & voluntas prædeſtinati liberè pariter ſuam ſalutem operatur, & correſpondet voluntati divinæ prædeſtināti, & ideò Deus poſſet non prædeſtinare pro eodem inſtanti, in quo prædeſtinat, & homo ſic cooperatur gratiæ, ut poſſet non cooperari, quia prædeſtinatio non infert ei neceſſitatem.

Inſt. Neceſſitas antecedens non patitur libertatem; ſed actus prædeſtinationis infert neceſſitatem antecedentem voluntati hominis; ergo non patitur ejus libertatem. Prob. min. Prædeſtinatio eſt actus voluntatis efficacis, & abſolutæ, qua vult ab æterno Petrum ſalvari in tempore; ſed talis voluntas eſt antecedens ad liberationem Petri, & hic non poteſt fruſtrare decretum efficax, & abſolutum, per nos, ſed neceſſariò fit, quod ſic decernitur; ergo, &c.

Reſp. neg. min. utriuſque arg. Nam volitio prædeſtinans comitatur, aut etiam ſupponit merita prævisa prædeſtinati, ut diximus; & ſic nullam infert neceſſitatem antecedentem.

Objic. 3. Deus non prædeſtinavit, niſi quos præſcivit ſalvandos; ſed pręſciti ſalvari non poſſunt damnari; ergo nec prædeſtinati. Maj. patet ex Apoſt. *Quos*

præſcivit, *et prædeſtinavit*. Prob. min. quia ſcientia Dei non poteſt falli.

Reſp. 1. neg. maj. Nam, ut diximus de ſcientia contingentium, prius eſt Deum prædeſtinare, & velle ſalvare, quàm præſcire ſalvandos. 2. diſt. min. Non poſſunt damnari in ſenſu compoſito præſcientię, & reduplicativè, ac formaliter, ut præſciti, conc. in ſenſu diviſo, & ſpecificativè, neg. min. Non enim præſcientia eſt cauſa ſalutis, & prædeſtinationis, ut diximus.

Concl. 2. *Quamvis habeantur non levia ſigna prædeſtinationis, nemo tamen certus eſſe poteſt, aut debet, ſe eſſe prædeſtinatum, niſi ex ſpeciali Dei revelatione*. Eſt de fide contra Calvinum, qui vult omnem fidelem debere certa fide credere, ſe eſſe prædeſtinatum.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui merita dicit diſpoſitiones, & viam ad gloriam. *Meritum eſt diſpoſitio, & via reſpectu beatitudinis*; ergo ſicut ex cauſis cognoſcuntur effectus, & cauſæ ex effectibus, & formæ ex diſpoſitionibus, & fines ex mediis, ita ex operibus, & mediis indicatur prædeſtinatio, vel reprobatio.

Prob. 2. ex Script. quoad 1. par. Nam David quærens à Deo, quis ſit habitaturus in Regno ejus, pro ipſo reſpondet, & dat ſigna eorum electorum ex operibus. [2] *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* &c. & pro ipſo reſpondet, *qui ingreditur ſine macula, & operatur juſtitiam, qui loquitur veritatem, qui facit hæc, non commovebitur in æternum*, ideſt inquit S. Hieron. *non ſolùm à commotione æterni judicis ſecurus erit, verum etiam ipſum montem, tabernaculumque cæleſte poſſidere merebitur in Chriſto*, &c. Et in Euangelio ex mandatorum obſervantia infertur conſecutio vitæ æternæ. [3] Quærenti, *quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* Reſpondet Chriſtus, *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*. Et D. Petrus, *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis*, Et D. Paulus, *Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei*.

Prob. 3. quia 1. de pueris ritè baptizatis, & citò morientibus ante uſum rationis ſatis rationabiliter ex

[1] 2. *d.* 5. *q.* 1. *B. n.* 4. [2] *Pſ.* 14. [3] *Matth.* 19.

ex illis ſignis præſumitur eorum ſalus. Idem de fidelibus, qui pro fide Chriſti mortem patiuntur. Item ſatis rationabiliter id præſumitur de juſtis ex eorum eximiis operibus, & maximè ex miraculis, quamvis hæc ſine perſeverantia finali non ſint vera ſigna ſalutis. Uno verbo, ut dicebam, ex cauſis cognoſcuntur effectus, & ex his illæ: ſed opera meritoria ſunt cauſæ, vel effectus prædeſtinationis; ergo ſigna, ex quibus conjici poteſt aliquem eſſe prædeſtinatum. Pro aliis verò maximè notantur ſequentia.

Primum eſt *vocatio*, & *juſtificatio*, juxta illud, *Quos prædeſtinavit, hos & juſtificavit*, &c. Unde S. Bernardus, [1] *Secretum, quod de nobis latet in corde Patris, nobis per ejus Spiritum innoteſcere, & Spiritum ejus perſuadere ſpiritui noſtro, quod filii Dei ſumus, perſuadere autem vocando, & juſtificando*. Et de vocatione intelligi poteſt illud, *A voce tonitrui ejus concipiunt, et parturiunt electi ſpiritum, ſalutem faciunt ſuper terram*. Quod præcipuè verum eſt de vocatione religioſa: quippe, ut dicitur in 1. Regum, [2] *Si Deus nos perdere voluiſset, ſacrificia de manibus noſtris* (qualia ſunt vota) *non accepiſſet*. Quod etiam patet ex operibus religioſis, per quæ meremur gloriam, & ex obſervantiis, per quas cuſtodimur, & auferuntur occaſiones peccati, &c.

2. *Docilitas* ad voces Dei, & flexibilitas ad motiones gratiæ, juxta illud, *Oves meæ vocem meam audiunt*, &, *Qui ex Deo eſt, Dei verba audit*; ſc. magnum ſignum eſt, nos eſſe de numero ovium, quando libenter vocem paſtoris audimus, & docentem, & vocantem ſequimur.

3. *Delectatio*, quam experimur in divinis colloquiis, & meditationibus, ac contemplatione. Eſt enim hæc quædam inchoata felicitas. [3] *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum*. Et ſic ſponſas ſuas Spiritus Sanctus ducit in *ſolitudinem, ubi loquitur ad corda eorum*.

4. *Exercitationes* in virtutis via per ærumnas, & perſecutiones per quas in patientia ſimus *conformes imaginis Chriſti filii ejus*.

5. *Opera charitatis*, & *miſericordiæ*, quibus præci-
 puè

[1] *Ser. 5. dedic. Eccleſ.* [2] 1. *Reg.* 1.
[3] *Joan.* 17.

purè paratum eſt Regnum. *Eſurivi enim*, ait Deus, *et dediſtis mihi manducare*, &c.

6. Denique *virtutes*, quæ octo Beatitudinibus exprimuntur in Euangelio. His enim annexam vitam beatam docet Chriſtus, *Beati pauperes ſpiritu*, &c. Igitur omnis, qui in ſe experitur talia ſigna poteſt ſperare, & confide e de divina miſericordia, & prædeſtinatione, ſed non ſine timore. Unde

Prob. 2. p. ex Script. [1] *Beatus homo, qui ſemper eſt pavidus*; non autem, qui ſemper ſecurus. Unde monet Apoſt. [2] *Cum timore, et tremore ſalutem veſtram operamini*, & *Qui ſtat, videat, ne cadat*, item, [3] *Neſcit homo, an amore, vel odio dignus ſit*.

Prob. 2. ex Concil. Trid. [4] *Nemo, quamdiu in hac mortalitate vivitur, de arcano divinæ prædeſtinationis myſterio uſque adeò præſumere debet, ut certò ſtatuat ſe omninò eſſe de numero prædeſtinatorum, quaſi verum eſſet, quòd juſtificatus aut amplius peccare non poſſit, aut, ſi peccaverit, certam ſibi reſipiſcentiam præſumere debeat*; &, *Si quis dixerit, hominem renatum, & juſtificatum teneri ex fide ad credendum ſe certò eſſe de numero prædeſtinatorum, anath. ſit*; & cùm nulla opera proſint ſine perſeverantia, addit, [5] *Si quis magnum illud uſque in finem perſeverantiæ donum ſe certò habiturum, abſoluta, & infallibili certitudine dixerit, niſi hoc ex ſpeciali revelatione didicerit, anath. ſit*.

Prob. 3. ex PP. Aug. [6] *Quis ex multitudine fidelium, quandiu in hac mortalitate vivitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat?* Et alibi [7] *Ad hanc vocationem pertinere nullus homo ab hominibus certa aſſeveratione dicendus eſt*.

Prob. denique ratione petita ex Euangelio, *Quæ Dei ſunt*, & ex libera Dei gratia ſunt, *nemo novit, niſi Spiritus Dei*: ſed electio ad gratiam, & gloriam purè Dei eſt, & ab ejus libera voluntate pendet; ergo ab homine certò ſciri non poteſt, niſi ex revelatione divina. Dico, *certò ſciri*, ſcilicet certitudine Phyſica morali, quæ omnem timorem de oppoſito excludat. Nam probabiliter id ſcire poſſumus, & dicere

[1] *Prov.* 8. [2] *Phil.* 2. [3] 1. *Cor.* 10. [4] *Seſſ.* 6. *c.* 22. [5] *can.* 16. [6] *de corrept. & grat.* 13. [7] *de perfect.* 13.

cere cum D. Bernardo, *Ego de electis ſum, & de prædeſtinatis ad vitam. Certitudinem utique non habemus, ſed ſpei fiducia conſolatur nos, ne dubitationis hujus anxietate penitùs cruciemur*. Negatio omnis probabilitatis de noſtra electione deſperationem faceret, certa fiducia excludens omnem formidinem faceret præſumptionem: probabilitas facit ſpem modeſtam, & ſolicitam.

Objic. pro hęreticis. Apoſt. dicit, [1] *Certus ſum, quia neque mors, neque vita, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei*, &c. certus eſt Paulus, ſe non poſſe amittere charitatem; ergo neque damnari, & amittere gloriam, ergo eſt certus de ſua prædeſtinatione. Item, *Ipſe Spiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quòd ſumus filii Dei*, quid certius illo teſtimonio? *Si autem filii, et hæredes*, &c. Et, [2] *Quos prædeſtinavit, hos vocavit, quos vocavit, illos juſtificavit, et glorificavit*, ergo tam certi ſumus de noſtra prædeſtinatione ad gloriam, quàm de vocatione ad fidem: ſed de iſta omninò certi ſumus; ergo & de illa, 4. S. Joan. [3] *Scribo vobis, ut ſciatis, quia vitam habebitis, qui creditis in nomine filii Dei*: ſed ſcientia habet certitudinem ſine dubitatione, ergo &c.

Reſp. neg. conſ. Nec enim hi textus probant intentum. Nam quoad D. Paulum, in 1. loco loquitur de certitudine morali, & quantum in ſe ſentiebat ardorem invictæ charitatis; aliàs ipſemet timuit cadere, cùm ab Angelo Sathanæ colaphizabatur, & alibi dicit, ſe timere, *ne cum aliis prædicaverit, ipſe reprobus efficiatur*, & aliàs ſe incertum dicit de ſua juſtitia, *Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum*, & denique quamvis hoc de ſe diceret, quaſi ſentiens ſe confirmatum in gratia, id illi potuerat revelaſſe Deus. Sed pro nobis ipſe monet, *Cum timore, et tremore ſalutem veſtram operamini*, & *Qui ſtat, videat, ne cadat*.

Ad 2. patet, quòd ad ſummum illud teſtimonium internum per conſcientiæ quietem eſt de præſenti ſtatu gratiæ, ſed pro futuro non dicit Spiritus Dei, niſi promittat illis perſeverantiam in illo ſtatu, ſine qua nulla ſalus. *Qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit*. Et id fatetur Calvinus ipſe,

[1] *Rom.* 8. [2] *ibid.* [3] 1. *Jo.* 5.

ſcil. vocationis noſtræ conſcios nos eſſe, & electionis incertos. Nam *etiamſi quales hodie ſumus, quales tamen ſimus futuri, neſcimus.*

Idem dicitur ad 3. Nam vocatio,& juſtificatio ſine perſeverantia non ſunt ſigna certa prædeſtinationis. Certè *multi vocati, pauci electi*. Idem dicitur ad locum Joannis, *Vitam habebitis, ſi in fide, & gratia perſeveraveritis*, & non aliter.

Concl. III. *In Deo prædeſtinatio certa eſt quoad numerum electorum, & quoad gradum omnem determinatum gloriæ cuique prædeſtinato paratæ*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Primò voluit Deus gloriam, determinato electorum numero, 2. ordinavit gratiam finalem quaſi in 2. inſtanti naturæ, ſine qua diſpoſuit non dare beatitudinem*, &c. ergo & determinavit & numerum, & gradum gratiæ, & per conſeq. gloriæ. Alibi dicit, quòd *Deus præelegit ad cœleſtem curiam omnes, quos voluit habere, Angelos, & homines in certis, & determinatis gradibus.* Quid clarius pro utraque parte concluſionis.

Prob. 2. ex Script. & PP. Nam, ut inquit Apoſt. [2] *Cognovit Dominus, qui ſunt ejus*. Et certè ſi, ut Pſaltes ait, *Deus enumerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat*, quantò magis electos ſuos novit? quippe Deus, *quid agat, & quantus numerus eſſe debeat, primitùs omnium hominum, deinde Sanctorum ſicut ſyderum, ſicut Angelorum*, inquit Auguſtinus [3] *Certus eſt ergo Dei præſcientiæ, & definitus numerus, et multitudo Sanctorum, et non eſt aliquis ſupra numerum, ſed certus eſt numerus.*

Prob. 3. ex infinitate ſapientiæ, & ſcientiæ Dei, qua prævidit certiſſimè omnia, & diſtinctiſſimè, quæ facturus eſt tota æternitate, nec mutantur ejus decreta tam quoad prædeſtinationem, & reprobationem, quàm quoad alia facienda eorum, qui prædeſtinati ſunt in Regnum Dei. *Ita certus eſt numerus, ut nec addatur eis quiſquam, nec minuatur ex illis*, ait Auguſt. [4]

Prob. 2. p. eadem ratione, & maxime quia, ex dictis

[1] *Repo. 3. d. 19. n. 7.* [2] 2. *Ti* 2. [3] 106.
[4] *De corrept. cit.*

ctis ſupra; Deus prædeſtinat ex prævifis meritis; ergo ſicut ſingulorum prædeſtinatorum merita futura gradum habent determinatum, ita & gloria, ad quam ſingulos eligit; nec minùs decet ſapientiam divinam ſcire determinatos gradus gratiæ, & gloriæ, quam daturus eſt ſingulis, quàm numerum determinatum rerum omnium, quibus utramque daturus eſt.

Objic. ex dictis. 1. concl. Singuli prædeſtinati poſſunt damnari; ergo eorum numerus non eſt certus, ſed poteſt augeri, vel minui.

Reſp. dato ant. in ſenſu explicato, neg. conſ. quia id non impediret, ne Deus præſciat determinatè, quot ſint ſalvandi, & gloriam conſecuturi; & licèt quoad potentiam illam poſſet quilibet damnari in ſenſu prædicto, tamen de facto *horum prædeſtinatorum nemo eum Diabolo peribit, nemo uſque ad mortem ſub diaboli poteſtate remanebit*; inquit Aug. [1] & idem dici poteſt de reprobis, quòd licèt ſinguli poſſent ſalvari, quia reprobatio non infert neceſsitatem, tamen de facto nullus eorum ſalvabitur, nec augebit numerum prædeſtinatorum. *Electio Dei ab æterno ſine pænitentia eſt* (ait Gloſſa) ſcilicet ſine mutatione conſilii Dei, juxta illud Apoſtoli, [2] *Sine pœnitentia enim ſunt dona, et vocatio Dei.*

Quæres, *An numerus prædeſtinatorum ſit major numero reproborum.*

Reſp. abſolutè loquendo plures eſſe reprobos.

Prob. 1. ex Script. [3] *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Certè ſi ex fidelibus ad fidem, & Eccleſiam vocatis, & in tanta multitudine pauci dicantur electi, & plures reprobi, à fortiori hoc dicendum eſt abſolutè loquendo de omnibus hominibus, inter quos plures longè ſunt infideles, hæretici, & peccatores, quàm juſti, Imo, ne inter baptizatos quidem plures ſunt prædeſtinati. Nam numerus hæreticorum, & malorum Catholicorum prævalet.

Quæres; *An ſciri poſſet numerus prædeſtinatorum.*

Reſp. hunc ſoli Deo notum eſſe, ut cantat Eccleſia, *Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus electorum in ſuperna felicitate locandus.* Quidam putant, numerum

 ho-

[1] 13. *Tr.* 16. [2] *Rom.* 11.
[3] *Matth.* 20. *et* 22.

hominum electorum reſpondere Angelis reprobis, quorum ruinas illi debent reparare, & ſedes vacuas implere. Sed hoc valde incertum eſt.

DISPUTATIO XIII.

De Reprobatione.

EX iis, quæ ſatis prolixè diximus de prędeſtinatione, faciliùs capientur, quæ dicenda ſunt de reprobatione, quæ illi opponitur, quandoquidem contrariorum eadem eſt ratio. Siquidem per prædeſtinationem Deus aliquos eligit ad vitam æternam, & per reprobationem alios reſpuit, & excludit ab illa vita, & deſtinat eos ad mortem ętern$\bar{a}$.

QUÆSTIO PRIMA.

An, et quid ſit reprobatio.

NOmine reprobationis ſignificatur univerſaliter excluſio, ſeu repudiatio rei alicujus, ut inutilis, vel malæ, & hoc ex vi vocis, ſed propriè hic intelligimus actum divinæ providentiæ, & voluntatis, quo aliquos & excludit à gloria ſua, & deputat ſuppliciis æternis. Dico, *voluntatis*, quia licèt concurrat ad hoc etiam intellectus, quo intelligit Deus ſeipſum, & omnia tam in eſſe poſſibili, quàm futuro, & maximè peccata, tamen, ut diximus de prædeſtinatione, conſiſtit formaliter, & principaliter in illo voluntatis actu, quo excludit aliquos à gloria, & deputat eos pœnis æternis.

Solet dividi 1. in *poſitivam*, quæ eſt illa nolitio dandi eis gloriam, & volitio eos puniendi, & *negativam*, quæ eſt pura negatio prædeſtinationis, ſeu non volitio dandi illam gloriam, 2. alia eſt *reprobatio à gloria*, quæ ſic explicatur, & alia *à gratia*, quæ eſt tantùm excluſio a gratia efficaci, aut juſtificante, & dicitur *reprobatio imperfecta*, ſeu *partialis*, & *ſecundum quid*; prior verò eſt *reprobatio* ſimpliciter, & importat excluſionem tam à gratia, quàm à gloria, quæ eſt gratia conſummata.

Concl. *Admittenda eſt in Deo vera reprobatio poſitiva,*

tiva, quæ rectè deſcribitur decretum æternum, & efficax, quo rationalis aliqua creatura excluditur à vita æterna, & deſtinatur pœnis æternis damni, aut ſenſus propter peccata. Eſt de fide quoad 1. p. & communis quoad 2.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui reprobationem opponit prædeſtinationi, & hanc dicit illam præcedere, quia, inquit, *priùs eſt numerus completus electorum, quàm aliquis reprobetur*, & quòd *reprobationis eſt aliqua cauſa*, &c. ergo ex Scoto datur vera reprobatio, & deſcribitur per oppoſitum ad prædeſtinationem, & ideò eſt *actus, quo creatura rationalis excluditur à gloria propter peccata.*

Prob. 2. quoad 1. p. ex Script. Nam dicitur de duobus fratribus, [2] *Jacob dilexi, Eſau autem odio habui*, quod de electione primi, & reprobatione ſecundi communiter explicatur. Et ipſemet Apoſt. & Chriſtus dicit, [3] *ignem æternum paratum eſſe Diabolo, & Angelis ejus, & eò mittendos eſſe maledictos*, & D. Paulus docet [4] *vaſa iræ parata in interitum*, à Deo, *in oſtenſionem iræ ſuæ*, & *vaſa miſericordiæ, quæ præparavit in gloriam*, & *In magna domo non ſolùm ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem* (deſtinata) *in honorem, quædam in contumeliam.*

Prob. 1. ex Concil. Valentino II. [5] *Fidenter fatemur prædeſtinationem electorum ad vitam, & prædeſtinationem impiorum ad mortem.* Et ex PP. explicantibus parabolam ſeminantis, [6] & collectionem zizaniorum, & eorum deputationem ad comburendum, de reprobis. Ita eſt de piſcatoribus, qui bonos piſces eligunt in vaſa, & malos foras mittunt. *Ut divini judicii typus arte piſcatoria monſtraretur, piſces congregat captura confuſos, ſed in vaſa diſcretio dat electos; ſic vocatio Chriſtiana juſtos, & injuſtos, malos, bonoſque congregat, ſed bonos, maloſque electio divina diſcernit*, inquit S. Chryſ.

Prob. 3. quia in tempore Deus damnat morientes in peccato; ergo id ab æterno ſe facturum prævidit,

[1] *1. d. 41. A. n. 2. repor. ibid. n. 8.*
[2] *Malach. 1. & Rom. 9.*
[3] *Matth. 25.* [4] *Rom. 9.*
[5] *Can. 3.* [6] *Matth. 13.*

vidit, & decrevit. Nihil enim facit in tempore, quod ab æterno non decreverit.

Prob. denique, quia hæc providentia nullam importat imperfectionem in Deo, ſed potiùs maximè commendat ſapientiam, & juſtitiam ejus, quæ tam provida, & potens eſt in puniendis impiis, quàm in præmiandis juſtis.

Prob. 2. p. quia ſic ſatis explicatur eſſentia hujus actus, & myſterii per verum genus, & propriam differentiam ejus. Dicitur 1. *decretum æternum efficax*, quod ponitur loco generis. In hoc *reprobatio* convenit cum *prædeſtinatione*. Eſt enim judicium, quo Deus ab æterno judicat aliquas creaturas rationales indignas vita, & dignas morte æterna, ad quam illas deſtinat poſitivè. 2. *creatura rationalis*, quia hæc ſola eſt capax talis mortis, ſicut & vitæ. 3. *excluditur*, *& deſtinatur*, *&c. pœnis damni*, *aut ſenſus*, quia creditur, quòd pueri puniuntur tantùm pœna damni propter originale, & adulti pœna damni, & ſenſus propter peccata ſua propria. Unde additur 4. *propter peccata*, quia Deus cùm ſit ſummè bonus, & juſtus, non damnat, nec punit ſine culpa, & quidem finali.

Objic. con. 1. p. ex Script. [1] Deus non vult quenquam damnari; ergo neminem poſitivè ſic reprobat. Probat. ant. *Non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat. Imo vult, omnes homines ſalvos fieri.*

Reſp. diſt. utrumque ant. Non vult mortem peccatoris, voluntate antecedente, generali, & quaſi conditionata, con. voluntate conſequenti, abſoluta, & particulari quoad aliquos, neg. ant. utrumque. Nam de hac voluntate non loquitur Scriptura. Quantum eſt de ſe, vellet omnes converti, & ſalvari; ſed ex malitia peccatoris vult ex juſtitia illum punire, quem prævidet in peccato moriturum.

Objic. 2. Magis deceret Dei providentiam non permittere peccata, quæ puniat, quàm ea permittere; ergo reprobatio poſitiva non decet Dei providentiam. Prob. ant. Perfecta providentia ſic omnia diſponit, ut pertingant ad finem ſine deordinatione, ergo magis deceret Deum non permittere peccata, quæ puniat,

[1] *Malach.* 1.

niat, ex quibus fit, ut damnati non pertingant ad finem.

Reſp. neg. 1. ant. & diſt. 2. Providentia particularis con. generalis, & ſuprema, neg. ant. & conſ. Nam cùm Deus ex providentia generali, & ſuprema creaverit hominem, & Angelum liberos, decet ſapientiam, & providentiam illam, ut permittat eos agere ſecundum illam libertatem, quæ eſt ad benè, aut malè agere, ut benè agentes præmientur, & peccantes puniantur; & ſic in utriſque habet finem providentiæ ſuæ generalis.

Concl. 3. *Licèt intellectus divinus concurrat in reprobatione, tamen formaliter, & principaliter illa eſt actus voluntatis*. Sequitur ex dictis tum de providentia, tum de prædeſtinatione.

Prob. prætereà 1. ex Scoto. [1] *Damnatio non videtur bona, niſi quia juſta..... ergo non vult Deus priùs aliquem punire, quàm illum videat peccatorem. Non igitur primus actus voluntatis divinæ circa Judam eſt velle damnare Judam ſine culpa, ſed oportet Judam offerri voluntati divinæ ſub ratione peccatoris, antequam velit damnare; ergo cùm reprobatio ſit velle damnare*, &c. Vides intellectus, & voluntatis officia in reprobatione; intellectus videt, & oſtendit Judam ut peccatorem, & voluntas Judam ſic propoſitum ſibi reprobat.

Prob. 2. quoad 1. p. quia Deus eſt agens intellectuale, & reprobatio fit per modum judicii, & voluntas non fertur in incognitum; ergo ut velit Deus damnare aliquem, debet illum præſcire peccatorem, unde reprobi dicuntur præſciti.

Prob. 2. p. 1. ex Script. quę reprobationem exprimit per actus voluntatis, & per actum odii, & electionem per actum amoris, *Jacob dilexi, Eſau odio habui*. Et prædeſtinatio eſt electio, quæ eſt actus voluntatis; ergo & reprobatio illi oppoſita.

Probatur 2. ex Auguſt. qui ſemper ſupponit hunc actum eſſe à voluntate, ut cùm dicit. [2] *Quare illos velit convertere, & illos pro averſione punire*; ergo vocat reprobationem voluntatem puniendi. Et ſæpè eadem vocat prædeſtinationem ad pœnam [3] *Quos juſte*

[1] *Ibid.* [2] 2. *peccat. Mer.* 18.
[3] 1. *de Act.* 11.

juſtè prædeſtinavit ad pœnam, &c. prædeſtinatio autem eſt actus voluntatis; ergo, &c.

Prob. 3. ex dictis de ſcientia contingentium. Omnis contingentia pendet ex libera Dei voluntate, qua decrevit ea eſſe futura; ergo Deus non poteſt ſcire aliquem eſſe damnandum, niſi in decreto æterno reprobationis; ergo & hæc eſt actus voluntatis.

Objic. 1. Reprobatio vocatur præſcientia, & reprobi dicuntur præſciti; ſed præſcientia eſt ab intellectu formaliter; ergo & reprobatio.

Reſp. diſt. maj. Præſcientia cauſaliter, & præſuppoſitivè, con. formaliter, neg. maj. & conſ. Reprobatio dicitur à præſcientia, quia omnis actus voluntatis præſupponit actum intellectus oſtendentis volenda, aut nolenda, v. g. peccata finalia eorum, qui reprobantur.

Objic. 2. Reprobatio opponitur approbationi; ſed iſta eſt actus intellectus, eſt enim judicium de veritate, aut bonitate rei, ergo & reprobatio erit judicium de malitia, aut falſitate.

Reſp. diſt. min. Approbatio in nobis eſt judicium, con. in Deo, neg. min. & rationem ejus. Nam approbatio in nobis eſt dictamen rationis, à quo pendet rectitudo noſtræ voluntatis; ſed in Deo voluntas eſt prima radix omnis rectitudinis agendorum, ex Scoto. [1]

QUÆSTIO II.

De cauſa reprobationis, an ſit aliqua ex parte reprobatis.

NOn quærimus de cauſa efficiente, nec de alia, quæ influat phyſicè in actum reprobationis, ut monuimus de prædeſtinatione, ſed de cauſa morali, & meritoria, propter quam Deus determinetur ad volendum hunc damnare; & quærimus, an ad hoc determinetur ex prævifione peccati finalis in reprobis, ita, ut non reprobaret ullum poſitivè, niſi prævideret illum in peccato moriturum. Dico *poſitivè*. Nam reprobatio purè negativa non habet cauſam, ſicut nec eſſe.

Porrò

[1] 1. d. 38. D. n. 5.

Porrò *negativam* ſic explicant aliqui, ut includat actum poſitivum. [1] *Negativa, ſc. permiſſiva, & ſecundum quid conſiſtit principaliter in judicio quodam practico, quo Deus ſtatuit ante abſolutam prævisionem peccatorum aliquos relinquere communi providentiæ abſque peculiari benevolentia circa media procuranda, quæ noſſet congrua ad merita finalia, & gloriam conſequendam.* Vides in iſta actus poſitivos tam voluntatis, quàm intellectus. Et potiùs dicenda eſſet reprobatio *virtualis*, & *interpretativa*, quàm *negativa*, quia illi actus æquivalent reprobationi poſitivæ.

Scotus autem non putat, Deum habere ullum actum poſitivum, quo reprobat Judam ante prævisum peccatum. Nam quærens, [2] quòd *ſi primò vult Petro beatitudinem, quid tunc vult Judæ*, reſpondet, *Dici poteſt, quòd in iſto 1. inſtanti nihil vult Judæ, ſed tantùm ibi eſt negatio volitionis gloriæ, ſimiliter quando in 2. inſtanti naturæ vult Petro gratiam, adhuc nullus actus poſitivus voluntatis divinæ eſt circa Judam, ſed tantùm negativus, in 3. inſtanti, quando vult permittere Petrum eſſe de maſſa perditionis ..... tunc vult permittere Judam ſimili modo eſſe de maſſa perditionis, & hic eſt 1. actus poſitivus uniformis circa Petrum, & Judam ..... in 4. inſtanti offertur voluntati divinæ Judas ut finaliter peccator, & tunc juſtè vult punire*, &c. ergo uſque ad 4. inſtans reprobatio Judæ nihil dicit poſitivum, quod ſpectet ad reprobationem; ergo reprobatio negativa non importat ullum actum poſitivum circa reprobos, quem non habeat circa prædeſtinatos.

Sic autem loquitur Doctor ex ſuppoſitione prædeſtinationis gratiæ, quam videtur tenere. Nam in ſententia prædeſtinationis ex prævisis meritis, quam non improbat, aliter philoſopharetur. Quærimus ergo, an reprobatio poſitiva ſit ex prævisis demeritis.

Concl. *Deus neminem reprobat poſitivè à gloria, niſi ex prævisione peccati finalis*. Eſt communis inter Catholicos contra plures Thomiſtas, & alios, qui,

[1] *Burghaberr. Controv. 59.n.22.*
[2] *Ibid.n.12.*

qui ſicut prædeſtinationem gratuitam ſuſtinent, ſic & reprobationem dicunt Deo eſſe arbitrariam; & præcipuè contra Calvinum, qui docet, [1] Deum omnes homines eodem modo, proprio nutu, & ſine ulla attentione ad merita, vel demerita aliquos prædeſtinaſſe, & alios reprobaſſe, & quòd *ubicunque regnat hoc Dei placitum, in nullam conſiderationem veniunt opera*, & quòd peccata reproborum ſunt effectus talis decreti. *Decretum horribile, fateor*, inquit [2] *Inficiari tamen nemo poteſt, quia præſciverit Deus, quem exitum eſſet habiturus homo, antequam ipſum conderet*, (Nota abominabilem rationem talis præſcientiæ) *de eoque præſciverit, quia decreto ſuo ſic ordinaverat*, ſcilicet hominem peccaturum. Quid horribilius dici poteſt?

Prob. 1. concl. ex Scoto cit. *Reprobationis tamen eſt aliqua cauſa, propter quam ſic terminatur ad iſtud objectum*; quod probat ex Auguſt. & ratione, quia videtur *crudelitas punire aliquem non præexiſtente in eo culpa ..... videtur ergo Judam offerri voluntati Divinæ ſub ratione peccatoris, antequam velit ipſum damnare*.

Prob. 2. ex Concil. Valent. II. ſub Lotario docente, [3] *in damnatione periturorum meritum malum præcedere juſtum judicium Dei*. Et Arauſic. [4] *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos non ſolum non credimus, ſed etiam. ſi ſunt, qui tantum malum credere velint, cum omni deſtinatione illis Anath. dicimus*. Et Trid. [5] *Si quis dixerit alios prædeſtinatos, qui vocantur, vocari quidem, ſed gratiam non accipere, utpote divina poteſtate prædeſtinatos ad malum, anath. ſit*. Certè ſi Deus ſic pro libitu ſuo prædeſtinaret ad pœnam, prædeſtinaret etiam ad malum, quod impium eſt dicere.

Prob. 3. ex Script. [6] *Deus mortem non fecit, nec delectatur in perditione vivorum*. Et, [7] *Voluntatis meæ non eſt mors impii, ait ipſe Deus..... Nolo*, enim, *mortem peccatoris*, &c. Quæ non eſſent vera, ſi Deus ex ſe, abſque ulla ratione ex parte hominum, deſtinaret illos ad mortem æternam. Idem patet ex aliis locis, in quibus prædicatur Dei miſeri-

[1] 3. *Inſtit. c. 22. n. 3.* [2] *C. 23. n. 7.* [3] *cap. 3.* [4] *Fin. 3.* [5] *SS. 6. can. 17.* [6] *Sap. 1.* [7] *Ezech. 8. & 33.*

ſericordia, & juſtitia. Nam ſi ſine demeritis deſtinaret ad pœnam, non eſſet miſericors, nec juſtus videretur, ſed crudelis. Unde cum Job [1] diceret de illo, *Flagellat me Deus ſine cauſa*, reſpondet Deus, *Condemnas me, ut tu juſtificeris*. Et quomodò verum eſſet, quòd *reddet unicuique ſecundum opera ejus*; ergo injurioſum eſſet Deo dicere, quòd reprobet aliquos ad pœnam ab æterno impræviſis demeritis.

Prob. 4. ex SS. PP. *Neque enim ſub Deo juſto miſer eſſe poteſt, niſi mereatur*, (ait Auguſt. [2]) *Jam tu reſponde utrum Deus juſtus nulli obnoxiam peccato imaginem ſuam privare vita poſſit æterna*. Et. [3] *Bonus eſt Deus, juſtus eſt Deus; poteſt aliquos ſine bonis operibus liberare, quia bonus eſt, & non poteſt quenquam ſine meritis damnare, quia juſtus eſt*, &c. Et S. Proſper. [4] *Omnium quidem hominum Deus creator eſt, ſed nemo ideò ab eo creatus eſt, ut periret; quia alia eſt cauſa naſcendi, & alia eſt pereundi. Ut enim naſcantur homines, conditoris eſt beneficium, ut autem pereant, prævaricatoris eſt meritum*. Et S. Fulgent. [5] *Quos præſcivit Deus hanc vitam in peccato terminaturos, prædeſtinavit ſupplicio interminabili puniendos*.

Prob. 5. ratione 1. quia excluſio à gloria eſt pœna; ſed Deus ſine injuſtitia non prædeſtinat ad pœnam ſine culpa; ergo nec reprobat. Maj. patet ex Script. qua conſtat malos mittendos in ignem æternum, quia (inquit Judex) *Eſurivi, et non dediſtis mihi manducare*, &c. Prob. min. quia *velle punire innocente non eſt juſtitiam, ſed crudelitas*, ajebat Auguſt. 2. quia id repugnat tum juſtitiæ, tum bonitati divinæ, quæ inclinatur ad benefaciendum, & averſatur malum. *Eſt enim de ſeipſo bonus, & de noſtro juſtus*, inquit Tertull. [6] ad inferendum malum inducitur à nobis quaſi extorquentibus peccatis noſtris. 3. quia ex ſe [7] *vult omnes homines ſalvos fieri*, & [8] *non vult perire animam ..... ſed omnes ad pœnitentiam reverti*; ſed hæc eſſent falſa, ſi Deus ex ſe, & ſine intuitu ad peccata deſtinaret aliquos ad pœ-

nam.

[1] *Job.9.* [2] *l.oper.imperf.34.*
[3] *2.con.Jul.7.* [4] *Reſp ad.3.Ob.*
[5] *1.ad Mon.23.* [6] *2.con.Marc.11.*
[7] *2.reg.14.* [8] *2.Petr.3.*

nam 4. ſi abſque peccato prævifo aliquis reprobaretur, poſſet damnari innocens; ſed hoc repugnat Dei juſtitiæ; ergo & talis reprobatio. Prob. maj. quia quantumcunque benè viveret, non fruſtraret decretum efficax, & abſolutum Dei, aut dicendum eſſet cum Calvino, reprobum non poſſe non peccare, ſed illum eſſe prædeterminatum ex vi talis decreti ad peccatum; quod impium eſt cogitare. 5. Et deniquè Deus non prædeſtinat ad gloriam, niſi ex prævifis meritis, ut probatum eſt; ergo multò minùs reprobat ad pœnam æternam, niſi ex prævifis demeritis, quia illud faceret ex miſericordia ſine injuſtitia, non verò iſtud.

Objic. 1. Eſau dicitur reprobatus ex odio, & ante prævifionem omnis peccati, [1] cùm nondum nati eſſent, nec quidquam boni, aut mali egiſſent, Jacob dilexit, Eſau odio habuit..... *non ex operibus, ſed ex vocante dictum eſt, major ſerviet minori*, &c. ſed ex SS. Patribus, & Theologis, Jacob, & Eſau, de quibus loquitur S. Paulus, repræſentant prædeſtinatos, & reprobos, & modum electionis, & reprobationis; ergo reprobatio venit ex ſolo Dei beneplacito abſque intuitu ad demerita.

Reſpondent 1. aliqui, Apoſtolum ibi loqui de electione Jacob ad majoratum, & jus primogenituræ, & generatione Meſſię ex Abraham per minorem, relicto Eſau priùs nato. Hoc ſenſu Deus Jacob dilexit, & elegit Chriſto filio ſuo parentem, & Eſau excluſit ab illa benedictione temporali. Hæc explicatio eſt verè litteralis. Et ſic locus iſte non facit ad propoſitum de prædeſtinatione ad gloriam, & ad pœnam.

Reſpondent alii 2. Hæc quidem in ſenſu myſtico explicari de electione ad gratiam, & excluſione ab illa, quia electio ad gratiam, & excluſio ab ea ſunt purè gratuitæ, non autem excluſio à gloria, ſaltem poſitiva, quæ cum ſit ſumma pœna, requirit demeritum, ut ſit juſta. Dicitur ergo Deus odiſſe Eſau non poſitivè, & abſolutè, ſed negativè, & comparativè ad Jacob, quem ſingulariter dilexit dando illi gratias efficaciores, quàm Eſau, quem propterea non ſic dilexit. Hæ reſponſiones non placent P. Maſtrio, qui

Re-

[1] *Rom.* 9.

Reſpondet 3. cum aliis, hæc verba intelligi tantùm de reprobatione purè negativa, & odium illud pro negatione amoris efficacis. Sic in inſtanti, quo Deus prædeſtinat Petrum ad gloriam, nihil decernit pro Juda, ideò dicitur diligere Petrum, & odire, ſeu non amare Judam pro illo inſtanti, quo illum deſerit ſine amore poſitivo. Hæc autem reprobatio non requirit cauſam ex parte reprobi. Verùm, pace tanti viri, non ſatisfacit hæc reſponſio, quia Paulus eodem modo loquitur de odio, & dilectione; ergo ſi dilectio hæc eſt poſitiva, ita & illud odium. 2. Tam ſequitur excluſio Judæ à gloria ex illo odio negativo, quàm ex poſitivo. 3. Gratis ſupponitur illa indifferentia Dei, & ſuſpenſio actus poſitivi amoris, vel odii circa Judam in illo inſtanti, in quo dicitur amare Petrum. 4. Maſtrius ipſe tenet, quòd Deus antecedenter, & ex ſe *vult omnes ſalvare*,& quidem poſitivè;ergo pro nullo inſtanti ſequenti remanet indifferens quoad velle ſalutem Judę.

Ideò placent duæ priores reſponſiones 1. magis hiſtorica eſt, & ad literam. Et licèt textus illos explicent myſticè SS. Patres, & Theologi ad præſentem materiam non intendunt, quòd comparatio quadret per omnia. 2. etiam debet admitti ab omnibus, qui nobiſcum ſentiunt, Deum velle ſyncerè, & poſitivè voluntate efficaci antecedenti *omnes homines ſalvari*, & prædeſtinare ex prævifis meritis. Nam ſuppoſita volitione illa generali nunquam negativè, nec ſuſpenſè, vel indifferenter quoad hoc ſe habet erga reprobos, & ſuppoſita electione aliquorum ad gloriam ex prævifis meritis, evidens eſſe debet, quòd nullum ab illa excludit, niſi ex demeritis prævifis.

Inſt. 1. Paulus utitur comparatione figuli, qui ex eadem maſſa pro libitu facit vaſa honoris, & contumeliæ; ergo ita Deus pro mero ſuo arbitrio facit electos, & reprobos.

Reſp.neg.conſ. Nam, ut mox dicebam, comparationes non quadrant ex omni parte. Sufficit ad intentum Apoſtoli, quòd electi, & reprobi ſint ex eadem maſſa carnis humanæ, ſicut Jacob, & Eſau ex eiſdem parentibus diverſos ſortiti ſunt exitus ob diverſos mores.

Inſt.

Inſt. 2. Paulus nullam fingit differentiam nec in illis fratribus, nec in partibus luti, ex quibus figulus format diverſa vaſa; ergo ita eſt de reprobis, & electis, ſcilicet nulla eſt in eis diſtinctio meriti, vel demeriti, imò utrumque excluditur. *Neque volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei*, inquit.

Reſp. neg. conſ. Nam ineptè Apoſtolus quæreret meritum in maſſa, ex qua fiunt vaſa illa honoris, & contumeliæ, ſicut in iis, qui ex maſſa humana eliguntur ad gratiam vocationis, aut fidei, de qua explicandus eſt ille textus in ſenſu myſtico; quia illæ gratiæ non cadunt ſub meritum.

Objic. 2. alia loca Scripturæ, ut cum Sapiens dicit Deo, [1] *Cùm ſis juſtus, juſtè omnia diſponis, eum quoque, qui non debet puniri, condemnas;* ergo reprobat ſine cauſa ex parte reprobi. Item cum dicit [2] *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus, impium quoque ad diem malum*, &c.

Reſp. neg. conſ. Nam 1. locus intelligitur de pœnis, & malis temporalibus, quæ Deus vult accidere juſtis ad probationem, & occaſionem meriti, ut contigit Job, & Tobiæ, 2. verò ſic loquitur, non quòd Deus directè velit impietatem, ſed quòd ex peccati permiſſione elicit gloriam ſuam, dum illud punit in impiis.

Reſp. 2. textum illum 1. ſic legi in Bibliis Sextianis, *Ipſum quoque, qui non debet puniri, condemnare exterum æſtimas*, (id eſt alienum) *à virtute tua*. Et hic ſenſus eſt germanior, & aufert totam difficultatem. Et re vera Sapiens paulò antè dicebat, [3] *Non eſt alius Deus, quàm tu, cui cura eſt de omnibus, ut oſtendas, quoniam non injuſte judices;* quomodò verò Deus id oſtenderet, ſi condemnaret innocentes?

Objic. 3. Parvuli morientes in peccato originali non reprobantur ex prævifis demeritis; ergo nec alii. Prob. ant. ex Auguſt. *Multi ſalvi non fiunt, non quia ipſi nolunt* (ſalvari) *ſed quia Deus non vult; quod abſque caligine ulla patet in parvulis;* ergo &c.

Reſp. diſt. ant. ob demerita propria, & actualia, con. ob peccatum originale, neg. ant. Et ſic intelligitur Auguſt. Unde ſicut parvuli prædeſtinantur ex meri-

tis

[1] *Sap.* 12. [2] *Prover.* 16. [3] *v.* 15.

tis Chriſti, quæ illis applicantur per baptiſmum, ſic alibi reprobantur ob peccatum originale contractum in Adamo, & in quo prævideantur morituri.

Objic. 4. Permiſſio peccati, & ipſum peccatum eſt primus effectus reprobationis; ergo peccatum non eſt cauſa reprobationis.

Reſp. neg. ant. alioqui Paulus Apoſtolus, & alii Sancti, qui peccaverunt, fuiſſent reprobi.

Objic. 5. Si peccatum eſſet cauſa reprobationis, illa eſſet in poteſtate hominis, & penderet ab ejus voluntate; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Nam peccatum eſt liberum, & pendet ab hominis voluntate; ergo & reprobatio, ſi eſt ejus effectus.

Reſp. 1. neg. min. Nam ſicut pendet à nobis cum Dei gratia abſtinere ab omni peccato mortali, aut penitere de commiſſis, ita & prædeſtinari, & reprobari. Quia tamen communiter tam prædeſtinatio, quàm reprobatio dicuntur pendere abſolute à Deo.

Reſp. 2. diſt. maj. Eſſet in poteſtate hominis occaſionaliter, & ſecundum quid, quatenus peccata, quorum intuitu reprobatur, ſunt ei libera, con. maj. abſolutè, & ſimpliciter, neg. maj. & conſ. Nam quia actus divinæ voluntatis non poſſunt pendere à creatura, & permiſſio peccati, & reliqua, quæ concurrunt ad reprobationem ex parte Dei, pendent abſolutè ab ejus libertate, & ſolum peccatum pendet ab homine, & à fortiori, quia denominatio fit à majori, & nobiliori parte, ideò abſolutè dici ſolet, reprobationem, & multò magis prædeſtinationem eſſe in poteſtate ſolius Dei, quamvis etiam pro parte aliqua pendeant ab homine, & maximè in ordine executionis.

Concluſio 2. *Non datur reprobatio negativa, quæ ſit ſine ulla ratione ex parte reprobi.* In hac habemus plurimos adverſarios etiam de Scotiſtis.

Quantum ad Scotum, videtur nobis adverſari in textu allato, ubi docet, quòd Deus in 1. ſigno eligit poſitivè Petrum ad gloriam, & in 2. ad gratiam nihil decernens pro Juda, & in 3. decernit permittere, quòd uterque cadat in peccatum Adæ; & in his tribus ſignis, ſeu inſtantibus Judas non eſt adhuc poſitivè reprobatus, ſed tantùm negativè; uſque ad 4. inſtans, in quo prævidens illum moriturum

turum in peccato, illum deſtinat pœnis æternis.

Verùm, ut jam notavi, Scotus ſic loquitur conſequenter ad opinionem de prædeſtinatione Petri ex mera liberalitate, & inconſideratis meritis ejus; unde, cùm opinionem contrariam de prædeſtinatione ex meritis probabilem putet, & permittat, ſequitur, quòd in eodem ſigno, quo eligit Petrum ad gloriam, quia prævidet eum moriturum in gratia, reprobat Judam, quia prævidet eum moriturum in peccato; & ſic nunquam ſe habet negativè circa iſtum potiùs, quàm circa illum.

Probatur breviter, quia eædem rationes faciunt contra reprobationem negativam, quæ ſunt allatæ ex Script. Conciliis, & PP. & Theologia contra poſitivam ſine cauſa ex parte reprobi; ergo negativa non magis debet admitti ſine cauſa. Prob. ant. Nam iſta derelictio Judæ non minùs eſt pœna, non minùs eſt condemnatio, & reprobatio, & radix omnium effectuum reprobationis, quàm quivis alius actus poſitivus; ergo eædem rationes, ob quas Script. Concilia, PP. & Theologi horrent in Deo reprobationem poſitivam ſine occaſione ex parte reprobi, urgent ad horreſcendam illam negativam. Prob. ant. Rationes illæ ſunt maximè, quia dedeceret bonitatem, & juſtitiam Dei deſtinare morti æternæ innocentem, creatum capacem vitæ æternæ; ſed ex reprobatione negativa non minùs hæc ſequuntur, quàm ex poſitiva; ergo, &c. Prob. min. Derelictio, negatio gratiæ efficacis, induratio, & damnatio ſunt communes ſequelæ reprobationis poſitivæ; ſed hæc ſequuntur tam ex reprobatione negativa, quàm ex poſitiva; ergo, &c. Prob. min. ex Scoto ibidem. Nam poſitis illis negationibus electionis Judæ in 1. 2. & 3. ſigno, ex actu in 4. quo decernit Deus permittere peccatum tam Petri, quàm Judæ, ſequitur, quòd Judas erit finaliter peccator, ſcilicet quia non vult ipſi dare gloriam, ad quam elegit Petrum in 1. ſigno, nec gratiam, ad quam elegit eumdem Petrum in 2. Nec enim poteſt non damnari Judas ſuppoſito decreto negativo non dandi ei gratiam, nec gloriam.

Prob. 2. quia [1] Deus vult omnes homines ſalvos fieri,

[1] 1. *Cor.* 1.

ri, ſcilicet ex ſe, & voluntate antecedente, quoad hoc non ſe habet negativè etiam quoad reprobos, ſed vult tantùm reprobare poſitivè voluntate conſequenti. Prob. conſ. Nam hæ duæ propoſitiones ſunt contradictoriæ, *Deus vult poſitivè omnes homines ſalvos fieri*, &, *Non vult aliquos ſalvos fieri*; ergo ſi 1. eſt vera, 2. eſt neceſſariò falſa.

Confir. ex PP. *Sciendum eſt*, inquit S. Damaſc. [1] *Deum antecedenter velle omnes ſalvos fieri, & Regno ipſius potiri. Non enim ad puniendum formavit nos, ſed tanquam bonus ad ſuæ bonitatis communicationem*, &c. Et S. Proſper de reprobis dicit, [2] quòd *non ex eo neceſſitatem pereundi habuerunt, quia prædeſtinati non ſunt, ſed ideò prædeſtinati non ſunt, quia tales futuri ex voluntaria prævaricatione præſciti ſunt.* Vides, Proſperum loqui de non prædeſtinatione, & illam refert in præviſa peccata. *Illos ruituros propria ipſorum voluntate præſcivit*, &c.

Prob. 3. quia, ut jam dixi ab initio, reprobatio illa negativa eſt æquivalenter, & implicitè poſitiva; ſed hanc fatentur adverſarii, non eſſe ſine demeritis præviſis; ergo nec illa. Prob. maj. quia hoc ipſo actu, quo eligitur certus numerus hominum, & Angelorum ad gloriam, omnes alii excluduntur; alioqui numerus prædeſtinatorum non eſſet determinatus, nec certus, quia poſſet includere alios, qui non ſunt explicitè in eo; ergo hoc ipſo, quòd certus eſt, & determinatus, alii omnes ſunt verè excluſi virtualiter, æquivalenter, & implicitè.

Prob. 4. ex ipſo Auguſt. quem adverſarii ventilant protectorem ſuum. [3] *Quia verò Deus juſtus, & miſericors, præſciuſque futurorum ex hac maſſa damnabili, non perſonarum acceptione, ſed judicio æquitatis ſuæ, quos præſcit, miſericordia gratuita præparat*, id eſt, prædeſtinat ad vitam, *cæteros autem pœna punit, quia quid eſſent futuri, præſcivit*. Et alibi dicit. *Hoc fideliter, & firmiter credat dilectio veſtra, quia numquam Deus priùs deſerit hominem, niſi priùs ab homine deſeratur*, &c. ergo Deus non excludit, ſive poſitivè, ſive negativè, quemquam à gloria ſua, niſi prævidens, ſe ab eo deſerendum.

[1] 2. *fid.* 29. [2] *Reſp.* 3. *ad cap. Gall.* &c. 3.
[3] 6. *hipognoſt.*

Concl. 3. *Peccatum, cujus præſcientia movetur Deus ad reprobationem, non eſt ſolum originale, quamvis iſtud potuiſſet ſufficere, nec ſolum actuale, ſed vel originale finale ut in infantibus, vel actuale pariter finale, ut in adultis baptizatis, vel utrumque in non baptizatis adultis.* Eſt communis in re quoad omnes partes.

Prob. breviter, quia quodlibet illorum peccatorum reperitur in multis electis, quia ideò ſalvantur, quia non moriuntur nec in originali, ut infantes baptizati; nec in peccatis actualibus, ut Sancti pœnitentes; ergo neutrum per ſe ſolum eſt juſta cauſa reprobationis, niſi ut prævifum finale. Nec in hoc poteſt eſſe difficultas.

Quòd autem potuiſſet reprobare omnes homines ob ſolum originale, non eſt, qui dubitet. Nam Deus nulla neceſſitate compulſus eſt ad ullos ex ea maſſa perditionis eligendos; & certum eſt, quòd per illud omnes incurrebant mortem æternam, niſi per Chriſtum redempti eſſent. In Adam moriuntur, & in Chriſto vivificantur: De quo aliàs. Certè peccatum originale eſt radix omnium aliorum; ergo ſi propter iſta reprobantur homines, ita & propter illud ſolum poſſent reprobari. Denique infantes morientes ſine Baptiſmo, aut alio remedio remiſſivo culpæ originalis excluduntur de facto à gloria, & puniuntur, ſaltem pœna damni; ergo peccatum originale ſufficeret ad reprobationem.

Confir. ex Auguſtino, [1] *Vides, ſi capis, univerſum genus hominum jam judicio divino in apoſtatica radice damnatum, ut etiam ſi nullus inde liberaretur, nemo poſſet vituperare juſtitiam, & qui liberantur, ſic oportuiſſe liberari, ut ex pluribus non liberatis, atque in damnatione juſtiſſima derelictis oſtenderetur, quid meruiſſet univerſa conſperſio, et quo etiam juſtos debitum Dei judicium duceret, niſi ejus indebita miſericordia ſubveniret*; ergo ſolum peccatum originale ſufficeret ad reprobationem.

Objic. Sanct. Auguſt. [2] poſt Apoſt. ubique docet peccatum Adæ, ſeu originale, eſſe omnibus cauſam reprobationis, & damnationis; ergo ſolum originale eſt cauſa reprobationis. Prob. ant. *Per unum hominem*

[1] *Enchir. c. 99.* [2] *1. oper. con. Jul.*

nem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines pertranſivit, inquit Paulus, vaſa iræ dicit, quæ ſunt perfecta in perditionem, quod injuſtum eſſet, niſi omnibus ex uno in condemnationem venientibus jam damnata maſſa eſſet; ſcilicet tota maſſa carnis humanæ damnata eſt in Adam. Et hoc pluries repetit occaſione puerorum, qui non damnantur, niſi pro peccato Adæ; ergo idem eſt de omnibus, ſcilicet omnes ſunt reprobati propter ſolum originale.

Reſp. diſt. utrumque ant. Eſt omnibus cauſa radicalis, & mediata, conc. cauſa unica, & proxima, neg. ant. utrumque, & conſ. Nam pro parvulis, & iis, qui in illo peccato moriuntur, & præviſi ſunt morituri, eſt cauſa immediata, & unica ſufficiens; ſed pro iis, quibus per Sacramentum Baptiſmi, vel remedium aliquod remiſſum eſt originale, id non eſt verum, niſi radicaliter, & remotè, & quatenus ex peccato Adæ debilitatum eſt liberum arbitrium, vires acquiſivit concupiſcentia, &c. At pro adultis patet ex Euangelio, quòd ſicut puniuntur, ita & reprobati ſunt ob peccata actualia. [1] *Eſurivi, et non dediſtis mihi manducare.* Et eſt de fide, & definitum in Concil. Trid. [2] quòd per Baptiſmum remittitur totum peccatum originale, *In renatis autem nihil odit Deus, quia nihil eſt damnationis in eis.*

QUÆSTIO III.

De effectibus, et ſignis reprobationis.

HÆc quæſtio facilis eſt ex dictis de effectibus, & ſignis prædeſtinationis, cùm oppoſitorum eadem ſit diſciplina, & ſeſe mutuò inferant, Ideò ſit

Concl. 1. *Defectus naturales, nec permiſſio peccati, nec peccatum, nec induratio etiam finalis non ſunt veri effectus reprobationis; benè verò punitio, ſeu inflictio pœnæ æternæ.* Eſt communis quoad 2. p. non ita quoad 1.

Prob. 1. ex Scoto ſæpe cit. ubi dicit, [3] quòd *re-*

[1] *Matth. 25.*
[2] *Seſs. 5. Can. 5.*
[3] *1. d. 41. A. et B. n. 11. et 12.*

probatio habet ex parte objecti rationem aliquam, ſcilicet peccatum finale præviſum, & quòd *in* 4. *inſtanti offertur voluntati divinæ, ut peccator finaliter, & tunc ipſe Deus vult punire, & reprobare Judam*; ergo ex Scoto tam permiſſio peccati finalis, quàm ipſum peccatum finale ſunt cauſæ, non autem effectus reprobationis, & ſola punitio eſt effectus ejuſdem.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Euang. cit. [1] Nam ideò ignis æternus, in quem mittuntur reprobi, paratus eſt illis, quia noluerunt cibare eſurientem. *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt ..... Eſurivi enim*, &c.

Prob. 2. ex dictis de effectibus prædeſtinationis, & quæſt. præced. Peccatum ipſum finale, & per conſequens permiſſio ejus eſt cauſa reprobationis; ergo neutrum eſt proprius effectus reprobationis, ſed ſola detruſio in ignem, ſeu inflictio pœnæ. Prob. conſ. Ut aliquid dicatur effectus reprobationis, debet ſequi voluntatem divinam reprobantem, ſeu excludentem à gloria, & deſtinantem pœnæ æternæ; ſed nihil magis propriè ſequitur voluntatem illam, quàm ipſa inflictio talis pœnæ; ergo, &c.

Prob. 3. quia etiam Deus permittit, plures prædeſtinatos peccare, & de facto omnes peccarunt in Adam; ergo permiſſio peccati, nec peccatum non eſt effectus proprius reprobationis. Confir. quia nec illa permiſſio, nec peccatum non cadunt ſub demeritum.

Prob. quoad finale, quia excæcatio, & obduratio ſunt effectus peccatorum præcedentium; ſed hæc ſunt cauſæ, non verò effectus reprobationis, ut patet; ergo & finalitas, & excæcatio, & induratio. Prob. maj. ex Scriptura. [2] *Non audivit populus meus vocem meam, & Iſrael non intendit mihi. Et dimiſi eos*, &c. Et de Judæis dicitur, quòd, cùm Chriſtus tot ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum, ut ſermo Iſaiæ impleretur, quia [3] *excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum*, &c. Et idem colligitur ex Apoſt. [4] *Cæteri verò excæcati ſunt, &c.* ſcilicet quia rejecerunt gratias, &c. Et idem docet Auguſt. [5] *quia gratia non adjuventur, in ipſis illa can-*

[1] *Matth.* 25. [2] *Pſal.* 80. [3] *Jo.* 14.
[4] *Rom.* 11. [5] *Peccator. Mer.* 17.

cauſa eſt, non in Deo, damnandi prædeſtinati ſunt propter iniquitatem ſuperbiæ, &c. Effectus autem reprobationis, ſicut & ipſa reprobatio, non eſt ab homine, ſed à Deo ipſo reprobante; ergo nec peccatum, ne quidem finale, ſeu excæcatio, & induratio, non ſunt effectus reprobationis.

Prob. denique *de inflictione pœnæ*. Illa enim ſola propriè provenit à Deo ex vi decreti reprobativi.

Objic. ex Auguſt. [1] *Sicut prædeſtinationis effectus eſt gratiæ appoſitio, ita reprobationis æternæ quodam modo videtur eſſe obduratio*, ergo peccatum finale, quod ex induratione ſequitur, & cum illa connectitur, eſt effectus reprobationis.

Reſp. neg. conſ. Nam aliud eſt, quòd id videatur, & quodammodò, & aliud, quòd poſitivè, & abſolutè ita ſit, quod noluit dicere Auguſt. Imò contrarium ubique docet. [2] *Auditis, quod dicit Apoſtolus, cujus vult miſeretur, et quem vult, indurat, in eo, quem ſeduci permittit, aut indurari, ejus mala credite*; Et infrà. *Nolite dubitare præceſſiſſe mala merita eorum* (ſcilicet induratorum, & excæcatorum) *ut juſtè iſta paterentur, quia malitiam ipſe non fecit, ſed aut originaliter tracta ſit ab ipſo Adam, aut creavit per propriam voluntatem.*

Unde colligis, Deum non excæcare, nec indurare hominem in malo poſitivè, ſed ad ſummum permiſſivè, & negativè, quatenùs nimia peccatoris pervicacia laceſſitus illum in ſua malitia, ex cæcitate, & obſtinatione, deſerit, retrahendo gratias, & non dando extraordinarias, quibus vincere poſſet ejus obſtinationem, ut eruditè notat Eminentiſſimus noſter Laurea. [3]

Concl. 2. *Dantur quædam ſigna reprobationis, ſed non certa*. Eſt communis.

Patet ex dictis de ſignis prædeſtinationis, ac certitudine ejus. Si enim de iſta nullam habemus firmam certitudinem, quandiu hìc vivimus, quia quicumque, & qualiſcumque juſtus poteſt finaliter peccare; ſic & qualiſcumque peccator poteſt in fine vitæ, & finaliter converti, ut patuit in latrone,

Mm 3 &

[1] *Bon. perſever. 14.*
[2] *Grat. et lib. cor. 5.*
[3] *De repro. c. 6. n. 70.*

& aliis quibuſdam, & licèt nullum talis converſionis haberemus exemplum, adhuc non poſſet negari ejus poſſibilitas; ergo non poteſt haberi certum ſignum reprobationis, & ea, quæ poſſumus habere, ſunt fallibilia. Talia ſunt oppoſita iis, quæ diximus ſigna eſſe prædeſtinationis, 1. obſtinatio in peccato, & ſurditas, 2. contemptus vocationum Dei, [1] *perverſi enim difficilè corriguntur*; ergo & difficilè ſalvantur. Item, [2] *Oves meæ vocem meam audiunt, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis.* Et, *Vocavi, & renuiſtis*, &, *ego in interitu veſtro ridebo.* 3. Crudelitas in proximum. [3] *Novit juſtus viſcera jumentorum ſuorum, viſcera improborum crudelia.* Et ſic de aliis, & maximè quando inſignes, & famoſi, ac publici peccatores non dant in morte ſatis evidentia ſigna converſionis, non multùm temerè dubitatur de illorum ſalute.

Quidam hìc annectunt quæſtiones de auxiliis, an ſcilicet Deus det omnibus gratias ſufficientes ad vitanda peccata, & conſequendam ſalutem, quæ eſt finis prædeſtinationis, &c. Sed hæc remittimus ad Tract. de gratia Deo dante ſcribendum.

DISPUTATIO XIV.

De libro vitæ, & mortis.

MAteriis præcedentibus de prædeſtinatione, & reprobatione affines ſunt, quæ dicuntur de libro vitæ, & mortis, de quibus ſic loquitur Joannes in Apocalypſi. [4] *Vidi mortuos multos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex eis, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* De his tamen pauca pro Scholaſticorum inſtituto dicenda videntur. Breviter ab his nos expediemus.

QUÆ-

[1] *Eccl.* 1. [2] *Jo.* 13.
[3] *Prov.* 12. [4] *c.* 20.

QUÆSTIO UNICA.

An, & quid ſit liber vitæ, et mortis.

VOx *libri vitæ* hic uſurpatur per Metaphoram ex humanis, ubi ſolent ſcribi ea, quæ facta, vel facienda ſunt, ut legantur. Et, ut docet S. Thomas, ſolent apud homines illi, qui ad aliquid eliguntur, conſcribi in libro, ut milites, ut ſenatores, qui ideò dicuntur, ex uſu Romanorum, *Patres conſcripti*. Et ſic qui à Deo eliguntur, & deſtinantur ad vitam æternam, dicuntur *ſcribi in libro, qui dicitur vitæ*. Dicimus etiam metaphoricè aliquid ſcriptum in intellectu alicujus, quod firmiter memoria tenet. Et hoc ſenſu Deus jubet mandata ſua *deſcribi in tabulis cordis*. Nam & in libris materialibus aliquid ſcribitur ad ſuccurrendum memoriæ. Unde ipſa notitia Dei, qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, dicitur *liber vitæ*. Nam ſicut Scriptura libri eſt ſignum eorum, quæ fienda ſunt, ita notitia Dei eſt quoddam ſignum apud ipſum eorum, qui ducendi ſunt ad vitam æternam, &c.

Libri ergo nomen, etiam in Script. ſumitur primò latè pro ſacræ Scripturæ ipſo volumine, in quo deſcripta leguntur, quæ credenda, facienda, & ſperanda ſunt ad vitam æternam conſequendam, 2. magis ſtrictè, pro conſcientia ſingulorum, in qua exhibentur legenda, ſeu cognoſcenda omnia, quæ quiſque geſſit in hac vita ſive bona, ſive mala, in judicium præmii, vel pœnæ decretivum, *Liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur*, ut canit Eccleſia, 3. ſtrictiſſimè pro ſcientia viſionis, qua Deus firmiter retinet, & cognoſcit eos, quos ad gloriam efficaciter elegit.

Dicitur autem *vitæ*, 1. *ſubjectivè*, quia cùm ſit intellectus, & memoria divina, eſt ipſa realiter vita, & vivens, 2. *objectivè*, quia objectum ejus eſt vita ſupernaturalis gratiæ, & gloriæ, ad quam deſtinantur ii, qui in eo deſcribuntur.

Dixi 1. *gratiæ*, quia inadæquatè, & ſecundùm quid juſti pro eo tempore, quo ſunt in ſtatu gratiæ

ſanctificantis, dicuntur ſcripti in libro vitæ ſecundum præſentem juſtitiam.

Dixi 2. *et gloriæ*, quia hic ſolus eſt propriè, & ſimpliciter liber vitæ, ſcilicet æternæ. Et de hoc tantùm loquimur.

Hinc facilè vides, quid intelligatur per *librum mortis*, 2. quid ſit, & an aliquis poſſit deleri de libro illo, in quo ſcriptus eſt. Ad quæ brevirer reſpondeo.

Concl. *Dantur hi duo libri, et maxime liber vitæ, qui nihil aliud eſt, quàm ipſa prædeſtinatio; qua deſtinat aliquos ad vitam æternam, prout à Deo ipſo actualiter cognoſcuntur in illo decreto tanquam in libro. Idem eſt cum proportione dicendum de libro mortis.* Videtur quoad 2. p. contra Thomiſtas, qui volunt illum eſſe ipſam formaliter Dei notitiam, & ad intellectum pertinere.

Prob. 1. p. ex Script. in qua ſæpiſſimè fit mentio libri vitæ, ut apud Danielem, [1] *Salvabitur populus tuus omnis, qui ſcriptus fuerit in libro.* Et [2] *Non intrabit in ea, niſi qui ſcriptus fuerit in libro vitæ Agni.* Et *Quicunque non eſt inventus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Et Moyſes dicebat, [3] *Si non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et David, [4] *Deleantur de libro viventium, et cum juſtis non ſcribantur*, Et *in libro tuo omnes ſcribentur.* Et alibi ſæpè, & idem ſæpè legitur in ſanctis Patribus.

Prob. 2. quia per librum vitæ nihil aliud intelligimus, quàm vel ipſam determinationem æternam ordinandorum ad gloriam, vel ipſam eorum notitiam formalem, ut volunt plurimi, vel utrunque ſimul, ſed certum eſt, utrunque verè eſſe in Deo; ergo & liber vitæ in eo eſt.

Prob. ſimiliter de libro mortis. Nam Joannes in Apocalypſi loquitur pluraliter de libris, & librum vitæ diſtinguit ab aliis, *Alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ.* Et Jeremias [5] dicit, *Recedentes à te in terra ſcribentur*, quod exponens D. Baſil. *Duæ intelligi debent ſcriptiones, una quidem eorum, qui ad vitam, altera verò eorum eſt, qui ſcribuntur ad perdi-*

tio-

[1] *Dan.*12. [2] *Apoc.*21. [3] *Exo.*32.
[4] *Pſal.*68.*et* 138. [5] *Jerem.*17.

tionem. Et ratio eſt, quia non minùs Deus decreto ſuo, & notitia ſua agnoſcit determinatè damnandos, quàm ſalvandos; ergo non minùs ſcribuntur illi, quàm iſti, quamvis in Scriptura non ſoleat hic liber exprimi poſitivè, ſed tantùm negativè, ita, ut reprobi dicantur, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, quia non adeo propria Deo eſt reprobatio, ſicut prædeſtinatio. Quippe *Deus habet proprium, quod ipſum eſt, ſcilicet ſalvare, & præmiare, ex ipſo verò propriè, ſive ſecundum ipſum non eſt punire, ſed ex nobis ipſis*, inquit Alenſis noſter. Et clariſſime Euthymius, *Liber Dei* (inquit in Pſ. 68.) *eſt ſumma ejus ſcientia, Scriptura verò perpetua memoria. In libro divinæ ſcientiæ omnes ſcribuntur tam juſti, quàm peccatores. Verum hic divinæ ſcientiæ liber magis eſt univerſalis. Eſt enim alius ſcientiæ liber magis privatus*, (ſeu proprius) *in quo ſoli juſti ſcribuntur, ex ratione, quod eos tantum cognoſcere, hoc eſt, probare dicitur, juxta quod ſcriptum eſt, Novit Dominus viam juſtorum*, &c.

Prob. 2. p. quia ſcribi in libro vitæ nihil eſt aliud, quàm prædeſtinari, & liber ipſe vitæ eſt ipſa prædeſtinatio prout cognita per ſcientiam viſionis; ſed ipſa prædeſtinatio eſt decretum pertinens formaliter ad voluntatem, & notitia, ſeu viſio ſpectat ad intellectum; ergo ita eſt de libro vitæ, ſcilicet eſt quaſi ſubjectivè in voluntate, & objectivè in intellectu. Uno verbo mihi videtur, quòd ſcribere in libro vitæ eſt deſtinare aliquem ad vitam, & velle illi dare vitam æternam, & legere, ſeu cognoſcere illum ſic deſtinatum; ergo liber vitæ ſic rectè explicatur. De quo tamen quæſtio habet multum de nomine.

Concl. 2. *Nemo propriè deleri poteſt de libro vitæ.* Eſt de fide.

Prob. ex Script. Dicit enim Chriſtus de electis ſuis, ſeu ovibus, quòd [2] *non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea*, quia idem eſt quærere, an ſcriptus in libro vitæ poſſit ex eo deleri, & quærere, an prædeſtinatus poſſit damnari; ſed patet ex dictis prædeſtinatum in ſenſu

Mm 5 com-

[1] 1. p. q. 23. n. 3. a. 4.
[2] Jo 10.

compoſito prædeſtinationis non poſſe damnari; ergo nec ſcriptus deleri.

Obji. locum citatum Exodi, ubi Moyſes orat Deum, *Aut dimitte noxam populi hujus, aut ſi non facis, dele me de libro vitæ, quem ſcripſiſti*; ergo vel Moyſes petit rem impoſſibilem, vel liber vitæ eſt delebilis. Idem eſt de Davide petente de iniquis, *Deleantur de libro viventium*.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut notat Auguſt. Moyſes loquitur ibi per quandam exaggerationem, & ex ardentiſſima charitate erga populum, pro quo flectere nitebatur Dei clementiam, ita, ut ſi fieri poſſet, puniri vellet pro ipſis.

Idem eſt de Apoſtolo Paulo [1] optante anathema eſſe pro fratribus ſuis, vel quia ſic ante converſionem ſuam erat affectus pro gente ſua ex zelo nimio legis, ut vellet ſeparari à Chriſto potiùs, quàm diſcedere à lege Moſaica, de quo ſe pœnitere dicit, *Triſtitia*, inquit, *mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo*; David autem vocem *deleantur* ſumit negativè, & idem eſt, ac ſic diceret, *non ſcribantur in libro viventium*; quod patet ex verbis ſequentibus, & *cum juſtis non ſcribantur*, alioqui minùs imprecaretur per 2. phraſim, quàm per 1. ſi in 1. loqueretur de poſitiva deletione; præterea loquitur de deletione ex libro juſtorum, & viventium per gratiam juſtificantem, quam diximus eſſe librum vitę ſecundum quid, ſeu ſecundum præſentem juſtitiam. Sed de his ſatis.

DISPUTATIO XV.

De potentia Dei.

DE hac divina perfectione jam multa diximus tum in Philoſophia, tum in præcedentibus. Nam in Phyſica diximus de concurſu ejus cum creaturis ad omnes earum actus, de potentia iſtarum obedientiali in ordine ad effectus ejus ſupernaturales, de infinita poſſibilitate; de creatione diximus ſuprà, an poſſit creare naturam, cui connaturalis ſit Dei viſio, an elevare oculum corporeum ad eamdem viſionem. Et alia

[1] *Rom* 9.

alia occurrent in aliis locis; &c. Pauca igitur reſtant, quæ breviter expediemus, quæque alibi facilè non occurrent diſcutienda.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit potentia in Deo.

LOquimur de potentia activa, quæ ſola eſt perfectio, non de paſſiva, ſeu ſubjectiva, nec objectiva, quę dicunt imperfectionem, ſc. negationem actus perfectivi, aut entitativi, & ideò repugnant Deo, qui eſt actus ſimpliciſſimus. Sumitur ergo hìc pro ea Dei perfectione, & virtute, ſecundum quam poteſt agere, & cauſare, ſaltem ad extra, quæcunque cauſabilia. Eſt enim principium operandi perfectè, & agendi. Et quærimus, an ſit perfectio, ſeu formalitas diſtincta ab intellectu, & voluntate, & an ad illam, aut ad iſtam magis pertineat.

Concl. 1. *In Deo eſſe potentiam non ſolùm fides docet, ſed etiam ratio naturalis ſufficienter demonſtrat in aliquo ſenſu.* Ita Catholici omnes.

Prob. 1. ex Scoto. *Omnipotens aut poteſt dici agens, quod poteſt in omne poſſibile mediatè, vel immediatè, & hoc modo eſt potentia activa primi efficientis omnipotentia, pro ut extendit ſe ad omnem effectum in ratione primæ cauſæ proximæ, vel remotæ, & ſic naturaliter poſſit concludi eſſe aliquod primum efficiens, ſicut oſtenſum eſt ſupra: de 2. naturaliter etiam poteſt concludi illud eſſe omnipotens* &c. quod fuſiùs explicat, & probat tota quæſtione 7. quodlibetica, ubi quærit, *an Deum eſſe omnipotentem, poſſit naturali ratione, & neceſſaria demonſtrari.*

Prob. 1. par. ex Script. Conciliis, & PP. qui nihil frequentiùs prædicant de Deo, quàm omnipotentiam. [1] *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam.* Et, *Potens es Domine, & omnipotens ſermo tuus.* Et ex ſymbolo Apoſt. & Nyſſeno, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & Athanaſii, *Omnipotens Pater*, &c.

Prob. 2. quia non ſolùm creaturas omnes condidit,

[1] *Job.*

dit, ſed etiam iſtæ ab eo habent virtutem, & potentiam activam, & eſt perfectio ſimpliciter, quæ non debet denegari Deo, ut infinito. Nam ex Sapientis conſilio, *Magnificate eum, quantum poteſtis, major eſt enim omni laude*; ergo hæc perfectio non eſt ei neganda, ſed potiùs aſſerenda.

Prob. 2. p. quia, ut diximus de exiſtentia Dei, & infinitate ejus, & quod ſit ille primum efficiens, & ex ſe independens, & à quo ſunt, & pendent omnia in eſſe, & conſervari, & hæc ſufficienter demonſtrari poſſe ad convincendum protervum, iiſdem rationibus patet, eum eſſe infinitè potentem. Et id probat Scotus, *Quod habet à ſe eſſe, habet potentiam activam, & quod habet à ſe aliquam perfectionem, habet eam in tota plenitudine poſſibili*, unde enim limitaretur, ſed Deus habet eſſe à ſe, & per conſequens potentiam activam; ergo habet eam infinitè, ſeu in tota ſua plenitudine poſſibili; ergo & infinitam. Vide alia argumenta ex lumine naturali, quibus probatur Dei exiſtentia. Nam, ut dicebam, hæc eadem demonſtrant, ſicut ſummum ens, ſic & ſummam potentiam.

Prob. 3. p. ſcilicet quod abſolutè, & in omni ſenſu demonſtrari non poſſit omnipotentia, quia non habemus demonſtrationes de potentia ad effectus ſupernaturales, v. g. ad reſurrectionem mortuorum, *licèt primum efficiens habeat in ſe potentiam effectivam eminentiorem potentia cujuſcunque alterius cauſæ effectivæ*, inquit Scotus, *habet etiam in ſe eminenter potentiam effectivam cujuſcunque alterius cauſæ, ſicut deductum eſt d. 2. & per hoc probatum eſt, habere potentiam infinitam, & iſtud ſit quaſi ultimum, ad quod poteſt attingere ratio naturalis de Deo cognoſcendo*. Et quidem hoc probat, quòd per ſe immediatè poſſit ſe ſolo efficere, quidquid poteſt cum, aut per cauſas ſecundas. Ordo enim cauſarum ſuperiorum, & inferiorum hoc non includit, quia & ſi Sol haberet cauſam ſuperiorem, quàm habet bos, non tamen concederetur, Solem poſſe immediatè generare bovem ſe ſolo, ſicut poteſt mediatè cum bove, &c. Ita ratio naturalis dictat quidem, Deum eſſe cauſam eminentiſſimam, & poſſe cum homine efficere hominem,

ſed

ſed non ſe ſolo; ergo in hoc ſenſu non demonſtratur Dei potentia.

Idem eſt de creatione, quam in Deo non agnoverunt Philoſophi, quia, inquiebant, *ex nihilo nihil fit*.

Confir. quia non demonſtratur, Deum ſe ſolo producere poſſe actus noſtros vitales, v. g. intellectionem, volitionem, & ſimiles, quos nobiſcum producit, ita nec demonſtratur concurſus ejus immediatus immediatione ſuppoſiti, ſicut & virtutis. Et ſic de aliis; ergo non poteſt demonſtrari omnimodè Dei omnipotentia, ſed tantum in aliquo ſenſu, ſcilicet quatenus Deus mediatè, vel immediatè poteſt in omnia.

Conſtat ergo tum ex fide, tum ex ratione naturali, Deum omnipotentem eſſe, ſeu in Deo eſſe potentiam, & quidem infinitam. Nam virtutes, & proprietates ſequuntur eſſentiam Dei; ergo cùm eſſentia Dei ſit infinita, ita & potentia ejus.

Objic. ex Ariſt. Omnis actus eſt melior qualibet potentia; ſed in Deo non eſt inæqualitas, nam quidquid in Deo eſt, perfectum eſt infinitè; ergo in Deo non eſt potentia.

Reſp. diſt. maj. qualibet potentia paſſiva, vel objectiva, conc. potentia activa, neg. maj. & conſ. Potentia enim hæc Dei eſt activa oppoſita paſſivæ, & objectivæ, quæ dicunt imperfectionem.

Objic. 2. Omnis potentia opponitur actui; ergo caret aliqua perfectione. Nam actus eſt perfectio; quapropter Deus dicitur *actus purus*.

Reſp. eodem modo, diſt. ant. Potentia objectiva, aut paſſiva, conc. activa, neg. ant. & conſ. & rationem ejus. Nam potentia activa potiùs in ſe continet virtualiter, aut eminenter actum ſuum, quia ab eo dependet in eſſe, aut fieri. Sic Dei potentia continet eminenter, & virtualiter omne poſſibile. Et in hoc conſiſtit infinita perfectio.

Inſt. Omnis potentia, etiam activa, dicit eſſentialem relationem ad terminum, ſeu ad actum ut ad terminum; ergo & aliquam dependentiam.

Reſp. diſt. ant. Relationē realē, aut rationis, & ſecundum dici purè, aut terminativè, conc. realem, & objectivè, neg. maj. & conſ. In creatis potentia fundat, &

ſubjectivè dicit relationem realem ad terminū, quod aliqualem involvit dependentiam propriam, vel impropriam, ſed in Deo potentia activa non fundat relationem realem ad ſuos actus, vel effectus, ſcilicet ad creaturas, niſi rationis, & ſecundum dici. Tota relatio illa eſt dependentia, quam habent creaturæ à Deo, & in illis fundatur, & ad Deum terminatur.

Concl. 2. *Omnipotentia Dei eſt ea perfectio, qua poteſt ſe ſola, vel cum cauſis ſecundis efficere quæcunque cauſabilia, ſeu poſſibilia, quæ non dedecent ſummam ejus gloriam.* Videtur communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd [1] *omnipotentia eſt activa reſpectu cujuſcunque creabilis, ſeu cauſabilis mediatè, ſive immediatè*. Patet ex omnium conſenſu, qui per potentiam Dei, ſeu omnipotentiam intelligunt hujuſmodi perfectionem. Dixi *cauſabilia*, & per hoc ſignificatur, quòd reſpicit productiones ad extra, non verò internas, & ſic diſtinguitur à potentia generativa, & ſpirativa, quæ licèt ſit virtus in Deo, tamen ad hanc potentiam non pertinet, quæ eſt perfectio, & attributum eſſentiale, illæ verò ſunt perſonales, & Verbum, nec Spiritus S. non ſunt cauſabiles. Dixi 2. *ſeu poſſibilia*, ob eandem rationem, & ſenſus eſt, quòd omnipotentia dicitur in ordine ad effectus, & productiones contingentes, non vero ad internas, & neceſſarias, quales ſunt generatio, & ſpiratio, & excludunt omnem potentialitatem, quæ dicat imperfectionem. 3. *quæ non* dedeceant ejus gloriam, propter peccata, & alios quoſdam effectus, qui non poſſunt tribui Deo, nec minùs eſt omnipotens, quia non poteſt efficere morale peccati, quia hæc non eſſet perfectio, nec virtus, ſed defectus, & imperfectio. Peccatum non tam dicit efficientiam, quàm deficientiam in cauſa ſua.

Concl. 3. *Omnipotentia Dei non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, ſeu non eſt tertia aliqua potentia, quam vocant aliqui executricem; nec eſt in intellectu, niſi concomitanter, & præſuppoſitive, ſed formaliter in ſola voluntate.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] quia *Dei operantis nulla eſt praxis, niſi volitio; non ponendo in eo potentiam tertiam.*

[1] *quodlib.7.B.n.3.& 39.*
[2] *qu.4.prol.S.n.37.& Y.n.40.*

tiam aliam ab intellectu, et voluntate. Et infrà, in Deo *non eſt potentia practicans, niſi voluntas;* ergo ex Scoto omnipotentia non eſt attributum diſtinctum ab intellectu, & voluntate, & non eſt tertia illa virtus, quam vocant aliqui *executricem*, & diſtinctam ab illis duabus facultatibus.

Prob. 2. quoad 1. p. quia Deus ſufficienter intelligitur omnipotens per hoc, quòd per intellectum infinitum cognoſcit omnia factibilia, & per voluntatem pariter infinitam efficit, quæcunque vult; ergo non datur alia virtus ab eis diſtincta. Prob. conſ. Non ſunt in Deo multiplicandæ entitates, ſeu formalitates ſine neceſſitate; ſed hìc nulla eſt, cùm ſufficienter intelligatur omnipotens modo prædicto; ergo &c.

Prob. 2. p. ex dictis de ſcientia, & intellectu, ubi probavimus, ſcientiam non eſſe cauſam rerum effectricem.

Prob. 2. ex Scoto, [1] Omnipotentia Dei eſt formaliter ea virtus, qua res omnes poſſibiles ponuntur, vel poni poſſunt in eſſe reali contingenter, & liberè; ſed non producuntur formaliter effectivè per intellectum, ſed per ſolam voluntatem; ergo &c. Prob. min. Si Deus produceret res in eſſe reali per intellectum, id eſſet per intellectionem priorem volitione, aut concomitantem; ſed neutrum dici poteſt; ergo non per intellectum. Prob. min. 1. quia utraque intellectio eſt naturalis, & nullo modo libera, intellectus enim eſt cauſa omninò naturalis, & neceſſariò agens; ergo omnia producerentur neceſſariò in eſſe reali, ſicut neceſſariò intelliguntur, & producuntur in eſſe intelligibili.

2. Prob. eadem min. quoad intellectionem antecedentem, tum quia per illam res non habent futuritionem, ſed ſtatum purè poſſibilem, ut ſuprà probatum eſt; ergo nec exiſtentiam; tum quia etiamſi implicaret illa intellectio antecedens, adhuc Deus poſſet velle, & facere omnia poſſibilia; ergo adhuc eſſet omnipotens ſine intellectione antecedente volitionem.

3. Prob. quoad concomitantem, quia hæc etiam eſt naturalis, & neceſſaria; ergo non eſt principium

[1] 1.*d*.43. *B.n.* 3.

& aliis quibuſdam, & licèt nullum talis converſionis haberemus exemplum, adhuc non poſſet negari ejus poſſibilitas; ergo non poteſt haberi certum ſignum reprobationis, & ea, quæ poſſumus habere, ſunt fallibilia. Talia ſunt oppoſita iis, quæ diximus ſigna eſſe prædeſtinationis, 1. obſtinatio in peccato, & ſurditas, 2. contemptus vocationum Dei, [1] *perverſi enim difficilè corriguntur*; ergo & difficilè ſalvantur. Item, [2] *Oves meæ vocem meam audiunt, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis*. Et, *Vocavi, & renuiſtis*, &, *ego in interitu veſtro ridebo*. 3. Crudelitas in proximum. [3] *Novit juſtus viſcera jumentorum ſuorum, viſcera improborum crudelia*. Et ſic de aliis, & maximè quando inſignes, & famoſi, ac publici peccatores non dant in morte ſatis evidentia ſigna converſionis, non multùm temerè dubitatur de illorum ſalute.

Quidam hìc annectunt quæſtiones de auxiliis, an ſcilicet Deus det omnibus gratias ſufficientes ad vitanda peccata, & conſequendam ſalutem, quæ eſt finis prædeſtinationis, &c. Sed hæc remittimus ad Tract. de gratia Deo dante ſcribendum.

DISPUTATIO XIV.

De libro vitæ, & mortis.

Materiis præcedentibus de prædeſtinatione, & reprobatione affines ſunt, quæ dicuntur de libro vitæ, & mortis, de quibus ſic loquitur Joannes in Apocalypſi. [4] *Vidi mortuos multos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex eis, quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum*. De his tamen pauca pro Scholaſticorum inſtituto dicenda videntur. Breviter ab his nos expediemus.

QUÆ-

[1] *Eccl.* 1. [2] *Jo.* 13.
[3] *Prov.* 12. [4] *c.* 20.

QUÆSTIO UNICA.

An, & quid ſit liber vitæ, et mortis.

VOx *libri vitæ* hic uſurpatur per Metaphoram ex humanis, ubi ſolent ſcribi ea, quæ facta, vel facienda ſunt, ut legantur. Et, ut docet S. Thomas, ſolent apud homines illi, qui ad aliquid eliguntur, conſcribi in libro, ut milites, ut ſenatores, qui ideò dicuntur, ex uſu Romanorum, *Patres conſcripti*. Et ſic qui à Deo eliguntur, & deſtinantur ad vitam æternam, dicuntur *ſcribi in libro, qui dicitur vitæ*. Dicimus etiam metaphoricè aliquid ſcriptum in intellectu alicujus, quod firmiter memoria tenet. Et hoc ſenſu Deus jubet mandata ſua *deſcribi in tabulis cordis*. Nam & in libris materialibus aliquid ſcribitur ad ſuccurrendum memoriæ. Unde ipſa notitia Dei, qua firmiter retinet ſe aliquos prædeſtinaſſe ad vitam æternam, dicitur *liber vitæ*. Nam ſicut Scriptura libri eſt ſignum eorum, quæ fienda ſunt, ita notitia Dei eſt quoddam ſignum apud ipſum eorum, qui ducendi ſunt ad vitam æternam, &c.

Libri ergo nomen, etiam in Script. ſumitur primò latè pro ſacræ Scripturæ ipſo volumine, in quo deſcripta leguntur, quæ credenda, facienda, & ſperanda ſunt ad vitam æternam conſequendam, 2. magis ſtrictè, pro conſcientiâ ſingulorum, in qua exhibentur legenda, ſeu cognoſcenda omnia, quæ quiſque geſſit in hac vita ſive bona, ſive mala, in judicium præmii, vel pœnæ decretivum, *Liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, unde mundus judicetur*, ut canit Eccleſia, 3. ſtrictiſſimè pro ſcientia viſionis, qua Deus firmiter retinet, & cognoſcit eos, quos ad gloriam efficaciter elegit.

Dicitur autem *vitæ*, 1. *ſubjectivè*, quia cùm ſit intellectus, & memoria divina, eſt ipſa realiter vita, & vivens, 2. *objectivè*, quia objectum ejus eſt vita ſupernaturalis gratiæ, & gloriæ, ad quam deſtinantur ii, qui in eo deſcribuntur.

Dixi 1. *gratiæ*, quia inadæquatè, & ſecundùm quid juſti pro eo tempore, quo ſunt in ſtatu gratiæ

ſanctificantis, dicuntur ſcripti in libro vitæ ſecundum præſentem juſtitiam.

Dixi 2. *et gloriæ*, quia hic ſolus eſt propriè, & ſimpliciter liber vitæ, ſcilicet æternæ. Et de hoc tantùm loquimur.

Hinc facilè vides, quid intelligatur per *librum mortis*, 2. quid ſit, &an aliquis poſſit deleri de libro illo, in quo ſcriptus eſt. Ad quæ brevirer reſpondeo.

Concl. *Dantur hi duo libri, et maxime liber vitæ, qui nihil aliud eſt, quàm ipſa prædeſtinatio; qua deſtinat aliquos ad vitam æternam, prout à Deo ipſo actualiter cognoſcuntur in illo decreto tanquam in libro. Idem eſt cum proportione dicendum de libro mortis.* Videtur quoad 2. p. contra Thomiſtas, qui volunt illum eſſe ipſam formaliter Dei notitiam, & ad intellectum pertinere.

Prob. 1. p. ex Script. in qua ſæpiſſimè fit mentio libri vitæ, ut apud Danielem, [1] *Salvabitur populus tuus omnis, qui ſcriptus fuerit in libro.* Et [2] *Non intrabit in ea, niſi qui ſcriptus fuerit in libro vitæ Agni.* Et *Quicunque non eſt inventus ſcriptus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis.* Et Moyſes dicebat, [3] *Si non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti.* Et David, [4] *Deleantur de libro viventium, et cum juſtis non ſcribantur*, Et *in libro tuo omnes ſcribentur.* Et alibi ſæpè, & idem ſæpè legitur in ſanctis Patribus.

Prob. 2. quia per librum vitæ nihil aliud intelligimus, quàm vel ipſam determinationem æternam ordinandorum ad gloriam, vel ipſam eorum notitiam formalem, ut volunt plurimi, vel utrunque ſimul, ſed certum eſt, utrunque verè eſſe in Deo; ergo & liber vitæ in eo eſt.

Prob. ſimiliter de libro mortis. Nam Joannes in Apocalypſi loquitur pluraliter de libris, & librum vitæ diſtinguit ab aliis, *Alius liber apertus eſt, qui eſt liber vitæ.* Et Jeremias [5] dicit, *Recedentes à te in terra ſcribentur*, quod exponens D. Baſil. *Duæ intelligi debent ſcriptiones, una quidem eorum, qui ad vitam, altera verò eorum eſt, qui ſcribuntur ad perdi-* tio-

[1] *Dan.*12. [2] *Apoc.*21. [3] *Exo.*32.
[4] *Pſal.*68.*et* 138. [5] *Jerem.*17.

tionem. Et ratio eſt, quia non minùs Deus decreto ſuo, & notitia ſua agnoſcit determinatè damnandos, quàm ſalvandos; ergo non minùs ſcribuntur illi, quàm iſti, quamvis in Scriptura non ſoleat hic liber exprimi poſitivè, ſed tantùm negativè, ita, ut reprobi dicantur, qui non ſunt ſcripti in libro vitæ, quia non adeo propria Deo eſt reprobatio, ſicut prædeſtinatio. Quippe *Deus habet proprium, quod ipſum eſt, ſcilicet ſalvare, & præmiare, ex ipſo verò propriè, ſive ſecundum ipſum non eſt punire, ſed ex nobis ipſis*, inquit Alenſis noſter. Et clariſſime Euthymius, *Liber Dei* (inquit in Pſ. 68.) *eſt ſumma ejus ſcientia, Scriptura verò perpetua memoria. In libro divinæ ſcientiæ omnes ſcribuntur tam juſti, quàm peccatores. Verum hic divinæ ſcientiæ liber magis eſt univerſalis. Eſt enim alius ſcientiæ liber magis privatus*, (ſeu proprius) *in quo ſoli juſti ſcribuntur, ex ratione, quod eos tantum cognoſcere, hoc eſt, probare dicitur, juxta quod ſcriptum eſt, Novit Dominus viam juſtorum*, &c.

Prob. 2. p. quia ſcribi in libro vitæ nihil eſt aliud, quàm prædeſtinari, & liber ipſe vitæ eſt ipſa prædeſtinatio prout cognita per ſcientiam viſionis; ſed ipſa prædeſtinatio eſt decretum pertinens formaliter ad voluntatem, & notitia, ſeu viſio ſpectat ad intellectum; ergo ita eſt de libro vitæ, ſcilicet eſt quaſi ſubjectivè in voluntate, & objectivè in intellectu. Uno verbo mihi videtur, quòd ſcribere in libro vitæ eſt deſtinare aliquem ad vitam, & velle illi dare vitam æternam, & legere, ſeu cognoſcere illum ſic deſtinatum; ergo liber vitæ ſic rectè explicatur. De quo tamen quæſtio habet multum de nomine.

Concl. 2. *Nemo propriè deleri poteſt de libro vitæ.* Eſt de fide.

Prob. ex Script. Dicit enim Chriſtus de electis ſuis, ſeu ovibus, quòd [2] *non peribunt in æternum, & nemo rapiet eas de manu mea*, quia idem eſt quærere, an ſcriptus in libro vitæ poſſit ex eo deleri, & quærere, an prædeſtinatus poſſit damnari; ſed patet ex dictis prædeſtinatum in ſenſu

[1] *1.p.q.23.n.3.a.4.*
[2] *Jo* 10.

compoſito prædeſtinationis non poſſe damnari; ergo nec ſcriptus deleri.

Obji. locum citatum Exodi, ubi Moyſes orat Deum, *Aut dimitte noxam populi hujus, aut ſi non facis, dele me de libro vitæ, quem ſcripſiſti*; ergo vel Moyſes petit rem impoſſibilem, vel liber vitæ eſt delebilis. Idem eſt de Davide petente de iniquis, *Deleantur de libro viventium*.

Reſp. neg. conſ. Nam, ut notat Auguſt. Moyſes loquitur ibi per quandam exaggerationem, & ex ardentiſſima charitate erga populum, pro quo flectere nitebatur Dei clementiam, ita, ut ſi fieri poſſet, puniri vellet pro ipſis.

Idem eſt de Apoſtolo Paulo [1] optante anathema eſſe pro fratribus ſuis, vel quia ſic ante converſionem ſuam erat affectus pro gente ſua ex zelo nimio legis, ut vellet ſeparari à Chriſto potiùs, quàm diſcedere à lege Moſaica, de quo ſe pœnitere dicit, *Triſtitia*, inquit, *mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo*; David autem vocem *deleantur* ſumit negativè, & idem eſt, ac ſic diceret, *non ſcribantur in libro viventium*; quod patet ex verbis ſequentibus, & *cum juſtis non ſcribantur*, alioqui minus imprecaretur per 2. phraſim, quàm per 1. ſi in 1. loqueretur de poſitiva deletione; prætereà loquitur de deletione ex libro juſtorum, & viventium per gratiam juſtificantem, quam diximus eſſe librum vitę ſecundum quid, ſeu ſecundum præſentem juſtitiam. Sed de his ſatis.

DISPUTATIO XV.

De potentia Dei.

DE hac divina perfectione jam multa diximus tum in Philoſophia, tum in præcedentibus. Nam in Phyſica diximus de concurſu ejus cum creaturis ad omnes earum actus, de potentia iſtarum obedientiali in ordine ad effectus ejus ſupernaturales, de infinita poſſibilitate; de creatione diximus ſuprà, an poſſit creare naturam, cui connaturalis ſit Dei viſio, an elevare oculum corporeum ad eamdem viſionem. Et alia

[1] *Rom* 9.

alia occurrent in aliis locis; &c. Pauca igitur reſtant, quæ breviter expediemus, quæque alibi facilè non occurrent diſcutienda.

QUÆSTIO I.

An, & quid ſit potentia in Deo.

LOquimur de potentia activa, quæſola eſt perfectio, non de paſſiva, ſeu ſubjectiva, nec objectiva, quę dicunt imperfectionem, ſc. negationem actus perfectivi, aut entitativi, & ideò repugnant Deo, qui eſt actus ſimpliciſſimus. Sumitur ergo hìc pro ea Dei perfectione, & virtute, ſecundum quam poteſt agere, & cauſare, ſaltem ad extra, quæcunque cauſabilia. Eſt enim principium operandi perfectè, & agendi. Et quærimus, an ſit perfectio, ſeu formalitas diſtincta ab intellectu, & voluntate, & an ad illam, aut ad iſtam magis pertineat.

Concl. 1. *In Deo eſſe potentiam non ſolùm fides docet, ſed etiam ratio naturalis ſufficienter demonſtrat in aliquo ſenſu*. Ita Catholici omnes.

Prob. 1. ex Scoto. *Omnipotens aut poteſt dici agens, quod poteſt in omne poſſibile mediatè, vel immediate, & hoc modo eſt potentia activa primi efficientis omnipotentia, pro ut extendit ſe ad omnem effectum in ratione primæ cauſæ proximæ, vel remotæ, & ſic naturaliter poſſit concludi eſſe aliquod primum efficiens, ſicut oſtenſum eſt ſupra: de 2. naturaliter etiam poteſt concludi illud eſſe omnipotens* &c. quod fuſiùs explicat, & probat tota quæſtione 7. quodlibetica, ubi quærit, *an Deum eſſe omnipotentem, poſſit naturali ratione, & neceſſaria demonſtrari*.

Prob. 1. par. ex Script. Conciliis, & PP. qui nihil frequentiùs prædicant de Deo, quàm omnipotentiam. [1] *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam*. Et, *Potens es Domine, & omnipotens ſermo tuus*. Et ex ſymbolo Apoſt. & Nyſſeno, *Credo in Deum Patrem omnipotentem*, & Athanaſii, *Omnipotens Pater*, &c.

Prob. 2. quia non ſolùm creaturas omnes condidit,

[1] *Job.*

dit, ſed etiam iſtæ ab eo habent virtutem, & potentiam activam, & eſt perfectio ſimpliciter, quæ non debet denegari Deo, ut infinito. Nam ex Sapientis conſilio, *Magnificate eum, quantum poteſtis, major eſt enim omni laude*; ergo hæc perfectio non eſt ei neganda, ſed potiùs aſſerenda.

Prob. 2. p. quia, ut diximus de exiſtentia Dei, & infinitate ejus, & quod ſit ille primum efficiens, & ex ſe independens, & à quo ſunt, & pendent omnia in eſſe, & conſervari, & hæc ſufficienter demonſtrari poſſe ad convincendum protervum, iiſdem rationibus patet, eum eſſe infinitè potentem. Et id probat Scotus, *Quod habet à ſe eſſe, habet potentiam activam, & quod habet à ſe aliquam perfectionem, habet eam in tota plenitudine poſſibili*, unde enim limitaretur, ſed Deus habet eſſe à ſe, & per conſequens potentiam activam; ergo habet eam infinitè, ſeu in tota ſua plenitudine poſſibili; ergo & infinitam. Vide alia argumenta ex lumine naturali, quibus probatur Dei exiſtentia. Nam, ut dicebam, hæc eadem demonſtrant, ſicut ſummum ens, ſic & ſummam potentiam.

Prob. 3. p. ſcilicet quod abſolutè, & in omni ſenſu demonſtrari non poſſit omnipotentia, quia non habemus demonſtrationes de potentia ad effectus ſupernaturales, v. g. ad reſurrectionem mortuorum, *licèt primum efficiens habeat in ſe potentiam effectivam eminentiorem potentia cujuſcunque alterius cauſæ effectivæ*, inquit Scotus, *habet etiam in ſe eminenter potentiam effectivam cujuſcunque alterius cauſæ, ſicut deductum eſt d. 2. & per hoc probatum eſt, habere potentiam infinitam, & iſtud ſit quaſi ultimum, ad quod poteſt attingere ratio naturalis de Deo cognoſcendo*. Et quidem hoc probat, quòd per ſe immediatè poſſit ſe ſolo efficere, quidquid poteſt cum, aut per cauſas ſecundas. Ordo enim cauſarum ſuperiorum, & inferiorum hoc non includit, quia & ſi Sol haberet cauſam ſuperiorem, quàm habet bos, non tamen concederetur, Solem poſſe immediatè generare bovem ſe ſolo, ſicut poteſt mediatè cum bove, &c. Ita ratio naturalis dictat quidem, Deum eſſe cauſam eminentiſſimam, & poſſe cum homine efficere hominem,

ſed

ſed non ſe ſolo; ergo in hoc ſenſu non demonſtratur Dei potentia.

Idem eſt de creatione, quam in Deo non agnoverunt Philoſophi, quia, inquiebant, *ex nihilo nihil fit.*

Confir. quia non demonſtratur, Deum ſe ſolo producere poſſe actus noſtros vitales, v. g. intellectionem, volitionem, & ſimiles, quos nobiſcum producit, ita nec demonſtratur concurſus ejus immediatus immediatione ſuppoſiti, ſicut & virtutis. Et ſic de aliis; ergo non poteſt demonſtrari omnimodè Dei omnipotentia, ſed tantum in aliquo ſenſu, ſcilicet quatenus Deus mediatè, vel immediatè poteſt in omnia.

Conſtat ergo tum ex fide, tum ex ratione naturali, Deum omnipotentem eſſe, ſeu in Deo eſſe potentiam, & quidem infinitam. Nam virtutes, & proprietates ſequuntur eſſentiam Dei; ergo cùm eſſentia Dei ſit infinita, ita & potentia ejus.

Objic. ex Ariſt. Omnis actus eſt melior qualibet potentia; ſed in Deo non eſt inæqualitas, nam quidquid in Deo eſt, perfectum eſt infinitè; ergo in Deo non eſt potentia.

Reſp. diſt. maj. qualibet potentia paſſiva, vel objectiva, conc. potentia activa, neg. maj. & conſ. Potentia enim hæc Dei eſt activa oppoſita paſſivæ, & objectivæ, quæ dicunt imperfectionem.

Objic. 2. Omnis potentia opponitur actui; ergo caret aliqua perfectione. Nam actus eſt perfectio; quapropter Deus dicitur *actus purus*.

Reſp. eodem modo, diſt. ant. Potentia objectiva, aut paſſiva, conc. activa, neg. ant. & conſ. & rationem ejus. Nam potentia activa potiùs in ſe continet virtualiter, aut eminenter actum ſuum, quia ab eo dependet in eſſe, aut fieri. Sic Dei potentia continet eminenter, & virtualiter omne poſſibile. Et in hoc conſiſtit infinita perfectio.

Inſt. Omnis potentia, etiam activa, dicit eſſentialem relationem ad terminum, ſeu ad actum ut ad terminum; ergo & aliquam dependentiam.

Reſp. diſt. ant. Relationē realē, aut rationis, & ſecundum dici purè, aut terminativè, conc. realem, & objectivè, neg. maj. & conſ. In creatis potentia fundat, &

ſubjectivè dicit relationem realem ad terminū, quod aliqualem involvit dependentiam propriam, vel impropriam, ſed in Deo potentia activa non fundat relationem realem ad ſuos actus, vel effectus, ſcilicet ad creaturas, niſi rationis, & ſecundum dici. Tota relatio illa eſt dependentia, quam habent creaturæ à Deo, & in illis fundatur, & ad Deum terminatur.

Concl. 2. *Omnipotentia Dei eſt ea perfectio, quæ poteſt ſe ſolo, vel cum cauſis ſecundis efficere quæcunque cauſabilia, ſeu poſſibilia, quæ non dedecent ſummam ejus gloriam*. Videtur communis.

Prob. 1. ex Scoto dicente, quòd [1] *omnipotentia eſt activa reſpectu cujuſcunque creabilis, ſeu cauſabilis mediatè, ſive immediatè*; Patet ex omnium conſenſu, qui per potentiam Dei, ſeu omnipotentiam intelligunt hujuſmodi perfectionem. Dixi *cauſabilia*, & per hoc ſignificatur, quòd reſpicit productiones ad extra, non verò internas, & ſic diſtinguitur à potentia generativa, & ſpirativa, quæ licèt ſit virtus in Deo, tamen ad hanc potentiam non pertinet, quæ eſt perfectio, & attributum eſſentiale, illæ verò ſunt perſonales, & Verbum, nec Spiritus S. non ſunt cauſabiles. Dixi 2. *ſeu poſſibilia*, ob eandem rationem, & ſenſus eſt, quòd omnipotentia dicitur in ordine ad effectus, & productiones contingentes, non verò ad internas, & neceſſarias, quales ſunt generatio, & ſpiratio, & excludunt omnem potentialitatem, quæ dicat imperfectionem. 3. *quæ non* dedeceant ejus gloriam, propter peccata, & alios quoſdam effectus, qui non poſſunt tribui Deo, nec minùs eſt omnipotens, quia non poteſt efficere morale peccati, quia hæc non eſſet perfectio, nec virtus, ſed defectus, & imperfectio. Peccatum non tam dicit efficientiam, quàm deficientiam in cauſa ſua.

Concl. 3. *Omnipotentia Dei non diſtinguitur ab intellectu, & voluntate, ſeu non eſt tertia aliqua potentia, quam vocant aliqui executricem; nec eſt in intellectu, niſi concomitanter, & præſuppoſitive, ſed formaliter in ſola voluntate*.

Prob. 1. ex Scoto, [2] quia *Dei operantis nulla eſt praxis, niſi volitio; non ponendo in eo potentiam tertiam.*

[1] *quodlib. 7. B. n. 3. & 39.*
[2] *qu. 4. prol. S. n. 37. & T. n. 40.*

tiam aliam ab intellectu, et voluntate. Et infrà, in Deo *non eſt potentia practicans, niſi voluntas*; ergo ex Scoto omnipotentia non eſt attributum diſtinctum ab intellectu, & voluntate, & non eſt tertia illa virtus, quam vocant aliqui *executricem*, & diſtinctam ab illis duabus facultatibus.

Prob. 2. quoad 1. p. quia Deus ſufficienter intelligitur omnipotens per hoc, quòd per intellectum infinitum cognoſcit omnia factibilia, & per voluntatem pariter infinitam efficit, quæcunque vult; ergo non datur alia virtus ab eis diſtincta. Prob. conſ. Non ſunt in Deo multiplicandæ entitates, ſeu formalitates ſine neceſſitate; ſed hìc nulla eſt, cùm ſufficienter intelligatur omnipotens modo prædicto; ergo &c.

Prob. 2. p. ex dictis de ſcientia, & intellectu, ubi probavimus, ſcientiam non eſſe cauſam rerum effectricem.

Prob. 2. ex Scoto, [1] Omnipotentia Dei eſt formaliter ea virtus, qua res omnes poſſibiles ponuntur, vel poni poſſunt in eſſe reali contingenter, & liberè; ſed non producuntur formaliter effectivè per intellectum, ſed per ſolam voluntatem; ergo &c. Prob. min. Si Deus produceret res in eſſe reali per intellectum, id eſſet per intellectionem priorem volitione, aut concomitantem; ſed neutrum dici poteſt; ergo non per intellectum. Prob. min. 1. quia utraque intellectio eſt naturalis, & nullo modo libera, intellectus enim eſt cauſa omninò naturalis, & neceſſariò agens; ergo omnia producerentur neceſſariò in eſſe reali, ſicut neceſſariò intelliguntur, & producuntur in eſſe intelligibili.

2. Prob. eadem min.quoad intellectionem antecedentem, tum quia per illam res non habent futuritionem, ſed ſtatum purè poſſibilem, ut ſuprà probatum eſt; ergo nec exiſtentiam; tum quia etiamſi implicaret illa intellectio antecedens, adhuc Deus poſſet velle, & facere omnia poſſibilia; ergo adhuc eſſet omnipotens ſine intellectione antecedente volitionem.

3. Prob. quoad concomitantem, quia hæc etiam eſt naturalis, & neceſſaria; ergo non eſt principium im-

[1] 1.*d*.43. *B*.*n*. 3.

immediatum rerum contingentium.

Prob. 3. p. 1. ex Script. & PP. qui ſoli voluntati adſcribunt effectionem rerum, & Deum dicunt omnia operari per voluntatem. [1] *Operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ.* Unde [2] *Voluntati ejus quis reſiſtet?* ſeu quis impediet, ne faciat, quæ per voluntatem facit? Et *Deus, cujus natura bonitas, et cujus voluntas potentia?* inquit S. Leo, [3] *Cujus voluntas opus, cujus velle poſſe eſt*, ait Auguſt. [4] &, *Omnis ſubſtantia rationalis non voluntate ſola, ſed agendo, patiendoque operatur, ſed ingenita ſubſtantia* (Deus) *volendo*, ait Cyril. [5] & *nutu res fabricans*, idem, & *Quanta eſt Dei potentia! ſola eſt ejus voluntas mundi productio*, ait Clem. Alex. [6] Et ſic de aliis.

Prob. 2. quia certum eſt, quòd ſine voluntate nihil operatur Deus ad extra, & quòd in ipſa ſola eſt formalis libertas, & ipſa ſola ſufficit ad executionem omnium, quæ judicat facienda; ergo in ſola voluntate eſt potentia formaliter.

Confir. etiam tota concl. quia evidens eſt, quòd in creatis non admittitur facultas illa executrix eorum, quæ judicamus, & volumus fieri, niſi ex imperfectione, qua fit, ut pluribus egeant inſtrumentis, & machinis ad executionem volitionum; ergo quòd in Deo ſola volito ſufficit ad ponendos effectus omnes volitos in eſſe reali, maxima eſt perfectio.

Objic. contra 1. p. Scotus [7] non negat poſitivè potentiam executivam diſtinctam à voluntate; ergo non rectè eam negamus ex ejus mente. Prob. ant. Nam inquit, *Potentia activa, qua Deus dicitur omnipotens, non eſt formaliter intellectus divinus, ſed quaſi præſupponit actionem intellectus, ſive illa potentia ſit voluntas, ſive alia potentia executiva*; ergo non negat poſitivè illam potentiam diſtinctam, ſed tantùm negat eam eſſe in intellectu.

Reſp. neg. conſ. utramque. Nam licèt ibi decidat rem quoad intellectum, & relinquat eam indeciſam quoad tertiam illam potentiam, quia non erat locus decidendi, niſi de intellectu; tamen infrà, & alibi

[1] *Eph.* 1. [2] *Rom.* 9. [3] *ſer. 2. nat.*
[4] *medi.* 29. [5] *Catech.* 4.
[6] *l. ad Rufin.*
[7] *Diſt.* 43. *cit.*

alibi ponit eam in ſola voluntate, ut patet ex textibus allatis, & aliis, qui paſſim occurrunt.

Inſt. ex Scoto, & aliis. Potentia Dei eſt principium operandi ad extra, & in tempore, voluntas verò ad intra, & æternè; ergo illa principia diſtinguuntur. Prob. conſ. Nam illa principia diſtinguuntur, & habent diverſos terminos:

Reſp. neg. conſ. & ant. prob. Nam voluntas De ſufficit ad utrumque per infinitatem ſuam.

Inſt. 2. Actus omnes intellectus, & volũtatis sũt immanẽtes; ergo nihil ponunt ad extra; ſed omnipotentia ponit res ad extra; ergo eſt diſtincta ab utroque.

Reſp. diſt. ant. Sunt immanentes formaliter, conc. objectivè, & terminativè, quatenus connotant terminos productos ad extra, neg. ant. Nam entitativè, & formaliter quidem immanent per æternitatem, ſed connotativè, & per reſpectum ad effectus, & terminos, qui ponuntur à voluntate, actus ejus ſunt quaſi tranſeuntes, non præcisè, quatenùs eſt operativa, ſed quatenus eſt productiva.

Inſt. 3. Velle divinum eodem modo reſpicit Deum, & creaturas; ſed non eſt productivum, prout terminatur ad Deum; ergo nec ut reſpicit creaturam. Maj. patet. Non enim ſunt duo velle in Deo. Min. etiam eſt certiſſima.

Reſp. neg. maj. & conſ. prob. Nam prout reſpicit Deum, eſt purè operativum, ſupponens exiſtentiam ejus: non ita, prout reſpicit creaturam, ad cujus exiſtentiam terminatur ut productivũ. Utrumque eidem actui poteſt convenire propter infinitatem.

Inſt. 4. Si ut reſpicit creaturam, eſſet productivum, eam produceret in eſſe exiſtentiæ, & ſimpliciter reali ab æterno; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. ſeq. quia non eſt potior ratio, cur ab æterno ſit tantùm operativum, & productivum, quàm in tempore.

Reſp. neg. maj. & ant. prob. quia fœcunditas, ſeu efficacitas pendet ab ejus libertate, quæ non vult producere res, niſi in tempore.

Objic. 2. In homine, & Angelo præter intellectum, & voluntatem datur potentia executiva diſtinctà; ergo & in Deo. Prob. conſ. quia ſunt ejuſdem rationis in Deo, & creatis iſtis; ergo & eadem prædicata eis conveniunt utrobique.

Reſp. neg. conſ. & diſt. ant. prob. Secundum aliquem conceptum, & præciſionem imperfectam, conc. ſecundum conceptum perfectum, & adæquatum, neg. ant. Nam intellectus, & voluntas in Deo ſunt facultates infinitæ, & finitæ in creatis; hæc autem differentia ſufficit, ut voluntas in Deo ſit ſimul operativa, & executiva, ſeu productiva, non autem in creatis propter limitationem.

Objic. 3. Omnis potentia, quæ jam habet poſitum terminum ſibi adæquatum, non poteſt ad ulteriora terminari, alioqui ille prior eſſet, & non eſſet adæquatus, ut patet; ſed voluntas Dei jam habet terminum ſibi adæquatum, idem eſt de intellectu; ergo non poteſt in ulteriora terminari, v. g. ad creaturas producendas; ergo in Deo requiritur alia potentia productiva præter voluntatem, & intellectum. Prob. min. Nam voluntatis Dei terminus adæquatus eſt Spiritus Sanctus, & Verbum reſpectu intellectus; ergo, &c. Prob. ant. Nam uterque eſt productus, Verbum quidem per intellectum, Spiritus verò per voluntatem, & uterque tam eſt infinitus, quàm ipſe intellectus, & voluntas.

Reſp. 1. quoad argumentum hoc, ſi quid valeret, probaret etiam Deum extra ſe nihil intelligere, nec velle, quod falſum eſt in omni ſententia.

Reſp. 2. diſt. maj. In ea ratione, ſecundum quam ille terminus eſt illi adæquatus, conc. ſub alia ratione, neg. maj. Et ad min. dico, Verbum, & Spiritum Sanct. eſſe terminos adæquatos productionum ad intra, non verò ad extra, & quæ producuntur liberè. Potentia generandi, & ſpirandi diſtinguuntur à potentia creandi; illa eſt potentia notionalis, ſeu perſonalis, hæc verò eſſentialis; per illam communicatur eſſentia in perfectiſſima identitate, & terminus productus eſt ſola perſonalitas, ſeu relatio Filii, & Spiritus, quæ non eſt quanta, ut videbitur, per iſtam verò communicatur ſubſtantia, & exiſtentia diſtinctiſſima. Igitur potentia generativa, & ſpirativa exhauriuntur, ſeu adæquantur per ſuos illos terminos, non autem potentia operativa, & productiva ad extra.

Objic. 4. Quæ habent conceptus diſtinctos, diſtinguuntur formaliter ex natura rei, per nos, aut virtua-

tualiter, ſecundum alios, & ideò diſtinguimus attributa inter ſe, & ab eſſentia; ſed potentia executrix, per quam Deus producit creaturas, habet conceptum diſtinctum ab intellectu, & voluntate, & ab aliis attributis; ergo ab eis diſtinguitur. Prob. min. Nam intellectus concipitur ut facultas, quæ reſpicit ens ut intelligibile, & voluntas, quæ reſpicit ens ut bonum, ſeu ut amabile; potentia verò executrix reſpicit ens ut cauſabile, ſeu factibile, ſeu poſſibile; ergo &c.

Reſp. diſt. maj. Quæ habent conceptus adæquatos objectivos diſtinctos, & perfectos diſtinguuntur formaliter, conc. maj. & neg. min. conceptus formales inadæquatos, neg.maj. & conſ. Nam voluntas eadem, quæ reſpicit entia ut volibilia, reſpicit ea ut factibilia. Illa enim volibilitas in entibus non diſtinguitur ab eorum poſſibilitate, & factibilitate, niſi formaliter per intellectum. Non ita eſt de conceptibus, per quos attributa diſtinguuntur.

Objic. contra 2. p. Deus immediatè producit creaturas, dicendo, & imperando; ſed tam dictio, quàm imperium ſpectant ad intellectum directè, & propriè; ergo & potētia productiva ad extra. Prob. maj. ex Scrip. [1] *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux.* Et [2] *Ipſe dixit, et facta ſunt, ipſe mādavit, et creata sūt;* ergo &c.

Reſp. diſt. min. Spectant ad intellectum directivè, ſeu oſtenſivè, con. imperativè, ſeu effectivè, & abſolutè, neg. min. & conſ. ut diximus in Phil. & ſuprà, ubi de ſcientia Dei.

Concl. 4. *Potentia Dei non eſt formaliter ipſa eſſentia, ſeu Deus non agit ad extra immediatè, et formaliter per eſſentiam, velut per proximam cauſam agendi phyſicè.* Hæc ſequitur ex dictis.

Prob. 1. ex Scoto citato, & prætereà, quatenus docet, [3] quod *ſi eſſentia Dei non eſſet volens, nihil omninò poſſet cauſare ad extra, quia nihil poſſet cauſare, niſi naturaliter*, & in locis etiam citatis probat, naturam purè intellectualem nihil poſſe producere, niſi per intellectum, & voluntatem; ergo eſſentia non eſt immediatum principium efficiens, ſed tantum radicale.

Prob. 2. ex locis Script. & PP. citatis pro volunta-

[1] *Gen.* 1. [2] *Pſal.* 148. [3] *Quodli.* 14. *X. n.* 23.

tate. Non enim ſic loquerentur, ſi voluntas non eſſet principium immediatum, & principale talium productionum. Semper enim ſolent tribui cauſæ principaliori.

Prob. 3. quia, quod producitur per naturam, ſit ſimile in natura, & producitur naturaliter, non autem liberè, ſed neutrum dici poteſt de creaturis; ergo non producuntur immediatè per eſſentiam.

Prob. 4. quia Deus ad intra non agit per eſſentiam; ergo multò minus ad extra, ad quod non agit niſi liberè, & contingenter. Prob. ant. Nam de fide eſt, quòd generat Verbum per intellectum, & Spiritum producit voluntate; ergo &c. Confir. Nam ſi produceret Verbum per eſſentiam, ut priorem intellectu, & voluntate, produceret aliquam perſonam priorem Verbo, & Spiritu Sancto; quia in illo priori haberet totum requiſitum ad productionem, quæ eſſet undecunque neceſſaria.

Objic. 1. Deus non agit ad extra ut infinitus, intelligens, aut volens, ſed ut ens infinitum, ſeu non eſt omnipotens, ut ſciens, aut volens, ſed ut ens ſummum; ergo omnipotentia non eſt formaliter intellectus, aut voluntas, licèt utraque potentia ſit infinita.

Reſp. neg. abſolutè ant. Nam ſuppoſita infinitate eſſentiæ, & in eſſendo, quæ eſt quidem radix omnium aliarum perfectionum, adhuc non ageret, niſi eſſet infinitè intelligens, & volens formali infinitate cuilibet facultati, & attributo propria.

Objic. 2. In cauſis creatis potentia activa reſidet immediatè in natura, quæ eſt immediatum principium agendi; ergo à fortiori in Deo. Ant. patet. Nam calor eſt immediatum principium ſuæ calefactionis, & ſic de aliis. Prob. conſ. quia nobilitatis, & perfectionis eſt paucioribus indigere.

Reſp. neg. conſ. & ratio diſparitatis eſt, quia cauſæ naturales creatæ non habent productiones neceſſarias, & liberas, ideò idem principium immediatum ſufficit, ſed in Deo dantur productiones neceſſariæ, & liberæ, & ideò cùm idem formaliter principium non poſſit operari liberè, & neceſſariò, requiruntur in eo diverſæ formaliter potentiæ, à quibus immediatè procedunt productiones liberæ, & na-

& naturales, ut ſunt in natura intellectuali, qualis eſt Deus.

Objic. 3. In tantum Deus habet potentiam activam ad omne poſſibile, quia continet eminenter per infinitatem ſuam perfectiones omnium, ſed illa continentia, & infinitas ſe tenet ex parte eſſentiæ; ergo & potentia. Prob. min. quia ſola eſſentia eſt fons, & radix totius eſſe; ergo &c.

Reſp. neg. maj. Non enim confundi debet continentia eminentialis cum virtuali; nec omnipotentia præcisè, & formaliter convenit Deo ratione continentiæ eminentialis tantùm, ſed eminentialis virtualis, & hæc convenit Deo formaliter, & præcisè in ratione principii activi, & radicaliter tantùm in ratione eſſentiæ.

Inſt. Deus in tantum eſt omnipotens, in quantum eſt fons totius eſſe; ſed non eſt fons totius eſſe, prout intelligens, & volens, ſed prout ens infinitum; ergo eſt omnipotens per eſſentiam.

Reſp. diſt. maj. Prout eſt fons per continentiam eminentialem virtualem totius eſſe, conc. per continentiam tantùm eminentialem, neg. maj. & conſ. Niſi enim contineret creaturas virtualiter, & in ratione principii activi, non diceretur omnipotens, ſed purè infinitus infinitate ad ſe, & in ſe, & velut otioſa.

QUÆSTIO II.

De Objecto, & infinitate potentiæ Dei. An poſſit in præteritum, & futurum.

JAm diximus potentiam Dei reſpicere omne poſſibile, ſeu contingens, non autem neceſſaria, ſaltem prout de illa hìc agimus. Sed reſtat preſſiùs examinare, an ſe extendat ad omne poſſibile quacunque poſſibilitate, Et quæ ſint illa poſſibilia, & qualis ſit ejus infinitas, an intenſiva, vel extenſiva.

Potentia Dei vel dicitur *abſoluta*, ſeu *extraordinaria*, vel *ordinaria*. 1. eſt potentia Dei *in* ſe, & *ſecundum* ſe, 2. verò, quando conſideratur, prout ſubeſt certis regulis, & legibus ab ipſomet Deo ſtatutis v. g. cùm cooperatur creaturis agentibus

ſe-

ſecundum leges, quas præſcripſit eis, agit ſecundum potentiam *ordinariam*; ſi verò ab illis legibus ſe diſpenſat, v. g. cùm ſuſpendit actionem ignis contra Danielem in fornace Babylonica, agit ſecundum potentiam *abſolutam*, & *extraordinariam*, & ita in omnibus effectibus miraculoſis.

Concl. 1. *potentia Dei reſpicit omnia poſſibilia contingentia, quæ non implicant fieri.*

Prob. 1. ex Scoto jam citato, [1] *omnipotens aut poteſt dici agens, quod poteſt in omne poſſibile mediatè, vel immediatè, & hoc modo eſt omnipotentia primi efficientis ..... & omnipotens propriè Theologicè prout omnipotens dicitur, qui poteſt in omnem effectum immediatè, & in quodcunque poſſibile, hoc eſt, in quodcunque, quod non eſt ex ſe neceſſarium, nec includit in ſe contradictionem*; ergo ex Scoto, omnia, quæ non implicant contradictionem ad eſſe, ſunt objectum totale omnipotentiæ Dei.

Prob. 2. Omnipotentia eſt ea Dei perfectio, per quã ei competit efficere omne ens, quod poteſt effici contingenter, & reſpicit omne tale ens; ſed omne ens, cui non repugnat ſic eſſe, dicitur ens poſſibile; ergo omne ens ſic poſſibile eſt objectum potentiæ Dei. Maj. patet ex dictis, qu. 1. Min. etiam clara eſt ex Metaph. ubi poſſibile ſic deſcribi ſolet.

Dixi autem *poſſibilia contingentia*, quia quæ neceſſariò exiſtunt, aut producuntur, ut duæ Perſonæ divinæ, non cadunt ſub hanc potentiam, ut jam monuimus. Dixi etiam, *quæ non implicant fieri*, ut vitarem circulum vitioſum, in quem inciderent, qui dicerent, quòd *potentia eſt ad omne poſſibile*, & *illud eſſe poſſibile, quod per omnipotentiam fieri poteſt.*

Objic. 1. Si potentia Dei reſpiceret omne, quod non implicat fieri, exhauriri poſſet, & ſic non eſſet infinita; ſed conſ. eſt falſum; ergo &c. Prob. maj. Poſſet facere actu omne poſſibile; ſed facto omni poſſibili exhauriretur, quia nihil reſtaret ei faciendum, nec poſſet ulteriùs progredi; ergo exhauriri poſſet.

Reſp. neg. maj. & diſt. prob. Poſſet facere actu omne poſſibile eo modo, quo eſt poſſibile, conc. alio modo,

[1] 1. *d.* 43. *A. n.* 2.

modo, neg. maj. & min. Nam ſicut repugnat ultimum dari inter poſſibilia, quia ſunt infinita ſyncategorematicè, ut dictum eſt in Phyſica, ita Deus non poteſt tot res facere, quin ſemper ſint aliæ, & aliæ fiendæ in infinitum.

Obiic. 2. Viſus non ſolum reſpicit colorem, & lucem, ſed etiam tenebras, quæ ſunt negationes lucis, & Metaphyſica agit de non ente, & non ſolùm de ente; ergo potentia Dei debet reſpicere impoſſibile æque, ac poſſibile; ergo poſſibile non eſt objectum adæquatum omnipotentiæ Dei. Prob. conſ. quia oppoſitorum eadem eſt diſciplina; ergo ſunt objectum ejuſdem potentiæ.

Reſp. neg. conſ. utranque. Nam aliud eſt de potentia cognoſcitiva, aliud de factiva; illa cognoſcit de tenebris, & de non ente indirecte, & per reſpectum ad lucem, & ad ens poſitivum, judicando lucem abeſſe, & ſic eſt de ente; ſed potentia factiva non ſic. Quid enim operaretur circa impoſſibile? non per concurſum poſitivum, quia impoſſibile non poteſt terminare actum poſitivum, nec accipere ullum eſſe; non per negativum, ſeu ſubtractionem concurſus poſitivi, quia ſicut impoſſibile eſt purum nihil, ita non poteſt ceſſare eſſe, ſeu annihilari. Unde autem petenda ſit poſſibilitas, vel impoſſibilitas, an ex Deo, vel ex rebus ipſis, repete ex Metaphyſica. [1]

Concl. 2. *Potentia Dei eſt verè infinita intenſivè, & extenſivè, & omnipotens.*

Prob. 1. ex Scoto, [2] qui probat infinitatem Dei 1. *per viam efficientiæ*, quia primum ens, ſeu agens, ſeu movens ex Philoſ. *movet motu infinito; ergo habet potentiam infinitam; & prima efficientia infert infinitatem, &c.* Et infra docet, quòd ex infinitate potentiæ activæ, quæ eſt neceſſariò in Deo, demonſtratur unitas Dei. Hoc probat alibi; [3] quia, *quod habet à ſe potentiam activam, habet à ſe entitatem, quod autem habet à ſe aliquid, habet illud in tota plenitudine, quæ ſibi competere poteſt*: ſed Deus habet à ſe entitatem, & potentiam; ergo in tota plenitudine poſſibili utranque habet; ergo non habet eam ſine infinitate intenſiva, & ſequi-

[1] *d. 5. q. 4. c. 3.* [2] *1. d. 2. q. 2. X. & Y. n. 10. & 20. & q. 3. B. n. 4.*
[3] *quod. lib. 7. Y. n. 31.*

ſequitur, quod ipſe ſit infinitæ potentiæ intenſivè.

Prob. 2. ex dictis de infinitate Dei, & aliorum attributorum abſolutorum. Nam eadem eſt ratio de iſto, ac de aliis, & maximè de voluntate, à qua hæc potentia activa non diſtinguitur. Imò plures Theologi putant id naturaliter poſſe demonſtrari, & multas ad id congerunt rationes.

Prob. 3. ex Script. & PP. Nam inquit Sapiens, [1] *Ipſe eſt omnipotens ſuper omnia opera ſua, terribilis, magnus, & mirabilis potentia ejus, à nobis incomprehenſibilis*. Et David, [2] *Magnus Dominus, & magnitudinis ejus non eſt finis*. Et Angelus in Euangelio, [3] *Non eſt impoſſibile apud Deum omne verbum*. Et D. Paulus, [4] *Ei qui poteſt facere ſupra id, quod poteſtis intelligere*, & S. Hilar. [5] *perfectæ poteſtatis eſt id naturam poſſe facientis, quod poteſt ſignificare ſermo dicentis*. Et S. Baſil. *Plus poteſt Deus facere, quàm tu poſſis intelligere*; ergo cùm poſſimus intelligere alia, & alia in infinitum ſyncategorematicè ſaltem, à fortiori Deus poteſt in infinitum tam intenſivè, quàm extenſivè.

Prob. 4. de infinitate intenſiva. Nam eſſentia Dei eſt in entitate ſua infinita, ut probatum eſt ſupra; ergo & potentia ejus. Nam virtus activa debet commenſurari eſſentiæ, cujus eſt potentia. Nam *attributum eſt aliquid circa eſſentiam*, inquit Damaſcenus.

Prob. 5. de extenſiva. Nam, ut diximus in præcedenti, potentia Dei ſe extendit ad omnem durationem, & ad omne ens poſſibile, non ceſſabit per totam æternitatem agere, & conſervare Angelos, & animas, ut fides docet, nec poteſt illi aſſignari terminus extrinſecus; ergo &c.

Hinc ergò patet, quòd Deus eſt omnipotens. Alioqui enim potentia ejus non eſſet infinita, ſed limitata per illud, quod non poſſet.

Confir. ex Script. & PP. *Omnipotens ſermo tuus Domine*, &c.

Objic. 1. Si Deus eſſet potens infinitè intenſivè, poſſet producere infinitum etiam intenſivè, & in entitate; ſed hoc non poteſt; ergo non eſt infinitè potens.

Prob.

[1] *Eccl.* 43. [2] *Pſal.* 144.
[3] *Luc.* 1. [4] *Ephe.* 3. [5] *Tr.* 9.

Prob. maj. Alioqui enim fruſtra eſſet illa potentia; & nulla eſt potentia, cui non reſpondeat ſuus actus proportionatus.

Reſp. neg. maj. abſolutè, vel ſic diſt. Si talis effectus ſit in ſe poſſibilis, ſeu ex ſe non repugnet, conc. ſi ex ſe repugnet, neg. maj. & conſ. Nam Deus, quantum eſt ex ſe, poſſet producere infinitum; ſed iſtud ex ſe repugnat, ut probatum eſt in Phyſicis.

Inſt. Omnis potentia fundat, aut terminat reſpectum ad ſuos effectus; ergo potentia infinita debet reſpicere, aut reſpici ab effectu infinito in entitate.

Reſp. neg. conſ. Sufficit enim, quòd reſpiciat ſuos effectus, & ab eis reſpiciatur ſecundum aliquam infinitatem. Et ita eſt de potentia Dei. Nam reſpicit, & reſpicitur 1. tanquam agens à ſe, & independenter ab alio, 2. ut producens ex nihilo, & redigens ad nihilum entia, 3. ut potens producere infinita ſaltem ſyncategorematicè, ita, ut non exhauriri poſſit, nec dari ultima productio, ultra quam non poſſet aliam, & aliam in infinitum.

Objic. 3. Si potentia Dei activa eſſet infinita, poſſet movere corpus de loco in locum etiam diſtantem in inſtanti, corpus illud moveret in non tempore; ſed hoc non poteſt Deus, non enim operatur in non tempore, ex Aug. ergo &c. Prob. maj. Quò major eſt virtus moventis, eò velocior eſt motus, ergo motus à potentia infinita erit infinitè velox; ergo & inſtantaneus.

Reſp. 1. diſt. maj. Si agat neceſſariò, conc. ſi agat liberè, neg. maj. & conſ. Deus autem movet ad extra liberè, & ideò lentè, aut velociter, quantum vult.

Reſp. 2. diſt. eamdem maj. Si motus ille ſit de ſe poſſibilis, conc. ſi de ſe repugnet, neg. maj. & conſ. Motus autem inſtantaneus de loco in locum per medium dicit eſſentialiter partem poſt partem, & ſucceſſionem, & ideò repugnat illi indiviſibilitas inſtantanea.

Objic. 4. maximè contra omnipotentiam, Deus non vult omnia; ergo non poteſt omnia. Prob. ant. Non vult malum, ſed ſolum bonum, & præterea non facit omnia; ergo nec vult omnia.

Reſp. neg. conſ. Nam ad omnipotentiam ſufficit, quòd ſicut velle poteſt omnia volibilia, ita & quod

quod poſſit facere omnia factibilia, quæ poteſt velle facere. Omnipotens eſt Deus, non eo quòd poſſit facere omnia, *ſed quia poteſt efficere, quidquid vult*, ait Augu. addo, & quidquid velle poteſt. Non enim poteſt velle peccatum, nec implicantia.

QUÆSTIO III.

An potentia Dei extendatur ad præterita, & poſſit facere, ut non fuerint; an poſſit facere, quæ non facit; aut facere meliora, quæ facit.

HÆc tria ſolent examinari circa Dei potentiam, ut meliùs explicetur. Et ea breviter expedimus. Quoad 1. nota, quòd præteritum duo importat, 1. rem, quæ fuit, v. g. virginitatem pro materiali, & differentiam temporis pro formali, & ſic quæri poteſt de ipſa re, an Deus poſſit facere, ut res, quæ fuit, reparetur, & de novo fiat, ſeu exiſtat, 2. de tempore, an poſſit facere, ut non fuerit pro illa temporis differentia. Quoad 2. aliter proponi poſſet, an ſcilicet numerus poſſibilium ſit major numero futurorum, præſentium, ac præteritorum. Et 3. an ea, quæ Deus facit, ita perfecta ſint, ut non poſſit, vel potuerit eadem facere meliora, ſeu perfectiora, vel an ea, quæ facit, ſint meliora, ſeu optima inter omnia poſſibilia. Et hoc quæſitum videtur reſolutum de libertate, ſeu voluntate Dei, ubi reſolvimus Deum non neceſſitari ad optimum.

Concl. 1. *Deus poteſt quidem reparare præteritum; ſed non poteſt facere, quin ſit præteritum, neque ut futura non ſint futura, neque ut præſentia non ſint præſentia*. Eſt communis.

Prob. 1. ex Scoto. [1] *Verum eſt, quòd potentia non eſt ad præteritum, ut eſt præteritum, unde non eſt propriè potentia, ut illud, quod fuit, non fuerit, ſed potentia eſt ad illud, quod fuit præteritum*; quatenus ſcilicet eadem res, aut forma, quæ fuit, poteſt redire numero eadem, ut dictum eſt in Phyſica. Et [2] ſuprà docuerat, Deum poſſe reſtituere homini natu-

[1] 4. *d.* 43. *q.* 3. *K. n.* 11.
[2] *d.* 1. *q.* 6. *C. n.* 4. 26.

turalem rectitudinem per peccatum amiſſam.

Prob.2. ex PP. Nam, inquit Aug. [1] *Quiſquis ita dicit, ſi omnipotens eſt Deus faciat, ut, quæ facta ſunt, facta non fuerint, non videt hoc ſe dicere, ſi omnipotens eſt, faciat, ut ea, quæ vera ſunt, eo ipſo, quo vera ſunt, falſa ſint;* ſcilicet tam implicat fieri, ut præterita non ſint præterita, quàm ut verum non ſit verum pro eodem inſtanti.[2]Hoc ſenſu dicebat Hieronymus, *Firmiter credo, virginem poſt ruinam à Deo non poſſe reparari,* non quidem quoad virtutem, ſeu integritatem corporis, & animæ, nam corpus idem reſurget ſine imperfectione, & anima ſine macula,ſed non poteſt facere, quin peccaverit, & corrupta fuerit. Sic Anſelm. [3] *Cum Deus aliquid facit, poſtquam factum eſt, jam non poteſt non eſſe factum, ſed ſemper verum eſt factum eſſe.* Idem docuerat Ariſt. [4] poſt Agathonem: *Hoc ipſo ſolùm Deus carere videtur,infectum ut faciat, quod factum eſt.*

Prob.3. quoad 1. par. Nam, ut dicebamus, per reſurrectionem corporis, quam ex fide credimus futuram, & factam eſſe in Lazaro,& aliis, & in ipſo Chriſto, idem corpus, eadem anima, & idem homo reparatur, & reſurgit, & in hoc nulla poteſt aſſerri implicantia neque ex parte rei, neque ex parte Dei.

Prob. quoad 2. 3. & 4. Nam implicat contradictionem, ut quod fuit, non fuerit, & ut quod eſt,non ſit, & ut quod futurum eſt, non ſit futurum. Poteſt quidem facere, ut quod eſt, deſinat eſſe,& poterat decernere, ut quæ voluit eſſe futura, non eſſent futura: ſed ſuppoſito, quòd aliquid exiſtat de præſenti, non poteſt facere, quòd pro illo præſenti non exiſtat, & ſuppoſito, quòd ſit futurum, non poteſt facere, ut quatenus futurum, non ſit futurum. *Tam non poſſunt futura non fieri, quàm non poſſunt non fuiſſe facta præterita*, inquit Aug. [5] Et hoc patet ex primo illo principio communiter recepto, *Quodlibet eſt, vel non eſt,* &, *implicat idem ſimul eſſe, & non eſſe.* Potentia autē Dei non extenditur ad impoſſibile,ut dictum eſt ſuprà.

Obji.1. Deus eſt tam potens nunc,quā antè;ſed antè poterat facere,ut res,quæ fuerunt,vel ſunt,non eſſent; ergo & nunc poteſt facere,ut nō fuerint, vel non ſint.

Reſp.

[1] *con.Fauſ.*5. [2] *q.*22. *ad Euſto.* [3] *D.ho.* 12.
[4] 6. *Ethic.*3. [5] *Ibid.*

Reſp. neg. conſ. quia ut non eſſent, quæ fuerunt vel ſunt, pendebat à potentia, & ex parte Dei, nunc verò, ut non fuerint, vel non ſint, quæ ſemel fecit, vel facit, non ampliùs pendet ex ipſo, ſed ex rebus factis.

Objic. 3. Omne accidens eſt ſeparabile à ſubjecto, ſaltem per divinam potentiam, ſed præteritio, præſentia, & futuritio ſunt accidentia rerum, quæ dicuntur fuiſſe, vel eſſe, vel fore; ergo Deus poteſt eas ſeparare ab aliis rebus; ergo & facere, ut præterita non ſint præterita.

Reſp. diſt. maj. A ſubjecto materialiter ſpectato, conc. maj. & min. formaliter, & reduplicativè, neg. maj. & min. & conſ. Nam ſicut album ut album includit eſſentialiter albedinem, & ab ea neqnit ſeparari ſine talis compoſiti deſtructione, licèt poſſit à pariete ſeparari materialiter ſpectato ſine ejus deſtructione; ita nec præteritum formaliter ut præteritum poteſt ſeparari à præteritione, & ſic de aliis. Sic Deus poterat non facere, quod fecit, & quod præteriit, & poſſet non facere id, quod nunc facit, & nolle futurum eſſe, quod voluit futurum, ſed ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito præteritionis, aut præſentiæ, aut futuritionis non poteſt illam à rebus ſeparare.

Concl. II. *Deus plura facere poſset, quæ non facit, nec facturus eſt*. Eſt etiam communis.

Prob. 1. ex Scoto [1] *Sicut Deus poteſt velle, & non velle liberè aliud à ſe, ſic poteſt velle, quod non vult, & non velle, quod vult*. Et affert verba Chriſti, [2] *An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modò plusquàm duodecim legiones Angelorum?* quod tamen non petiit, nec Pater ejus fecit; ergo tam Chriſtus Deus, quàm Deus Pater poteſt facere multa, quæ non facit.

Prob. 2. ex Script. & PP. Nam præter citata verba Chriſti, dicitur etiam, [3] *Apud Deum omnia poſſibilia ſunt*, & tamen non facit omnia. Item [4] *Dico vobis, quia potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ*. Et S. Aug. [5] *Omnipotentis voluntas multa facere poteſt, quæ non vult, nec facit*.

Prob. 3. ex dictis de libertate Dei. Et certè de fide eſt,

[1] *Repor.* 1. *d.* 43. *A. n.* 2. [2] *Matth.* 26.
[3] *Matth.* 19. [4] *Luc.* 3. [5] *Enchir.*

eſt, & definitum in Concil. Conſtantienſi contra Vvicleffum docentem, quòd *Deus non poteſt facere aliqua præter illa, quæ facit*, quod etiam docuerat Abaillardus, & poſtea Calvinus.

Objic. 1. Deus non poteſt facere niſi ea, quæ ab æterno ſe facturum decrevit; ſed non decrevit facere, niſi ea, quæ facit; ergo non poteſt alia. Maj. patet, quia non poteſt mutari.

Reſp. diſt. maj. Suppoſito decreto, & in ſenſu compoſito decreti, conc. abſolutè, & ſimpliciter, & ſecundum ſe, neg. maj. & conſ. Nam ſuppoſito decreto determinato de non faciendis aliis, quàm quæ facit, certum eſt, eum non poſſe alia facere, ſed quia tam liberè poſſet velle facere & alia plura innumerabilia, ita & faceret de facto, ſi ita placuiſſet, neque hæc limitatio ad iſta venit ex defectu potentiæ, ſed voluntatis.

Inſt. Deus non poteſt facere, nec velle, niſi quod juſtum eſt, aut decet; ſed vult, & facit omne, quod juſtum eſt, ergo & omne, quod poteſt.

Reſp. diſt. min. Facit omne, quod juſtum eſt, quatenus nihil velle, nec facere poteſt, quod non ſit juſtum, & decens, conc. quatenus facit omnia, quæ eſſent juſta, & decentia, ſi ea vellet, neg. min. & conſ. Cùm voluntas Dei ſit eſſentialiter recta, & prima regula rectitudinis, hoc ipſo, quòd aliqua vult, illa ſunt recta, & juſta, & hoc ipſo quòd alia non vult, non ſunt juſta poſitivè, & eſſent, ſi vellet. Voluntas Dei non accipit rectitudinem ab objectis, ſed è contra res ab ejus voluntate habent honeſtatem.

Philoſophi, & hæretici decipiuntur in hoc, quòd putant Deum ad extra, ſicut ad intra, neceſſariò agere, & hoc ſuppoſito, quod falſum eſt, dixerunt eum facere, quidquid poteſt. Et ex hoc eodem falſo principio Ariſtoteles dixit mundum eſſe ab æterno, quia non potuit concipere, quomodo potentia Dei fuerit otioſa per æternitatem, quæ tempus creationis præceſſit.

Concl. III. *Deus potuit facere opera meliora, quàm quæ fecit, imo et ipſa, quæ fecit, potuit facere meliora accidentaliter, non autem ſubſtantialiter*. Eſt communis, & patet ex dictis *diſp. 19. q. 7.* quòd Deus non neceſſitetur ad optimum.

Prob.

Prob. 1. ex Scoto, [1] qui ad hanc quæſtionem reſpondet, quòd *Deus poteſt facere meliora, quàm fecit, & hoc ſecundum omnem bonitatem* rei compoſſibilem. Quod probat 1. de bonitate accidentali; de ſubſtantiali autem ſic ait, *Quantum verò ad bonitatem, & perfectionem ſubſtantialem rerum, dico, quòd Deus poſſet eas facere meliores intenſivè ſecundum ſuas ſubſtantias, ſi quælibet iſtarum in ſua ſubſtantia ſuſcipiat magis, et minus, de quo non eſt perſcrutandum, quia difficilius eſt in propoſito*. Vide, quæ diximus in Philoſophia [2] ubi ſuſtinemus, *omnia individua unius ſpeciei eſſe entitativè æqualia*. Nam ſi ſubſtantiæ, & eſſentiæ non ſuſcipiant magis, & minus, ut docuimus, ſequitur, quòd earum perfectio eſſentialis non potuit eſſe major.

Prob. 2. quoad 1. p. ex Auguſt. [3] *Si Deus feciſset hominem, qui nec peccare vellet, nec poſſet, quis dubitet, quòd eum feciſſet meliorem?* Et confirm. ex Scriptura. Nam dicitur, quòd *aliquando erit lux lunæ, ſicut lux ſolis, et lux ſolis, ſicut lux ſeptem dierum*.

Illius probationes, & objectiones repete ex ſupradictis de libertate Dei ad optima, & meliora.

Unum hìc addam, Deum non potuiſse videri facere Chriſtum Dominum meliorem in illa ſpecie, ne accidentaliter quidem, & ſuppoſito decreto redemptionis, per mortem ejus. Nam, ut dicemus ſuo tempore, fuit in eo, ſi non infinita, ſaltem ſumma gratia, ſumma ſanctitas, &c.

[1] 1. *d.* 44. *q.* 2. *A. n.* 3. *Repor.* [2] *n.* 4. [3] 11. *Ge.* 7.

Et hæc dicta ſufficiant de Deo uno, optimo, maximo, cui ſit honor, & gloria in ſæcula. Amen.

Finis Tomi Primi.

Digitized by Google

005679810

Digitized by Google